
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/verachristianare0000eman

VERA CHRISTIANA RELIGIO

PHOTOTYPICE EDIDIT SWEDENBORG INSTITUT
BASILEÆ MCMLXIV CONFŒDERATIO HELVETICA

VERA CHRISTIANA RELIGIO,

CONTINENS

UNIVERSAM THEOLOGIAM NOVÆ ECCLESIÆ

A

DOMINO APUD DANIELEM CAP. VII: 13-14, ET IN APOCALYPSI CAP. XXI: 1, 2. PRÆDICTÆ.

AB

EMANUELE SWEDENBORG,

DOMINI JESU CHRISTI SERVO.

AMSTELODAMI,

MDCCLXXI.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY 1962

BX
8712
T8
1964

DANIEL Cap. VII. Verſ. 13. 14.

Videns fui in viſionibus noctis, & ecce cum nubibus cælorum ſicut Filius Hominis *veniens fuit: Et Huic datum eſt Dominium, & Gloria & Regnum, & omnes populi, gentes, & linguæ Ipſum colent: Dominium Ejus Dominium ſæculi, quod non tranſibit, & Regnum Ejus quod non peribit.*

APOCALYPSIS Cap. XXI: 1. 2. 5. 9. 10.

Ego Johannes vidi Cælum Novum & Terram Novam: & vidi Urbem ſanctam Hieroſolymam novam, deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut Sponſam ornatam Marito ſuo. Et Angelus loquutus eſt mecum, dicens, veni oſtendam tibi Sponsam Agni Uxorem; *& abſtulit me in ſpiritu ſuper montem magnum & altum, et oſtendit mihi Urbem magnam ſanctam Hieroſolymam, deſcendentem e Cælo a Deo.*

Sedens ſuper Throno dixit, ecce Nova omnia facio; *& dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt.*

VERA CHRISTIANA RELIGIO,

CONTINENS

UNIVERSAM THEOLOGIAM
NOVI CÆLI ET NOVÆ ECCLESIÆ

FIDES NOVI CÆLI ET NOVÆ ECCLESIÆ.

1. FIdes in forma universali & singulari præmittitur, ut sit sicut Facies ante Opus, quod sequitur; ac ut sit sicut Porta, per quam fit ingressus in Templum; utque sit Summarium, in quo singula quæ sequuntur, suo modo continentur. Dicitur Fides Novi Cæli & Novæ Ecclesiæ, quia Cælum ubi sunt Angeli, & Ecclesia in qua Homines, unum agunt sicut Internum & Externum apud hominem; inde est quod homo Ecclesiæ, qui in bono amoris ex veris fidei est, ac in veris fidei ex bono amoris, sit quoad interiora mentis suæ Angelus cæli, quare etiam post mortem in Cælum venit, & ibi fruitur felicitate secundum statum conjunctionis illorum. Sciendum est, quod in Novo Cælo, quod hodie a Domino instauratur, sit hæc Fides, facies, porta & summarium ejus.

2. Fides Novi Cæli et Novæ Ecclesiæ in Universali Forma, hæc est. Quod Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, in Mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & quod absque eo nemo mortalium salvari potuerit; & quod salventur qui credunt in Ipsum.

Dicitur in Universeli forma, quia hoc est Universale fidei, ac Universale fidei est, quod in omnibus & singulis erit. Universale fidei est, quod Deus sit Unus Essentia & Persona, in Quo est Divina Trinitas, & quod Dominus Deus Salvator Jesus Christus sit Ille. Universale fidei est quod nullus mortalium salvari potuerit, nisi Dominus in Mundum venerit. Universale fidei est, quod in Mundum venerit, ut removeret Infernum

ab homine, & quod removerit illud per pugnas contra illud, & per victorias ſuper illud; ita ſubjugavit illud, & redegit illud in ordinem, & ſub ſuam obedientiam. Univerſale fidei eſt, quod in Mundum venerit, ut Humanum ſuum, quod in Mundo ſuſcepit, glorificaret, hoc eſt, uniret Divino a Quo; ſic Infernum in ordine & ſub obedientia ſua, in æternum tenet. Quoniam hoc non potuit fieri, quam per Tentationes in Humanum ſuum admiſſas uſque ad Ultimam illarum, & ultima illarum fuit Paſſio crucis, ideo illam ſubivit. Hæc ſunt Univerſalia fidei de Domino.

Univerſale fidei a parte hominis eſt, ut credat in Dominum, nam per credere in Illum fit conjunctio cum Illo, per quam Salvatio: credere in Illum, eſt fiduciam habere quod Ille ſalvet; & quia fiduciam habere non poteſt, niſi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipſum intelligitur. Hoc dicit etiam Dominus apud Johannem „ *Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam*" VI: 40. & alibi „ *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, III: 36.

3. Fides Novi Cæli et Novæ Eccleſiæ in ſingulari Forma, hæc eſt: Quod Jehovah Deus ſit Ipſe Amor & Ipſa Sapientia, ſeu quod ſit Ipſum Bonum & Ipſum Verum, & quod Ipſe quoad Divinum Verum, quod eſt Verbum, & quod fuit Deus apud Deum, deſcenderit, & aſſumſerit Humanum, propter finem, ut in ordinem redigeret omnia quæ in Cælo, & omnia quæ in Inferno, & omnia quæ in Eccleſia erant; quoniam tunc potentia Inferni valuit ſuper potentiam Cæli, & in Terris potentia mali ſuper potentiam boni, & inde totalis damnatio ante fores ſtetit & imminuit. Hanc futuram Damnationem Jehovah Deus per Humanum ſuum, quod erat Divinum Verum, ſuſtulit, & ſic Angelos & Homines redemit: ac poſtea in Humano ſuo univit Divinum Verum Divino Bono, ſeu Divinam Sapientiam Divino Amori, & ſic rediit in ſuum Divinum in Quo ab æterno fuit, una cum & in glorificato Humano. Hæc intelliguntur per hoc apud Johannem „ *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 1. 14; & apud Eundem, *Exivi a Patre, & veni in Mundum; iterum relin-*

relinquo Mundum, & vado ad Patrem, Cap. XVI: 28. & porro per hoc „ *Scimus quod Filius Dei venerit, & dederit nobis intelligentiam, ut cognoſcamus Verum, & ſumus in Vero in Filio Ipſius Jeſu Chriſto: Hic eſt verus Deus & Vita æterna*, Joh. I Epiſt. Cap. V: 20. 21. Ex his patet, quod abſque adventu Domini in Mundum, nullus ſalvari potuerit. Simile eſt hodie; quare niſi Dominus iterum in Mundum veniat in Divino Vero, quod eſt Verbum, nec quiſquam poteſt ſalvari.

Singularia fidei a parte hominis ſunt; 1. Quod Deus ſit Unus, in Quo Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus Deus Salvator Jeſus Chriſtus. 2. Quod Fides ſalvifica ſit credere in Ipſum. 3. Quod non facienda ſint mala, quia ſunt diaboli & a diabolo. 4. Quod facienda ſint bona, quia ſunt Dei & a Deo. 5. Et quod hæc facienda ſint ab homine ut ab Ipſo; at quod credendum ſit, quod ſint a Domino apud illum & per illum. Duo priora ſunt Fidei, duo poſteriora ſunt charitatis; & quintum eſt conjunctionis charitatis & fidei, ita Domini & hominis.

CAPUT PRIMUM

DE

DEO CREATORE.

4. Ecclesia Chriſtiana a tempore Domini tranſierat ætates ab Infantia ad ultimam Senectam; Infantia ejus fuit tempore quo vixerunt Apoſtoli, & in toto Mundo prædicaverunt Pœnitentiam & Fidem in Dominum Deum Salvatorem, quod duas illas, conſtat ex his in Actis Apoſtolorum, „ *Paulus conteſtatus eſt & Judæis „ & Græcis Pœnitentiam ad Deum, & Fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*," Cap. XX: 21. Memorabile eſt, quod Dominus ante aliquot Menſes convocaverit duodecim ſuos Diſcipulos, nunc Angelos, ac illos in Univerſum Mundum Spiritualem emiſerit, cum mandato ut Evangelium e novo ibi prædicarent, quoniam Eccleſia a Domino per illos inſtaurata hodie in tantum conſummata eſt, ut vix aliquæ reliquiæ ejus ſuperſint; & quod hoc evenerit, quia Divinam Trinitatem in tres Perſonas, quarum unaquævis eſt Deus & Dominus, partiti ſunt; & quod inde emanaverit ſicut phreneſis in univerſam Theologiam, & ſic in Eccleſiam, quæ

a nomine Domini Chriſtiana vocatur; dicitur phreneſis, quia mentes humanæ, per id in tale delirium actæ ſunt, ut non ſciant num Deus unus ſit, vel num tres ſint, unus eſt in oris loquela, ſed tres in mentis cogitatione, quare diſſidet mens ab ore ſuo, ſeu cogitatio a loquela ſua; ex quo diſſidio reſultat, quod nullus Deus ſit; Naturalismus hodie regnans non aliunde eſt; expende, ſi libet, dum os loquitur unum, & mens cogitat tres, annon intus in media via unum expungit alterum viciſſim; inde homo vix aliter de Deo cogitat, ſi cogitat, quam ex nuda voce Deus, abſque aliquo ſenſu qui involvit cognitionem ejus. Quoniam idea de Deo, cum omni notione ejus, ita diſcerpta eſt, volo in ſuo ordine de Deo Creatore, de Domino Redemptore, & de Spiritu Sancto operatore, & demum de Divina Trinitate, agere, ob cauſam, ut diſcerptum reſarciatur, quod fit, dum Ratio humana ex Verbo & inde lumine convincitur, quod Divina Trinitas ſit, & quod hæc ſit in Domino Deo Salvatore Jeſu Chriſto, ſicut Anima, Corpus, & Procedens in homine; & quod ſic valeat hoc in Symbolo Athanaſiano, *Quod in Chriſto Deus & Homo, ſeu Divinum & Humanum, non ſint duo, ſed in una Perſona; & quod ſicut Anima rationalis & Caro unus eſt homo, ita Deus & Homo unus ſit Chriſtus.*

DE UNITATE DEI.

5. Quoniam agnitio Dei ex cognitione Ejus eſt ipſa eſſentia & anima omnium in Univerſa Theologia, neceſſum eſt, ut exordium fiat de UNITATE DEI, quæ in ordine per Articulos demonſtrabitur, qui erunt, I. *Quod tota Scriptura Sacra, & inde Doctrinæ Eccleſiarum in Chriſtiano Orbe doceant, quod Deus unus ſit.* II. *Quod univerſalis influxus in animas hominum ſit, quod Deus ſit, & quod unus.* III. *Inde eſt, quod in Univerſo Mundo non detur Gens, cui religio & ſana ratio, quæ non agnoſcit Deum, & Deum unum eſſe.* IV. *Quod qualis ille Deus unus eſt, gentes & populi abiverint & abeant in diverſum ex pluribus cauſis.* V. *Quod Ratio humana ex multis in Mundo percipere aut concludere poſſit, ſi vult, quod Deus ſit, & quod unus ſit* VI. *Quod niſi unus Deus foret, non potuiſſet Univerſum creari & conſervari.* VII. *Quod homo, qui non agnoſcit Deum, ab Eccleſia ſit excommunicatus, & damnatus.* VIII. *Quod apud hominem, qui non agnoſcit unum Deum, ſed plures, nihil Eccleſiæ cohæreat.* Sed hæc ſingulatim evolventur.

6. I. QUOD TOTA SCRIPTURA SACRA, ET INDE OMNES DOCTRINÆ ECCLESIARUM IN CHRISTIANO ORBE, DOCEANT, QUOD DEUS SIT, ET QUOD UNUS SIT. Quod tota Scriptura ſacra doceat, quod Deus ſit, eſt quia in intimis ejus non aliud eſt, quam Deus, hoc eſt, Divinum quod procedit a Deo, eſt enim illa dictata a Deo, & non poteſt aliud procedere a Deo, quam quod Ipſe eſt, & vocatur Divinum; hoc in intimis ejus eſt. In derivatis autem, quæ infra ſunt, & inde ſunt, eſt Sancta illa Scriptura accommodata perceptioni Angelorum & Hominum, in his eſt ſimiliter Divinum, ſed in alia forma, & in hac vocatur id Divinum Cæleſte, Spirituale & Naturale, quæ non aliud ſunt, quam integumenta Dei; quoniam Ipſe Deus, qualis eſt in intimis Verbi, non poteſt ab ullo Creato videri; nam dixit ad Moſen, dum ſupplicavit ut videret gloriam Jehovæ, quod nemo poſſit videre Deum & vivere; ſimile eſt cum intimis Verbi, ubi Deus in ſuo Eſſe & in ſua Eſſentia eſt: ſed uſque Divinum, quod intime eſt, ac integitur per talia, quæ accommodata ſunt perceptionibus Angelorum & Hominum, elucet ſicut Lux per formes Chryſtallinas, ſed varie ſecundum ſtatum mentis, quem ſibi homo a Deo vel a ſemet formavit; coram omni illo, qui ſtatum mentis ſuæ formavit a Deo, eſt Scriptura ſacra ſicut Speculum, in quo videt Deum, ſed quiſque ſuo modo; Veritates, quas

ex

ex Verbo diſcit, & per vitam ſecundum illas imbuit, illad Speculum componunt: ex his primum conſtat, quod Scriptura ſacra ſit plenitudo Dei. Quod illa non modo doceat, quod Deus ſit, ſed etiam quod Deus unis ſit, conſtare poteſt ex Veritatibus, quæ, ut dictum eſt, Speculum illud conformant, quod in uno nexu cohæreant, & faciant, quod homo non poſſit cogitare de Deo niſi unum; inde eſt, quod unuſquiſque, cujus ratio aliqua ſanctitate ex Verbo imbuta eſt, ſciat ſicut ex ſe, quod Deus unus ſit, & percipiat ſicut inſaniam dicere, quod plures ſint; angeli non poſſunt aperire os ad enantiandum deos, aura enim cæleſtis, in qua vivunt, contranititur. Quod Deus unus ſit, Scriptura ſacra non modo univerſaliter ita, ut dictum eſt, docet, ſed etiam particulatiter multis in locis, ut in his, „ *Audi Iſrael, Jehovah Deus noſter, Jehovah unus eſt*, Deutr. VI: 4. pariter Marc. XII: 29. *Tantummodo inter te Deus, et præter Me non eſt Deus*, Eſaj. XLV: 14. 15. *Nonne Ego Jehovah, & non amplius Deus præter Me*, Eſaj. XLV: 20. 21. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnoſces*, Hoſeh. XIII: 4. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraelis, Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus*, Eſaj. XLIV: 6. *In die illo erit Jehovah in Regem ſuper totam Terram, in die illo erit Jehovah unus, & Nomen Ipſius unum*, Sach. XIV: 9.

7. Quod doctrinæ Eccleſiarum in Chriſtiano Orbe doceant, quod Deus unus ſit, notum eſt; docent, quia ex Verbo ſunt omnes doctrinæ illarum, quæ cohærent, quantum unum Deum non ſolum ore, ſed etiam corde agnoſcunt: illi qui ſolum ore unum Deum, & tres corde confitentur, ut ſit apud plures hodie in Chriſtianiſmo, illis non aliud eſt Deus, quam duntaxat enuntiatum oris, & omne Theologicum illis non aliud eſt, quam ſicut Idolum ex auro incluſum ſcrinio, ad quod clavis ad aperiendum eſt ſolum apud antiſtites, & illi quando legunt Verbum, non percipiunt aliquam lucem ibi & inde, & ne quidem quod Deus unus ſit; Verbum illis eſt ſicut lituris maculatum, & quoad unitatem Dei obtectum; hi ſunt qui a Domino deſcribuntur apud Matthæum „ *Auditu audietis, & non intelligetis, & videndo videbitis, & non cernetis: oculos ſuos occluſerunt, ne forte videant oculis ſuis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertant ſe, & ſanem illos*, Cap. XIII: 14. 15. Sunt omnes illi ſicut qui lucem fugiunt, & intrant Cameras ubi non fenaſtræ ſunt, & palpitant circum parietes, & quærunt ubi victus & ubi nummi; & tandem fænerantur viſum noctuarum ſimilem, & vident in tenebris: ſunt hi ſimiles mulieri, cui plures mariti ſunt, quæ non eſt uxor, ſed laſciva maretrix: ſuntque ſimiles virgini, quæ a pluribus procis annulos accipit, & poſt nuptias cum uno locat noctes; & quoque cum reliquis.

8. II. Quod universalis Influxus a Deo in animas hominum sit, quod Deus sit, et quod unus. Quod influxus ſit a Deo in hominem, manifeſtum eſt ab omnium confeſſione, quod omne bonum, quod in ſe bonum eſt, & eſt in homine, & fit ab illo, ſit a Deo, ſimiliter omne charitatis & omne fidei, nam legitur, *Non poteſt homo ſumere quicquam, niſi ſit datum ei e Cælo*, Joh. III: 27: & Jeſus dixit, *Sine Me non poteſtis facere quicquam*, Joh. XV: 5, hoc eſt, non quicquam quod charititas & quod fidei eſt. Quod influxus ille ſit in animas hominum, eſt quia anima eſt intimum & ſupremum hominis, ac influxus a Deo fit in illud, & inde deſcendit in illa quæ infra ſunt, & vivificat illa ſecundum receptionem: Vera quæ fidei erunt, quidem influunt per auditum, & ſic menti implantantur, ita infra animam, ſed homo per hæc vera modo diſponitur ad recipiendum influxum a Deo per animam, & qualis diſpoſitio eſt talis fit receptio, & talis transformatio fidei naturalis in fidem ſpiritualem. Quod influxus a Deo in animas hominum ſit, quod Deus unus ſit, eſt quia omne Divinum tam univerſaliter quam ſingulariter ſumtum, eſt Deus, & quia omne Divinum cohæret ut unum, non poteſt non inſpirare homini ideam Unius Dei; & hæc idea corroboratur indies, ſicut homo a Deo elevatur in lucem Cæli; Angeli enim in ſua luce non poſſunt cogere ſe ad enuntian-

tiandum Deos, quare etiam loquela illorum in fine cujuſvis ſenſus terminatur quoad accentum in unum; quod non aliunde eſt, quam ex influxu in animas illorum, quod Deus unus ſit. Quod tametſi in omnium hominum animas influit quod Deus unus ſit, uſque multi cogitent, quod Divinitas Ejus diviſa ſit in Plures ejuſdem Eſſentiæ, eſt cauſa, quod, cum Influxus ille deſcendit, illabatur in formas non correſpondentes, & ipſa forma variat illum, quemadmodum fit in omnibus ſubjectis trium regnorum naturæ; eſt idem Deus qui vivificat omnem baſtiam, qui hominem, ſed forma recipiens facit, quod beſtia ſit beſtia & quod homo ſit homo; ſimiliter fit cum homine, dum ille menti ſuæ inducit formam beſtiæ: ſimilis influxus a Sole eſt in omnem arborem, ſed variatur ille ſecundum cujuſvis formam, ſimilis eſt in vitem, qualis in ſpinam, ſed ſi ſpina inoculatur viti, influxus ille invertitur & procedit ſecundum ſpinæ formam. Simile fit in ſubjectis Regni mineratis, lux influens in lapidem calcarium, & in adamantem, eſt eadem, ſed pellucet in hoc, & opacatur in illo. Quod Humanas mentes attinet, illæ variantur ſecundum formas ſuas, quæ intus ſpirituales ſunt ſecundum fidem in Deum & ſimul vitam a Deo, & formæ illæ fiunt pellucidæ & Angelicæ per fidem in unum Deum, at viciſſim fiunt opacæ & ferinæ per fidem in plures Deos, quæ parum diſcriminatur a fide in nullum Deum.

9. III. Inde eſt, quod in universo Mundo non detur Gens, cui Religio et sana ratio est, quæ non agnoscit Deum, et Deum unum esse. Ex Influxu Divino in animas hominum, de quo mox ſupra, ſequitur, quod ſit internum dictamen apud unumquemvis hominem, quod Deus ſit, & quod unus ſit: quod uſque dentur, qui Deum negant, & qui Naturam pro Deo agnoſcunt, quique plures Deos, & quoque Simulachra pro diis colunt, eſt cauſa, quia interiora rationis ſuæ ſeu intellectus ſui obſtipaverunt mundanis & corporeis, & per hæc primitivam ſeu infantiæ ideam de Deo obliteraverunt, & ſimul tunc Religionem a pectore in tergum rejecerunt. Quod Chriſtiani agnoſcant unum Deum, ſed quomodo, ex Symbolica illorum Confeſſione patet, quæ talis eſt, „ *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur*: ſunt tres *Perſonæ Divinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & tamen non ſunt tres dii, ſed unus eſt Deus: atque alia eſt Perſona Patris, alia Filii, & alia Spiritus Sancti, & illarum eſt una Divinitas, æqualis Gloria, & coæterna Majeſtas; ita Deus eſt Pater, Deus eſt Filius, & Deus eſt Spiritus Sanctus: at quia ſingulatim unamquamque Perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos & tres Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur:* talis eſt fides Chriſtiana de Unitate Dei; ſed quod Trinitas Dei & Unitas Dei in illa confeſſione inter ſe diſſideant, in Capite de Divina Trinitate videbitur. Gentes reliquæ in Mundo, quibus Religio & ſana ratio eſt, adſtipulantur, quod Deus unus ſit: omnes Mahumedani in ſuis Imperiis; Africani in multis ſui Orbis Regnis; & quoque Aſiatici in pluribus ſuis; & inſuper Judæi hodie. Antiquiſſimi in Sæculo aureo, illi, apud quos Religio fuit, coluerunt Deum Unum, quem nominaverunt Jehovam; ſimiliter Antiqui in Sæculo ſequente, antequam Imperia monarchica facta ſunt, cum quibus inceperunt amores mundani, & demum corporei, occludere ſuperiora intellectus, quæ prius fuerunt aperta, & tunc ſicut Templa & Adyta pro cultu unius Dei: at Dominus Deus ut recluderet illa, & ſic reſtauraret cultum unius Dei, Eccleſiam apud Jacobi poſteros inſtituit, & præfecit omnibus præceptis religionis illorum hoc, *Non erit Deus alius ante faciem meam*, Exod. XX: 3. Jehovah etiam, quem ſe e novo coram illis nominavit, ſignificat ſupremum & unicum Ens, ex quo omne eſt, quod in univerſo eſt & exiſtit. Priſci Gentiles pro ſupremo Deo agnoverunt Jovem, ita forte vocatum a Jehovah, & plures alios, qui componebant Aulam ejus, etiam Divinitate donaverunt; at Sapientes in ſequenti ævo, ut Plato & Ariſtoteles, faſſi ſunt, quod hi non Dii, ſed totidem proprietates, qualitates, & attributa

tributa unius Dei eſſent, quæ dii vocati ſunt, quia ſingulis illis divinitas inerat.

10. Omnis Ratio ſana, tametſi non religioſa, videt, quod omne diviſum niſi pendeat ab uno, ex ſe dilabatur, quemadmodum Homo ex tot membris, viſceribus, organis ſenſoriis & motoriis contextus, niſi ex una anima; & ipſum Corpus niſi ex uno corde. Similiter Regnum niſi ab uno Rege; Domus niſi ab uno hero; & omnis functio, quæ multiplex eſt in unoquovis Regno, niſi ab uno officiario. Quid Exercitus valeret contra hoſtes abſque Duce, cui ſuprema poteſtas, & ei præfecti ſubordinati, quibus ſingulis ſuum jus eſt ſuper milites. Simile foret cum Eccleſia, niſi illa agnoſceret unum Deum, & quoque cum Cælo angelico, quod eſt ſicut caput Eccleſiæ in terris, in quibus Dominus eſt ipſa Anima; quare Cælum & Eccleſia Ipſius Corpus vocantur; quæ niſi agnoſcerent unum Deum, foret utrumque ſicut inanime corpus, quod, quia ad nihil utile, projiceretur, & ſepeliretur.

11. IV. QUOD QUALIS ILLE DEUS UNUS EST, GENTES ET POPULI ABIVERINT ET ABEANT IN DIVERSUM, EX PLURIBUS CAUSIS. Cauſa prima eſt, quod cognitio de Deo, & inde agnitio Dei, non dabilis ſit abſque Revelatione, & non cognitio de Domino & inde agnitio, quod in Ipſo omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter, quam ex Verbo, quod eſt Revelationum Corona; nam homo ex data Revelatione poteſt obviam ire Deo, & influxum recipere, & ſic a naturali fieri ſpiritualis: & primæva Revelatio pervagata eſt univerſum Orbem, & illam naturalis homo perverterat multis modis, unde divaricationes, diſſenſus, hæreſes, & ſchiſmata religionum. Secunda cauſa eſt, quod Naturalis homo non poſſit percipere aliquid de Deo, ſed ſolum de Mundo, & hoc applicare ad ſe, quare inter canones Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod Naturalis homo ſit contra Spiritualem, & quod pugnent inter ſe; inde eſt, quod illi, qui ex Verbo ex alia Revelatione cognoverunt quod Deus ſit, abiverint & abeant in diverſum de Qualitate Dei, & de Unitate Ipſius. Quapropter illi, quorum mentis viſus pependit a ſenſibus corporis, & tamen voluerunt videre Deum, formaverunt ſibi Simulacra ex auro, argento, lapide & ligno, ut ſub illis, ut viſus objectis, adorarent Deum: & quod alii, qui ſimulacra ex religione rejecerunt, ſibi de Deo finxerint Imagines ex Sole & Luna, ex Aſtris, & ex variis ſuper terra: at illi, qui crediderunt ſe ſupra vulgus ſapere, & tamen naturales permanſerunt, ex Dei immenſitate & omnipræſentia in creando Mundum, Naturam, quidam illam in intimis, & quidam illam in ultimis, pro Deo agnoverunt: & quidam ut ſepararent Deum a natura, excogitaverunt quoddam univerſaliſſimum, quod vocaverunt Ens univerſi; & quia nihil plus de Deo ſciunt, ſit hoc Ens apud illos ens rationis, quod ſignificat non aliquid. Quis non comprehendere poteſt, quod cognitiones de Deo ſint ſpecula Dei, & quod illi, qui nihil ſciunt de Deo, non videant Deum in aliquo ſpeculo oculis obverſo, ſed in ſpeculo inverſo ſeu a tergo, quod argentum vivum aut nigrum gluten obtegit, ac imaginem non reflectit, ſed ſuffocat. Fides Dei intrat in hominem per Viam priorem, quæ eſt ab anima in ſuperiora intellectus; at cognitiones de Deo intrant per Viam poſteriorem, quia ex revelato Verbo ab Intellectu per ſenſus corporis hauriuntur, & in medio Intellectu fit conventus influxuum, & ibi naturalis fides, quæ modo eſt perſuaſio, fit ſpiritualis, quæ eſt ipſa agnitio; quare Intellectus humanus eſt ſicut cambium, in quo fit permutatio.

12. V. QUOD RATIO HUMANA EX MULTIS IN MUNDO PERCIPERE AUT CONCLUDERE POSSIT, SI VULT, QUOD DEUS SIT, ET QUOD UNUS SIT. Hæc veritas per innumerabilia in Mundo aſpectabili, confirmari poteſt; eſt enim Univerſum ſicut Theatrum, ſuper quo Teſtimonia, quod Deus ſit, & quod unus ſit, continue exhibentur. Sed ad hoc illuſtrandum adducam MEMORABILE hoc e Mundo Spirituali. Quondam inter loquendum cum Angelis, aderant aliqui Novitii e Mundo naturali, quibus viſis optabam felicem adventum, & narravi plura ignota de Mundo Spirituali; & poſt ſermonem de illis quæſivi, quam eruditionem de Deo

& de Natura e Mundo ſecum ferrent, dicebant hanc, quod Natura operetur omnia quæ in Univerſo Creato fiunt, & quod Deus poſt Creationem illi indiderit & impreſſerit facultatem & potentiam illam, & quod Deus ſolum ſuſtentet & conſervet illa ne pereant; quapropter cuncta quæ exiſtunt, naſcuntur & renaſcuntur ſuper Tellure, Naturæ hodie adſcribuntur: ſed reſpondi, quod Natura ex ſe non operetur quicquam, ſed Deus per naturam: & quia poſcebant demonſtrationem, dixi; illi qui credunt Divinam operationem in ſingulis naturæ, poſſunt ex permultis, quæ in Mundo vident, ſe confirmare pro Deo, multo plus quam pro Natura: illi enim, qui ſe confirmant pro Divina Operatione in ſingulis naturæ, attendunt ad Mirabilia, quæ conſpiciuntur in Productionibus tam Vegetabilium quam Animalium: in PRODUCTIONIBUS VEGETABILIUM; quod ex ſeminulo jacto in terram exeat radix, per radicem caulis, & ſucceſſive rami, termites, folia, flores, fructus, uſque ad nova ſemina, prorſus ſicut Semen ſciret ordinem ſucceſſionis ſeu proceſſum, quo ſe renovaturum ſit. Quis rationalis cogitare poteſt, quod Sol, qui eſt purus ignis, hoc ſciat, aut quod poſſit indere calori ſuo & luci ſuæ, ut talia efficiat, & quod poſſit intendere uſus; homo, cui rationale elevatum eſt, dum illa videt & rite expendit, non poteſt aliter cogitare, quam quod ſint ab Ipſo, cui infinita Sapientia eſt, ita a Deo; illi qui Divinam Operationem in ſingulis naturæ agnoſcunt, etiam confirmant ſe in eo, cum illa vident; at viciſſim illi qui illam non agnoſcunt, non vident talia oculis rationis in fronte, ſed in occipitio, qui ſunt qui omnes ideas cogitationis ſuæ attrahunt ex ſenſibus corporis, & fallacias illorum confirmant, dicentes, nonne vides Solem per calorem ſuum & lucem ſuam omnia illa operantem; quid eſt quod non vides, num eſt aliquid. Illi qui ſe confirmant pro Divino, attendunt ad MIRABILIA quæ vident in PRODUCTIONIBUS ANIMALIUM; ut hic primum memorem in Ovis, quod in illis lateat pullus in ſuo ſemine cum omni requiſito ad formationem, & quoque cum omni progreſſione poſt exluſionem uſque dum fiat avis in forma genetricis. Porro, ſi attenditur ad Volatilia in genere, ſiſtuntur menti, quæ alte cogitat, talia, quæ creant ſtuporem, ut quod in minimis illorum ut in maximis, in inviſibilibus ut in viſibilibus, hoc eſt, in inſectulis ut in alitibus & beſtiis magnis, ſint organa ſenſuum, quæ ſunt viſus, odoratus, guſtus & tactus, tum organa motuum, quæ ſunt muſculi, volant enim & gradiuntur; ut & viſcera adhærentia cordi & pulmoni, quæ actuantur a cerebris. Qui omnia Naturæ adſcribunt, illi quidem vident talia, ſed cogitant modo quod ſint, & dicunt, quod Natura producat; & hoc dicunt, quia averterunt mentem a cogitando de Divino, & qui averterunt ſe a Divino, dum vident mirabilia in Natura, non poſſunt rationaliter, minus ſpiritualiter, de illis cogitare, ſed cogitant ſenſualiter & materialiter, & tunc cogitant in natura a natura, & non ſupra illam; ſolum cum differentia a beſtiis, quod rationalitate polleant, hoc eſt, quod poſſint intelligere, ſi volunt. Illi, qui averterunt ſe a cogitando de Divino, & per id facti ſunt ſenſuales corporei, non cogitant, quod viſus oculi tam craſſus & materialis ſit, ut plura inſectula ſpectet ut unum obſcurum, & tamen unumquodvis organizatum eſt ad ſentiendum & ad ſe movendum, & ſic quod præditum ſit fibris & vaſis, tum corculis, fiſtulis pulmonicis, viſcerulis ac cerebris, & quod hæc contexta ſint a puriſſimis in natura, & quod contextus illi correſpondeant vitæ in ultimo gradu, e qua minutiſſima illorum diſtincte aguntur. Cum Viſus oculi tam craſſus eſt, ut plura cum innumerabilibus in unoquovis, appareant ei ſicut parvum obſcurum, & tamen illi, qui ſenſuales ſunt, ex illo viſu cogitant & judicant, patet quam incraſſata eſt Mens illorum, & inde in qua caligine ſunt de ſpiritualibus.

Quiſque ex viſibilibus in Natura poteſt ſe confirmare pro Divino, ſi vult, & quoque ſe confirmat, qui de Deo & Ipſius Omnipotentia in creando Univerſum, & de Ipſius Omnipræſentia in conſervando illud, cogitat; ut dum videt Volatilia Cæli, quod

quod quælibet eorum ſpecies ſciat ſua alimenta, & ubi hæc ſunt; cognoſcat ex ſono & viſu conſocios; tum inter aves, quænam earum amicæ, & quænam inimicæ ſunt, quod congreſſus ſub plumis ſciant, connubia jungant, arte ſtruant nidos, ibi ponant ova, incubent illis, tempus incubatus ſciant, quo exacto excludunt pullos, quos tenerrime amant, ſub alis fovent, eſcas porrigunt, & alunt, & hoc uſque dum ſui juris fiunt, & ſimilia poſſunt agere. Omnis qui vult de Divino influxu per Mundum ſpiritualem in naturalem cogitare, poteſt eum in illis videre; poteſt etiam, ſi vult, corde ſuo dicere, tales Scientiæ non poſſunt illis dari ex Sole per ejus calorem & lucem, eſt enim Sol, ex quo Natura ſuum ortum & eſſentiam ducit, purus Ignis, & inde effluxus caloris & lucis ejus prorſus mortui; & ſic poſſunt concludere, quod talia ſint ex influxu Divino per Mundum ſpiritualem in ultima naturæ.

Quiſque poteſt ex Viſibilibus in Natura pro Divino ſe confirmare, dum videt Vermes, qui ex jucundo cujuſdam amoris affectant & ſpirant mutationem ſui ſtatus terreſtris in ſtatum quendam analogum ſtatus cæleſtis, & propterea repunt in loca, circumdant ſe tegmine, & ſic mittunt ſe in uterum ut renaſcantur, & ibi fiant chryſallides, aureliæ, nymphæ, & tandem papiliones; & cum Metamorphoſin ſubierunt, & ſecundum ſpeciem pulchris induti ſunt alis, evolant in aerem ſicut in ſuum cælum, ac ibi genialiter ludunt, & agunt connubia, ponunt ova, ac proſpiciunt ſibi poſteritatem; & tunc victu amæno & dulci ex floribus ſe nutriunt. Quis non, qui pro Divino ex viſibilibus in natura ſe confirmat, non videt aliquam imaginem terreſtris ſtatus hominis in illis ut vermibus, & imaginem ſtatus cæleſtis in illis ut papilionibus: at illi, qui pro Natura ſe confirmant, vident quidem illa, ſed quia cæleſtem hominis ſtatum rejecerunt ex animo, vocant illa meras naturæ operationes.

Quiſque ex Viſibilibus in Natura pro Divino ſe poteſt confirmare, dum attendit ad illa quæ nota ſunt da Apibus, quod ſciant ex roſis & floribus colligere ceram, & exſugere mel, ac ſtruere cellas ſicut domunculas, & diſponere illas in formam civitatis, cum plateis per quas intrent & per quas exeant; quod e longinquo odorent flores & herbas, ex quibus colligant ceras pro domo, & mella pro victu, & quod illis refertæ revolent ſecundum plagam ad ſuum alveare, & ſic proſpiciant ſibi victum pro ventura hyeme, ſicut illam præviderent: præficiunt etiam ſibi dominam ſicut Reginam, ex qua Poſteritas propagetur, & pro illa quaſi Aulam ſupra ſe ſtruunt cum ſatellitiis circum, quæ, cum tempus partus inſtat, vadit in comitatu a ſatellitibus, qui vocantur Fuci, a cellula in cellulam, & ponit ova, quæ turba ſequens circumlinit, ne lædantur ab aere; inde illis nova ſoboles: poſtea cum hæc ad ætatem ſuam provecta eſt, ut ſimilia poſſit facere, expellitur domo, & examen ſe primum colligit in turmam, ne conſociatio divellatur, & dein evolat ad inveſtigandum ſibi domicilium: circa Autumnum fuci illi, quia nihil ceræ aut mellis intulerunt, educuntur & deprivantur alis, ne redeant, & eſcas ſuas, quibus nihil operæ impenderunt, conſumant; præter plura: ex quibus conſtare poteſt, quod illis, propter Uſum, quem præſtant Generi humano, ex influxu Divino per Spiritualem Mundum, ſit forma regiminis, qualis eſt apud homines in terris, imo apud angelos in Cælis. Quis, cui ratio illibata eſt, non videt, quod talia apud illos non ſint ex Naturali mundo; quid Sol, a quo Natura, commune habet cum Regimine æmulo & analogo Regiminis cæleſtis. Ex his & ſimilibus apud Animalia bruta, confeſſor & cultor Naturæ confirmat ſe pro Natura, dum confeſſor & cultor Dei ex iisdem ſe confirmat pro Deo, nam Spiritualis homo videt ſpiritualia in illis, & Naturalis homo videt naturalia in illis, ita quiſque qualis eſt: quod me attinet, talia mihi fuerunt teſtimonia Influxus Mundi Spiritualis in Naturalem a Deo. Expende etiam, num de aliqua Forma regiminis, aut de aliqua Lege civili, aut de aliqua Virtute morali, aut de aliqua

Veritate ſpirituali, potes analytice cogitare, niſi Divinum ex Sapientia ſua per Mundum Spiritualem influat; quod ad me, non potui nec poſſum; animadverti enim perceptibiliter & ſenſibiliter Influxum illum nunc per 26 annos continue, quare hoc dico ex teſtato.

Num Natura pro fine poteſt habere Uſum, & diſponere uſus in ordines & formas, hoc non poteſt niſi quam Sapiens; ac Univerſum ita ordinare & formare non poteſt niſi Deus, Cui infinita Sapientia eſt; quis alius poteſt prævidere & providere quæ victus & amictus ſunt, hominibus, victus ex meſſibus agri, fructibus terræ, & ex animalibus, & veſtitus ex iisdem. Inter Mirabilia ibi eſt, quod viles illi vermes, qui vocantur Bombyces, ſerico veſtirent, & magnifice ornarent & fæminas & viros, a Reginis & Regibus, uſque ad ancillas & famulos: & quod viles illi vermes, qui vocantur Apes, ſuppeditarent Ceras pro luminaribus, ex quibus Templa & Aulæ in ſplendore ſunt. Hæc & plura ſunt Auctoramenta exſtantia, quod Deus a Se per Mundum Spiritualem operetur omnia quæ in Natura fiunt.

His adjiciendum eſt, quod in Mundo Spirituali viſi ſint illi, qui pro Natura ex viſibilibus in Mundo ſe confirmaverunt, uſque ut athei facti ſint, & quod Intellectus eorum in Luce ſpirituali apparuerit apertus infra, ſed occluſus ſupra, ex cauſa, quia Cogitatione ſpectaverunt deorſum ad terram, & non ſurſum ad Cælum: ſupra ſenſuale, quod eſt infimum intellectus, apparuit ſicut velamen fulgurans ex igne infernali, apud quosdam atrum ſicut fuligo, & apud quosdam lividum ſicut cadaver. Caveat itaque quiſque ſibi a confirmationibus pro Natura, ſed confirmet ſe pro Deo, non deeſt ſupellex.

13. VI. QUOD NISI UNUS DEUS FORET, NON POTUISSET UNIVERSUM CREARI ET CONSERVARI. Quod Unitas Dei concludi poſſit a creatione Univerſi, eſt quia Univerſum eſt Opus cohærens ſicut unum a primis ad ultima, & quod pendeat a Deo uno ſicut corpus a ſua anima; Univerſum ita creatum eſt, ut Deus poſſit omnipræſens eſſe, ac ſub auſpicio ſuo omnia & ſingula ejus tenere, ac ut unum continere in perpetuum, quod eſt conſervare. Ex hoc quoque eſt, quod Jehovah Deus dicat, Quod ſit, *Primus & Ultimus*, *Principium & Finis*, *Alpha & Omega*, Eſaj. XLIV: 6. Apoc. I: 8. 17. & alibi, *Quod faciat omnia*, *expandat cælos*, *& extendat Terram*, *a Se Ipſo*, Eſaj. XLIV: 24. Hoc magnum Syſtema, quod vocatur Univerſum, eſt Opus cohærens ut unum a primis ad ultima, quia Deus in creando illud intendit unum Finem, qui fuit Cælum angelicum ex Humano Genere, & Media ad illum finem ſunt omnia, ex quibus Mundus eſt; nam qui vult finem etiam vult media; quare qui contemplatur Mundum ut Opus continens mediorum ad illum finem, ille poteſt contemplari Univerſum creatum ut Opus cohærens ut unum, & poteſt videre, quod Mundus ſit Complexus uſuum in ſucceſſivo ordine pro Humano Genere, ex quo Cælum Angelicum; Divinus Amor non poteſt alium finem intendere, quam Beatitudinem æternam hominum ex ſuo Divino, & Divina Ipſius Sapientia non poteſt producere aliud quam uſus medios ad illum finem; ex luſtrato Mundo in univerſali hac idea, omnis ſapiens poteſt comprehendere, quod Creator univerſi ſit unus, & quod Eſſentia Ipſius ſit Amor & Sapientia; quare non datur ſingulare ibi, in quo non latet uſus in propinquo aut e longinquo pro homine; pro victu ejus ex fructibus terræ, & quoque ex animalibus, ac veſtitus ex iisdem. Inter mirabilia eſt, quod viles illi vermes, qui vocantur Bombyces, ſerico veſtiant & magnifice ornent & fæminas & viros, a Reginis & Regibus, uſque ad ancillas & famulos: & quod Viles vermes, qui ſunt Apes, ſuppeditent ceras pro luminaribus, ex quibus Templa & Aulæ in ſplendore ſunt. Illi qui ſingulariter aliqua in Mundo, & non univerſaliter omnia in ſerie, in qua ſunt fines, cauſæ mediæ, & effectus, luſtrant, tum qui Creationem non a Divino Amore per Divinam Sapientiam deducunt, non videre poſſunt, quod Univerſum ſit

Opifi-

Opificium unius Dei, & quod in ſingulis uſibus, quia in fine, habitet; omnis enim qui in fine eſt, etiam in mediis eſt, nam intime in omnibus mediis eſt finis, qui agit & ducit media. Qui non contemplantur Univerſum ut Opificium Dei, ac ut Habitaculum Amoris & Sapientiæ Ipſius, ſed ut Opificium naturæ, ac ut Habitaculum caloris & lucis ſolis, illi ſuperiora mentis ſuæ occludunt pro Deo, & Inferiora mentis ſuæ aperiunt pro diabolo & inde exuunt Humanum & induunt ferinum, & ſe non modo credunt beſtiis ſimiles, ſed etiam fiunt; fiunt enim vulpes quoad aſtutiam, lupi quoad ferociam, pardi quoad dolum, tigrides quoad ſævitiam, crocodili, ſerpentes, bubones & noctuæ quoad illorum naturam: illi qui tales ſunt, etiam in Mundo Spirituali e longinquo apparent illis feris ſimiles; amor mali illorum ita ſe figurat.

14. VII. QUOD HOMO, QUI NON AGNOSCIT DEUM, AB ECCLESIA SIT EXCOMMUNICATUS, ET DAMNATUS. Quod homo, qui non agnoſcit Deum, ab Eccleſia excommunicatus ſit, eſt quia Deus eſt omne Eccleſiæ, & Divina, quæ vocantur Theologica, faciunt Eccleſiam, quare negatio Dei, eſt negatio omnium Eccleſiæ; & hæc ipſa negatio excommunicat illum, ita ipſe homo ſe, & non Deus illum: quod ille damnatus ſit, eſt quia excommunicatus ab Eccleſia, ille etiam excommunicatus eſt e Cælo; Eccleſia enim in terris & Cælum angelicum unum agunt, ſicut Internum & Externum, ac ſicut Spirituale & Naturale apud hominem; & homo a Deo creatus eſt, ut quoad Internum ſuum ſit in Mundo ſpirituali, & quoad Externum ſuum in Mundo naturali; proinde quod creatus ſit indigena utriuſque Mundi, propter cauſam, ut ſpirituale, quod Cæli eſt, implantetur naturali quod Mundi eſt, quemadmodum fit cum ſemine in humo, & ſic homo fiat conſtans & perdurans in æternum. Homo, qui per negationem Dei ſe excommunicavit ab Eccleſia, & ſic a Cælo, occluſit Internum hominem apud ſe quoad voluntatem, ita quoad genialem ſuum amorem; voluntas hominis enim eſt receptaculum amoris ejus, & fit habitaculum hujus; at non poteſt occludere Internum ſuum hominem quoad Intellectum, nam ſi hoc poſſet & faceret, homo non foret homo amplius, ſed amor voluntatis ejus ſuperiora Intellectus infatuat falſis; inde fit Intellectus quaſi occluſus quoad vera quæ fidei ſunt, & quoad bona quæ charitatis, ita plus & plus contra Deum, & ſimul contra ſpiritualia Eccleſiæ; & ſic excluditur e communione cum Angelis Cæli, e qua cum excluſus eſt, ſe infert in communionem cum Satanis Inferni, & unum cogitat cum illis; & omnes Satanæ negant Deum, ac de Deo & de ſpiritualibus Eccleſiæ cogitant fatue; ſimiliter homo conjunctus illis; hic dum in Spiritu ſuo eſt, quod ſit quum domi ſibi relictus patitur cogitationes duci a jucundis mali & falſi, quæ concepit & partuivit apud ſe, tunc cogitat de Deo quod non ſit, ſed quod ſit modo vox ſonans ex pulpitis, ad vinciendum plebem ad obedientiam legum juſtitiæ, quæ Societatis ſunt; & quoque cogitat, quod Verbum, ex quo miniſtri ſonant Deum, ſit viſionarium & congeſtum quid, cui Sanctitas ex Auctoritate inducta eſt; tum quod Decalogus ſeu Cathechiſmus ſit libellus, qui poſtquam tritus eſt a manibus puerorum, rejectibilis ſit, ſanxit enim quod parentes honorandi ſint, non occidendum, non ſcortandum, non furandum, non falſe teſtandum, & quis non ex lege civili eadem ſcit: de Eccleſia cogitat, quod modo ſit congregatio ſimplicium, ad credendum facilium, & puſillanimorum, qui vident quod non vident: de homine, & de ſe ut homine, cogitat ſimiliter ut de beſtia; & de vita poſt mortem, ſimiliter quod de vita beſtiæ poſt illam. Ita cogitat Internus ejus homo, utcunque aliter loquitur Externus; nam, ut dictum, eſt cuivis homini Internum & Externum, & Internum ejus facit hominem, qui vocatur Spiritus, & vivit poſt mortem, & Externum, ex quo per moralitatem agit hypocritam, ſepelitur; & tunc propter negationem Dei ſit damnatus. Omnis homo qnoad Spiritum ſuum eſt ſui ſimilibus conſociatus in Mundo Spirituali, & eſt ſicut unus cum illis; & datum eſt mihi ſæpius videre hominum

adhuc viventium Spiritus in Societatibus, quorundam ibi in angelicis, & quorundam in infernalibus, & quoque per dies datum eſt loqui cum illis, & miratus ſum quod ipſe homo in ſuo corpore adhuc vivens de hoc prorſus nihil ſciret: exinde patuit, quod qui negat Deum, jamdum inter damnatos ſit, & quod poſt mortem colligatur ad ſuos.

15. VIII. QUOD APUD HOMINES, QUI NON AGNOSCUNT UNUM DEUM, SED PLURES, NIHIL ECCLESIÆ COHÆREAT. Qui unum Deum fide agnoſcit & corde colit, ille in communione Sanctorum in terris eſt, & in communione Angelorum in cælis, illæ dicuntur communiones, & ſunt, quia in uno Deo ſunt & unus Deus in illis: iidem etiam in conjunctione ſunt cum Univerſo Cælo Angelico, & auſim dicere, cum omnibus & ſingulis ibi, ſunt enim omnes ſicut filii & poſteri ex uno Patre, quorum animi, mores & facies ſimilares ſunt, a quibus ſe mutuo cognoſcunt. Cælum Angelicum coordinatum eſt in Societates ſecundum omnes varietates amoris boni, quæ varietates ad univerſaliſſimum unum Amorem collimant, qui eſt in Deum, ex hoc Amore propagati ſunt omnes, qui Deum unum Creatorem univerſi, & ſimul Redemptorem, & Regeneratorem, fide agnoſcunt & corde colunt. Sed aliter prorſus illi, qui non unum, ſed plures Deos adeunt & adorant, ſive hoc fiat, quod unum ore & tres cogitatione, ut faciunt illi in hodierna Eccleſia, qui Deum in tres Perſonas diſtinguunt, & unamquamque Perſonam declarant Deum per ſe, & cuique ſeparatas qualitates, ſeu proprietates quæ non alterius ſunt, attribuunt; inde fit, quod unitas Dei non modo actualiter dividatur, ſed etiam ipſa Theologia, & quoque Mens humana in qua illa erit, ſimiliter; quid inde niſi perplexum & non cohærens in rebus Eccleſiæ reſultat; quod talis ſit ſtatus Eccleſiæ hodiernæ in Appendice poſt hoc Opus, demonſtrabitur: hoc veritas eſt, quod diviſio Dei, aut Eſſentiæ Divinæ in tres Perſonas, quarum quælibet per ſe aut ſingulatim eſt Deus, inducat negationem Dei; eſt ſicut quis in Templum ad adorandum intrat, & in Tabula ſuper Altari videt pictum unum Deum ſicut Antiquum dierum, Alterum ſicut Pontificem maximum, & Tertium ſicut Æolum volantem, & ſubſcriptum, hi tres ſunt Unus Deus: aut forſan ſicut ibi videret Unitatem & Trinitatem pictas ſicut hominem cum tribus Capitibus ſuper uno corpore, aut cum tribus corporibus ſub uno Capite, quæ forma monſtroſa eſt, cum qua idea ſi quis intraret Cælum, certe præceps dejiceretur, tametſi diceret, quod Caput aut Capita ſignificarent Eſſentiam, & Corpus aut Corpora Proprietates diſtinctas.

16. His adjiciam unum MEMORABILE: Vidi aliquos novos Advenas e Mundo naturali in Mundum Spiritualem, inter ſe loquentes de Tribus Perſonis Divinis ab æterno; fuerunt Canonici, & unus ex illis Epiſcopus; hi ad me acceſſerunt, & poſt aliquem ſermonem de Mundo Spirituali, de quo antea non quicquam ſciverant, dixi, audivi vos loquentes de tribus Perſonis Divinis ab æterno; & quæſo, ut magnum hoc Myſterium ſecundum ideas veſtras, quas cepiſtis in Mundo naturali, e quo nuper veniſtis, aperiatis: & tunc Primas me intuens, dixit, video quod ſis Laicus, quare ideas cogitationis meæ de magno hoc Myſterio aperiam, & docebo; ideæ meæ fuerunt, & adhuc ſunt, quod Deus Pater, Deus Filius & Deus Spiritus Sanctus, in Medio Cælo ſuper magnificis & altis Soliis ſeu Thronis ſedeant; Deus Pater ſuper Throno ex obryzo auro cum Sceptro in manu; Deus Filius ad dextram Ipſius ſuper Throno ex puriſſimo argento cum Corona ſuper capite; & Deus Spiritus Sanctus juxta illos ſuper Throno ex ſplendido Chryſtallo, tenens Columbam in manu; & quod circum circa illos in triplici ordine penſiles lampades

des ex lapidibus pretioſis coruſcarent; & quod e longinquo ab hoc Circo ſtarent innumerabiles Angeli, omnes adorantes & glorificantes: & inſuper, quod Deus Pater cum ſuo Filio jugiter de Juſtificandis colloquatur, & quod inter ſe decernant & ſanciant, quinam in terris digni eſſent, quos inter Angelos recepturi, ac vita æterna coronaturi ſint: & quod Deus Spiritus Sanctus ex auditis illis quoad nomina, illico percurrat terrarum Orbem ad illos, ſecum ferens dona juſtitiæ, totidem auttoramenta ſalutis pro juſtificandis, & actutum ut advenit & afflat, diſſipet peccata, ſicut ventilator fumum e fornace, & hanc dealbat; & quoque aufert e cordibus durities lapidis, & infert mollities carnis, & ſimul innovat Spiritus ſeu mentes eorum, & generat e novo, ac facies infantiles illis inducit; & denique obſignat frontes eorum ſigno crucis, & vocat electos & filios Dei. Hoc ſermone finito Primas ille ad me dixit, ita illud magnum myſterium in Mundo enodavi; & quia plerique ex noſtro Ordine ibi illis meis effatis adplauſerunt, perſuaſus ſum, quod etiam tu, qui laicus es, illis fidem adjungas. Poſtquam illa a Primate dicta ſunt, inſpexi illum & ſimul canonicos cum illo, & animadverti, quod omnes pleno aſſenſu faverent, quare exorſus ſum reſpondere, & dixi; expendi tuæ fidei enuntiata, & ex illis collegi, quod de Deo Triuno prorſus naturalem & ſenſualem, imo materialem ideam, captaveris & foveas, ex qua inevitabiliter fluit idea trium Deorum; eſtne ſenſualiter cogitare de Deo Patre, quod ſedeat ſuper Throno cum Sceptro in manu, & de Filio, quod ſuper ſuo Throno cum Corona ſuper capite, & de Spiritu Sancto, quod ſuper ſuo cum Columba in manu, & quod ſecundum auſcultata percurrat terrarum Orbem; & quia talis idea inde reſultat, non poſſum dictis tuis adjungere fidem: ego enim ab infantia mea non potui in mentem meam aliam ideam quam Unius Dei admittere, & cum hanc ſolum admiſi & retineo, cadunt apud me omnia illa quæ dixiſti; & tunc vidi, quod per Thronum, ſuper quo Jehovah ſecundum Scripturam dicitur ſedere, intelligatur Regnum, per Sceptrum & Coronam Regimen & Dominium, per ſedere ad dextram Omnipotentia Dei per Humanum ſuum; & quod per illa, quæ de Spiritu Sancto perhibentur, Operationes Divinæ Omnipræſentiæ: aſſume Domine, ſi placet, ideam Unius Dei, & illam rite volve in Ratiocinio tuo, & tandem perſpicue deprehendes, quod ita ſit. Vos quidem etiam dicitis, quod Deus unus ſit, & hoc quia Eſſentiam facitis unam & quoque individuam trium illarum Perſonarum, atqui non permittitis ut aliquis dicat, quod unus ille Deus ſit una Perſona, ſed quod uſque ſint tres, & hoc facitis, ne idea trium deorum, qualis veſtra eſt, pereat; & quoque addicatis cuivis proprietatem ſeparatam ab alterius, annon ſic Eſſentiam veſtram Divinam dividitis; quando ita eſt, quomodo dicere poteſtis & ſimul cogitare quod Unus Deus ſit; ignoſcerem, ſi dixeritis quod unum Divinum ſit: quomodo quis, dum audit, quod *Pater ſit Deus*, *Filius ſit Deus*, *Spiritus Sanctus ſit Deus*, *& quod unaquævis Perſona ſingulatim ſit Deus*, poteſt cogitare quod unus Deus ſit, eſtne contradictio, cui fides nuſquam adjungi poteſt; quod non dici poſſit unus Deus ſed ſimile Divinum, illuſtrari poteſt per hæc; de pluribus hominibus, qui ſimul unum Senatum, Synedrium, aut Concilium conformant, non poteſt dici quod unus homo ſint, ſed dum omnibus & ſingulis una ſententia eſt, poteſt dici quod unum ſentiant: nec poteſt de tribus adamantibus unius ſubſtantiæ dici, quod unus Adamas ſint, ſed quod unum quoad ſubſtantiam ſint, & quoque quiſque Adamas ab altero differat pretio ſecundum proprium pondus; ſed non ita ſi unus ſit, & non tres. Aſt percipio, quod tres Divinas Perſonas, quarum unaquævis per ſe ſeu ſingulatim Deus eſt, dicatis unum Deum, & injunxeritis, ut quiſque in Eccleſia ita loquatur, propter cauſam, quia Ratio illuſtrata & ſana in Univerſo terrarum Orbe agnoſcit, quod Unus Deus ſit, & ideo pudore ſuffunderemini, ſi non etiam vos loqueremini ſimiliter; at uſque dum unum Deum pronuntiatis, tametſi cogitatis tres, non tamen pudor ille intrahit binas illas voces in os, ſed eloquimini.

quimini. His dictis & auditis receſſit Epiſcopus cum ſuis Canonicis, & in recedendo convertit ſe, & voluit exclamare, eſt Unus Deus, ſed non potuit, quia cogitatio ejus retraxit linguam ejus, & tunc diducto ore efflavit tres Deos. Adſtantes, hoc portento viſo riſerunt cum cachinno, & abiverunt.

17. Poſtea quæſivi, ubinam offenderem ex Eruditis illos, qui acutiſſimo ingenio ſunt, & pro Trinitate Divina in tres Perſonas diviſa ſtant; & aderant tres, ad quos dixi, quomodo poteſtis Divinam Trinitatem in tres Perſonas dividere, & aſſerere, quod unaquævis Perſona per ſe ſeu ſingulatim ſit Deus & Dominus, numne ſic confeſſio oris, quod Deus Unus ſit, tantum a cogitatione diſtat, quantum meridies a ſeptentrione; ad quod reſponderunt, non hilum diſtat, quia tribus Perſonis eſt Una Eſſentia, & Divina Eſſentia eſt Deus; nos fuimus in Mundo Tutores Trinitatis Perſonarum, ac Pupillus, cujus tutelam geſſimus, fuit fides noſtra, in qua unaquævis Perſona Divina partem ſuam nacta eſt, Deus Pater illam partem quod imputet ac donet, Deus Filius illam quod intercedat & mediet, & Deus Spiritus Sanctus illam quod imputationis & mediationis uſus efficiat. At quæſivi, quid per Divinam Eſſentiam intelligitis, dixerunt, intelligimus Omnipotentiam, Omniſcientiam, Omnipræſentiam, Immenſitatem, Æternitatem, Æqualitatem Majeſtatis; ad quæ dixi, ſi Eſſentia illa facit ex pluribus diis Unum, poteſtis adhuc plures addere, ut pro exemplo quartum, qui apud Moſen, Ezechielem & Hiobum memoratur, & vocatur Deus Schaddai: ſimiliter etiam fecerunt Antiqui in Græcia & Italia, qui parilia attributa & ſic ſimilem eſſentiam aſſignaverunt ſuis diis, ut Saturno, Jovi, Neptuno, Plutoni, Apollini, Junoni, Dianæ, Minervæ, imo etiam Mercurio & Veneri, ſed uſque non potuerunt dicere, quod omnes illi unus Deus eſſent: & quoque vos, qui tres eſtis, ac, ut percipio ſimili eruditione, & ſic ſimili eſſentia quoad illam, uſque non poteſtis vos combinare in unum hominem eruditum; ſed ad hæc riſerunt, dicentes, jocaris, aliter eſt cum Eſſentia Divina, hæc eſt una, & non tripartita, & eſt individua & ſic non diviſa, partitio & diviſio non cadit in illam: his auditis regeſſi, deſcendamus in hanc aream, & dimicemus; & quæſivi, quid intelligitis per Perſonam, & quid ſignificat illa, & dixerunt, *Nomen Perſonæ ſignificat non partem aut qualitatem in alio, ſed quod proprie ſubſiſtit*, ita omnes, Primores Eccleſiæ Perſonam definiunt, & nos cum illis; & dixi, eſt hæc difinitio Perſonæ, & reſponderunt, eſt; ad quæ retuli, ita non eſt aliqua pars Patris in Filio, nec aliqua utriuſque in Spiritu Sancto, ex quo ſequitur, quod quiſque ſit ſui arbitrii, juris & poteſtatis, & ſic non aliquid quod conjungit, niſi voluntas, quæ cuivis propria eſt, & ſic communicabilis ex beneplacito; ſuntne ita tres Perſonæ tres diſtincti Dii: audite adhuc, definiviſtis etiam Perſonam, quod ſit quod proprie ſubſiſtit, conſequenter quod ſint tres ſubſtantiæ, in quas partimini Eſſentiam Divinam, & tamen hæc, ut quoque dicitis, eſt impartibilis, quia una & individua; & inſuper unicuique ſubſtantiæ, hoc eſt, Perſonæ, attribuitis proprietates quæ non ſunt in altera, & quoque quæ non communicari poſſunt alteri, quæ ſunt Imputatio, Mediatio, & Operatio, quid tunc inde reſultat aliud, quam quod tres Perſonæ ſint tres dii; ad hæc dicta retraxerunt ſe, dicentes, ventilabimus illa, & poſt ventilationem reſpondebimus. Adſtitit quidam Sapiens, hic audiens illa dixit, ego non volo per tam ſubtiles tranſennas hanc ſupremam rem inſpicere, ſed extra ſubtilitates illas video in clara luce, quod in ideis cogitationis veſtræ ſint tres Dii; ſed quia pudoris eſt coram univerſo Mundo propalare illas, nam ſi propalaveritis, vocabimini inſani & fatui, quare prodeſt ad evitandum ignominiam, ut unum Deum ore confiteamini: ſed ad hæc illi tres tenaces ſententiæ ſuæ nihil attenderunt, & in abeundo emurmurabant aliquos terminos commodatos ex Arte Methaphyſica, ex quo animadverti, quod illa eſſet illorum tripos, ex qua reſponſa vellent dare.

DE

DE DIVINO ESSE, QUOD EST JEHOVAH.

18. Agitur primum de Divino Esse, & postea de Divina Essentia: apparet sicut duo illa unum idem sint, sed usque Esse est Universalius quam Essentia, Essentia enim ponit Esse, & ex Esse fit Essentia: Esse Dei, seu Esse Divinum non potest describi, quia est supra omnem ideam cogitationis humanæ, in hanc non cadit aliud, quam quod creatum & finitum est, non autem Increatum & Infinitum, ita non Esse Divinum: Esse Divinum est ipsum Esse, ex quo omnia sunt, & quod in omnibus erit ut sint. Ulterior notio de Esse Divino potest influere ex Articulis sequentibus, qui sunt, I. *Quod Unus ille Deus dicatur Jehovah ex Esse, ita ex eo, quia Solus Est, Fuit, & Erit, & quia est Primus & Ultimus, Principium & Finis, Alphah & Omegah.* II. *Quod Unus ille Deus sit ipsa Substantia & ipsa Forma, & quod Angeli & Homines sint substantiæ & formæ ex Ipso, & quod quantum illi in Ipso sunt, & Ipse in illis, tantum sint imagines & similitudines Ipsius.* III. *Quod Divinum Esse sit Esse in se, & simul Existere in se.* IV. *Quod Divinum Esse & Existere in se, non possit producere aliud Divinum quod sit Esse & Existere in se, consequenter quod Deus alius ejusdem Essentiæ non dabilis sit.* V. *Quod Pluralitas deorum in Sæculis antiquis, & quoque hodiernis, non aliunde exstiterit, quam ex non intellecto Divino Esse.* Sed hæc singulatim elucidanda sunt.

19. I. QUOD UNUS ILLE DEUS DICATUR JEHOVAH EX ESSE, ITA EX EO QUIA SOLUS EST, ET ERIT, ET QUIA EST PRIMUS ET ULTIMUS, PRINCIPIUM ET FINIS, ALPHAH ET OMEGAH. Quod Jehovah significet Sum & Esse, notum est; & quod Deus ab antiquissimis temporibus ita vocatus sit, constat ex Libro Creationis seu Geneſi, ubi in Primo Capite nominatur Deus, at in Secundo & sequentibus Jehovah Deus: & postea cum filii Abrahami ex Jacobo per commorationem in Ægypto obliti sunt nominis Dei, in memoriam revocatum est; de quo ita; „ *Moses dixit ad Deum, quodnam Nomen tuum, dixit Deus,* SUM QUI SUM; *sic dices filiis Israelis,* SUM *misit me ad vos, & dices,* JEHOVAH DEUS *Patrum vestrorum misit me ad vos: hoc Nomen meum in æternum, & hoc Memorabile meum a generatione in regenerationem*" Exod. III: 14. 15. Quoniam solus Deus est Sum & Esse, seu Jehovah, ideo non datur in Universo Creato aliquid, quod non ducit suum esse ab Ipso; sed quomodo, videbitur infra: hoc idem etiam intelligitur per hæc, *Ego sum Primus & Ultimus, Principium & Finis, Alphah & Omegah,* Esaj. Cap. XLIV: 16, & Apoc. Cap. I: 8. 11. Cap. XXII: 13; per quæ significatur, Qui est Ipsum & Unicum a primis ad ultima, ex quo omnia. Quod Deus dicatur Alphah & Omegah, Principium & Finis, est quia Alphah est Prima & Omegah est Ultima Syllaba in Alphabetho Græco, & inde significant Omnia in complexu; causa est, quia unaquævis Litera Alphabetica in Mundo spirituali significat aliquam rem, & Vocalis, quia inservit sono, aliquid affectionis seu amoris; ex hac origine est Loquela Spiritualis seu angelica, & quoque Scriptura ibi: sed hoc est Arcanum hactenus ignotum; est enim Lingua Universalis, in qua sunt omnes Angeli & Spiritus, & hæc nihil commune habet cum aliqua Lingua hominum in Mundo; in hanc Linguam venit omnis homo post mortem, est enim illa cuivis homini ex creatione insita; quare unusquisque alterum in Universo Mundo Spirituali intelligere potest: datum est mihi sæpius illam Linguam audire, & contuli illam cum linguis in Mundo, & compertus sum, quod ne quidem in aliquo minimo unum faciat cum aliqua Lingua naturali in terris; differt ab his

ex primitivo ſuo, quod eſt, quod unaquævis litera cujuſvis vocis ſignificet aliquam rem. Inde nunc eſt quod Deus dicatur Aphah & Omegah; per quod ſignificatur, quod ſit Ipſum & Unicum a primis ad ultima, ex Quo omnia: ſed de hac Lingua & ejus Scriptura fluente ex Spirituali cogitatione Angelorum, videatur in Opere de Amore Conjugiali, n. 326 ad 329, & quoque in ſequentibus.

20. II. QUOD UNUS ILLE DEUS SIT IPSA SUBSTANTIA ET IPSA FORMA, ET QUOD ANGELI ET HOMINES SINT SUBSTANTIÆ ET FORMÆ EX IPSO; ET QUANTUM ILLI IN IPSO SUNT, ET IPSE IN ILLIS, TANTUM SINT IMAGINES ET SIMILITUDINES IPSIUS. Quoniam Deus eſt Eſſe, etiam eſt Subſtantia, nam Eſſe niſi ſit ſubſtantia, eſt ens ratiouis, ſubſtantia enim eſt ens ſubſtens; & qui eſt ſubſtantia, etiam eſt forma, nam ſubſtantia niſi ſit forma, eſt ens rationis; quare de Deo prædicari poteſt utraque, ſed ita, quod ſit Subſtantia & Forma unica, ipſa, & prima: quod hæc Forma ſit ipſa Humana, hoc eſt, quod Deus ſit Ipſe Homo, cujus omnia Infinita ſuat, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, Amſtelodami Anno MDCCLXIII, vulgata, demonſtratum eſt; ſimiliter quod Angeli & Homines ſint ſubſtantiæ & formæ creatæ & organizatæ ad recipiendum Divina per Cælum influentia in ſe; quare in Libro creationis vocantur Imagines & Similitudines Dei, Cap. I: 26. 27, & alibi, quod ſint filii Ipſius & nati ab Ipſo; at quod quantum homo ſub auſpicio Divino vivit, hoc eſt, patitur ſe duci a Deo, tantum fiat Ipſius imago interius & interius, in ſerie hujus Operis, multis demonſtrabitur. Niſi de Deo formetur idea, quod ſit prima Subſtantia & Forma, & de Forma Ipſius quod ſit ipſa Humana, Mentes humanæ ſibi facile inducerent phantaſias ſicut ſpectra de Ipſo Deo, de exortu hominum, & de Creatione Mundi; de Deo non aliam notionem ſibi ſumerent, quam ſicut de Natura univerſi in ſuis primis, ita ſicut de ejus Expanſo, aut ſicut de inani aut nihilo; de exortu hominum, ſicut de confluxu elementorum in talem formam ex fortuito, de Creationæ Mundi, quod origo ſubſtantiarum & formarum ejus ſit ex punctis & dein lineis geometricis, quæ quia nullius prædicationis, ita in ſe non aliquid ſunt; apud tales eſt omne Eccleſiæ ſicut ſtyx aut caligo in tartaro.

21. III. QUOD DIVINUM ESSE SIT ESSE IN SE, ET SIMUL EXISTERE IN SE. Quod Jehovah Deus ſit Eſſe in ſe, eſt quia eſt Sum, Ipſum, Unicum & Primum, ab æterno in æternum, a quo omne eſt quod eſt, ut ſit aliquid; ita & non aliter eſt Principium & Finis, Primus & Ultimus, & Alphah & Omegah: non poteſt dici, quod ſit ſuum Eſſe a ſe, quia HOC EX SE ponit prius & ſic tempus, quod non cadit in Infinitum, quod vocatur AB ÆTERNO, & quoque ponit alium Deum, qui Eſt Deus in ſe, ita Deum a Deo, aut quod Deus ſe Ipſum formaverit, & ſic non foret Increatus, nec Infinitus, quia ſic ſe a ſe vel ex altero finivit. Ex eo, quod Deus ſit Eſſe in ſe, ſequitur quod ſit Amor in ſe, Sapientia in ſe, ac Vita in ſe, & quod ſit Ipſum, a Quo omnia ſunt, & ad quod omnia ſe referunt, ut ſint aliquid; quod *Deus ſit Vita in ſe*, & ſic Deus, conſtat ex Domini Verbis apud Johannem Cap. V: 26. Et apud Eſajam, *Ego Jehovah facio omnia, expando Cælos Solus, & extendo Terram, a Me Ipſo*, Caput XLIV: 24. Et quod *ſit Solus Deus, & præter Ipſum non Deus*, Eſaj. XLV: 14. 15. 20. 21. Hoſch. XIII: 4. Quod Deus non modo ſit Eſſe in ſe, ſed etiam Exiſtere in ſe, eſt quia Eſſe niſi Exiſtat, non eſt aliquid, pariter Exiſtere niſi ſit ex Eſſe, quare dato uno dabitur alterum; ſimiliter niſi ſubſtantia etiam ſit forma, de Subſtantia niſi ſit forma, non eſt aliquid prædicabile, & hoc, quia non habet quale, eſt in ſe nihil. Quod hic dicantur Eſſe & Exiſtere, & non Eſſentia & Exiſtentia, eſt quia diſtinguendum eſt inter Eſſe & Eſſentiam, & inde inter Exiſtere & Exiſtentiam, ſicut inter prius & poſterius, ac prius eſt univerſalius quam poſterius; ad Divinum Eſſe ſe applicat Infinitas & Æternitas, at vero ad Divinam Eſſentiam & Exiſtentiam ſe ap-

applicat Divinus Amor & Divina Sapientia, & per hæc duo Omnipotentia & Omnipræſentia, de quibus ideo in ſuo ordine agetur.

22. Quod Deus ſit Ipſum, Unicum & Primum, quod vocatur Eſſe & Exiſtere in ſe, ex Quo omnia quæ ſunt & exiſtunt, Naturalis homo ex ſua ratione nequicquam poteſt reſcire, nam Naturalis homo ex ſua ratione non aliud poteſt deſumere, quam quod naturæ eſt, hoc enim quadrat cum ejus eſſentia, quia in illam nihil aliud ab infantia & pueritia intravit; at quoniam homo creatus eſt ut quoque ſit Spiritualis, quia victurus eſt poſt mortem, & tunc inter Spirituales in illorum Mundo, ideo Deus providit Verbum, in quo non modo Semet Ipſum revelavit, ſed etiam quod Cælum & Infernum ſint, & quod in illorum uno aut altero omnis homo victurus ſit in æternum, quiſque ſecundum vitam & ſimul fidem ſuam; & quoque in Verbo revelavit, quod ſit Sum ſeu Eſſe, ac Ipſum & Unicum quod in ſe eſt, & ſic Primum ſeu Principium, ex quo omnia. Ex hac Revelatione eſt, quod Naturalis homo poſſit ſe elevare ſupra naturam, ita ſupra ſe, & videre talia quæ Dei ſunt, ſed uſque tamen ſicut e loginquo, tametſi Deus eſt in propinquo apud omnem hominem, eſt enim in illo cum ſua Eſſentia; & quia ita eſt, eſt in propinquo apud illos, qui Ipſum amant, & illi amant Ipſum, qui vivunt ſecundum præcepta Ipſius & credunt in Ipſum, hi ſicut vident Ipſum; quid fides niſi ſpiritualis viſus quod ſit, & quid vita ſecundum præcepta Ipſius, quam actualis agnitio, quod ab Ipſo ſit ſalus & vita æterna; at vero illi, quibus non eſt fides ſpiritualis ſed naturalis, quæ modo eſt ſcientia, & inde ſimilis vita, illi vident quidem Deum, ſed e longinquo, & hoc ſolum quando loquntur de Illo; differentia inter hos & illos eſt, ſicut inter illos qui ſtant in clara luce, & vident homines prope ſe, & tangunt illos, ac inter illos qui ſtant in denſo nimbo, & ex eo non poſſunt videre, num homines ſint, vel num arbores aut ſaxa. Aut ſicut qui ſtant ſuper alto Monte, ubi Urbs, ac vadunt huc illuc & loquuntur cum conſociis Urbanis; ac ſicut qui e Mente illo ſpectant deorſum, & non cognoſcunt num homines vel num beſtiæ aut ſtatuæ ſint, quæ vident. Imo eſt ſicut inter illos, qui in aliquo planetario Orbe ſtant, & vident ſuos ibi, & inter illos qui in alio planetario orbe ſunt cum tubis opticis in manibus, & ſpectant illuc, & dicunt quod videant homines ibi, cum tamen non vident niſi univerſaliter terream ut lucidum lunare, & aqueam ut maculas. Simile diſcrimen eſt inter videre Deum, & Divina quæ procedunt ab Ipſo in ſua mente, apud illos qui in fide & ſimul in vita charitatis ſunt, & inter illos qui modo in ſcientia de illis ſunt; proinde inter Naturales & Spirituales homines. Illi autem qui Divinam Sanctitatem Verbi negant, & uſque illa quæ Religionis ſunt portant ſicut in ſacco ſuper tergo, illi non vident Deum, ſed modo ſonant Deum, cum exigua differentia a pſittacis.

23. IV. Quod Divinum Esse et Existere in se, non possit producere aliud Divinum quod sit Esse et Existere in se, consequenter quod Deus alius ejusdem Essentiæ non dabilis sit. Quod Deus unus, qui Creator Univerſi, ſit Eſſe & Exiſtere in ſe, ita Deus in ſe, hactenus offenſum eſt; inde ſequitur, quod non dabilis ſit Deus a Deo, quia ipſum Eſſentiale Divinum, quod eſt Eſſe & Exiſtere in ſe, non dabile eſt in illo; perinde eſt, ſive dicatur a Deo gigni, ſive procedere, eſt tamen uſque a Deo produci, & hoc parum differta creari; quare introducere in Eccleſiam fidem, quod ſint tres Divinæ Perſonæ, quarum quæ ibet ſingulatim eſt Deus, & ejuſdem Eſſentiæ, ac unus natus ab æterno, & tertius procedens ab æterno, eſt prorſus abolere ideam Unitatis Dei, & cum hac omnem notionem Divinitatis, & ſic efficere ut omne Spirituale rationis in exilium ejiciatur; inde homo non ſit homo amplius, ſed totus quantus Naturalis, qui non plus differt a beſtia, quam quod loqui poſſit, & qui eſt contra omnia ſpiritualia Eccleſiæ, hæc enim naturalis homo vocat deliria; inde & non aliunde tam enormia hæretica de Deo ſcaturiverunt: quapropter Divina Trinitas diviſa in Perſonas intulit non modo

do noctem in Eccleſiam, ſed etiam mortem. Quod identitas trium Eſſentiarum Divinarum ſit rationis ſcandalum, conſtitit mihi ex Angelis, qui dixerunt, quod ne quidem poſſint enuntiare tres Divinitates æquales; & ſi quis ad illos veniret, & vellet enuntiare, non poſſet quin avertat ſe, & quod poſt enuntiationem fiat ſicut truncus humanus, & projiciatur deorſum, & poſtea abeat ad illos in Inferno, qui non aliquem Deum agnoſcunt. Veritas eſt, quod implantare infanti & puero ideam trium Perſonarum Divinarum, cui inevitabiliter adhæret idea trium deorum, ſit auferre illis omne lacticinium ſpirituale, & deinde omnem cibatum Spiritualem, & demum omne ratiocinium ſpirituale, & apud illos, qui ſe in eo confirmant, inducere mortem ſpiritualem. Diſcrimen inter illos, qui fide & corde colunt unum Deum Creatorem Univerſi, & Hunc ſimul Redemptorem & Regeneratorem, eſt ſicut fuit Urbs Zion tempore Davidis, & Urbs Hieroſolymæ tempore Salomonis, poſtquam Templum ædificatum eſt; at Eccleſia, quæ credit in tres Perſonas, & in unamquamque ut in ſingularem Deum, eſt ſimilis urbi Zioni & Hieroſolymæ a Veſpaſiano deſtructis, & Templo ibi incenſo. Porro, homo, qui colit unum Deum, in Quo Divina Trinitas eſt, & ſic qui una Perſona eſt, fit plus & plus vivus, & homo angelus; at qui ſe in pluralitate Deorum ex pluralitate Perſonarum confirmat, fit ſucceſſive ſicut Statua facta cum articulis mobilibus, in cujus medio ſtat Satanas, & loquitur per os articulatum ejus.

24. V. Quod pluralitas deorum in sæculis antiquis, et quoque hodiernis, non aliunde exstiterit, quam ex non intellecto Divino Esse. Quod Unitas Dei cujuſvis hominis menti intime inſcripta ſit, quoniam illa eſt in medio omnium quæ in animam hominis a Deo influunt, ſupra n. 8, oſtenſum eſt; ſed quod uſque in Intellectum humanum non inde deſcenderit, eſt cauſa, quia defuerunt cognitiones, per quas hominem oportet Deo obviam aſcendere; quiſque enim parabit Deo viam, hoc eſt, præparabit ſe ad receptionem, & hoc fiet per cognitiones. Cognitiones, quæ defuerunt, quod Intellectus non potuerit penetrare illuc, ut videret, quod Deus unus ſit, & quod non dabile ſit Divinum Eſſe niſi Unicum, & quod Omnia Naturæ ſint ab Illo, ſunt ſequentes, 1. Quia hactenus nemo aliquid ſciverat de Mundo Spirituali, ubi ſunt Spiritus & Angeli, & in quem omnis homo poſt mortem venit. 2. Pariter tunc, quod in illo Mundo ſit Sol, qui eſt purus Amor a Jehovah Deo, qui in medio ejus eſt. 3. Quod ex illo Sole procedat Calor, qui in eſſentia ſua eſt Amor, & Lux quæ in eſſentia ſua eſt Sapientia. 4. Quod inde omnia quæ in illo Mundo ſunt, Spiritualia ſint, & afficiant Internum hominem, & faciant ejus Voluntatem & Intellectum. 5. Quod Jehovah Deus ex ſuo Sole non modo produxerit Mundum Spiritualem, & omnia Spiritualia ejus, quæ innumerabilia ſunt, & ſubſtantialia, ſed etiam quod produxerit Mundum naturalem, & omnia naturalia ejus, quæ etiam innumerabilia ſunt, ſed materialia. 6. Quod hactenus non aliquis ſciverit diſcrimen inter Spirituale & Naturale, imo nec quid Spirituale in ſua eſſentia. 7. Neque quod tres Gradus Amoris & Sapientiæ ſint, ſecundum quos Cæli angelici ordinati ſunt. 8. Et quod Mens humana in totidem gradus diſtincta ſit, ob cauſam ut poſſit in unum ex tribus Cælis poſt mortem elevari, quod fit ſecundum ejus vitam & ſimul fidem. 9. Et denique, quod omnia illa non potuerint quoad unum punctum exiſtere, niſi a Divino Eſſe, quod eſt Ipſum in ſe, & ſic Primum & Principium ex quo omnia. Hæ cognitiones hactenus defuerunt, per quas tamen homo aſcendet, & Divinum Eſſe cognoſcet. Dicitur, quod homo aſcendat, ſed intelligitur quod a Deo elevetur; nam homini eſt Liberum arbitrium comparandi ſibi Cognitiones, & ſicut comparat ſibi illas ex Verbo, medio Intellectu, ita explanat viam, per quam Deus deſcendat, ac illum elevet. Cognitiones, per quas fit Intellectui humano aſcenſus, Deo tenente illum in manu, & ducente, comparari poſſunt gradibus Scalæ viſæ Jacobo, quæ fuit erecta ſuper terram, cujus caput pertigit in Cælum, & per quam Angeli aſ-

aſcendebant, & Jehovah conſiſtebat ſupra illam, Geneſ. XXVIII: 12. 13. aliter prorſus cum illæ Cognitiones deficiunt, aut homo illas ſpernit; tunc Elevatio intellectus comparari poteſt Scalæ e terra ad feneſtram primæ manſionis magnifia Palatii erectæ, ubi commorantur homines, & non ad feneſtras ſecundæ manſionis, ubi Spiritus, & minus adhuc ad feneſtras tertiæ manſionis, ubi Angeli; inde fit, quod homo non niſi quam in naturæ athmoſphæris & materialibus, in quibus oculos, aures, & nares tenet, maneat, ex quibus non alias ideas de Cælo & de Dei Eſſe & Eſſentia haurit, quam athmoſphæricas & materiales, & ex his homo cogitans non judicat quicquam de Deo, num ſit vel non ſit, vel num unus, aut num plures; & adhuc minus, qualis eſt quoad ſuum Eſſe & quoad ſuam Eſſentiam. Inde exorta eſt Pluralitas deorum in Sæculis antiquis, & quoque in hodiernis.

25. His adjiciam hoc Memorabile: Quondam experrectus a ſomno, incidi in profundam meditationem de Deo; & cum ſuſpexi, vidi ſupra me in Cælo Lucem candidiſſimam in forma ovali; & cum fixi intuitum in Lucem illa, recedebat Lux ad latera, & intrabat in peripherias, & tunc ecce patuit mihi Cælum, & vidi magnifica, & Angelos ſtantes in forma Circi a latere meridionali aperturæ, & loquebantur inter ſe; & quia accendebar deſiderio audiendi quid loquebantur, ideo dabatur mihi primum audire Sonum, qui plenus erat amore cæleſti, & poſtea Loquelam, quæ plena erat ſapientia ex illo amore; loquebantur inter ſe de Deo Uno, & de Conjunctione cum Ipso, & inde Salvatione: loquebantur ineffabilia, quorum pleraque non poſſunt cadere in voces alicujus Linguæ naturalis; ſed quia aliquoties fueram in conſortio cum Angelis in ipſo Cælo, & tunc in ſimili loquela cum illis, quia in ſimili ſtatu, ideo potui nunc intelligere illos, & ex ſermone illorum deſumere aliqua, quæ poſſunt expromi vocibus Linguæ naturalis rationaliter. Dicebant, quod Divinum Esse sit Unum, Idem, Ipsum, et Individuum. Hæc illuſtrabant per ideas ſpirituales; dicendo, quod Divinum Eſſe non poſſit cadere in plures, quorum unicuique ſit Divinum Eſſe, & uſque illud eſſe Unum, Idem, Ipſum, & Individuum; cogitaret enim quiſque ex ſuo Eſſe ex ſe, & ſingulatim per ſe, ſi tunc etiam ex alteris & per alteros unanimiter, forent plures Dii unanimi, & non Deus unus, nam unanimitas, quia eſt conſenſus plurium, & ſimul cujuſvis ex ſe & per ſe, non concordat cum unitate Dei, ſed cum pluralitate; non dixerunt Deorum, quia non potuerunt; Lux enim Cæli, ex qua cogitatio illorum, & aura in qua procedebat ſermo illorum, contranitebatur; dicebant etiam, quod cum vellent enuntiare Deos, & quemlibet ut Perſonam per ſe, cadat conatus enuntiandi illico in Unum, imo in Unicum Deum. His addebant, quod Divinum Eſſe ſit Divinum Esse in se, non a ſe, quia a ſe ponit Eſſe in ſe ab alio priori, ita ponit Deum a Deo, quod non datur; quod a Deo eſt, non vocatur Deus, ſed vocatur Divinum; quid enim eſt Deus a Deo, ita quid Deus a Deo natus ab æterno; & quid Deus a Deo per Deum natum ab æterno procedens, niſi voces, quibus nihil lucis e Cælo ineſt. Porro dicebant, quod Divinum Eſſe, quod in ſe eſt Deus, ſit Idem, non Idem ſimplex, ſed infinitum, hoc eſt, Idem ab æterno in æternum; eſt Idem ubivis, ac Idem apud unumquemvis, & in unoquovis, ſed quod omne varium & mutabile ſit in recipiente, ſtatus recipientis hoc facit. Quod Divinum Eſſe, quod eſt Deus in ſe, ſit Ipsum, ita illuſtrabant; Deus eſt Ipſum, quia eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, ſeu quia eſt ipſum Bonum & ipſum Verum, & inde ipſa Vita; quæ niſi forent Ipſum in Deo, illa non forent aliquid in Cælo & Mundo, quia non foret aliquod illorum relativum ad Ipſum; omne quale ſortitur ſuum quale ex eo, quod ſit Ipſum ex quo eſt, & ad quod ſe refert ut ſit tale. Hoc Ipſum, quod eſt Eſſe Di-

vinum, non eſt in loco, ſed apud illos & in illis qui ſunt in loco ſecundum receptionem; quoniam de Amore & Sapientia, ſeu de Bono & Vero, & inde Vita, quæ ſunt Ipſum in Deo, imo Ipſe Deus, non prædicari poteſt locus, nec progreſſio e loco in locum, unde Omnipræſentia; quare dicit Dominus, *Quod ſit in medio illorum*; *tum Ipſe in illis, & illi in Ipſo.* At quia non recipi potest ab illo Qualis in ſe eſt, apparet qualis in Eſſentia ſua eſt, ut Sol ſupra Cælos Angelicos, a quo procedens ut Lux eſt Ipſe quoad ſapientiam, ac ut Calor eſt Ipſe quoad Amorem; Ipſe non eſt Sol ille, ſed Divinus Amor & Divina Sapientia exiens ab Ipſo proxime, circum circa Ipſum, coram Angelis apparent ut Sol; Ipſe in Sole eſt Homo, eſt Dominus noster Jesus Christus, tam quoad Divinum a Quo, quam quoad Divinum Humanum; quoniam Ipſum, quod eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, fuit Anima Ipſi a Patre, ita Divina Vita, quæ eſt Vita in ſe; aliter in unoquovis homine, in illo anima non eſt Vita, ſed recipiens vitæ: Dominus etiam hoc docet, dicendo, *Ego ſum Via, Veritas, & Vita*: & alibi, *Quemadmodum Pater habet* Vitam in Se Ipso, *ita etiam dedit Filio* Vitam habere in Se Ipso, Joh. V: 26. Vita in Se Ipſo eſt Deus. His addiderunt, quod illi qui in aliqua Luce ſpirituali ſunt, ex his poſſint percipere, quod Divinum Eſſe, quia eſt Unum, Idem, Ipſum, & inde Individuum, non poſſit dari in pluribus; & quod ſi diceretur dari, forent manifeſtæ contradictiones in adjectis.

26. His auditis perceperunt Angeli in cogitatione mea ideas communes Eccleſiæ Chriſtianæ de Perſonarum Trinitate in Unitate, & illarum Unitate in Trinitate de Deo; tum etiam de Nativitate Filii Dei ab æterno: & tunc dixerunt, quid cogitas, cogitasne illa ex Luce naturali, cum qua Lux noſtra ſpiritualis non concordat, quare niſi removes illius cogitationis ideas, occludimus tibi Cælum, & abimus. Sed tunc dixi, intrate, quæſo, penitius in cogitationem meam, & forte videbitis concordantiam; & fecerunt ita, & videbant, quod per tres Perſonas intelligam Tria Attributa Divina procedentia, quæ ſunt Creatio, Redemtio, & Regeneratio, & quod illa Attributa ſint Unius Dei; & quod per Nativitatem Filii Dei ab æterno, intelligam Nativitatem Ipſius ab æterno præviſam, & in tempore proviſam; & quod non ſupra naturale & rationale, ſed contra naturale & rationale ſit cogitare, quod aliquis Filius a Deo natus ſit ab æterno; aliter vero, quod Filius a Deo per Virginem Mariam natus in tempore ſit Filius Dei Unicus, & Unigenitus; & quod aliter credere, ſit immanis error. Et tunc narravi, quod naturalis mea cogitatio de Perſonarum Trinitate & Unitate, & de Nativitate Filii Dei ab æterno, fuerit mihi ex Doctrina fidei Eccleſiæ, quæ ab Athanaſio nomen habet: tunc dixerunt Angeli, Bene; & rogaverunt, ut ex ore illorum dicam, quod ſi quis non adit Ipſum Deum Cæli & Terræ, non poſſit in Cælum venire, quia Cælum eſt Cælum ex Unico illo Deo, & quod Ille Deus sit Jesus Christus, Qui est Jehovah Dominus ab æterno Creator, in Tempore Redemptor ac in æternum Regenerator, ita Qui ſimul eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & quod hoc ſit Evangelium, quod prædicandum eſt. Poſt hæc, Lux cæleſtis prius viſa ſuper aperturam rediit, & ſucceſſive ſe inde demiſit, & implevit interiora mentis meæ, ac illuſtravit ideas meas de Trinitate & Unitate Dei; & vidi tunc ideas de illis initio captas, quæ fuerant mere naturales, ſeparatas, ſicut ſeparantur paleæ a tritico ex ventilabro agitato, & ablatas ſicut vento in Septentrionem Cæli, & diſparatas.

DE

DE DEI INFINITATE, SEU IMMENSITATE ET ÆTERNITATE.

27. Sunt duo Propria Mundi naturalis, quæ faciunt ut omnia ibi finita ſint, unum eſt SPATIUM, & alterum eſt TEMPUS; & quia Mundus ille creatus eſt a Deo, & una cum illo Mundo creata ſunt Spatia & Tempora, & hæc finiunt illum, ideo de duobus initiis illorum, quæ ſunt IMMENSITAS & ÆTERNITAS, agendum eſt; Immenſitas Dei enim ſe refert ad Spatia, ac Æternitas ad Tempora, & INFINITAS comprehendit & Immenſitatem & Æternitatem. At quia Infinitas tranſcendit finitum, & cognitio illius Mentem finitam, ideo ut aliquo modo percipiatur, de illa in hac ſerie tranſigendum eſt. I. *Quod Deus, quoniam Eſt & Exiſtit in ſe, & omnia in Univerſo ſunt & exiſtunt ex Ipſo, Infinitus ſit:* II. *Quod Deus, quoniam ante Mundum fuit, ita antequam Spatia & Tempora orta ſunt, ſit Infinitus.* III. *Quod Deus, poſtquam Mundus factus eſt, ſit in Spatio abſque Spatio, & in Tempore abſque Tempore:* IV. *Quod Infinitas reſpective ad Spatia dicatur Immenſitas, & reſpective ad Tempora, dicatur Æternitas, & quod tametſi hi reſpectus ſunt, uſque nihil Spatii in Ipſius Immenſitate, & nihil Temporis in Ipſius Æternitate ſit.* V. *Quod illuſtrata Ratio ex permultis in Mundo videre poſſit Infinitatem Dei Creatoris.* VI. *Quod omne creatum ſit finitum, & quod Infinitum ſit in finitis ut in receptaculis, & quod in hominibus ut in ſuis imaginibus.* Sed hæc ſingulatim explicabuntur.

28. I. QUOD DEUS, QUONIAM EST ET EXISTIT IN SE, ET OMNIA IN UNIVERSO SUNT ET EXISTUNT EX IPSO, INFINITUS SIT. Hactenus oſtenſum eſt, quod Deus unus ſit, & quod ſit Ipſum, & quod ſit primum Eſſe omnium, & quod cuncta, quæ in Univerſo ſunt, exiſtunt & ſubſiſtunt, ſint ex Illo; inde ſequitur, quod Infinitus ſit: quod Ratio humana ex permultis in Univerſo creato id videre poſſit, in ſequentibus demonſtrabitur. Sed tametſi Mens humana ex illis agnoſcere poteſt, quod primum Ens ſeu primum Eſſe infinitum ſit, uſque non poteſt cognoſcere, quale illud eſt, proinde non definire illud aliter, quam quod ſit Infinitum Omne, & quod ſubſiſtat in ſe, & inde quod ſit ipſa & unica Subſtantia, & quia de ſubſtantia nihil prædicabile eſt, niſi ſit forma, quod ſit ipſa & unica Forma: aſt quid tamen hæc, non ſic apparet quale eſt Infinitum; ipſa enim Mens humana, etiam ſumme analytica & elevata, eſt finita, & finitum in illa non poteſt removeri, quare neqnicquam capax eſt videre Infinitatem Dei, qualis eſt in ſe, ita Deum, ſed poteſt Deum in umbra videre a tergo, ſicut dictum eſt ad Moſen, dum ſupplicavit videre Deum, quod poſitus ſit in foramine petræ, & viderit poſteriora Ipſius, Exod. XXXIII: 20. ad 23; per poſteriora Dei intelliguntur viſibilia in Mundo, & in ſpecie perceptibilia in Verbo: ex his patet, quod vanum ſit, velle cognoſcere, qualis Deus eſt in ſuo Eſſe, aut in ſua Subſtantia; ſed quod ſatis ſit agnoſcere Ipſum ex finitis, hoc eſt, creatis, in quibus eſt infinite; homo qui ultra ſatagit, comparari poteſt piſci extracto in aerem; aut avi immiſſæ ſiphoni pneumatico, quæ, ſicut exantlatur aer, ſingultat, & demum exſpirat: & quoque comparari poteſt navi, quæ dum vincitur a procella, & non obſequitur gubernaculo, fertur in ſcopulos & ſyrtes; ſic fit illis, qui Infinitatem Dei volunt ab intra cognoſcere, non contenti quod poſſint illam ab extra ex manifeſtis indiciis agnoſcere. Legitur de quodam Philoſopho inter Antiquos, quod quia Æternitatem Mundi non potuit in lumine mentis ſuæ videre aut comprehendere, ſe in mare projecerit; quid idem, ſi voluiſſet Infinitatem Dei.

29. II.

29. II. QUOD DEUS, QUONIAM ANTE MUNDUM FUIT, ITA ANTEQUAM SPATIA ET TEMPORA ORTA SUNT, INFINITUS SIT. In Mundo naturali ſunt Tempora & Spatia, at vero in Mundo Spirituali non ita actualiter, ſed uſque apparenter: quod Tempora & Spatia in Mundos introducta ſint, erat cauſa, ut diſtingueretur unum ab altero, magnum a parvo, multum a pauco, ita quantum a quanto, & ſic quale a quali; & quod per illa ſenſus corporis poſſent diſtinguere ſua objecta, & ſenſus mentis ſua, & ſic affici, cogitare ac eligere. Tempora in Mundum naturalem inducta ſunt, per quod Tellus circum axem ſuum rotet, & quod rotationes illæ a ſtatione ad ſtationem ſecundum zodiacum pergant, & quod hæ viciſſitudines appareant fieri a Sole, a quo eſt Univerſo Orbi terraqueo ſuus calor & ſua lux; inde tempora Diei, quæ ſunt mane, meridies, veſpera & nox; & tempora Anni, quæ ſunt ver, æſtas, autumnus, & hyems; tempora Dierum pro luce & tenebris, & tempora Annorum pro calore & frigore. Spatia autem in Mundum naturalem introducta ſunt, per quod Tellus conglomerata ſit in Orbem, & impleta materiis, quarum partes inter ſe diſtinctæ ſunt, ac ſimul extenſæ. In Mundo ſpirituali autem non ſunt Spatia materialia, & Tempora illis correſpondentia, ſed uſque ſunt apparentiæ illorum, & apparentiæ ſunt ſecundum diſcrimina ſtatuum, in quibus ſunt Mentes ſpirituum & angelorum ibi, quare Tempora & Spatia ibi ſe conformant cum affectionibus voluntatis & inde cogitationibus intellectus illorum; ſed apparentiæ illæ ſunt reales, quia conſtantes ſecundum ſtatus illorum. Communis opinio de Statu Animarum poſt mortem, & inde quoque Angelorum & Spirituum, eſt, quod non ſint in aliquo Extenſo, proinde non in Spatio & Tempore, ex qua idea dicitur de animabus poſt mortem, quod ſint in Pu ſeu Ubi, & quod Spiritus & Angeli ſint Pneumata, de quibus non aliud cogitatur, quam ſicut de æthere, aere, halitu aut vento; cum tamen ſunt ſubſtantiales homines, ac inter ſe vivunt ſicut homines Mundi naturalis ſuper Spatiis & in Temporibus, quæ, ut dictum eſt, determinata ſunt ſecundum ſtatus mentium illorum; ſi aliter foret, hoc eſt, abſque illis, potuiſſet Univerſum illud, in quod alluunt Animæ, & ubi commorantur Angeli & Spiritus, per foramem acus traduci, aut ſuper uno apice capilli concentrari; quod poſſibile foret, ſi non Extenſum ſubſtantiale ibi foret; at quoniam hoc ibi eſt, ideo Angeli inter ſe tam diſcrete & diſtincte, imo diſtinctius, habitant, quam homines, quibus eſt Extenſum materiale, inter ſe. Sed tempora ibi non diſtincta ſunt in Dies, Septimanas, Menſes & Annos, quia Sol ibi non apparet oriri & occidere, nec circumferri, ſed manet ſtatus in Oriente in Gradu medio inter Zenith & Horizontem: & Spatia illis ſunt, quia omnia in illo Mundo ſubſtantialia, quæ in Mundo naturali materialia, ſunt: ſed de his plura in Lemmate hujus Capitis de Creatione, dicentur. Ex ſupradictis comprehendi poteſt, quod Spatia & Tempora finiant omnia & ſingula, quæ in utroque Mundo ſunt, & inde quod homines non modo quoad corpora, ſed etiam quoad animas, finiti ſint, pariter Angeli & Spiritus. Ex his omnibus concludi poteſt, quod Deos Infinitus ſit, hoc eſt, non finitus, quia Ipſe, ut Creator, Formator & Factor Univerſi, finivit omnia, & finivit illa per ſuum Solem, in cujus medio eſt, qui ex Divina Eſſentia, quæ ex Ipſo ſicut Sphæra exit, conſiſtit; ibi & inde eſt primum finitionis; at progreſſivum ejus vadit uſque ad ultima in natura Mundi; quod Ipſe in ſe Infinitus ſit, quia Increatus, ſequitur. Aſt infinitum apparet homini ſicut non aliquid, ex cauſa, quia homo finitus eſt, & ex finitis cogitat, quare ſi finitum, quod adhæret cogitationi ejus, auferretur, perciperet ſicut reſiduum non eſſet aliquid; veritas tamen eſt, quod Deus ſit infinite omne, & quod homo reſpective non aliquid ex ſe.

30. III. QUOD DEUS, POSTQUAM MUNDUS FACTUS EST, SIT IN SPATIO ABSQUE SPATIO, ET IN TEMPORE ABSQUE TEMPORE. Quod Deus & Divinum, quod immediate ab Ipſo procedit, non ſit in Spatio, tametſi eſt Omnipræſens, & apud unum-

unumquemvis hominem in Mundo, & apud unumquemvis Angelum in Cælo, & apud unumquemvis Spiritum ſub cælo, non poteſt idea mere naturali comprehendi, ſed poteſt aliquatenus idea ſpirituali: quod non poſſit idea mere naturali comprehendi. eſt, quia in illa eſt Spatium, formata enim eſt ex talibus, quæ in Mundo ſunt, in quorum omnibus & ſingulis, quæ ſpectantur oculis, eſt Spatium; omne magnum & parvum ibi eſt Spatii, omne longum, latum & altum ibi eſt Spatii, verbo omnis menſura, figura & forma ibi eſt Spatii. Sed uſque poteſt homo aliquatenus comprehendere id cogitatione naturali, modo in illam admittat aliquid lucis ſpiritualis: ſed primum aliquid dicetur de idea cogitationis ſpiritualis; hæc non trahit aliquid ex Spatio, ſed omne ſuum trahit ex Statu; Status dicitur de amore, de vita, de ſapientia, de affectionibus, de gaudiis, in genere de bono & vero; idea vere Spiritualis de illis non commune habet cum Spatio, eſt ſuperior, & ſpectat ideas Spatii ſub ſe, ſicut cælum ſpectat terram. Quod Deus præſens ſit in Spatio abſque ſpatio, & in Tempore abſque tempore, eſt cauſa, quia Deus eſt ſemper idem, ab æterno in æternum, ita qualis ante Mundum creatum, talis poſt illum, & in Deo & coram Deo ante creationem non fuerunt ſpatia & tempora, ſed poſt illam; quare quia eſt Idem, eſt in Spatio abſque ſpatio, & in Tempore abſque tempore; inde ſequitur, quod natura ſeparata ſit ab Ipſo, & tamen in illa omnipræſens ſit; vix aliter quam ſicut vita in omni ſubſtantiali & materiali hominis, tametſi non cum illis ſe commiſcet; comparative ſicut lux in oculis, ſonus in auribus, guſtus in linguis, aut ſicut æther in terris & aquis, per quem Orbis terraqueus continetur & circumagitur, & ſic porro; quæ Agentia ſi auferrentur, ſubſtantiata & materiata illa momento conciderent aut dilaberentur; imo Mens humana, ſi Deus non in illa ubivis & omni tempore præſens eſſet, diffluëret ſicut bulla in aërem, ac utrumque Cerebrum, in quibus ex principiis agit, in ſpumam abiret, & ſic omne humanum fieret pulvis terræ, & odor volans in athmosphæra. Quoniam Deus in omni tempore eſt abſque tempore, ideo in Verbo ſuo de præterito & de futuro loquitur in præſenti, ut apud Eſajam „ *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt, cujus nomen eſt, Heros, Princeps pacis*, Cap. IX: 5. & apud Davidem, *Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, Hodie genui te*, Pſalm II: 7. hæc de Domino venturo: quare etiam dicitur apud Eundem „ *Mille anni in oculis tuis ſicut dies heſternus* Pſalm XC: 4. Quod ubivis ſit præſens in Univerſo Mundo, & tamen non aliquid Mundi proprium in Ipſo, hoc eſt, non aliquid, quod ſpatii & temporis eſt, ex pluribus aliis locis a videntibus & vigilantibus in Verbo poteſt perſpici, ut ex hoc apud Jeremiam, *Numne Deus in propinquo Ego, & non Deus e longinquo; num occultabitur vir in latibulis ut Ego non videam, omne Cælum & omnem Terram Ego impleo*, Cap. XXIII: 23. 24.

31. IV. Quod Infinitas Dei reſpective ad Spatia dicatur Immensitas, et reſpective ad tempora dicatur Æternitas, et quod tametsi hi respectus sunt, usque nihil Spatii sit in Ipsius Immensitate, et nihil temporis in Ipsius Æternitate. Quod Infinitas Dei reſpective ad ſpatia dicatur Immenſitas, eſt quia Immenſum prædicatur de Magno & Amplo, & quoque de Extenſo, & in hoc de Spatioſo: quod autem Infinitas Dei reſpective ad tempora dicatur Æternitas, eſt quia in Æternum, prædicatur de progreſſivis, quæ per tempora menſurantur, abſque fine: ut pro exemplo; de Orbe terraqueo in ſe ſpectato prædicantur illa quæ ſpatii ſunt, & de ejus rotatione & progreſſione prædicantur illa quæ temporis ſunt, hæc quoque faciunt tempora, & illa faciunt ſpatia, ac ſiſtuntur ita ex ſenſibus in perceptione mentium reflectentium; at in Deo nihil ſpatii & temporis eſt, ut ſupra oſtenſum eſt, & tamen a Deo ſunt initia illorum; inde ſequitur, quod Infinitas Ipſius reſpective ad ſpatia intelligatur per Immenſitatem, & quod Infinitas Ipſius reſpective ad tempora intelligatur per

Æternitatem. At in Cælo ab Angelis per Immenſitatem Dei percipitur Divinitas quoad Eſſe, & per Æternitatem Divinitas quoad Exiſtere; tum etiam per Immenſitatem Divinitas quoad Amorem, & per Æternitatem Divinitas quoad Sapientiam; cauſa eſt, quia Angeli a Divinitate abſtrahunt ſpatia & tempora, & tunc illæ notiones reſultant. Sed quoniam homo non poteſt aliter quam ex ideis e talibus quæ ſpatii & temporis ſunt captis cogitare, non poteſt de Dei Immenſitate ante ſpatia, & de Ipſius Æternitate ante tempora aliquid percipere, imo cum vult illa percipere, eſt ſicut mens ejus cadat in deliquium, pæne ſicut qui illapſus aquis in ſtatu naufragii eſt, aut in motu terræ ſubſidens in ſtatu abſorptionis eſt; imo ſi uſque inſtat penetrare in illa, poteſt facile contrahere delirium, & ex hoc inferri in negationem Dei. Semel etiam ego in ſimili ſtatu fui, cogitando quid Deus ab æterno, quid ante Mundum conditum, egit, numne deliberavit de Creatione, & excogitavit ordinem ſecundum quem, num in pure vacuo dabilis eſſet cogitatio deliberativa, præter irrita alia; ſed ne per talia auferrer in deliria, a Domino elevatus ſum in ſphæram & lucem, in qua ſunt angeli interiores, & poſtquam idea ſpatii & temporis, in qua prius cogitatio mea fuit, ibi paulo remota eſt, datum eſt comprehendere, quod Æternitas Dei non ſit æternitas temporis, & quod quia tempus non fuit ante Mundum, prorſus vanum eſſet de Deo cogitare aliqua talia; tum quia Divinum ab æterno, ita ab omni tempore abſtractum, non involvit dies, annos & ſæcula, ſed quod omnia hæc eſſent Deo Inſtans, concluſi quod Mundus a Deo creatus ſit, non in tempore, ſed quod tempora a Deo cum creatione introducta ſint. His adjiciam hoc Memorabile; apparent binæ Statuæ in humana monſtroſa forma cum diductis oribus & dilatatis faucibus in una extremitate Mundi Spiritualis, a quibus videntur ſibi deglutiri, qui de Deo ab æterno vana & dementia cogitant; ſed ſunt phantaſiæ, in quas ſe conjiciunt illi, qui de Deo ante Mundum creatum abſona & indebita cogitant.

32. V. QUOD ILLUSTRATA RATIO EX PERMULTIS IN MUNDO VIDERE POSSIT INFINITATEM DEI. Enumerabuntur aliqua, ex quibus Ratio humana Infinitatem Dei videre poteſt, quæ ſunt. I. Quod in Univerſo Creato non dentur duo quæ Idem ſint; quod non detur illa Identitas, in ſimultaneis, Eruditio humana ex ratione vidit & confirmavit, & tamen ſubſtantialia & materialia ejus individuatim ſpectata infinito numero ſunt: quod nec detur Identitas duorum effectuum in ſucceſſivis in Mundo, concludi poteſt ex gyratione Telluris, quod excentricum ejus in polis faciat, ut nuſquam aliquod idem redeat; quod ita ſit, evidenter conſtat ex faciebus humanis, quod in Univerſo Mundo non detur una facies prorſus ſimilis ſeu eadem cum alterius, & quod nec dari poſſit in æternum; hæc infinita varietas nequaquam poteſt exiſtere, niſi ex Infinitate Dei Creatoris. II. Quod non detur unius Animus prorſus ſimilis alterius, quare dicitur, quot capita tot animi; proinde, quod non detur Unius Mens, hoc eſt, voluntas & intellectus, prorſus ſimilis ſeu eadem cum alterius; conſequenter non unius loquela quoad ſonum & quoad cogitationem ex qua, neque unius actio quoad geſtum & quoad affectionem, ad amuſſim æquales alterius, ex qua infinita varietate etiam ſicut in ſpeculo Infinitas Dei Creatoris videri poteſt. III. Quod omni ſemini tam animalium quam vegetabilium ſit inſita quædam immenſitas ac æternitas; immenſitas, quod multiplicari poſſit in infinitum, ac æternitas, quod multiplicatio illa a creatione Mundi abſque interruptione huc uſque perſtiterit, & quod in perpetuum perſiſtat: e Reguo animali ſume piſces maris, quæ ſi ſecundum copiam ſeminum multiplicarentur, intra 20 aut 50 Annos implerent Oceanum, uſque ut conſtaret ex meris piſcibus, & inde Aqua ejus univerſam Terram inundaret & ſic perderet; ſed ne hoc fieret, a Deo proviſum eſt, ut piſcis cederet piſci in eſcam. Simile foret cum ſeminibus vegetabilium, quæ ſi totidem, quot ex uno quotannis exſurgunt, pluntarentur, intra 20 aut 30 annos implerent ſuperficiem non modo unius telluris,

telluris, ſed etiam plurium; dantur enim virgulta, quorum unumquodvis ſemen producit centena & millena alia; experire illud calculo, ducendo productionem unius continue in 20 aut 30, & videbis; ex his & illis poteſt Divina Immenſitas & Æternitas, ex quibus non poteſt non inſtar produci, in communi quadam facie, videri. IV. Infinitas Dei coram Ratione illuſtrata etiam poteſt apparere ex infinitate, in quam creſcere poteſt unaquævis ſcientia, & inde cujuſvis intelligentia & ſapientia, quarum una & altera creſcere poteſt ſicut arbor ex ſeminibus, ac ſylvæ & horti ex arboribus, nam non datur finis illarum, memoria hominis eſt illarum humus, ac intellectus eſt ubi illarum germinatio, ac voluntas ubi illarum fructificatio; ac binæ hæ facultates, intellectus & voluntas, tales ſunt, at excoli & perfici poſſint in Mundo ad finem vitæ, & poſtea in æternum. V. Infinitas Dei Creatoris etiam videri poteſt ex infinito numero Stellarum, quæ totidem Soles ſunt, & inde totidem Mundi; quod in Cælo aſtrifero etiam dentur Tellures, ſuper quibus homines, beſtiæ, aves, & vegetabilia, ſunt, in quodam Opuſculo ex viſis deſcripto oſtenſum eſt. VI. Infinitas Dei adhuc evidentius mihi conſtitit ex Cælo Angelico, & quoque ex Inferno, quod illa duo in inumeras Societates aut Congregationes ſecundum omnes varietates amoris boni & mali, ordinata & coordinata ſint, & quod unuſquiſque ſecundum ſuum amorem ſortiatur locum; ſunt enim omnes ibi ex Humano Genere, a Creatione Mundi collecti, & in Sæcula ſæculorum colligendi; & quod tametſi unicuivis eſt ſuus locus ſeu ſua ſedes, uſque omnes ibi ita conjuncti ſint, ut Univerſum Cælum Angelicum unum Divinum Hominem, ac Univerſum Infernum unum monſtroſum Diabolum, repræſentet; ex his duobus & ex infinitis mirabilibus in illis, Immenſitas una cum Omnipotentia Dei, manifeſte ſiſtitur videnda. VII. Quis etiam non poteſt intelligere, ſi parum elevat ratiocinium mentis ſuæ, quod vita in æternum, quæ cuivis homini poſt mortem eſt, non dabilis ſit, niſi a Deo Æterno. VIII. Præter illa eſt quædam Infinitas in multis, quæ cadunt in lumen naturale, & in lumen ſpirituale apud hominem; in lumen naturale, quod ſint variæ Series in Geometricis, quæ vadunt in infinitum: quod inter tres gradus altitudinis ſit progreſſio in infinitum, nempe quod Gradus primus qui vocatur naturalis, non poſſit perfici ac elevari ad perfectionem gradus ſecundi, qui vocatur ſpiritualis, nec hic ad perfectionem tertii, qui vocatur cæleſtis: ſimile eſt inter finem, cauſam & effectum, ut quod effectus non poſſit perfici, ut fiat ſicut ſua cauſa, nec cauſa ut fiat ſicut ſuus finis: hoc illuſtrari poteſt per athmosphæras, quarum tres gradus ſunt, datur enim aura ſuprema, æther ſub illa, & aer infra hunc; & qualitas aliqua aeris non poteſt elevari ad aliquam qualitatem ætheris, nec hujus ad aliquam qualitatem auræ; & tamen elevatio perfectionum in infinitum datur in unaquavis: In lumen ſpirituale, quod non poſſit amor naturalis, qui eſt beſtiæ, elevari in amorem ſpiritualem, qui a creatione inditus eſt homini; ſimile eſt cum intelligentia naturali beſtiæ reſpective ad intelligentiam ſpiritualem hominis: ſed hæc quia adhuc ignota ſunt, explicabuntur alibi. Ex his conſtare poteſt, quod univerſalia Mundi ſint perpetui typi Infinitatis Dei Creatoris: quomodo autem ſingularia æmulantur univerſalia, & repræſentant Infinitatem Dei, eſt Abyſſus, & eſt Oceanus, in quo Mens humana poteſt ſicut navigare, ſed cavebit ſibi a procella e naturali homine exſurgente, quæ navem cum malis & velis, a puppi, ubi naturalis homo ſibi confidens ſtat, ſubmerget.

33. VI. QUOD OMNE CREATUM SIT FINITUM, ET QUOD INFINITUM SIT IN FINITIS UT IN RECEPTACULIS, ET QUOD IN HOMINIBUS UT IN SUIS IMAGINIBUS. Quod omne creatum ſit finitum, eſt quia a Jehovah Deo omnia per Solem Mundi ſpiritualis, qui proxime ambit Ipſum, & Sol ille eſt ex ſubſtantia quæ ex Ipſo exivit, cujus eſſentia eſt amor; ex illo Sole per calorem & lucem ejus creatum eſt Univerſum a primis ad ultima ejus; ſed progreſſum creationis in ordine exponere,

non hujus loci eſt, in ſequentibus dabitur aliquod ejus ſchema. Hic modo intereſt, ſcire, quod unum formatum ſit ab altero, & quod inde facti ſint gradus, tres in ſpirituali Mundo, & tres illis correſpondentes in naturali Mundo, ac totidem in quieſcentibus, ex quibus Globus terraqueus conſiſtit; ſed unde illi Gradus, & quales ſunt, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, Amſtelodami An: 1763. evulgata; & in Codicillo de COMMERCIO ANIMÆ ET CORPORIS, Londini An: 1769. edito, plene expoſitum eſt: per hos gradus factum eſt, quod omnia pnſteriora ſint receptacula priorum, & hæc adhuc priorum, & ſic in ordine receptacula primitivorum, ex quibus Sol Cæli Angelici conſiſtit, & ſic quod finita ſint receptacula infiniti; hoc quoque coincidit cum Veterum ſapientia, ex qua eſt, quod omnia & ſingula diviſibilia ſint in infinitum. Vulgaris idea eſt, quod, quia finitum non eſt capax infiniti, finita non poſſint receptacula infiniti eſſe; ſed ex illis, quæ in OPERIBUS MEIS de Creatione tradita ſunt, conſtat, quod Deus Infinitatem ſuam primum finiverit per ſubſtantias ex Ipſo emiſſas, ex quibus proximus ejus ambitus, qui facit Solem Mundi ſpiritualis, exſtitit; & quod deinde per illum Solem reliquos ambitus uſque ad ultimum, qui ex quieſcentibus conſiſtit perfecerit, & quod ſic Mundum per gradus plus & plus finiverit: hæc allata ſunt propter finem, ut rationi humanæ, quæ niſi videt cauſam non quieſcit, ſatisfiat.

34. Quod Infinitum Divinum ſit in hominibus ut in ſuis imaginibus, conſtat ex Verbo, ubi legitur hoc „ *Tandem dixit Deus, faciamus hominem in Imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram; creavit itaque Deus hominem in Imaginem ſuam, in imaginem Dei creavit illum*, Gen. I: 26. 27. ex quibus ſequitur, quod homo ſit Organum recipiens Dei, & quod ſit Organum ſecundum quale receptionis. Mens humana, ex qua & ſecundum quam homo eſt homo, in tres Regiones ſecundum tres gradus formata eſt, in Primo gradu eſt illa cæleſtis, in quo etiam ſunt Angeli ſupremi Cæli; in Secundo gradu eſt illa ſpiritualis, in quo etiam ſunt Angeli medii Cæli; & in Tertio gradu eſt illa naturalis, in quo etiam ſunt Angeli ultimi Cæli; Mens humana ſecundum tres illos gradus organizata, eſt receptaculum Divini influxus, ſed uſque Divinum non ulterius influit, quam ſicut homo explanat viam, ſeu aperit januam; ſi hoc facit uſque ad ſupremum ſeu cæleſtem gradum, tunc homo fit vere imago Dei, & poſt mortem fit Angelus ſupremi Cæli; at ſi explanat viam ſeu aperit januam modo ad medium ſeu ſpiritualem gradum, tunc homo quidem fit imago Dei, ſed non in illa perfectione, & poſt mortem fit Angelus medii Cæli; at ſi modo explanat viam, ſeu aperit januam ſolum ad ultimum ſeu naturalem gradum, tunc homo, ſi agnoſcit Deum, & Illum pietate actuali colit, fit imago Dei in ultimo gradu, & poſt mortem fit Angelus ultimi Cæli: at ſi non agnoſcit Deum, & non colit Illum pietate actuali, exuit imaginem Dei, & fit ſimulis cuidam animali, præter quod gaudeat facultate intelligendi & inde loquendi; ſi tunc occludit gradum ſupremum naturalem, qui correſpondet ſupremo cæleſti, fit quoad amorem ſimilis beſtiæ terræ; at ſi occludit medium gradum naturalem, qui correſpondet medio ſpirituali, fit quoad amorem ſicut vulpis, & quoad viſum intellectus ſicut avis veſperæ; at ſi etiam ultimum gradum naturalem quoad ſpirituale ejus occludit, fit quoad amorem ſicut fera, & quoad intellectum veri ſicut piſcis. Vita Divina, quæ per influxum ex Sole Cæli Angelici actuat hominem, comparari poteſt cum Luce ex Sole Mundi, & cum ejus influxu in objectum diaphanum; receptio vitæ in ſupremo gradu cum influxu lucis in adamantem; receptio vitæ in ſecundo gradu cum influxu lucis in chryſtallum, & receptio vitæ in ultimo gradu cum influxu lucis in vitrum, aut in membranam tranſparentem; at ſi hic gradus quoad ejus ſpirituale prorſus occluderetur, quod fit dum negatur Deus, & colitur ſatanas, receptio vitæ a Deo comparari poteſt cum influxu lucis in opaca terræ, ut in lignum putre, aut in ceſpitem paludis, aut in fimum, & ſic porro; fit enim homo tunc cadaver ſpirituale.

35. His-

35. His adjiciam hoc MEMORABILE. Quondam eram in ſtupore de ingente multitudine hominum, qui Creationem addicunt Naturæ, & inde omnia quæ ſub Sole, & omnia quæ ſupra Solem ſunt, dicentes ex agnitione cordis, cum vident aliquid, annon hoc Naturæ eſt; & cum interrogantur, quare dicunt illa naturæ eſſe, & cur non Dei, cum tamen aliquoties cum Communione dicunt, quod Deus creaverit Naturam, & inde poſſunt tam æque dicere, quod illa, quæ vident, Dei ſint, quam quod naturæ ſint; ſed reſpondent tono interno pæne tacito, quid Deus niſi Natura: apparent illi omnes ex perſuaſione de creatione Univerſi ex Natura, & ex inſania illa ſicut ex ſapientia, glorioſi, adeo ut aſpiciant omnes qui agnoſcunt Creationem Univerſi a Deo, ſicut formicas, quæ repunt humi, & terunt ſtratam viam, & quoſdam ſicut papiliones, qui in aere volant, vocantes illorum dogmata, ſomnia, quia vident quæ non vident, dicentes, quis vidit Deum, & quis non videt Naturam. Quando in ſtupore de multudine talium eram, adſtitit mihi a latere Angelus, & dixit mihi, quid meditaris, & reſpondi, de multitudine talium, qui credunt, quod Natura ſit ex ſe, & ſic creatrix Univerſi, & dixit mihi Angelus, totum Infernum ex talibus eſt, & vocantur ibi Satanæ & Diaboli, Satanæ qui confirmaverunt ſe pro Natura, & inde negaverunt Deum, Diaboli qui facinoroſe vixerunt, & ſic e cordibus omnem agnitionem Dei rejecerunt: ſed deducam te ad Gymnaſia, quæ in Plaga meridionali occidentali ſunt, ubi tales, & nondum in Inferno ſunt: & prehendit me manu, & deduxit; & vidi domunculas, in quibus Gymnaſia, & in medio illarum unam, quæ erat ſicut Prætorium reliquorum; hoc conſtructum erat ex lapidibus piceis, qui ſuperinducti erant lamellis ſicut vitreis ex auro & argento quaſi micantibus, quales ſunt quæ vocantur ſelenites ſeu lapides ſpeculares; & hic & ibi erant interſperſa Conchilia nitentia. Huc acceſſimus & pulſavimus, & mox unus aperuit ſanuam, & dixit, beneventote; & cucurrit ad menſam, & apportavit quatuor libros, & dixit, hi Libri ſunt Sapientia, cui multitudo Regnorum hodie adplaudit, huic Libro ſeu Sapientiæ adplaudunt multi in Gallia, huic multi in Germania, huic aliqui in Batavia, & huic aliqui in Britannia: porro dixit, ſi vultis videre, faciam ut hi quatuor Libri coram oculis veſtris luceant; & tunc gloriam ſamæ ſuæ effudit & circumfudit, & Libri mox ſicut ex luce fulſerunt; ſed hæc lux coram oculis noſtris illico evanuit: & tunc quæſivimus, quid nunc ſcribit, & reſpondit, quod nunc illa quæ intimæ ſapientiæ ſunt e theſauris ſuis educat & expromat, quæ in compendio ſunt hæc, I. *Num Natura ſit Vitæ, vel num Vita ſit Naturæ.* II. *Num Centrum ſit Expanſi, vel num Expanſum ſit Centri.* III. *De Centro Expanſi & Vitæ.* His dictis repoſuit ſe ſuper Solio ad menſam, nos vero in Gymnaſio ejus, quod erat ſpatioſum, ambulavimus; ille ſuper menſa habebat Candelam, quia non Lux ſolaris ibi erat, ſed Lux nocturna lunaris; &, quod miratus ſum, candela viſa eſt circum circa ibi ferri, & illuminare; at quia illa non erat emuncta, illuminabat parum; & cum ſcripſit, vidimus imagines in variis formis e menſa in parietes volantes, quæ in nocturna illa luce lunari apparebant ſicut volucres pulchræ Indicæ; ſed cum aperuimus januam, ecce illæ in Luce diurna ſolari apparebant ſicut aves veſperæ, quibus alæ retiformes ſunt; erant enim veriſimilitudines, quæ per confirmationes factæ ſunt fallaciæ, quæ ingenioſe in ſeries ab illo erant connexæ. Poſtquam hæc vidimus, acceſſimus ad menſam, & quæſivimus illum, quid nunc ſcribit, dixit, de PRIMO illo, NUM NATURA SIT VITÆ, VEL NUM VITA SIT NATURÆ; & de hoc inquiit, quod poſſit utrumque confirmare, & facere ut ſit verum; ſed quia intus latet aliquod reconditum, quod timet, non auſit confirmare niſi hoc, quod Natura ſit Vitæ, hoc eſt, ex Vita, non autem quod Vita ſit Naturæ, hoc eſt, ex

Natura: quæſivimus blande, quid eſt quod intus latet reconditum quod timet, reſpondit, quod ſit quod vocari poſſit Naturaliſta, & ſic Atheus a Clericis, & Vir non ſanæ rationis a Laicis, quoniam hi & illi ſunt vel credentes ex cæca fide, vel videntes ex viſu confirmantium illam. Sed tunc ex quadam indignatione zeli pro veritate alloquuti ſumus illum, dicentes, amice, valde falleris, ſapientia tua, quæ eſt ingenioſitas ſcribendi, ſeduxit te, & gloria famæ induxit te ad confirmandum, quod non credis: noſtine quod Mens humana ſit elevabilis ſupra ſenſualia, quæ ſunt quæ in cogitationibus ſunt ex ſenſibus corporis, & quod cum elevatur, videat illa quæ Vitæ ſunt ſupra, & illa quæ Naturæ ſunt infra; quid Vita aliud quam Amor & Sapientia, & quid Natura aliud quam illorum receptaculum, per quod operentur ſuos effectus ſeu uſus; num hæc poſſunt unum eſſe, quam ſicut principale & inſtrumentale; num poteſt lux unum eſſe cum oculo, num ſonus cum aure, unde horum ſenſus niſi ex vita, & illorum formæ niſi ex natura: quid Corpus humanum niſi quam Organum vitæ; annon omnia & ſingula ibi organice formata ſunt ad producendum illa quæ Amor vult ac Intellectus cogitat, ſuntne organa corporis ex natura, ac Amor & Cogitatio ex vita, ſuntne illa inter ſe prorſus diſtincta: eleva aciem ingenii adhuc parum altius, & videbis, quod vitæ ſit affici & cogitare, & quod affici ſit amoris, & cogitare ſapientiæ, ac utrumque vitæ, nam, ut dictum eſt, Amor & Sapientia ſunt vita: ſi adhuc facultatem intelligendi elevas parum altius, videbis, quod non detur Amor & Sapientia, niſi alicubi ſit illorum origo, & quod origo illorum ſit Ipſe Amor & Ipſa Sapientia, & inde Ipſa Vita; & hæc ſunt Deus a quo Natura. Poſtea loquuti ſumus cum illo de Altero, Num Centrum sit Expansi, vel num Expansum sit Centri; & quæſivimus cur hoc ventilat, reſpondit propter finem, ut concludat de Centro & Expanſo Naturæ & Vitæ, ita de origine unius & alterius; & cum interrogavimus, quæ ejus Mens, reſpondit de his ſimiliter ut prius, quod utrumque poſſit confirmare, ſed quod ex timore jacturæ famæ confirmet, quod Expanſum ſit Centri, hoc eſt, a Centro; tametſi ſcio quod ante Solem fuerit aliquid, & hoc ubivis in Expanſo, & quod hoc in ordinem a ſe confluxerit, ita in Centrum. Sed tunc iterum alloquuti ſumus illum ex zelo indignante, & diximus, amice, inſanis; & cum hoc audivit, retraxit ſolium a menſa, & timide nos aſpexit, & tunc attendit aurem, ſed ridens: at continuavimus dicendo, quid inſanius eſt dicere, quam quod Centrum ſit ab Expanſo; per Centrum tuum intelligimus Solem, & per Expanſum tuum intelligimus Univerſum, & ſic quod Univerſum exſtiterit abſque Sole; facitne Sol Naturam & omnes ejus proprietates, quæ unice dependent a Luce & Calore procedentibus a Sole per Athmoſphæras; ubinam hæc prius, ſed unde hæc in ſequente ventilatione dicemus; ſuntne Atmoſphæræ, & omnia que ſuper Tellure, ſicut Superficies, & Sol illorum Centrum; quid illa omnia abſque Sole, num poſſunt uno momento ſubſiſtere, inde quid illa omnia ante Solem, num potuerunt exiſtere, eſtne ſubſiſtantia perpetua exiſtentia: cum itaque omnium Naturæ ſubſiſtentia eſt a Sole, ſequitur quod etiam omnium exiſtentia; hoc videt, & ex autopſia agnoſcit unuſquiſque; annon poſterius ſicut exiſtit etiam ſubſiſtit a priori, ſi ſuperficies foret prius, & centrum poſterius, annon prius ſubſiſteret ex poſteriori, quod tamen eſt contra leges ordinis; quomodo poſſunt poſteriora producere priora, aut exteriora interiora, aut craſſiora puriora; inde quomodo poſſunt ſuperficies, quæ faciunt Expanſum, producere Centrum, quis non videt quod hoc ſit contra naturæ leges: adduximus hæc argumenta ex Analyſi rationis, ad confirmandum, quod Expanſum exiſtat a Centro, & non viciſſim, tametſi unuſquiſque, qui juſte cogitat, abſque illis argumentis hoc videt. Dixiſti, quod Expanſum confluxerit in Centrum a ſe, num ſic fortuito in tam mirabilem & ſtupendum ordinem, ut unum ſit propter alterum, & omnia & ſingula propter hominem, & ejus vitam æternam; num Natura ex aliquo amore per aliquam ſapientiam poteſt intendere fines, proſpicere cauſas,

&

& ſic providere effectus, ut talia in ſuo ordine exiſtant; & num poteſt ab hominibus facere Angelos, & ex his Cælum, & facere, ut illi qui ibi ſunt, vivant in æternum: pone hæc, & cogita, & cadet tua idea de exiſtentia naturæ a natura. Poſt hæc quæſivimus illum, quid cogitaverat, & quid nunc cogitat de TERTIO, DE CENTRO ET EXPANSO NATURÆ ET VITÆ; num credat quod Centrum & Expanſum Vitæ ſit idem cum Centro & Expanſo Naturæ; dixit, quod hæreat, & quod prius cogitaverit, quod interior activitas Naturæ ſit Vita, & quod Amor & Sapientia, quæ eſſentialiter faciunt hominis vitam, ſint inde; & quod ignis Solis per calorem & lucem, mediis athmoſphæris, producat illam; at quod nunc ex auditis de hominum vita poſt mortem, in ambiguo ſit, & quod hoc ambiguum ferat mentem jam ſurſum jam deorſum, & cum ſurſum, agnoſcat Centrum, de quo prius non aliquid noverat, & cum deorſum, videat Centrum quod credidit Unicum, & quod Vita ſit ex Centro, de quo prius non aliquid ſciverat, & quod Natura ſit ex Centro, quod prius credidit unicum eſſe, & quod utrumque Centrum habeat Expanſum circum ſe. Ad hæc diximus, Bene, modo etiam velit ex Centro & Expanſo Vitæ ſpectare Centrum & Expanſum Naturæ, & non vice verſa: & inſtruximus illum, quod ſupra Cælum Angelicum ſit Sol, qui eſt purus Amor, ad apparentiam igneus ſicut Sol mundi, & quod ex Calore, qui procedit ex illo Sole, ſit angelis & hominibus Voluntas & Amor, & quod ex Luce inde ſit illis Intellectus & Sapientia; & quod illa quæ inde ſunt, dicantur ſpiritualia, & quod illa quæ ex Sole Mundi procedunt, ſint continentia ſeu receptacula vitæ, & dicantur Naturalia: tum quod Expenſum Centri vitæ dicatur MUNDUS SPIRITUALIS, qui ex ſuo Sole ſubſiſtit, & quod Expanſum Centri Naturæ dicatur MUNDUS NATURALIS, qui ex ſuo Sole ſubſiſtit. Nunc quia de Amore & Sapientia non prædicari poſſunt Spatia & Tempora, ſed pro illis Status, ſequitur quod Expanſum circum Solem Cæli Angelici, non ſit Extenſum, ſed uſque in Extenſo Solis naturalis, & apud ſubjecta viva ibi ſecundum receptiones, & receptiones ſecundum formas & ſtatus. Sed tunc quæſivit, unde ignis Solis mundi ſeu naturæ, reſpondebamus, quod ſit ex Sole Cæli Angelici, qui non eſt ignis, ſed Divinus Amor proxime procedens a Deo, Qui in medio ejus eſt: hoc quia miratus eſt, demonſtravimus ita; Amor in ſua eſſentia eſt ſpiritualis ignis, inde eſt, quod ignis in Verbo in ſpirituali ejus ſenſu ſignificet amorem, unde orant in Templis Sacerdotes, ut Ignis cæleſtis impleat corda, per quem intelligunt amorem; ignis Altaris, & ignis Candelabri in Tabernaculo apud Iſraelitas, non aliud quam Divinum Amorem repræſentavit; Calor ſanguinis, ſeu Calor vitalis hominum, & in genere animalium, non aliunde eſt, quam ex amore, qui facit vitam illorum; inde eſt, quod homo incendatur, incaleſcat & inflammetur, dum amor ejus exaltatur in zelum, aut excitatur in iram & excandeſcentiam: quare ex eo, quod Calor ſpiritualis, qui eſt Amor, producat calorem naturalem apud homines, uſque ut accendat & inflammet illorum facies & artus, conſtare poteſt, quod Ignis Solis naturalis non aliunde exſtiterit, quam ex Igne Solis ſpiritualis, qui eſt Divinus Amor. Nunc quia Expanſum oritur ex Centro, & non viciſſim, ut ſupra diximus, & Centrum vitæ, quod eſt Sol Cæli Angelici, eſt Divinus Amor proxime procedens a Deo, Qui in medio illius Solis eſt; & quia inde eſt Expanſum illius Centri, quod vocatur Mundus ſpiritualis, & quia ex illo Sole exſtiterat Sol Mundi, & ex hoc Expanſum ejus, quod vocatur Mundus naturalis, patet, quod Univerſum a Deo creatum ſit. Poſt hæc abivimus, & ille comitatus eſt nos extra atrium ſui Gymnaſii, & loquutus eſt cum nobis de Cælo & Inferno, & de Divino auſpicio, ex nova ingenii ſagacitate.

DE

DE DEI ESSENTIA, QUÆ EST DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA.

36. Diſtinximus inter Eſſe Dei & Eſſentiam Dei, quia inter Infinitatem Dei & Amorem Dei, ac Infinitas applicate dicitur de Eſſe Dei, ac Amor de Eſſentia Dei; eſt enim, ut ſupra dictum, Eſſe Dei univerſalius quam Eſſentia Dei, ſimiliter Infinitas univerſalior quam Amor Dei, quapropter Infinitum ſit adjectivum Eſſentialium & Attributorum Dei, quæ omnia Infinita dicuntur, ſicut de Divino Amore quod Infinitus ſit, de Divina Sapientia quod Infinita, de Divina Potentia ſimiliter: non quod Eſſe Dei præexiſtat, ſed quia ingreditur Eſſentiam ut adjunctivum cohærens, determinans, formans, & ſimul elevans. Sed hoc Membrum hujus Capitis, ut priora, in ſequentes Articulos diſpeſcetur. I. *Quod Deus ſit ipſe Amor & ipſa Sapientia, & quod hæc duo faciant Eſſentiam Ipſius*, II. *Quod Deus ſit ipſum Bonum & ipſum Verum, quia Bonum eſt amoris, & Verum eſt Sapientiæ.* III. *Quod ipſe Amor & ipſa Sapientia ſint ipſa Vita, quæ eſt Vita in ſe.* IV. *Quod Amor & Sapientia in Deo unum faciant.* V. *Quod Eſſentia amoris ſit amare alios extra ſe, velle unum cum illis eſſe, & beatificare illos ex ſe.* VI. *Quod hæc amoris Divini fuerint cauſa creationis Univerſi, & quod ſint cauſa conſervationis ejus.* Sed de his ſingulatim.

37. I. QUOD DEUS SIT IPSE AMOR ET IPSA SAPIENTIA, ET QUOD ILLA DUO FACIANT ESSENTIAM IPSIUS. Quod Amor & Sapientia ſint duo Eſſentialia, ad quæ ſe referunt omnia Infinita, quæ in Deo ſunt, & quæ a Deo procedunt, prima Antiquitus vidit; ſed Ætates ſequentes ſucceſſive, ſicut mentes detraxerunt e Cælo, & illas mundanis & corporeis immerſerunt, non potuerunt videre; inceperunt enim non ſcire quid Amor in ſua eſſentia, & inde quid Sapientia in ſua, neſcientes quod Amor abſtractus a forma non dabilis ſit, & quod in forma & per formam operetur. Nunc quia Deus eſt ipſa, & unica, & ſic prima Subſtantia & Forma, quarum Eſſentia eſt Amor & Sapientia, & quia ex Ipſo facta ſunt omnia quæ facta ſunt, ſequitur, quod Univerſum cum omnibus & ſingulis ejus ex Amore per Sapientiam creaverit, & quod inde Divinus Amor una cum Divina Sapientia in omnibus & ſingulis ſubjectis creatis ſit: eſt quoque Amor, non modo Eſſentia formans omnia, ſed etiam uniens & conjungens illa, & ſic continens formata in nexu. Hæc illuſtrari poſſunt per innumerabilia in Mundo; ſicut per CALOREM & LUCEM e Sole, quæ ſunt duo Eſſentialia & Univerſalia, per quæ ſuper Tellure omnia & ſingula exiſtunt & ſubſiſtunt; hæc ibi ſunt, quia Divino Amori & Divinæ Sapientiæ correſpondent, Calor enim, qui e Sole Mundi ſpiritualis procedit, in ſua eſſentia eſt Amor, & Lux inde in ſua eſſentia eſt Sapientia. Illuſtrari etiam hæc poſſunt per duo eſſentialia & univerſalia, per quæ Mentes humanæ exiſtunt & ſubſiſtunt, quæ ſunt VOLUNTAS & INTELLECTUS; ex his duobus enim cujuſvis Mens conſiſtit, & illa duo in omnibus & ſingulis ejus ſunt & operantur; cauſa eſt, quia Voluntas eſt receptaculum & habitaculum amoris, ac Intellectus ſapientiæ ſimiliter; quapropter duo illa correſpondent Divino Amori & Divinæ Sapientiæ, ex quibus originitus ſunt. Porro eadem illa illuſtrari poſſunt per duo Eſſentialia & Univerſalia, per quæ Corpora humana exiſtunt & ſubſiſtunt, quæ ſunt COR & PULMO, ſeu ſyſtole & diaſtole cordis, ac reſpiratio pulmonis, quod hæc duo operentur in omnibus & ſingulis ibi, notum eſt, cauſa eſt, quia Cor correſpondet amori, & Pulmo ſapientiæ, quæ Correſpondentia in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVININO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, Amſtelodami evulgata, plene demonſtrata eſt. Quod Amor ſicut ſponſus & maritus por-

producat ſeu generet omnes formas, ſed per ſapientiam ut ſponſam & uxorem, ex innumerabilibus in utroque Mundo, Spirituali & Naturali, convinci poteſt: hoc ſolum memorandum eſt, quod Univerſum Cælum Angelicum diſponatur in ſuam formam, & contineatur in illa, ex Divino Amore per Divinam Sapientiam: illi, qui aliunde quam ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, deducunt creationem Mundi, & non ſciunt quod duo illa faciant Divinam Eſſentiam, illi deſcendunt a viſu rationis ad viſum oculi, & Naturam ut creatricem Univerſi oſculantur, & inde concipiunt chimeras, & parturiunt larvas; cogitant fallacias, ex illis ratiocinantur, & concludunt ova, in quibus ſunt aves noctis; tales non vocari poſſunt Mentes, ſed Oculi & Aures abſque intellectu, ſeu Cogitationes abſque anima; loquuntur de coloribus ſicut exiſterent abſque luce, de exiſtentia arborum ſicut abſque ſemine, & de omnibus Mundi ſicut abſque Sole, quoniam principiata faciunt principia, & cauſata cauſas, & ſic reſupinant omnia, & vigilias rationis ſopiunt, & ſic ſomnia vident.

38. II. Quod Deus sit ipsum Bonum et ipsum Verum, quia Bonum est amoris, et Verum est Sapientiæ. Univerſaliter notum eſt, quod omnia ſe referant ad bonum & verum, indicium quod omnia ex Amore & Sapientia exiſterint, omne enim quod procedit ex amore, vocatur bonum, hoc enim ſentitur, & jucundum, per quod amor ſe manifeſtat, eſt cuivis bonum; omne autem id quod procedit ex Sapientia, vocatur verum, ſapientia enim non niſi quam ex veris conſiſtit, & afficit ſua objecta amæno lucis, & hoc amænum, dum percipitur, eſt verum ex bono; quare Amor eſt complexus omnium bonitatum, & Sapientia eſt complexus omnium veritatum; ſed hæ & illæ ſunt a Deo, qui eſt ipſe Amor & inde ipſum Bonum, ac ipſa Sapientia & inde ipſum Verum. Inde eſt, quod in Eccleſia ſint duo eſſentialia, quæ vocantur Charitas & Fides, ex quibus omnia & ſingula ejus conſiſtunt, & quæ in ejus omnibus & ſingulis erunt; cauſa eſt, quia omnia bona Eccleſiæ ſunt charitatis, & vocantur Charitas, & omnia vera ejus ſunt fidei, & vocantur fides: jucunda amoris, quæ etiam ſunt jucunda charitatis, faciunt ut jucunda dicantur bona, & amæna ſapientiæ, quæ etiam ſunt amæna fidei, faciunt ut vera dicantur vera, nam jucunda & amæna faciunt vitam illorum; abſque vita ex illis, bona & vera ſunt ſicut inanimata, & quoque ſunt ſterilia. Sed Iucunda amoris ſunt duplicis generis, ſimiliter Amæna, quæ apparent ſicut ſapientiæ; nempe jucunda Amoris boni, & jucunda amoris mali, & inde amæna fidei veri & amæna fidei falſi; duo illa jucunda Amoris in ſubjectis, in quibus ſunt, ex ſenſatione illorum, vocantur bona, & duo illa amæna fidei, ex perceptione illorum etiam vocantur bona, ſed quia in intellectu ſunt, non aliud ſunt quam vera; tametſi ſibi oppoſita ſunt, ac unius amoris bonum eſt bonum, & alterius amoris bonum eſt malum, tum unius fidei verum eſt verum, & alterius fidei verum eſt falſum: ſed Amor, cujus jucundum eſt eſſentialiter bonum, eſt ſicut calor Solis fructificans, vivificans, & operans in humum fertilem, inque arbores uſus, & in ſegetes; & ubi operatur, fit ſicut paradiſus, hortus Jehovæ, & ſicut terra Canaan; & amænum veri ejus, eſt ſicut lux e Sole tempore veris, & ſicut lux influens in vas chryſtallinum, in quo ſunt flores pulchri, & ex quo aperto exſpiratur ſuaveolentum; at jucundum amoris mali eſt ſicut calor Solis exſiccans, enecans, & operans in humum ſterilem, & in arbores noxæ, ut in ſpinas & ſentes, & ubi operatur, fit deſertum Arabiæ, ubi ſerpentes hydræ & preſteres; & amænum falſi ejus, eſt ſicut lux e Sole tempore hyemis, & ſicut lux influens in utrem, in quo ſunt vermes natantes in aceto, & reptilia nidoris tetri. Sciendum eſt, quod omne bonum ſe formet por vera, & quoque ſe amiciat per illa, & ſic ſe ab alio bono diſtinguat; & quoque quod bona unius proſapiæ ſe in faſciculos ligent, & ſimul hos amiciant, & ſic ſe ab aliis diſtinguant; quod ita fiant formationes, patet ex omnibus & ſingulis in Corpore humano; quod ſimile

fiat in Mente humana, conſtat ex cauſa, quod perpetua Correſpondentia omnium mentis ſit cum omnibus corporis: inde ſequitur, quod Mens humana organizata ſit, interius ex ſubſtantiis ſpiritualibus, & exterius ex ſubſtantiis naturalibus, & demum ex materialibus; Mens, cujus amoris jucunda ſunt bona, interius ex ſubſtantiis ſpiritualibus, quales ſunt in Cælo, at Mens, cujus jucunda ſunt mala, interius ex ſubſtantiis ſpiritualibus, quales ſunt in inferno, & hujus mala ligantur in faſciculos per falſa, & illius bona in faſciculos per vera; quoniam tales colligationes bonorum & malorum ſunt, ideo Dominus dicit, *quod Zizania in faſciculos colligenda ſint ad comburendum, & ſimiliter offendicula*, Matth. XIII: 30, 40, 41. Joh. XV: 6.

39. III. QUOD DEUS, QUIA EST IPSE AMOR ET IPSA SAPIENTIA, SIT IPSA VITA, QUÆ EST VITA IN SE. Dicitur apud Johannem „*Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, in Ipſo Vita erat, & Vita erat Lux hominum*, Cap. I: 1, 4; per Deum ibi intelligitur Divinus Amor, & per Verbum Divina Sapientia; ac Divina Sapientia proprie eſt Vita, ac Vita proprie eſt Lux, quæ procedit a Sole Mundi ſpirituali, in cujus medio eſt Jehovah Deus: Divinus Amor format Vitam, ſicut ignis format lucem: in Igne ſunt duo, Cauſticitas & Splendor, ex cauſticitate ejus procedit calor, & ex ſplendore ejus procedit lux; ſimiliter in Amore ſunt duo, unum cui cauſticitas ignis correſpondet, & eſt quoddam intime afficiens voluntatem hominis, & alterum, cui ſplendor ignis correſpondet, & eſt quoddam intime afficiens intellectum hominis; inde eſt homini amor & intelligentia; nam, ut ſupra aliquoties dictum eſt, ex Sole Mundi ſpiritualis procedit Calor, qui in eſſentia ſua eſt amor, & Lux quæ in eſſentia ſua eſt ſapientia; illa duo influunt in omnia & ſingula Univerſi, & illa intime afficiunt, & apud homines in eorum voluntatem & intellectum, quæ duo creata ſunt receptacula influxus, voluntas receptaculum amoris, ac intellectus receptaculum ſapientiæ: inde patet, quod vita hominis habitet in Intellectu, & quod talis ſit, qualis eſt ſapientia ejus, & quod amor voluntatis modificet illam.

40. Apud Johannem etiam legitur; *Quemadmodum Pater habet vitam in Seipſo, ita dedit etiam Filio vitam habere in Seipſo*, Cap. V: 26; per quod intelligitur, quod quemadmodum ipſum Divinum quod fuit ab æterno, vivit in Se, ita quoque Humanum, quod ſuſcepit in tempore, vivat in Se; Vita in ſe, eſt ipſa & unica Vita, e qua omnes angeli & homines vivunt. Ratio humana poteſt hoc videre ex Luce quæ procedit ex Sole Mundi naturalis, quod hæc non creabilis ſit, ſed quod formæ recipientes illam creatæ ſint, oculi enim ſunt ejus formæ recipientes, & lux influens e Sole facit, ut illi videant: ſimile eſt cum Vita, quæ, ut dictum, eſt Lux procedens ex Sole Mundi ſpiritualis, quod non creabilis ſit, ſed quod influat continue, ac ſicut illuminat, etiam vivificet Intellectum hominis: conſequenter, quod quia Lux, Vita, & Sapientia, unum ſunt, Sapientia non creabilis ſit, ſimiliter nec fides, nec verum, nec amor, nec charitas, nec bonum, ſed quod formæ recipientes illa, creatæ ſint; Mentes humanæ & angelicæ ſunt formæ illæ. Caveat itaque ſibi quiſque, ut perſuadeat ſibi, quod vivat ex ſe, tum quod ſapiat, credat, amet, verum percipiat, & bonum velit & faciat ex ſe; quantum enim quis illa ſibi perſuadet, tantum mentem ſuam e Cælo in terram dejicit, & a ſpirituali fit naturalis, ſenſualis, & corporeus, occludit enim ſuperiores regiones Mentis ſuæ, unde quoad omnia quæ Dei, quæ Cæli, & quæ Eccleſiæ ſunt, fit cæcus, & tunc omne, quod de illis forte cogitat, ratiocinatur, & loquitur, fit in fatuitate, quia in tenebris, & tunc ſimul attrahit fiduciam quod illa ſint ſapientiæ; occluſis enim regionibus mentis ſuperioribus, ubi lux vitæ vera habitat, aperit ſe regio mentis infra illas, in quam modo lumen Mundi admittitur, & hoc lumen ſeparatum a luce ſuperiorum, eſt lumen fatuum, in quo falſa apparent ſicut vera, & vera ſicut falſa, ac ratiocinatio ex falſis ſicut ſapientia, & ex veris ſicut

cut insania, & tunc ille credit se acie aquilæ pollere, tametsi illa quæ sapientiæ sunt, non plus videt quam vespertilio in luce diurna.

41. IV. QUOD AMOR ET SAPIENTIA IN DEO UNUM FACIANT. Omnis Sapiens in Ecclesia novit, quod omne bonum amoris & charitatis sit a Deo, similiter omne verum sapientiæ & fidei; quod ita sit, Ratio humana etiam videre potest, dummodo scit, quod origo amoris & sapientiæ sit e Sole Mundi spiritualis, in cujus modio est Jehovah Deus, seu quod idem est, quod sit a Jehovah Deo per Solem, qui circum circa Illum est; Calor enim procedens e Sole illo in essentia sua est amor, & Lux inde procedens in essentia sua est sapientia; inde ut in clara die patet, quod amor & sapientia in illa origine unum sint, proinde in Deo, ex Quo origo illius Solis. Illustrari etiam hoc potest, ex Sole Mundi naturalis, qui est purus Ignis, quod ex igneo ejus procedat calor, & quod ex splendore ignei ejus procedat lux, & sic quod utrumque in origine sua unum sit. Quod autem in procedendo dividantur, constat ex subjectis, quorum aliqua plus caloris, & aliqua plus lucis recipiunt; hoc imprimis fit apud homines; in his Lux vitæ, quæ est intelligentia, & calor vitæ qui est amor, dividuntur; quod fit ex causa, quia homo reformandus & regenerandus est, & hoc non fieri potest, nisi Lux vitæ, quæ est Intelligentia, doceat quid volendum & amandum est: sciendum tamen est, quod Deus continue operetur conjunctionem amoris & sapientiæ apud hominem, sed quod homo nisi spectet ad Deum, & credat in Ipsum, continue operetur divisionem; quare quantum duo illa, bonum amoris aut charitatis ac verum sapientiæ aut fidei, conjunguntur apud hominem, tantum homo fit imago Dei, ac elevatur ad Cælum & in Cælum ubi sunt angeli; & vicissim, quod quantum duo illa dividuntur ab homine, tantum homo fiat imago Luciferi & Draconis, & dejiciatur e Cælo in terram, & dein sub terram in Infernum: ex Conjunctione duorum illorum, fit status hominis sicut status arboris tempore veris, quando calor se ex æquo conjungit cum luce, unde ejus germinatio, florescentia, & fructificatio; at vicissim ex divisione duorum illorum, fit status hominis sicut status arboris tempore hyemis, quando calor a luce recedit, unde ejus denudatio & decalvatio ab omni folio & fronde. Quando spiritualis calor, qui est amor, separat se a spirituali luce, quæ est sapientia, seu, quod idem est, charitas a fide, fit homo sicut humus acescens aut putrescens, in qua nascuntur vermes, & si producit virgulta, folia illorum implentur pediculis, & consumuntur; illecebræ enim amoris mali, quæ in se sunt concupiscentiæ, erumpunt, quas Intelligentia non domat & refrænat, sed diligit, educat & nutrit: verbo, dividere amorem & sapientiam, seu charitatem & fidem, quæ duo Deus continue conatur conjungere, comparative est sicut orbare faciem rubore, unde pallor sicut mortui, aut auferre candorem a rubore, unde facies fit sicut fax inflammata: & quoque fit sicut vinculum conjugiale solvere inter duos, & facere ut uxor fiat meretrix, & vir adulter; amor enim aut charitas est sicut maritus, ac sapientia aut fides est sicut uxor, & cum duo illa separantur, fit spiritualis meretricatio & scortatio, quæ sunt falsificatio veri & adulteratio boni.

42. Præter hæc sciendum est, quod tres gradus amoris & sapientiæ, & inde tres gradus vitæ sint, & quod Mens humana secundum hos gradus sicut in regiones formata sit, & quod vita in suprema regione in supremo gradu sit, in secunda regione in minore gradu, & quod in ultima regione in infimo gradu; hæ regiones aperiuntur successive apud homines; ultima regio, ubi vita in infimo gradu est, ab infantia ad pueritiam, & hoc fit per scientias; secunda regio, ubi vita est in majore gradu, a pueritia ad adolescentiam, & hoc fit per cogitationes ex scientiis; & suprema regio, ubi vita in supremo gradu est, ab adolescentia ad juventatem, & porro, & hoc fit per perceptiones veritatum & moralium & spiritualium: ulterius sciendum est, quod perfectio vitæ non consistat in cogitatione, sed in perceptione veri ex luce veri; differentiæ vitæ apud homines inde possunt con-

cludi; dantur enim qui illico dum audiunt verum, percipiunt quod verum ſit, hi in Mundo ſpirituali repræſentantur per aquilas; dantur qui non percipiunt verum, ſed concludunt illud ex confirmationibus per apparentias, hi repræſentantur per aves canoras; dantur qui credunt verum eſſe, quia dictatum a viro auctoritatis, hi repræſentantur per picas; & inſuper dantur, qui non volunt, tum qui non poſſunt, percipere verum, ſed modo falſum, cauſa eſt, quia in luce fatua ſunt, in qua luce falſum apparet ſicut verum, ac verum vel ſicut aliquod ſupra caput in denſa nube, abſconditum, vel ſicut meteoron, vel ſicut falſum, horum cogitationes repræſentantur per noctuas, & loquelæ per ululas; illi ex his, qui confirmaverunt ſua falſa, non ſuſtinent audire vera, ac ut primum aliquod verum auris eorum oſtium pulſat, ex averſatione repellunt illud, vix aliter quam ſtomachus bilioſis differtus cibum ex nauſea evomit.

43. V. QUOD ESSENTIA AMORIS SIT AMARE ALIOS EXTRA SE, VELLE UNUM CUM ILLIS ESSE, ET BEATIFICARE ILLOS EX SE. Sunt duo, quæ faciunt eſſentiam Dei, Amor & Sapientia, at ſunt tria quæ faciunt eſſentiam amoris Ipſius, amare alios extra ſe, velle unum cum illis eſſe, & beatificare illos ex ſe; eadem tria etiam faciunt eſſentiam ſapientiæ Ipſius, quia Amor & Sapientia in Deo unum faciunt, ut ſupra oſtenſum eſt, at Amor vult illa, & Sapientia producit illa. PRIMUM ESSENTIALE, *quod eſt amare alios extra ſe*, agnoſcitur ex amore Dei erga totum Genus humanum, & propter illud amat Deus omnia quæ creavit, quia ſunt media, nam qui amat finem, etiam amat media: omnes & omnia in Univerſo ſunt extra Deum, quia ſunt finita, & Deus eſt Infinitus: amor Dei vadit & extendit ſe non modo ad bonos & bona, ſed etiam ad malos & mala, proinde non modo ad illos & illa, quæ in Cælo ſunt, ſed etiam ad illos & illa quæ in Inferno ſunt, ita non modo ad Michaelem & Gabrielem, ſed etiam ad diabolum & ſatanam, eſt enim Deus ubivis & ab æterno in æternum Idem; dicit etiam, *quod faciat Solem ſuum exoriri ſuper bonos & malos; ac quod pluvium mittat ſuper juſtos & injuſtos*, Matth. V: 45; ſed quod uſque mali ſint mali, ac mala ſint mala, eſt in ipſis ſubjectis & objectis, quod non recipiant amorem Dei qualis eſt, & intime ineſt, ſed quales ipſi ſunt, ſimiliter ut facit ſpina & urtica cum calore ſolis, & cum pluvia cæli. SECUNDUM ESSENTIALE AMORIS DEI, *quod eſt velle unum cum illis eſſe*, agnoſcitur etiam ex conjunctione Ipſius cum Cælo Angelico, cum Eccleſia in terris, cum unoquovis ibi, & cum omni bono & vero, quæ hominem & Eccleſiam ingrediuntur & faciunt; amor etiam in ſe ſpectatus non aliud eſt quam niſus ad conjunctionem: quapropter ut hoc eſſentiæ amoris obtineretur, Deus creavit hominem in imaginem & ſimilitudinem ſuam, cum qua conjunctio fieri poteſt: quod Amor Divinus continue intendat conjunctionem, patet a Domini verbis, *quod velit ut unum ſint, Ipſe in illis & illi in Ipſo, ac ut amor Dei in illis ſit*, Joh. XVII: 21. 22. 23. 26. TERTIUM ESSENTIALE AMORIS DEI, *quod eſt beaficare illos a ſe*, agnoſcitur ex vita æterna, quæ eſt beatitudo, fauſtitas, & felicitas abſque fine, quam Deus dat illis, qui amorem Ipſius in ſe recipiunt; Deus enim ſicut eſt ipſe Amor, etiam eſt ipſa Beatitudo, nam omnis amor jucundum a ſe exſpirat, & Divinus amor ipſum beatum, fauſtum, & felix in æternum, ita Deus beatificat Angelos, ac homines poſt mortem a ſe, quod fit per conjunctionem cum illis.

44. Quod Divinus Amor talis ſit, cognoſcitur ex Sphæra ejus, quæ pervadit Univerſum, ac afficit unumquemvis ſecundum ejus ſtatum; illa imprimis afficit Parentes, ex qua eſt quod tenere ament liberos ſuos, qui ſunt extra illos, quod veliat unum cum illis eſſe, & quod velint beatificare illos ex ſe; hæc Divini Amoris Sphæra non modo afficit bonos ſed etiam malos, & non modo homines, ſed etiam beſtias & aves omnis generis; quid mater aliud cogitat dum peperit fætum, quam ſe illi ſicut unire, & proſpicere ejus bono; quid avis aliud, cum excluſit pullos ex ovis, quam fovere illos ſub alis, & per oſcula inferre eſcas in guttura illorum;

quod

quod dracones & viperæ etiam ſuam progeniem ament, notum eſt. Univerſalis illa ſphæra afficit in ſpecie illos qui Amorem illum Dei in ſe recipiunt, qui ſunt qui credunt in Deum, & amant proximum, charitas apud illos eſt imago illius amoris. Amicitia inter non bonos illum amorem etiam ſimulat; amicus enim ad menſam ſuam dat amico potiora, illum oſculatur, palpat & conjungit manus, ac pollicetur officia uſus. Sympathica ac niſus homogeneorum & ſimilium ad conjunctionem non aliunde ducunt originem. Eadem illa Divina Sphæra operatur etiam in inanimata, ut in arbores & herbas, ſed per Solem Mundi, & ejus calorem & lucem, calor enim intrat illas ab extra, conjungit ſe cum illis, & facit ut germinent, floreſcant, & fructificent, quæ vice beatitudinis ſunt in animatis, hoc facit ille calor, quia correſpondet calori ſpirituali, qui eſt amor. Operationis hujus amoris repræſentationes dantur etiam in variis ſubjectis Regni mineralis; typica ejus ſiſtuntur in exaltationibus illorum ad uſus & inde pretioſitates.

45. Ex deſcriptione Eſſentiæ Divini amoris, videri poteſt qualis eſt eſſentia amoris diabolici, hoc videri poteſt ex oppoſito; amor diabolicus eſt amor ſui, & hic vocatur amor, ſed in ſe ſpectatus eſt odium, non enim amat quempiam extra ſe, nec vult conjungi aliis ut benefaciat illis, ſed modo ut ſibi; ex intimo ſui continue affectat imperare ſuper omnes, & quoque poſſidere omnium bona, & demum ut adoretur ſicut Deus: quæ cauſa eſt, quod illi qui in Inferno ſunt, non agnoſcant Deum, ſed pro diis illos, qui poteſtate ſuper alios valent, ita inferiores & ſuperiores, ſeu minores & majores deos ſecundum extenſionem poteſtatis; & quia quiſque ibi id corde gerit, flagrat etiam odio contra ſuum deum, & hic contra illos qui ſub imperio ejus ſunt, & reputat illos ut viles ſervos, cum quibus quidem blande loquitur, quamdiu adorant, ſed furit ſicut ex igne contra reliquos, & quoque interius ſeu in corde contra clientes; eſt enim amor ſui idem cum amore latronum, qui ſe mutuo oſculantur, quando in latrociniis ſunt, ſed poſtea ardent cupidine occidendi illos, ut illorum prædas etiam latrocinentur. Hic amor in cauſa eſt, quod cupiditates ejus in Inferno, ubi regnat, e longinquo appareant ſicut variæ ſpecies ferarum, quædam ſicut vulpes & pardi, quædam ſicut lupi, & tigrides, & quædam ſicut crocodili & ſerpentes venenati: & quod deſerta, ubi vivunt, non conſiſtant niſi ex ſtruibus lapidum, aut ex nuda glarea, intermixtis paludibus, in quibus crocitant ranæ; & quod ſuper mapalia illorum volent aves lugubres & ululent: ochim, tziim, & jiim, qui in propheticis Verbi, ubi de amore imperandi ex amore ſui, nominantur, non aliud ſunt, Eſaj. XIII: 21. Jerem. L: 39. Pſalm LXXIV: 14.

46. VI. QUOD HÆC AMORIS DIVINI FUERINT CAUSA CREATIONIS UNIVERSI, ET QUOD SINT CAUSA CONSERVATIONIS EJUS. Quod illa tria Eſſentiala amoris Divini fuerint cauſa Creationis, ex ſcrutinio & examine illorum perſpici poteſt; quod hoc PRIMUM, *quod eſt amare alios extra ſe*, fuerit cauſa, conſtat ex Univerſo, quod ſit extra Deum, ſicut Mundus eſt extra Solem, & in quod poteſt amorem ſuum extendere, & in quo illum exercere, & ſic quieſcere; legitur etiam, quod poſtquam Deus creaverat Cælum & Terram, quieverit, & quod inde factus ſit dies Sabbathi, Gen. II: 2. 3. Quod SECUNDUM, *quod eſt velle unum eſſe cum illis*, fuerit cauſa, conſtat ex creatione hominis in imaginem & ſimilitudinem Dei, per quas intelligitur, quod homo factus ſit forma recipiens amorem & ſapientiam a Deo, ita cum quo Deus ſe poteſt unire, & propter illum cum omnibus & ſingulis Univerſi, quæ non aliud ſunt quam media; nam conjunctio cum cauſa finali eſt quoque conjunctio cum cauſis mediis; quod omnia propter Hominem creata ſint, patet etiam ex Libro Creationis ſeu Geneſi, Cap. I: 28. 29. 30. Quod TERTIUM, *quod eſt beatificare illos ex ſe*, ſit cauſa, conſtat ex Cælo Angelico, quod proviſum eſt omni homini, qui amorem Dei recipit, ubi omnium beatificatio eſt a Solo Deo. Quod tria illa eſſentialia amoris Dei etiam ſint cauſa conſervationis

Univerſi, eſt quia Conſervatio eſt perpetua Creatio, ſicut ſubſiſtentia eſt perpetua exiſtentia; ac Divinus Amor ab æterno in æternum eſt idem, ita qualis fuit in creando Mundum, talis eſt & manet in illo creato.

47. Ex his rite perceptis videri poteſt, quod Univerſum ſit Opus cohærens a primis ad ultima, quia eſt opus continens Finium, Cauſarum, & Effectuum in nexu indiſſolubili: & quia in omni amore eſt finis, in omni ſapientia eſt promotio finis per cauſas medias, & per has ad effectus, qui ſunt uſus, conſequitur etiam quod Univerſum ſit Opus coatinens Divini Amoris, Divinæ Sapientiæ, & Uſuum, & ſic omnino Opus cohærens a primis ad ultima. Quod Univerſum conſiſtat ex perpetuis Uſibus productis a Sapientia ac initiatis ab Amore, omnis ſapiens poteſt contemplari ſicut in ſpeculo, dum communem ideam de Creatione univerſi ſibi comparat, & in illa particularia tuetur, particularia enim adaptant ſe ſuo communi, & commune diſponit illa in formam ut concordent; quod ita ſit, in ſequentibus per plura illuſtrabitur.

48. His adjicietur hoc MEMORABILE. Quondam cum duobus Angelis loquutus ſum, unus erat e Cælo orientali, alter e Cælo meridionali; qui cum perceperunt quod Arcana ſapientiæ de Amore meditarer, dicebant, noſtine aliquid de Ludis ſapientiæ in noſtro Mundo, reſpondi quod nondum; & dixerunt, ſunt plures, & quod illi, qui amant vera ex affectione ſpirituali, ſeu vera quia vera ſunt, & quia per illa eſt ſapientia, ad datum ſignum conveniant, ac ventilent & concludant illa quæ profundioris intellectus ſunt. Illi tunc prehenderunt me manu, inquientes, ſequere nos, & videbis & audies, datum eſt hodie ſignum conventus. Ducebar per planitiem ad collem, & ecce ad pedem collis porticus ex palmis, continuatus uſque ad ejus caput; intravimus illum, & aſcendimus; & ſuper capite ſeu vertice collis viſus eſt Lucus, inter cujus arbores humus elevata formabat ſicut Theatrum, intra quod erat Planum lapillis varie coloratis ſtratum: circum illud in forma quadrata poſita erant Solia, ſuper quibus ſedebant amatores ſapientiæ; & in medio Theatri erat Menſa, ſuper qua poſita fuit Charta ſigillo obſignata. Sedentes ſuper Soliis invitabant nos ad Solia adhuc vacua, & reſpondi, hic ductus ſum a duobus Angelis, ut videam & auſcultem, & non ut ſedeam: & tunc bini illi Angeli in medium Plani ad menſam ibant, & ſigillum chartæ ſolvebant, & coram ſedentibus legebant arcana ſapientiæ Chartæ inſcripta, quæ nunc ventilarent & evolverent; ſcripta fuerunt ab Angelis tertii Cæli, & ſuper menſam demiſſa; erant tria Arcana, PRIMUM, *quid Imago Dei, & quid Similitudo Dei, in quas homo creatus eſt.* SECUNDUM, *cur homo non naſcitur in ſcientiam ullius amoris, cum tamen Beſtiæ & Aves, tam nobiles quam ignobiles naſcuntur in ſcientias omnium ſuorum amorum.* TERTIUM, *quid ſignificat Arbor vitæ, & quid Arbor ſcientiæ boni & mali, & quid Eſus ex illis:* his ſubſcriptum erat, conjungite illa tria in unam ſententiam, & ſcribite hanc ſuper Charta nova, & illam reponite ſuper hac Menſa, & videbimus; ſi ſententia ſuper lance æquilibris & juſta apparet, dabitur cuique veſtrum præmium ſapientiæ. His lectis receſſerunt bini Angeli, ac ſublati ſunt in ſuos Cælos. Et tunc Sedentes ſuper Soliis incipiebant ventilare & evolvere Arcana illis propoſita; & loquuti ſunt in ordine, primum, qui ſedebant ad Septentrionem, dein illi qui ad Occidentem, poſtea qui ad Meridiem, & ultimo qui ad Orientem; & aſſumſerunt Primum ſubjectum ventilationis, quod erat, QUID IMAGO DEI, ET QUID SIMILITUDO DEI, IN QUAS HOMO CREATUS EST; & tunc primum ex Libro creationis coram omnibus lecta ſunt hæc „ *Dixit Deus, faciamus hominem in* IMAGINEM NOSTRAM, *ſecundum* SIMILITUDINEM NOSTRAM: *& creavit Deus hominem*

hominem in IMAGINEM SUAM, *in* SIMILITUDINEM DEI *fecit eum*, Gen. I: *Quo die Deus creavit hominem, in* SIMILITUDINEM DEI *fecit eum*. Geneſ. V: 1.

Illi qui ſedebant ad SEPTENTRIONEM primum loquuti ſunt, dicentes, quod Imago Dei & Similitudo Dei, ſint binæ Vitæ homini a Deo inſpiratæ, quæ ſunt Vita voluntatis & Vita intellectus, nam legitur, *Jehovah Deus inſpiravit in nares Adami animam* VITARUM, *& factus eſt homo in Animam viventem*, Geneſ. II: 7; per quæ videtur intelligi, quod ei inſpirata ſit Voluntas boni, & Perceptio veri, & ſic Anima vitarum; & quia vita a Deo illi inſpirata eſt, Imago & Similitudo ſignificant integritatem ex amore & ſapientia, exque juſtitia & judicio in illo. His illi qui ſedebant ad OCCIDENTEM favebant, adjiciendo tamen hoc, quod ſtatus integritatis illi a Deo inſpiratus, cuivis homini poſt illum continue inſpiretur; ſed quod in homine ſit ſicut in receptaculo, ac homo, ſicut eſt receptaculum, eſt imago & ſimilitudo Dei. Poſtea Tertii in ordine, qui erant qui ſedebant ad MERIDIEM, dixernnt; Imago Dei & Similitudo Dei ſunt duo diſtincta, ſed in homine a creatione unita, & videmus ſicut ex quadam luce interiore, quod imago Dei poſſit diſperdi ab homine, non autem ſimilitudo Dei; hoc apparet ſicut per tranſennam ex eo, quod Adamus retinuerit ſimilitudinem Dei, poſtquam amiſerat imaginem Dei, nam legitur poſt maledictionem „ *Ecce homo eſt ſicut unus ex nobis, ſciendo bonum & malum*, Gen. III: 22. & poſtea vocatur ſimilitudo Dei, & non imago Dei, Gen. V: 1. ſed relinquamus conſociis noſtris, qui ad Orientem ſedent, & inde in ſuperiore luce ſunt, dicere, quid proprie imago Dei, & quid proprie ſimilitudo Dei. Et tunc poſt ſilentium factum, Sedentes ad Orientem e ſoliis ſurrexerunt, & ſuſpexerunt ad Dominum, & poſt remiſerunt ſe ſuper ſolia, & dixerunt; quod Imago Dei ſit receptaculum Dei, & quia Deus eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, quod Imago Dei ſit receptio amoris & ſapientiæ a Deo in illo: at quod Similitudo Dei ſit perfecta ſimilitudo & plena apparentia ſicut amor & ſapientia ſint in homine, & inde prorſus ſicut ejus; homo enim non ſentit aliter, quam quod amet a ſe & ſapiat a ſe, ſeu quod bonum velit & verum intelligat a ſe; cum tamen ne hilum a ſe, ſed a Deo; Solus Deus amat a ſe, & ſapit a ſe, quia Deus eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia; ſimilitudo ſeu apparentia, quod amor & ſapientia, ſeu bonum & verum, ſint in homine ſicut ejus, facit ut homo ſit homo, utque poſſit conjungi Deo, & ſic vivere in æternum; ex quo fluit, quod homo ſit homo ex eo, quod poſſit velle bonum ac intelligere verum prorſus ſicut a ſe, & uſque ſcire & credere quod a Deo, nam ſicut hoc ſcit & credit, ponit Deus imaginem ſuam in homine; aliter ſi crederet quod a ſe & non a Deo. His dictis, ſupervenit illos zelus ex amore veritatis, ex quo loquuti ſunt hæc; quomodo poteſt homo recipere aliquid amoris & ſapientiæ, ac retinere illud, & reproducere illud, niſi ſentiat illud ſicut ſuum; & quomodo poteſt conjunctio dari cum Deo per amorem & ſapientiam, niſi datum ſit homini aliquod reciprocum conjunctionis, nam abſque reciproco nulla conjunctio dabilis eſt; & reciprocum conjunctionis eſt, quod homo amet Deum, & faciat illa quæ Dei ſunt, ſicut a ſe, & tamen credat quod a Deo; tum quomodo poteſt homo vivere in æternum, niſi conjunctus ſit Deo æterno; conſequenter quomodo homo poteſt eſſe homo, abſque illa ſimilitudine in illo. His dictis faverunt omnes, & dixerunt, fiat Concluſum ex his, & factum eſt hoc: Homo eſt receptaculum Dei, & Receptaculum Dei eſt Imago Dei; & quia Deus eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, eſt homo Receptaculum illorum, ac Receptaculum ſit imago Dei ſicut recipit: & quod homo ſit ſimilitudo Dei ex eo, quod ſentiat in ſe, quod illa quæ a Deo ſunt, ſint in illo ſicut ejus; at uſque quod tantum ex ſimilitudine illa ſit Imago Dei, quantum agnoſcit, quod amor & ſapientia, ſeu bonum & verum, non ſint in illo ejus, & inde nec ab illo, ſed ſolum in Deo, & inde a Deo.

Poſt hæc Alterum objectum ventilationis aſſumſerunt „ CUR HOMO NON NASCITUR

TUR IN SCIENTIAM ULLIUS AMORIS, CUM TAMEN BESTIÆ ET AVES, TAM NOBILES QUAM IGNOBILES, NASCUNTUR IN SCIENTIAS OMNIUM SUORUM AMORUM. Primum veritatem propoſitionis confirmabant per varia, ut de homine, quod naſcatur in nullam ſcientiam, ne quidem in ſcientiam amoris conjugialis; & inquiſiverunt, & a rimatoribus audiverunt, quod infans ne quidem ex connata ſcientia ſciat uber matris, ſed quod ex matre ſeu nutrice hoc per admotiones diſcat, & quod modo ſciat ſugere, & quod hoc hauſerit ex continua ſuctione in utero matris; & quod poſtea non ſciat gradiri, nec articulare ſonum in aliquam vocem humanam, imo nec ſonare affectiones amoris, ſicut baſtiæ; porro quod non ſciat aliquam alimoniam ſibi conducibilem, ſicut beſtiæ, ſed quod arripiat obvium, ſive ſit mundum ſive immundum, & inferat in buccam: rimatores dixerunt, quod homo abſque inſtructione, prorſus nihil ſciat de modis amandi ſexum, & quod hos ne quidem virgines & adoleſcentes abſque eruditione ab aliis: verbo, homo naſcitur corporeus ſicut vermis; & manet corporeus, niſi diſcat ſcire, intelligere & ſapere ex aliis. Poſt hæc confirmabant, quod Beſtiæ tam nobiles quam ignobiles, ut animalia terræ, volucres cæli, reptilia, piſces, vermiculi qui vocantur inſecta, naſcantur in omnes ſcientias amorum vitæ ſuæ, ut in omnia quæ nutritionis ſunt, in omnia quæ habitationis ſunt, in omnia quæ amoris ſexus, & prolificationis ſunt, inque omnia quæ educationis fœtuum ſuorum ſunt: hæc confirmabant per mirabilia, quæ revocabant in memoriam ex viſis, auditis & lectis in Mundo naturali, in quo prius vixerunt, in quo non repræſentativæ ſed reales beſtiæ dantur. Poſtquam veritas propoſitionis ita comprobata eſt, intendebant mentes ad indagandum & inveniendum cauſas, per quas hoc Arcanum evolverent & detegerent; & dixerunt omnes, quod illa non poſſint non ex Divina Sapientia exiſtere, ut homo ſit homo, & beſtia ſit beſtia, & ſic quod imperfectio nativitatis hominis fit ejus perfectio, & perfectio nativitatis beſtiæ ſit ejus imperfectio.

Cæperunt tunc SEPTENTRIONALES primum aperire ſuam mentem, & dixerunt, quod homo naſcatur abſque ſcientiis, ut recipere poſſit omnes, at ſi naſceretur in ſcientias non poſſet recipere ullas, præter illas in quas natus eſt, & tunc nec poſſet ſibi appropriare ullam; quod illuſtrabant per hanc comparationem, homo primum natus eſt ſicut humus, cui nulla ſemina implantata ſunt, ſed quæ uſque poteſt recipere omnia, ac proferre & fructificare illa; at beſtia eſt ſicut humus jamdum ſata, ac impleta graminibus & herbis, quæ non recipit alia ſemina quam inſita, ſi alia, ſuffocaret illa; inde eſt, quod homo adoleſcat per plures annos, intra quos poteſt ſicut humus excoli, ac proferre ſicut omnis generis ſegetes, flores & arbores; beſtia autem per paucos, per quos non poteſt in alia, quam in connata excoli. Poſtea OCCIDENTALES loquuti ſunt, & dixerunt, quod homo non naſcatur ſcientia ſicut beſtia, ſed quod naſcatur Facultas & Inclinatio, Facultas ad ſciendum, & Inclinatio ad amandum, & quod naſcatur Facultas non modo ad amandum illa, quæ ſui & mundi ſunt, ſed etiam illa quæ Dei & Cæli ſunt; conſequenter quod homo naſcatur Organum, quod vix ſenſibus externis, niſi obſcure vivit, at nullis internis, propter cauſam, ut ſucceſſive vivat, & fiat homo, primum naturalis, poſtea rationalis, & demum ſpiritualis; quod non fieret, ſi naſceretur in ſcientias & amores, ſicut beſtiæ; ſcientiæ enim & affectiones amoris connatæ finiunt illam progreſſionem, at ſolum facultates & inclinationes connatæ nihil finiunt; quapropter homo poteſt perfici ſcientia, intelligentia & ſapientia in æternum. MERIDIONALES exceperunt, & ediderunt ſuum effatum, dicentes, quod impoſſibile ſit homini ſumere aliquam ſcientiam a ſe, ſed ſumet illam ab aliis, quoniam nulla ſcientia ei connata eſt; & quia non poteſt ullam ſcientiam ſumere a ſe, nec poteſt ullum amorem, quoniam ubi non ſcientia ibi non amor, ſunt ſcientia & amor individui comites, nec poſſunt plus ſeparari quam voluntas

&

& intellectus, aut affectio & cogitatio, imo non plus quam essentia & forma; quare sicut homo sumit scientiam ab aliis, ita se ei adjungit amor ut ejus comes: universalis amor qui se adjungit, est amor sciendi, & postea intelligendi & sapiendi; hi amores sunt soli homini, & nulli bestiæ, ac influunt a Deo. Nos convenimus cum sodalibus nostris ab Occidente, quod homo non nascatur in ullum amorem, & inde nec in ullam scientiam, sed quod solum nascatur in inclinationem ad amandum, & inde in facultatem ad recipiendum scientias, non a se sed ab aliis, hoc est, per alios; per alios dicitur, quia nec hi receperunt aliquid a se, sed originitus a Deo. Convenimus etiam cum sodalibus nostris ad Septentrionem, quod homo primum natus sit sicut humus, cui non aliqua semina implantata sunt, sed cui omnia tam nobilia quam ignobilia implantari possunt; inde est quod Homo dictus sit ab Humo, ac Adam ab Adama quæ est Humus. His adjicimus, quod Bestiæ nascantur in naturales amores, & inde in scientias illis correspondentes, & quod usque non aliquid ex scientiis sciant, cogitent, intelligant, & sapiant, sed quod ad illas ex amoribus suis ferantur, pæne sicut cæci per plateas a canibus, quoad intellectum enim cæcæ sunt; at potius sicut noctambuli, qui ex cæca scientia, sopito intellectu, faciunt quæ faciunt. Ultimo loquuti sunt Orientales, & dixerunt, consentimus ad illa, quæ fratres nostri loquuti sunt, quod homo nihil sciat ex se, sed ex aliis & per alios, ut cognoscat & agnoscat, quod omnia quæ scit, intelligit & sapit, sint ex Deo; & quod homo non possit aliter nasci & generari a Deo, ac fieri Ipsius imago & similitudo; nam imago Dei fit, per quod agnoscat & credat, quod omne bonum amoris & charitatis, & omne verum sapientiæ & fidei, acceperit & accipiat ex Deo, & ne hilum ex se; & similitudo Dei est, per quod sentiat illa in se sicut a se; hoc sentit, quia non nascitur in scientias, sed accipit illas, & quod accipiat, apparet illi sicut a se; ita sentire etiam datur homini a Deo, ut sit homo & non bestia, quoniam per id quod velit, cogitet, amet, sciat, intelligat & sapiat sicut ex se, recipit scientias, & exaltat illas in intelligentiam, & per illarum usus in sapientiam, ita Deus conjungit hominem sibi, & homo se Deo: hæc non fieri potuissent, nisi a Deo provisum fuerit, ut homo in totali ignorantia nasceretur. Post hoc effatum voluerunt omnes, ut ex ventilatis fieret Conclusum, & factum est hoc, „Quod homo nascatur in nullam scientiam, ut possit venire in omnem, & progredi in intelligentiam, & per hanc in sapientiam; & quod nascatur in nullum amorem, ut possit venire in omnem, per applicationes scientiarum ex intelligentia, & in amorem in Deum per amorem erga proximum, & sic conjungi Deo, & per illud fieri homo, & vivere in æternum.

Post hæc sumserunt Chartam, & tertium Objectum ventilationis legerunt, quod erat, Quid significat Arbor vitæ, quid Arbor scientiæ boni et mali, et quid Esus ex illis; & rogaverunt omnes, ut illi qui ab Oriente erant, evolverent hoc Arcanum, quia profundioris intellectus est, & quia illi qui ex Oriente sunt, in flammea luce, hoc est, in amoris sapientia sunt, & hæc sapientia intelligitur per Hortum Edenis, in quo illæ duæ Arbores positæ fuerunt; & responderunt, dicemus, sed quia homo non sumit quicquam ex se, sed ex Deo, dicemus ex Ipso, at usque a nobis sicut a nobis; & tunc dixerunt: Arbor significat hominem, & fructus ejus bonum vitæ, inde per Arborem vitæ significatur homo vivens ex Deo; & quia amor & sapientia, ac charitas & fides, seu bonum & verum, faciunt vitam Dei in homine, per Arborem vitæ significatur homo in quo illa sunt a Deo, & inde illi vita æterna: similia significantur per Arborem vitæ, e qua dabitur edere, Apoc. II: 7. Cap. XXII: 2. 14. Per Arborem scientiæ boni & mali significatur homo credens quod vivat ex se, & non a Deo, ita quod amor & sapientia, charitas & fides, hoc est, bonum & verum, sint in homine ejus & non Dei, hoc credens quia cogitat & vult, ac loquitur & facit, in omni

ſimilitudine & apparentia ſicut ex ſe ; & quia homo inde ſibi perſuadet, quod etiam ſit Deus, ideo dixit ſerpens „*Novit Deus, quo die comederitis de fructu illius arboris, aperientur Oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*, Geneſ. III: 5. Per Eſum ex illis arboribus, ſignificatur receptio & appropriatio, per Eſum ex arbore vitæ receptio vitæ æternæ, & per Eſum ex arbore ſcientiæ boni & mali, receptio damnationis ; per Serpentem intelligitur diabolus quoad amorem ſui & faſtum propriæ intelligentiæ, & ille Amor eſt poſſeſſor illius arboris, & homines qui in faſtu ex illo amore ſunt, illæ arbores ſunt. Sunt itaque illi in enormi errore, qui credunt Adamum ſapuiſſe & bonum feciſſe ex ſe, & hoc fuiſſe ſtatum ejus integritatis, cum tamen ipſe Adamus propter illam fidem maledictus eſt ; hoc enim ſignificatur per Edere ex arbore ſcientiæ boni & mali ; quare tunc excidit e ſtatu integritatis, qui illi fuit ex eo, quod crederet ſe ſapere & bonum facere ex Deo & nihil ex ſe, hoc enim intelligitur per Edere ex Arbore vitæ. Solus Dominus, cum fuit in Mundo, ſapuit ex Se, & bonum fecit ex Se, quia Ipſum Divinum a nativitate fuit in Ipſo & Ipſius, quare etiam ex propria potentia factus eſt Redemptor & Salvator. Ex his & illis Concluſum fecerunt hoc „Quod per Arborem vitæ, & per Arborem ſcientiæ boni & mali, & per Eſum ex illis, intelligatur, quod Vita homini ſit Deus in illo, & quod tunc ei Cælum & Vita æterna ; & quod Mors homini ſit perſuaſio & fides, quod vita homini non ſit Deus ſed ipſe, unde ei Infernum & Mors æterna, quæ eſt damnatio.

Poſt hæc inſpexerunt Chartam ab Angelis ſuper menſa relictam, & viderunt ſubſcriptum, CONJUNGITE ILLA TRIA IN UNAM SENTENTIAM ; & tunc collegerunt illa, & viderunt, quod Tria illa in una ſerie cohærerent, & quod ſeries ſeu ſententia illa ſit hæc „Quod Homo creatus ſit, ut recipiat amorem & ſapientiam a Deo, & tamen in omni ſimilitudine ſicut a ſe, & hoc propter receptionem & conjunctionem ; & quod ideo homo non naſcatur in aliquem amorem, nec in aliquam ſcientiam, & ne quidem in aliquam potentiam amandi & ſapiendi ex ſe : quapropter ſi addicit omne bonum amoris, & omne verum ſapientiæ Deo, fit Homo vivus ; aſt ſi addicit illa ſibi, fit homo mortuus „Hæc inſcripſerunt novæ Chartæ, & hanc poſuerunt ſuper Menſa ; & ecce ſubito Angeli in candida nube aderant, & Chartam in Cælum deportabant, & poſtquam ibi lecta eſt, Sedentes ſuper ſoliis audiverunt inde voces, bene, bene, bene. Et actutum apparuit Unus inde ſicut volans, cui ſicut duæ alæ circa pedes, & duæ circa tempora, ferens præmia, quæ erant Togæ, Pilei, & Laureæ, ac demiſit ſe, ac illis qui ſederunt ad Septentrionem dedit Togas coloris opalini ; illis qui ad Occidentem Togas coloris coccinei ; illis qui ad Meridiem Pileos, quorum limbos ornabant faſciæ ex auro & margaritis, & ſiniſtri lateris elævationes Adamantes ſecti floriformes ; illis autem qui, ad Orientem dedit Laureas in quibus rubini & ſapphiri : & omnes his præmiis decorati e Ludo ſapientiæ domum cum gaudio abiverunt.

DE DEI OMNIPOTENTIA, OMNISCIENTIA, ET OMNIPRÆSENTIA.

49. Actum est de Divino Amore & Divina Sapientia, & ostensum, quod hæc duo sint Divina Essentia; sequitur nunc de Dei Omnipotentia, Omniscientia & Omnipræsentia, quia hæc Tria procedunt ex Divino Amore & Divina Sapientia, vix aliter quam potentia & præsentia Solis in hoc Mundo, ac in omnibus & singulis ejus per calorem & lucem; etiam Calor e Sole Mundi spiritualis, in cujus medio Jehovah Deus est, in essentia sua est Divinus amor, & Lux inde in essentia sua est Divina Sapientia: ex quo patet, quod sicut Infinitas, Immensitas ac Æternitas pertinent ad Divinum Esse, ita Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia ad Divinam Essentiam. Sed quia Tres illæ Divinæ Essentiæ Prædicationes universales hactenus non intellectæ sunt, quia progressio illarum secundum vias suas, quæ sunt leges Ordinis, ignota fuit, oportet illas luce donare per distinctos Articulos, qui erunt, I. *Quod Divinæ Sapientiæ ex Divino Amore sit Omnipotentia, Omniscientia, & Omnipræsentia.* II. *Quod Dei Omnipotentia, Omniscientia & Omnipræsentia non possint cognosci, nisi sciatur quid Ordo, & nisi sciantur hæc ejus, quod Deus sit Ordo, & quod una cum Creatione introduxerit Ordinem tam in Universum, quam in omnia & singula ejus.* III. *Quod Dei Omnipotentia in Universo ac in omnibus & singulis ejus secundum leges sui Ordinis procedat & operetur.* IV. *Quod Deus Omniscius sit, hoc est, percipiat, videat, & sciat omnia & singula usque ad minutissima, quæ fiunt secundum Ordinem; & ex illis etiam quæ fiunt contra Ordinem.* V. *Quod Deus Omnipræsens sit a primis ad ultima sui Ordinis.* VI. *Quod Homo creatus sit forma Divini Ordinis.* VII. *Quod Homo tantum in potentia contra malum & falsum ex Divina Omnipotentia sit, quodque tantum in sapientia de bono & vero ex Divina Omniscientia sit, & quod tantum in Deo ex Divina Omnipræsentia sit, quantum secundum Divinum Ordinem vivit.* Sed hæc singulatim evoluenda sunt.

50. I. Quod Divinæ Sapientiæ ex Divino Amore sit Omnipotentia, Omniscientia, et Omnipræsentia. Quod Divinæ Sapientiæ ex Divino amore sit Omnipotentia, Omniscientia & Omnipræsentia, non autem Divino Amori per Divinam Sapientiam, est Arcanum e Cælo, quod nondum in alicujus intellectu illuxit, quia nullus adhuc scivit, quid Amor in sua essentia, & quid Sapientia inde in sua, & minus adhuc de influxu unius in alterum, qui est quod Amor cum omnibus & singulis sui influat in Sapientiam, & in hac resideat sicut Rex in suo Regno, aut sicut herus in sua domo, ac omne regimen justitiæ relinquat suo judicio, & quia justitia est amoris, & judicium est sapientiæ, omne regimen amoris relinquat suæ sapientiæ: sed hoc Arcanum fænerabitur lucem in sequentibus, interea inserviat hoc ut canon. Quod Deus Omnipotens, Omniscius, & Omnipræsens sit per Sapientiam amoris sui, intelligitur etiam per hæc apud Johannem, „ *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est. In Ipso vita erat, & Vita erat Lux hominum; & Mundus per Ipsum factus est: & Verbum Caro factum est.* Cap. I: 1, 3, 4, 10, 14; per Verbum ibi intelligitur Divinum Verum, seu quod in idem recidit, Divina Sapientia, quare etiam vocatur Vita & Lux, ac Vita & Lux non aliud sunt quam Sapientia.

51. Quoniam in Verbo Justitia prædicatur de Amore, & Judicium de Sapientia, ideo adducentur aliqua loca, quod Regimen Dei per illa duo in Mundo fiat, quæ

ſunt „ JEHOVAH, JUSTITIA & JUDICIUM *fulcrum Throni tui*, Pſalm LXXXIX: 15. *De hoc glorietur qui gloriatur, quod* JEHOVAH *faciat* JUDICIUM *&* JUSTITIAM *in terra*, Jerem. IX: 23. *Exaltetur* JEHOVAH, *quia implevit terram* JUDICIO *&* JUSTITIA, Eſaj. XXXIII: 5. *Fluat ſicut aqua* JUDICIUM, *&* JUSTITIA *ſicut torrens fortis*, Amos V: 24. JEHOVAH JUSTITIA TUA *ſicut montes Dei*, JUDICIA TUA *abyſſus magna*, Pſalm XXXVI: 7. JEHOVAH *educet ſicut lucem* JUSTITIAM *ſuam*, *&* JUDICIUM *ſicut meridiem*, Pſalm XXXVII: 6. JEHOVAH *judicabit populum ſuum in* JUSTITIA, *& miſeros ſuos in* JUDICIO, Pſalm LXXII: 2. *Cum didicero* JUDICIA JUSTITIÆ *tuæ, ſepties in die laudo Te ſuper* JUDICIIS JUSTITIÆ *tuæ*, Pſalm CXIX: 7. 164. *Deſponſabo Me tibi in* JUSTITIA *&* JUDICIO, Hoſch. II: 19. *Zion in* JUSTITIA *redimetur, & reduces in* JUDICIO, Eſaj. I: 17. *Sedebit ſuper Thronо Davidis, & ſuper Regno Ipſius, ad ſtabiliendum illud in* JUDICIO *&* JUSTITIA, Eſaj. IX: 6. *Suſcitabo Davidi germen juſtum, qui regnet Rex, & faciat* JUDICIUM *&* JUSTITIAM *in terra*, Jerem. XXIII: 5. Cap. XXXIII: 15: & alibi, quod facere debeant Juſtitiam & Judicium, ut Eſaj. I: 21. Cap. V: 16. Cap. LVIII: 2. Jer. IV: 1. Cap. XXXII: 3. 13. 15. Ezech. XVIII: 5. Cap. XXXIII: 14. 16. 19. Amos VI: 12. Mich. VII: 9. Deut. XXXIII: 21. Joh. XVI: 8. 10. 11.

52. II. QUOD DEI OMNIPOTENTIA, OMNISCIENTIA, ET OMNIPRÆSENTIA NON POSSINT COGNOSCI, NISI SCIATUR QUID ORDO, ET NISI SCIANTUR HÆC EJUS, QUOD DEUS SIT ORDO, ET QUOD UNA CUM CREATIONE INTRODUXERIT ORDINEM TAM IN UNIVERSUM, QUAM IN OMNIA ET SINGULA EJUS. Quot & quales fatuitales in mentes humanes, & inde per Capita inſtauratorum in Eccleſiam irrepſerunt, per quod non intellexerint Ordinem, in quem Deus Univerſum, ac omnia & ſingula ejus creavit, ex ſola recenſione illarum in ſequentibus conſtare poterit. Sed hic primum aperiemus Ordinem per quandam generalem definitionem ejus, quæ hæc eſt; *Quod Ordo ſit qualitas diſpoſitionis, determinationis & activitatis partium, ſubſtantiarum aut entium, quæ faciunt formam, unde ſtatus, cujus perfectionem ſapientia ex ſuo amore producit, aut cujus imperfectionem inſania rationis ex cupiditate excudit.* In hac definitione nominantur Subſtantia, Forma, & Status, & per Subſtantiam ſimul intelligimus formam, quia omnis ſubſtantia eſt forma, ac qualitas formæ eſt ſtatus ejus, cujus perfectio aut imperfectio ex ordine reſultat. Sed hæc, quia Methaphyſica ſunt, non poſſunt niſi in caligine eſſe, at hæc diſcutietur in ſequentibus per applicationes ad exempla, quæ illuſtrabunt.

53. Quod Deus ſit Ordo, eſt quia eſt ipſa Subſtantia & ipſa Forma; Subſtantia, quia ex Ipſo omnia quæ ſubſiſtunt, exiſtiterunt & exiſtunt; Forma, quia omnis qualitas ſubſtantiarum, ab Ipſo exorta eſt & oritur, non aliunde quam ex forma datur qualitas. Nunc quia Deus eſt ipſa, unica & prima Subſtantia & Forma, & ſimul ipſe & unicus Amor, ac ipſa & unica Sapientia, & quia ſapientia ex amore facit formam, & hujus ſtatus & qualitas eſt ſecundum ordinem inibi, ſequitur quod Deus ſit ipſe Ordo; conſequenter quod Deus ex Se introduxerit Ordinem tam in Univerſum, quam in omnia & ſingula ejus; & quod introduxerit Ordinem perfectiſſimum, quia cuncta quæ creavit bona fuerunt, ut in Libro creationis legitur: quod mala una cum Inferno, ita poſt creationem exſtiterint, ſuo loco demonſtrabitur. Sed ad talia, quæ Intellectum propius intrant, clarius illuſtrant, & mitius afficiunt.

54. Qualis autem Ordo eſt, in quem Univerſum eſt creatum, non poteſt niſi quam per plures membranas exponi; quædam ſchiagraphia ejus in ſequente Lemmate de Creatione exhibebitur. Tenendum eſt, quod in Univerſo omnia & ſingula, ut per ſe ſubſiſtant, in ſuos ordines creata ſint, & quod a principio ita, ut cum univerſi ordine ſe conjungant, propter cauſam ut ſingulares ordines ſubſiſtant in Univerſali, & ſic unum faciant: ſed ad quædam Exempla; Homo in ſuum ordinem creatus eſt, & quoque unumquodvis ejus in ſuum, ſicut Caput

in

in ſuum, corpus ejus in ſuum, Cor, Pulmo, Hepar, Pancreas, Ventriculus in ſuos, omne organum motus quod vocatur Muſculus in ſuum, & omne Organum ſenſus, ut oculus, auris, lingua, in ſuum, imo non datur arteriola & fibrilla ibi, quæ non in ſuum, & tamen innumerabilia hæc ſe conjungunt cum communi ejus, & ſe ei injungunt ita, ut ſimul unum faciant: ſimile eſt cum reliquis, quorum ſola recenſio ad illuſtrationem ſufficit; omnis Beſtia terræ, omnis Avis cæli, omnis Piſcis maris, omne reptile, imo omnis vermis uſque ad blattam, in ſuum ordinem creatum eſt; pariter omnis arbor, omne arbuſtum, virgultum, & legumen, in ſuum: & inſuper omnis lapis, & omnis minera, uſque ad unumquemvis pulverrem terræ, in ſuum.

55. Quis non videt, quod non detur Imperium, Regnum, Ducatus, Reſpublica, Civitas, Domus, quæ non conſtabiliuntur per leges, quæ faciunt Ordinem, & ſic formam regiminis ejus; in ſingulis illis Leges juſtitiæ ſunt ſupremo loco, Leges politicæ ſecundo, & Leges Æconomicæ tertio, quæ ſi comparantur cum Homine, Leges juſtitiæ faciunt Caput ejus, Leges politicæ Corpus ejus, & Leges Occonomicæ Veſtes, quare etiam hæ ſicut veſtes mutari poſſunt. Quod autem concernit Ordinem, in quem Eccleſia a Deo inſtaurata eſt, eſt ille, ut Deus ſit in omnibus & ſingulis ejus, & proximus erga quem Ordo exercendus eſt; Leges illius ordinis ſunt totidem quot Veritates in Verbo, Leges quæ ſpectant Deum, facient Caput ejus, Leges quæ ſpectant proximum, facient Corpus ejus, ac Ceremoniæ facient Veſtes, nam niſi hæ continerent illas in ſuo Ordine, foret ſicut nudaretur Corpus, ac exponeretur æſtui in æſtate, & frigori in hyeme; aut ſicut e Templo auferrentur parietes & lacunaria, & ſic Adytum, Ara, & Pulpitum ſub diu variis expoſita violentiis proſtarent.

56. III. QUOD DEI OMNIPOTENTIA TAM IN UNIVERSO, QUAM IN OMNIBUS ET SINGULIS EJUS SECUNDUM LEGES SUI ORDINIS PROCEDAT ET OPERETUR. Deus eſt Omnipotens, quia omnia poteſt ex Se, & omnes alii ex Ipſo; Ipſius Poſſe & Velle unum ſunt, & quia non Vult niſi quam Bonum, ideo non poteſt facere niſi quam Bonum; in Mundo ſpirituali nemo poteſt aliquid facere contra ſuam voluntatem, hoc trahunt ibi ex Deo, quod Ipſius poſſe & velle unum ſint: eſt etiam Deus ipſum Bonum, quare dum Bonum facit, in Se eſt, & egredi ex Se non poteſt; inde patet, quod Omnipotentia Ipſius progrediatur & operetur intra Sphæram extenſionis Boni, quæ infinita eſt; hæc enim ſphæra ab intimo implet Univerſum, & omnia & ſingula ibi, & ab intimo regit illa quæ extra ſunt, quantum hæc ſecundum ſuos ordines ſe conjungunt, & ſi non ſe conjungunt, uſque ſuſtinet illa, & omni conatu allaborat illa in ordinem concordem univerſali, in quo Ipſe Deus in Omnipotentia ſua eſt, & ſecundum quem agit, reducere, & ſi hoc non fit, rejiciuntur extra Ipſum, ubi nihilominus ſuſtinet illa ab intimo. Ex his conſtare poteſt, quod Omnipotentia Divina nequaquam poſſit a Se exire ad contactum alicujus mali, nec id promovere a Se, malum enim avertit ſe, inde fit quod malum ſit prorſus ſeparatum ab Ipſo, & conjectum in Infernum, inter quod & Cælum, ubi Ipſe eſt, ingens hiatus eſt. Ex his paucis videri poteſt, quantum delirant illi, qui cogitant, & plus qui credunt, & adhuc plus qui docent, quod Deus poſſit aliquem damnare, alicui maledicere, aliquem in Infernum conjicere, alicujus animam prædeſtinare ad mortem æternam, injurias ulciſci, iraſci, punire; imo nec poteſt avertere ſe ab homine, & illum dura fronte aſpicere; hæc & ſimilia ſunt contra Eſſentiam Ipſius, & contra hanc eſt contra Se Ipſum.

57. Opinio hodie regnans eſt, quod Omnipotentia Dei ſit qualis eſt abſoluta potentia Regis in Mundo, qui poteſt ex lubitu facere quicquid vult, abſolvere & condemnare quem vult, ſontem facere inſontem, infidelem declarare fidelem, indignum & immeritum evehere ſupra dignum & merentem, imo quod poſſit ſub quo-

quocunque prætextu ſubditis ſua bona eripere, tum adjudicare morti, præter ſimilia alia. Ex hac fatua opinione, fide & doctrina de Omnipotentia Divina, tot falſitates, fallaciæ, & chimeræ in Eccleſiam influxerunt, quot ſunt momenta, articulationes & generationes fidei ibi, & adhuc poſſunt influere, quot poſſunt urnæ impleri aquis e magno lacu, aut quot ſerpentes e cavernis ſuis ſubrepere, & in aprico ſolis jucundari in deſerto Arabiæ; quid opus eſt niſi duobus vocabulis, OMNIPOTENTIA & FIDES, & tunc coram vulgo ſpargere conjecturas, fabulas & nugas, quot in ſenſus corporis incidunt, ab utraque enim ejicitur ratio; at quid ejecta ratione cogitatio hominis præſtat rationi avis ſupra caput volantis; aut quid tunc Spirituale, quod homini eſt præ beſtiis, niſi qualis eſt nidor in beſtiaris, qui feris ibi congruit, & non homini niſi ſimilis ſit. Si extenſio Omnipotentiæ Divinæ æque foret ad faciendum malum ſicut bonum, quodnam diſcrimen inter Deum & diabolum foret, num aliud quam quale inter duos Monarchas, quorum unus eſt Rex & ſimul tyrannus, & alter Tyrannus, cujus poteſtas ligata eſt, unde non Rex dicendus eſt; aut inter Paſtorem, cui permiſſum eſt agere ovem & quoque pardum, & inter paſtorem cui hoc non permiſſum eſt. Quis non poteſt ſcire, quod Bonum & Malum ſint oppoſita, & quod ſi Deus ex Omnipotentia ſua poſſet unum & alterum velle, & ex velle facere, prorſus nihil poſſet, ita ei nulla potentia, minus Omnipotentia foret; eſſet hoc ſicut binæ rotæ in contrario verſu in ſe mutuo agerent, ex qua reactione utraque rota ſubſiſteret, & omnimode quieſcerent; aut ſicut Navis in torrente contra viam ejus agente, quæ niſi ſuper anchora quieſceret, abriperetur & periret: aut ſicut homo cui binæ voluntates inter ſe diſſentientes ſunt, quarum una dum agit, altera neceſſario quieſcet, at ſi utraque ſimul ageret, mentem ejus delirium aut vertigo invaderet.

58. Si Omnipotentia Dei foret ſecundum fidem hodiernam abſoluta tam ad bonum quam ad malum faciendum, numne poſſibile, imo facile foret Deo elevare totum Infernum in Cælum, & convertere diabolos & ſatanas in Angelos, & in terris unumquemvis impium momento purificare a peccatis, innovare, ſanctificare, regenerare, a filio iræ facere filium gratiæ, hoc eſt, juſtificare, quod fieret ſolum per addicationem & imputationem juſtitiæ Filii ſui; ſed Deus ex Omnipotentia ſua hoc non poteſt, quia eſt contra leges Ordinis ſui in Univerſo, & ſimul contra leges Ordinis cuivis homini indictas, quæ ſunt ut ſe mutuo ab utraque parte conjungant; quod ita ſit, in ſequentibus hujus Operis videbitur. Ex fatua illa opinione & fide de Omnipotentia Dei reſultaret, quod Deus unumquemvis hominem hircum poſſet convertere in hominem ovem, & ex beneplacito a ſiniſtro ad dextrum ſuum latus transferre; tum quod poſſet Spiritus draconis ex beneplacito transmutare in Angelos Michaelis, & quod poſſet hominem cujus intellectus eſt ſicut talpæ donare viſu aquilæ, verbo ex homine bubone facere hominem columbam, hæc Deus, quia eſt contra leges Ordines Ipſius nequit, tametſi continue hoc vult & conatur. Si talia potuiſſet; non permiſiſſet Adamo auſcultare ſerpenti, & fructum ex Arbore ſcientiæ boni & mali deſumere, & illum admovere ori; ſi illud potuiſſet, non permiſiſſet Caino occidere fratrem ſuum; Davidi numerare populum; Salomoni fana pro idolis exſtruere, ac Regibus Judæ & Iſraelis prophanare Templum, quod toties fecerunt; imo ſi illud potuiſſet, per Redemptionem Filii ſui Univerſum genus humanum nullo excepto ſalvaviſſet, & totum Infernum exſtirpaviſſet. Gentiles antiqui talem Omnipotentiam addixerunt diis & deabus ſuis, unde orta ſunt fabuloſa illorum, ut de Deucalione & Pyrrha, quod lapides jacti poſt tergum facti ſint homines; de Apolline quod Daphnem converterit in laurum; de Diana quod venatorem in cervam; & quod alius ex diis eorum virgines Parnaſſi verterit in picas. Similes fides de

Om-

Omnipotentia Divina eſt hodie, unde tot fanatica & inde hæretica in omni Regione, ubi Religio, in Mundum illata ſunt.

59. IV. QUOD DEUS OMNISCIUS SIT, HOC EST, PERCIPIAT, VIDEAT, ET SCIAT OMNIA ET SINGULA USQUE AD MINUTISSIMA, QUÆ FIUNT SECUNDUM ORDINEM, ET EX ILLIS ETIAM QUÆ FIUNT CONTRA ORDINEM. Quod Deus ſit Omniſcius, hoc eſt, percipiat, videat & ſciat omnia, eſt quia eſt ipſa Sapientia & ipſa Lux, & ipſa Sapientia percipit omnia, & ipſa Lux videt omnia; quod Deus ſit ipſa Sapientia, ſupra oſtenſum eſt, quod ſit ipſa Lux, eſt quia eſt Sol Cæli Angelici, qui omnium tam Angelorum quam hominum intellectum illuſtrat; nam ſicut oculus illuminatur a Luce Solis naturalis, ita intellectus illuminatur a Luce Solis Spiritualis; nec ſolum illuminatur, ſed etiam impletur intelligentia ſecundum amorem recipiendi illam, quoniam Lux hæc in ſua eſſentia eſt Sapientia; quare apud Davidem dicitur, QUOD DEUS IN LUCE INACCESSIBILI HABITET; inque Apocalypſi, *Quod in Nova Hieroſolyma non opus habeant lucerna, quia Dominus Deus illuſtrat illos:* & apud Johannem ,, *Quod Verbum, quod erat apud Deum, & erat Deus, ſit Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum*, per Verbum intelligitur Divina Sapientia. Inde eſt, quod Angeli, quantum in ſapientia ſunt, tantum in candore lucis ſint: & inde quoque eſt, quod in Verbo, ubi nominatur Lux, intelligatur ſapientia.

60. Quod Deus percipiat, videat, & ſciat omnia uſque ad minutiſſima, quæ ſecundum ordinem fiunt, eſt quia Ordo eſt Univerſalis ex ſingulariſſimis, nam ſingularia ſimul ſumta nuncupantur Univerſale, ſicut particularia ſimul ſumta Commune: Univerſale una cum ſingulariſſimis ſuis eſt Opus cohærens ut unum, adeo ut non queat unum tangi & affici, niſi aliquid ſenſus inde ad reliqua redundet. Ex hac qualitate ordinis in Univerſo eſt quod ſimile ſit in omnibus in Mundo creatis; ſed illuſtrabitur hoc per comparationes ex viſibilibus deſumendas; in toto homine ſunt communia & particularia, ac communia involvunt particularia ibi, & ſe concinnant per talem connexum, ut unum ſit alterius; hoc fit per quod commune involucrum ſit circum omne membrum ibi, & quod hoc inſinuet ſe in ſingulas partes inibi, ut unum in quolibet officio & uſu agant; pro exemplo, involucrum cujusvis muſculi intrat in ſingulas fibras motrices, & ex ſe amicit illas; ſimiliter involucrum hepatis, pancreatis & lienis in ſingula ſua quæ intus ſunt: ſimiliter involucrum pulmonis, quod pleura vocatur, in interiora ejus; & ſimiliter pericardium in omnia & ſingula cordis; & communiter peritonæum per anaſtomoſes cum involucris omnium viſcerum; ſimiliter Meninges Cerebri, hæ per fila a ſe excerpta in omnes ſubſtratas glandulas intrant, & per has in omnes fibras, & per has in omnia corporis; inde eſt, quod Caput ex Cerebris regat omnia & ſingula ſibi ſubdita. Hæc allata ſunt modo propter cauſam, ut ex viſibilibus formetur aliqua idea, quomodo Deus percipit, videt & ſcit omnia uſque ad minutiſſima quæ ſecundum ordinem fiunt.

61. Quod Deus ex illis quæ Ordinis ſunt, percipiat, ſciat, & videat omnia & ſingula uſque ad minutiſſima quæ contra Ordinem fiunt, eſt quia Deus non tenet hominem in malo, ſed detinet illum a malo, ita non ducit illum ſed luctatur cum illo; ex perpetua illa reluctatione, renitentia; reſiſtentia, repugnantia, & renactione mali & falſi contra ſuum Bonum & Verum, ita contra Se, percipit & quantum & quale illorum; hoc ſequitur ex Omnipræſentia Dei in omnibus & ſingulis ſui Ordinis, & ſimul ex Omniſcientia omnium & ſingulorum ibi; comparative ſicut cujus auris in harmonico & conſono eſt, exacte animadvetit disharmonicum & diſſonum quantum & qualiter diſcrepant dum intrat; ſimiliter cujus ſenſus in jucundo eſt dum injucundum interpolat; pariter cujus viſus in formoſo eſt, id exacte videt dum aliquod deforme a latere eſt, quare ſolenne eſt pictoribus faciem deformem juxta formoſam adponere; ſimile eſt cum bono & ve-

ro dum contra illa reluctant malum & falsum, quod hæc ex illis distincte percipiantur; omnis enim qui in bono est potest percipere malum, & qui in vero potest videre falsum, causa est quia bonum in calore cæli est, ac verum in luce ejus, at malum in frigore inferni est, & falsum in caligine ejus; quod illustrari potest per hoc, quod Angeli cæli possint videre quicquid peragitur in inferno, tum qualia monstra sunt; at vicissim spiritus Inferni ne hilum possunt videre quid peragitur in Cælo, & ne quidem Angelos, plus quam cæcus, aut plus quam oculus spectans in aerem aut ætherem nudum. Illi, quorum Intellectus in luce ex sapientia sunt, sunt similes illis, qui tempore meridiei super Monte stant, & omnia quæ infra sunt, perspicue vident; & qui in adhuc superiore luce sunt, comparative sunt sicut illi, qui per tubos opticos vident circumjacentia & inferiora tanquam præsentia; at illi qui in fatua luce Inferni ex confirmatione falsitatum sunt, similes sunt illis, qui in eodem Monte tempore noctis stant cum lucernis in manibus, & non vident nisi proxima, & ibi formas indistincte, & colores confuse. Homo qui in aliqua luce veri est, & tamen in malo vitæ, is dum in jucundo amoris sui mali est, non videt vera aliter in principio, quam sicut vespertilio lintea appensa in aliquo horto, ad quæ volat sicut ad sua azyla, & postea fit sicut noctua, & demum sicut bubo: & tunc fit sicut fuliginarius qui in furvo camini hæret, qui dum sursum elevat oculos, trans fumum videt cælum, & cum deorsum spectat, videt focum, e quo ille fumus.

62. Tenendum est, quod perceptio oppositorum alia sit quam perceptio relativorum; opposita enim sunt quæ extra sunt, & contra illa quæ intra; oppositum enim exoritur, dum unum prorsus definit esse aliquid, & alterum tunc exsurgit cum conatu agendi contra prius illud, sicut rota quæ agit contra rotam, & flumen contra flumen: Relativa autem sunt dispositionis plurium & multiplicium in ordinem ut conveniant & concordent, sicut lapides pretiosi diversorum colorum in fascia super pectore Reginæ, aut sicut flores diversicolores in serto ad procurandum amænitatem visus; sunt ergo relativa in utroque opposito, tam in bono quam in malo, & tam in vero quam in falso, ita tam in cælo quam in Inferno, sed relativa in inferno sunt omnia opposita relativis in cælo: Nunc quia Deus percipit & videt, & inde cognoscit omnia relativa in Cælo ex Ordine in quo Ipse est, & inde percipit, videt & cognoscit omnia opposita relativa in Inferno, ut ex supradictis sequitur, patet, quod Deus omniscius sit in Inferno sicut in cælo, similiter apud homines in Mundo; ita quod percipiat videat & cognoscat illorum mala & falsa ex bono & vero, in quibus Ipse est, & quæ in sua essentia sunt Ipse: dicit enim, *Si ascendero in Cælos, ibi Tu si sternam me in Inferno, ecce ibi Tu*, Psalm CXXXIX: 8. & alibi „ *Si perfoderint in Infernum, inde manus mea recipiet eos*, Amos IX: 2. 3.

63. V Quod Deus omnipræsens sit a primis ad ultima sui ordinis. Quod Deus omnipræsens sit a primis ad ultima sui Ordinis, est per Calorem & Lucem e Sole Mundi Spiritualis, in cujus medio est, per hunc Solem factus est Ordo, & ex illo emittit calorem & lucem, quæ perquadunt Universum a primis ad ultima ejus, ac producunt vitam, quæ est homini, & cuivis animali, & quoque animam vegetativam, quæ est cuivis germini super Tellure, & illa duo influunt in omnia & singula, & faciunt ut unumquodvis subjectum vivat & crescat secundum Ordinem illis a creatione inditum; & quia Deus non est extensus, & usque implet omnia extensa Universi, omnipræsens est; quod Deus in omni spatio sit absque spatio, & in omni tempore absque tempore, & quod inde Universum quoad essentiam & ordinem sit plenitudo Dei, alibi ostensum est, & quia ita est, per omnipræsentiam percipit omnia, per Omniscientiam providet omnia, & per Omnipotentiam operatur omnia; unde patet, quod Omnipræsentia, Omniscientia & Omnipotentia unum faciant, seu quod una ponat alteram, & sic quod separari nequeant.

64. Om-

64, Omnipræſentia Divina illuſtrari poteſt per mirabilem præſentiam Angelorum & Spirituum in Mundo Spirituali, in hoc Mundo quia non eſt ſpatium, ſed modo apparentia ſpatii, poteſt angelus ſeu ſpiritus momento præſens ſiſti alteri, modo in ſimilem affectionem amoris & inde cogitationem veniat, nam hæc duo faciunt apparentiam ſpatii; quod talis præſentia omnium ibi ſit, patuit mihi ex eo, quod videre potuerim Africanos & Indos ibi in propinquo, tametſi tot miliaribus diſtant in Tellure; imo quod potuerim præſens ſiſti illis qui in Planetis hujus Mundi ſunt, & quoque illis, qui in Planetis in aliis Mundis extra Solarem hunc ſunt: propter talem præſentiam non loci ſed apparentiæ loci, loquutus ſum cum Apoſtolis, cumque defunctis Papis, Imperatoribus & Regibus, cum Eccleſiæ hodiernæ inſtauratoribus, Luthero, Calvino, & Melanchtone, cumque aliis ex diſſitis regionibus; quando talis præſentia Angelis & Spiritibus eſt, quid non præſentia Divina in univerſo, quæ infinita eſt. Cauſa quod Angelis & ſpiritibus talis præſentia ſit, eſt cauſa, quia omnis affectio amoris & inde cogitatio intellectus eſt in ſpatio abſque ſpatio, & in tempore abſque tempore, poteſt enim quis cogitare de fratre, affini aut amico, qui in Indiis eſt, & tunc habere illum ſicut præſentem apud ſe; ſimiliter poteſt affici illorum amore ex recordatione. Per hæc, quia cognita homini, poteſt Omnipræſentia Divina quodammodo illuſtrari; tum etiam per cogitationes humanas, quod cum aliquis in memoriam revocat quæ in peregrinatione vidit in variis locis, quod ſit in illis tanquam præſentibus. Imo viſus corporis æmulatur eandem illam præſentiam, ille diſtantia non animadvertit, niſi quam per intermedia, quæ ſicut menſurant; ipſe Sol prope oculum, imo ſicut in oculo foret, niſi intermedia detegerent quod tam diſtans ſit; quod ita ſit, Scriptores optices in Libris ſuis etiam obſervarunt. Talis præſentia eſt utrique viſui tam intellectuali quam corporeo hominis, quia ſpiritus ejus videt per oculos ejus, at ſimilis non eſt ulli beſtiæ, quia illis non eſt aliquis viſus ſpiritualis. Ex his conſtare poteſt, quod Deus Omnipræſens ſit a Primis ad Ultima ſui Ordinis; quod etiam ſit Omnipræſens in Inferno, in priori Articulo oſtenſum eſt.

65. VI. QUOD HOMO CREATUS SIT FORMA DIVINI ORDINIS. Quod homo creatus ſit forma Divini Ordinis, eſt quia creatus eſt imago & ſimilitudo Dei, & quia Deus eſt ipſe Ordo, creatus eſt imago & ſimilitudo ordinis. Sunt duo ex quibus Ordo exſtitit, & per quæ ſubſiſtit, Divinus Amor & Divina Sapientia, & homo creatus eſt receptaculum eorum, quare etiam creatus eſt in ordinem, ſecundum quem illa duo agunt in Univerſo, & principaliter ſecundum quem agunt in Cælo angelico, inde totum illud Cælum eſt in maxima effigie forma Divini Ordinis, & Cælum illud in conſpectu Dei eſt ſicut unus Homo; & quoque eſt plenaria correſpondentia inter Cælum illud & hominem; non enim datur in Cælo aliqua Societas, quæ non correſpondet alicui membro, viſceri aut organo in homine; quare dicitur in Cælo, quod hæc Societas ſit vel in provincia Hepatis, vel Pancreatis, vel Lienis, vel Ventriculi, vel Oculi, vel Auris, vel Linguæ, & ſic porro; ipſi Angeli etiam ſciunt in qua ditione alicujus Partis hominis habitant: quod ita ſit, ad vivum mihi ſcire datum eſt; vidi Societatem ex aliquot millibus Angelorum conſtantem ut unum hominem; ex quo patuit, quod Cælum in complexu ſit imago Dei, & imago Dei eſt forma Divini Ordinis.

66. Sciendum eſt, quod omnia, quæ procedunt ex Sole Mundi ſpiritualis, in cujus medio eſt Jehovah Deus, referant hominem, & quod inde quæcumque in illo Mundo exiſtunt, conſpirent ad formam humanam, & illam in intimis ſuis ſiſtant, unde omnia objecta, quæ ſiſtuntur oculis ibi, ſunt repræſentativa hominis: apparent ibi omnis generis Animalia, & hæc ſunt Similitudines affectionum amoris & inde cogitationum angelorum; pariter arboreta, floreta & vire-

ta ibi; & datum eſt ſcire, quam affectionem hoc & illud objectum repræſentat: &, quod mirabile eſt, quando illis aperitur viſus intimus, cognoſcunt ſuam imaginem in illis; & hoc fit, quia omnis homo eſt ſuus amor & inde ſua cogitatio; & quia affectiones & inde cogitationes apud unumquemvis hominem ſunt variæ & multiplices, & aliquæ illarum referunt hujus animalis affectionem, & aliquæ alterius, ideo ſiſtuntur affectionum illorum imagines ita; ſed de his plura videbuntur in Membro ſequente de Creatione. Ex his etiam patet veritas, quod finis creationis fuerit Cælum Angelicum ex Humano Genere, conſequenter Homo, in quo Deus ut in ſuo Receptaculo poſſet habitare: inde eſt cauſa, quod homo creatus ſit forma Divini Ordinis.

67. Deus ante Creationem fuit ipſe Amor & ipſa Sapientia, & hæc duo in conatu faciendi uſus, nam Amor & Sapientia abſque uſu ſunt modo volatilia rationis, & quoque evolant, niſi in uſum ſe conferant; ſunt quoque priora duo ſeparata a tertio ſicut aves, quæ ſuper magno Oceano volant, & tandem laſſæ volatu decidunt, & ſubmerguntur: inde conſtat, quod Univerſum a Deo creatum ſit, ut exiſtant uſus, quare etiam Univerſum vocari poteſt Theatrum uſuum; & quia homo eſt principalis finis creationis, ſequitur quod omnia & ſingula creata ſint propter hominem, & inde quod omnia & ſingula ordinis in illum collata ſint, & in illo concentrata, ut Deus per illum uſus primarios faciat. Amor & Sapientia abſque tertio ſuo, quod eſt Uſus, æquiparari poſſunt calori & luci ſolis, quæ niſi operarentur in homines, animalia & vegetabilia, forent res inanes, at fiunt reales per influxum in illa, & per operationem in illis. Sunt etiam tria, quæ in ordine conſequuntur, Finis, Cauſa & Effectus, & ſcitur in Literato Orbe, quod finis non ſit aliquid niſi ſpectet cauſam efficientem, & quod finis & hæc cauſa non ſint aliquid, niſi fiat effectus; poſſunt quidem finis & cauſa abſtracte in Mente volvi, ſed uſque propter aliquem effectum, quem finis intendit, & cauſa procurat; ſimile eſt cum amore, ſapientia, & uſu, & uſus eſt quem amor intendit, & per cauſam producit, & cum uſus eſt productus, amor & ſapientia realiter exiſtunt, & in illo habitationem & ſedem ſibi faciunt, & ſicut in ſua domo requieſcunt; ſimile eſt cum homine, in quo amor & ſapientia Dei ſunt, dum uſus facit; ac ut uſus Dei faciat, creatus eſt imago & ſimilitudo, hoc eſt, forma Divini Ordinis.

68. VII. QUOD HOMO TANTUM IN POTENTIA CONTRA MALUM ET FALSUM EX DIVINA OMNIPOTENTIA SIT, QUODQUE TANTUM IN SAPIENTIA DE BONO ET VERO EX DIVINA OMNISCIENTIA SIT, ET QUOD TANTUM IN DEO EX DIVINA OMNIPRÆSENTIA SIT, QUANTUM SECUNDUM DIVINUM ORDINEM VIVIT. Quod homo tantum in potentia contra mala & falſa ex Divina Omnipotentia ſit, quantum ſecundum Divinum Ordinem vivit, eſt cauſa, quia nemo poteſt reſiſtere malis & inde falſis, quam Solus Deus; omnia enim mala & inde falſa ſunt ex Inferno, & in Inferno cohærent ſicut unum, prorſus ſicut omnia bona & inde vera in Cælo; nam ut ſupra dictum eſt, totum Cælum coram Deo eſt ſicut unus Homo, ac viciſſim Infernum ſicut unus Gigas qui Monſtrum, quare agere contra unum malum & inde falſum eſt contra monſtroſum illum Gigantem ſeu Infernum, & hoc nemo poteſt niſi Deus quia eſt Omnipotens; ex his patet, quod homo niſi adeat Deum Omnipotentem, contra malum & inde falſum ex ſe non plus valeat, quam piſcis contra Oceanum, quam pulex contra balænam, & quam pulvis contra montem cadentem, & multo minus quam locuſta contra elephantem, aut muſca contra camelum: & inſuper homo adhuc minus contra malum & inde falſum valet, quia natus eſt in malum, & malum contra ſeipſum non poteſt agere. Ex his ſequitur, quod niſi homo ſecundum Ordinem vivit, hoc eſt, niſi agnoſcit Deum, Ipſius Omnipotentiam, & ex hac tutelam contra Infernum, tum niſi homo a ſua parte etiam pugnet cum malo apud ſe, nam hoc una cum illo eſt or-

ordinis, non poſſit aliter quam imergi inferno & ſubmergi, & ibi agi a malis, uno poſt alterum, ſicut cymba in mari a procellis.

69. Quod homo tantum in ſapientia de bono & vero ex Divina Omniſcientia ſit, quantum ſecundum Divinum ordinem vivit, eſt cauſa, quia omnis amor boni & omnis ſapientia veri, ſeu omne bonum amoris & omne verum ſapientiæ, eſt a Deo; quod ita ſit, etiam eſt ſecundum confeſſionem omnium Eccleſiarum in Chriſtiano Orbe; ex quibus ſequitur, quod homo non poſſit in ullo vero ſapientiæ interius eſſe, niſi a Deo, quia Deo Omniſcientia eſt, hoc eſt, infinita ſapientia. Mens humana diſtincta eſt in tres gradus, quemadmodum Cælum Angelicum, & inde poteſt in ſuperiorem & ſuperiorem gradum elevari, & quoque poteſt in inferiorem & inferiorem deferri, quantum autem in gradus ſuperiores elevatur, tantum in ſapientiam, quia tantum in lucem Cæli, & hoc non poteſt fieri niſi a Deo; & quantum illuc elevatur, tantum eſt homo, at quantum in gradus inferiores defertur, tantum in lucem fatuam inferni, & tantum non eſt homo ſed beſtia; homo etiam ideo ſtat erectus ſuper pedibus, & facie ſpectat verſus cælum, & hanc poteſt elevare ad zenith, at beſtia ideo ſtat ſuper pedibus in ſitu paralelo cum terra, ac toto vultu illuc ſpectat, nec poteſt niſi cum ægritudine illum extollere ad cælum. Homo, qui ad Deum elevat mentem ſuam, & agnoſcit quod omne verum ſapientiæ ab Ipſo ſit, & ſimul ſecundum ordinem vivit, eſt ſicut qui in excelſa turri ſtat, & videt populoſam civitatem infra ſe, & ſimul quicquid ibi in plateis agitur; at homo, qui confirmat apud ſe, quod omne verum ſapientiæ ſit ex naturali lumine apud ſe, ita a ſe, eſt ſicut qui in caverna ſub illa turri moratur, & per foramina ibi ad eandem urbem ſpectat, is non niſi quam parietem unius domus in illa urbe videt, & quomodo lateres ibi cohærent. Porro homo, qui ſapientiam haurit ex Deo, eſt ſicut avis volans in alto, & circumſpicit omnia que in hortis, ſylvis & villis ſunt, & advolat ad illa quæ ejus uſus ſunt; at homo qui talia quæ ſapientiæ ſunt haurit ex ſe, abſque fide quod illa uſque ſint a Deo, eſt ſicut crabro, qui volat juxta humum, & ubi videt ſterquilinium, involat, & in ejus nidore ſe jucundat. Omnis homo, quamdiu vivit in Mundo, ambulat in medio inter Cælum & Infernum, & inde eſt in æquilibrio, & ſic in libero arbitrio ſpectandi ſurſum ad Deum aut deorſum ad infernum; ſi ſpectat ſurſum ad Deum, agnoſcit quod omnis ſapientia a Deo ſit, & is quoad ſpiritum ſuum actualiter cum Angelis in Cælo eſt; at qui deorſum ſpectat, quod facit omnis ille qui in falſis ex malo eſt, is quoad ſpiritum ſuum actualiter cum diabolis in Inferno eſt.

70. Quod homo tantum in Deo ex Divina Omnipræſentia ſit, quantum ſecundum ordinem vivit, eſt quia Deus Omnipræſens eſt, & quia ubi in Divino ſuo ordine eſt, ibi eſt ſicut in Se, quia Ipſe eſt Ordo, ut ſupra oſtenſum eſt: nunc quia homo creatus eſt forma Divini Ordinis, eſt Deus in illo; verum quantum homo vivit ſecundum Divinum Ordinem plene; at ſi non vivit ſecundum Divinum Ordinem, eſt uſque Deus in illo, ſed in ſupremis ejus, ac dat ut poſſit intelligere verum & velle bonum, hoc eſt, dat ei facultatem ad intelligendum & inclinationem ad amandum; at quantum homo contra ordinem vivit, tantum occludit inferiora mentis ſeu ſpiritus ſui, & ſic inhibet ne Deus deſcendat, ac impleat inferiora ejus præſentia ſua, inde eſt Deus in illo, ſed ille non in Deo: communis canon eſt in Cælo, quod Deus ſit in omni homine tam malo quam bono, ſed quod homo non ſit in Deo, niſi vivat ſecundum ordinem; Dominus enim dicit, *quod velit ut homo ſit in Ipſo, & Ipſe in homine*, Joh. XV: 4. Quod homo per vitam ſecundum ordinem ſit in Deo, eſt quia Deus omnipræſens eſt in Univerſo inque omnibus & ſingulis ejus, in intimis illorum, hæc enim ſunt in ordine, at in illis quæ ſunt contra ordinem, quæ ſolum ſunt illa quæ extra intima ſunt, Deus eſt Omnipræſens per continuam luctationem cum illis, & per continuum

niſum redigendi in ordinem; quamobrem quantum homo ſinit ſe redigi in ordinem, tantum Deus in toto ejus omnipræſens eſt, conſequenter tantum eſt Deus in illo, & ille in Deo. Abſentia Dei ab homine non plus dabilis eſt, quam abſentia Solis per calorem & lurem a tellure; at hujus objecta non ſunt in virtute ejus, niſi quantum recipiunt illa duo procedentia ab illo Sole, quod fit tempore veris & æſtatis: hæc ita applicari poſſunt Dei Omnipræſentiæ, quod homo tantum ſit in calore ſpirituali & ſimul in luce ſpirituali, hoc eſt, in bono amoris & in veris ſapientiæ, quantum in ordine eſt; ſed calor & lux ſpiritualis, non ſunt ſicut calor & lux naturalis, nam calor naturalis recedit a Tellure & ejus objectis temporibus hyemis, & lux recedit temporibus noctis, & hoc fit quia Tellus per circum rotationes & circumlationes ſuas facit illa tempora; ſed calor ſpiritualis & lux ſpiritualis non ita, Deus enim per ſuum Solem præſens cum utroque eſt, & non vices agit, ſicut apparenter Sol mundi; ipſe homo ſe avertit comparative ſicut Tellus a ſuo Sole, & cum ſe avertit a veris ſapientiæ, eſt ſicut tellus a ſuo Sole temporibus noctis, & cum homo ſe avertit a bonis amoris, eſt ſicut tellus a ſuo Sole temporibus hyemis; talis correſpondentia eſt inter effectus & uſus e Sole Mundi ſpiritualis, & inter effectus & uſus e Sole Mundi naturalis.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁

71. His adjicientur tria MEMORABILIA, PRIMUM hoc: Quondam audivi ſub me ſicut ſtrepitum maris, & quæſivi quid hoc, & dixit mihi quidam, quod eſſet tumultus inter Congregatos in Terra inferiore, quæ proxime eſt ſuper Inferno; & mox hiabat humus, quæ faciebat tectum ſuper illos, & ecce per hiatum evolabant in catervis aves noctis, quæ ſe diffundebant ad ſiniſtrum; & ſtatim poſt illos exſurgebant locuſtæ, quæ ſuper gramine humi ſaliebant, & ubivis fecerunt deſertum, & poſt paulo alternis vicibus ex nocturnis illis avibus audiebam ſicut ululatus, & ad latus, clamorem inconditum ſicut ex ſpectris in ſylvis. Poſt hæc vidi aves pulchras e Cælo, quæ ſe effundebant ad dextrum, aves illæ inſignitæ fuerunt alis ſicut aureis, cum interſperſis ſtriis & guttis ſicut argenteis, & ſuper quarundam capitibus erant criſtæ in forma coronarum. Hæc cum vidi & miratus, ſubito ex Terra inferiore, ubi tumultus ille erat, ſe extulit ſpiritus, qui ſe in Angelum lucis efformare potuit, & clamabat, ubi ille, qui de Ordine, cui Deus Omnipotens ſe quoad hominem adſtrinxit, loquitur & ſcribit, hæc trans tectum infra audivimus; ille dum ſupra Terram illam erat, percurrit viam ſtratam, & tandem ad me venit, & ſtatim finxit ſe Angelum Cæli, & loquens tono non proprio dixit; es tu, qui de Ordine cogitas & loqueris, dic mihi in ſumma quid ordo, & aliqua quæ ordinis ſunt; & reſpondi, dicam tibi ſummaria, ſed non particularia, quia hæc non capis, & dixi. I. Quod Deus ſit Ipſe ordo. II. Quod Hominem ex Ordine, in Ordine & in Ordinem creaverit. III. Quod Mentem ejus rationalem creaverit ſecundum Ordinem totius Mundi ſpiritualis, & Corpus ejus ſecundum Ordinem totius Mundi naturalis, quapropter Homo ab Antiquis vocatus eſt MicroUranos & Microcoſmus. IV. Quod inde Lex ordinis ſit, ut homo ex ſuo MicroUrano ſeu Mundulo ſpirituali recturus ſit ſuum Microcoſmum ſeu Mundulum naturalem; ſicut Deus ex ſuo MacroUrano ſeu Mundo ſpirituali regit Macrocoſmum ſeu Mundum naturalem in omnibus & ſingulis ejus. V. Quod Lex ordinis inde ſequens ſit, quod oporteat hominem ſe introducere in fidem per veritates ex Verbo, & in charitatem per bona opera, & ſic ſe reformare & regenerare. VI. Quod Lex ordinis ſit, quod homo ſuamet opera & potentia ſe a peccatis purificet, ac non ſtet in fide impotentiæ, & exſpectet, ut Deus immediate ejus peccata abſtergat. VII. Lex Ordinis etiam eſt, ut Homo Deum ex tota ſua anima & ex toto ſuo corde amet, & proximum ut

ſeip-

ſeipſum, & non moretur & exſpectet, ut uterque ille amor in mentem & cor ejus, ſicut panis e piſtore in os, a Deo immediate inferatur; præter ſimilia plura. His auditis Satanas ille blanda voce, in qua intus erat aſtus, regeſſit, quid hoc quod dicis, quod homo ſe ex ſua potentia introducturus ſit in ordinem per facere illas ejus leges, numne ſcis quod homo non ſub lege ſit, ſed ſub gratia, quod omnia gratis donentur, & quod non poſſit ſibi quicquam ſumere niſi ei datum ſit e Cælo, & quod in ſpiritualibus non poſſit ex ſe, plus agere quam ſtatua uxor Lothi, aut non plus quam idolum Philiſthæorum in Ekrone, Dagon, & inde quod homini impoſſibile ſit ſe juſtificare, quod fiet per Fidem & Charitatem; ſed ad hæc ſolum hoc reſpondi, Lex ordinis etiam eſt, ut homo ſua opera & potentia ſibi comparaturus ſit fidem per veritates ex Verbo, & tamen credet, quod non granum fidei ſit a ſemet, ſed a Deo, tum etiam, quod homo ſua opera & potentia ſe juſtificaturus ſit, ſed tamen credet, quod ne quidem punctum juſtificationis ſit a ſemet, ſed a Deo: nonne mandatum eſt, quod homo crediturus ſit in Deum, & amaturus Deum omnibus ſuis viribus, & proximum ut ſeipſum, cogita & dic, quomodo hæc potuerunt a Deo mandari, ſi homini nulla potentia obediendi & faciendi foret. His auditis Sananas ille mutatus eſt quoad faciem, quæ a candida primum facta eſt lurida, & mox atra, & ex hujus ore loquutus dixit, loquutus es paradoxa contra paradoxa; & illico tunc ſubſidit ad ſuos, & evanuit; ac aves a ſiniſtris una cum ſpectris ediderunt ſonos inſolitos, & ſe in mare, quod ibi vocatur mare Suph, conjecerunt, & locuſtæ ſequebantur illos ſaltibus, & mundatus eſt aer, & mundata eſt terra a feris illis, ac tumultus infra ceſſavit, & factum eſt tranquillum & ſerenum.

72. Secundum Memorabile, Quondam audivi inſolens murmur e longinquo, & ego in ſpiritu ſequutus ſum tramitem ſoni, & acceſſi, quum ad principium ejus veni, ecce erat Cohors ſpirituum ratiocinantium de Imputatione & Prædestinatione, erant Batavi & Britanni, & aliqui ex aliis Regnis intermixti, & hi in fine ſingularum rationum clamaverunt, *Miramur*, *Miramur*; diſceptatio fuit, cur Deus non omnibus & ſingulis a ſe creatis, & poſtea ut redemptis imputat meritum & juſtitiam Filii ſui, eſtne Omnipotens; poteſtne ſi vult Luciferum, Draconem, & omnes Hircos facere Archangelos, eſtne Omnipotens; cur permittit ut injuſtitia ac impietas diaboli triumphet ſuper juſtitiam Filii ſui, & ſuper pietatem cultorum Dei, quid facilius Deo eſt, quam omnes dignari fide & ſic ſalute, quid opus niſi verbulo ad hoc; & ſi non, facitne contra verba ſua, quæ ſunt, quod velit omnium ſalutem, & nullius mortem; dicite itaque, a quo & in quo ergo eſt cauſa damnationis illorum qui pereunt. Et tunc quidam Prædeſtinatianus Supralapſarius ex Batavis dixit; eſtne hoc in beneplacito Omnipotentis, num argilla increpatura eſt figulum, quod ex ſe teſtam lotii faciat; & alius dixit, ſalus cujuſvis in manu Ipſius eſt ſicut bilanx in manu ponderantis. Steterunt ad latera aliqui ſimplices fide & recti corde, quidam oculis inflammati, quidam ſicut ſtupefacti, quidam ſicut inebriati, & quidam ſicut ſuffocati, muſſitantes inter ſe, quid nobis cum illis deliriis, fides illorum infatuavit illos, quæ eſt quod Deus Pater imputet juſtitiam Filii ſui cui vult & quando vult, & mittat Spiritum Sanctum ad operandum juſtitiæ iſtius auctoramenta; & ne homo ſibi granum vindicet in ſalutis ſuæ miniſterio, erit omnino ſicut lapis in juſtificationis negotio, & ſicut ſtipes in ſpiritualibus: & tunc quidam ex illis intruſit ſe in Cohortem, & loquutus alte dixit; o dementes, ratiocinatio veſtra eſt de lana caprina; neſcitis plane, quod Deus Omnipotens ſit ipſe Ordo, & quod leges Ordinis ſint myriades, quot nimirum Veritatis in Verbo, & quod contra illas non poſſit facere, quia facere contra illas, foret contra Seipſum, & ſic non modo contra Juſtitiam ſed etiam contra Omnipotentiam ſuam; & vidit e longinquo ad dextrum ſicut ovem & agnum, & volantem columbam, & ad ſiniſtrum ſicut hircum, lupum & vulturem, & dixit, creditis quod

Deus ex Omnipotentia ſua poſſit convertere hircum illum in ovem, vel lupum illum in agnum, vel vulturem illum in columbam, aut viciſſim, minime, eſt enim contra leges ordinis Ipſius, e quibus ne quidem apex poteſt cadere in terram, ſecundum Ipſius verba, quomodo tunc poteſt juſtitiam redemptionis Filii ſui inferre in aliquem refractarium contra leges juſtitiæ Ipſius, quomodo poteſt ipſa Juſtitia injuſtitiam facere, & aliquem prædeſtinare ad infernum, & conjicere in ignem, ad quem diabolus cum facibus in manu ſtat & fomentat; o dementes, vacui ſpiritu, fides veſtra ſeduxit vos, eſtne illa in manibus veſtris ſicut laqueus ad captandum columbas; his auditis, quidam Magus ex fide illa fecit ſicut laqueum, & appendit in arbore, dicens, videbitis quod captaturus ſim columbam illam, & mox advolavit accipiter, ac collum inſertavit laqueo, & pependit, & columba viſo accipitre prætervolavit; adſtantes mirati ſunt, & clamaverunt, hic ludus uſque eſt auctoramentum juſtitiæ.

73. Poſtridie ad me venerunt aliqui, ex Cohorte, qui in Fide prædeſtinata & imputata erant, & dixerunt, ſumus ſicut temulenti, non ex vino, ſed ex ſermone heſterno iſtius viri, loquutus eſt de Omnipotentia & ſimul de Ordine, & concluſit quod ſicut Omnipotentia eſt Divina, ita etiam Ordo ſit Divinus, imo quod ipſe Deus ſit Ordo, & dixit quod totidem ſint leges Ordinis, quot veritates in Verbo, quæ non modo chiliades ſunt, ſed myriades myriadum, & quod Deus obſtrictus ſit ad ſuas leges ibi, & quod homo ad ſuas; quid tunc Omnipotentia Divina, ſi ligata eſt legibus, ſic etenim ab Omnipotentia omne abſolutum recedit, eſtne ſic Deo minor poteſtas quam Regi Mundi qui eſt Monarcha, hic poteſt leges juſtitiæ vertere ſicut ſuas palmas, ac agere abſolute ſicut Octavius Auguſtus, & quoque abſolute ſicut Nero; nos poſtquam cogitavimus de Omnipotentia ad leges ligata, tanquam temulenti facti ſumus, ac proni ad deliquium, ſi non ſubito medela affertur; nos enim ex fide noſtra oravimus, ut Deus Pater noſtri miſereatur propter Filium ſuum, & credidimus quod miſereri poſſit cujus lubet, ac remittere peccata cui placet, ac ſalvare quem vult, & non auſi ſumus aliquod minimum ſubtrahere ex Omnipotentia Ipſius, quare obſtringere Deum aliquarum ſuarum legum catenis aſpicimus ut nefas, quia ut contradictorium Omnipotentiæ Ipſius. His dictis inſpexerunt me, & ego illos, & vidi attonitos, & dixi, ſupplicabo ad Dominum, & afferam inde medelam, illuſtrando hanc rem, ſed nunc duntaxat per exempla, & dixi; Deus Omnipotens cravit Mundum ex Ordine in ſe, ita in Ordinem in quo ſit, ac ſecundum quem regat, ac indidit Univerſo & omnibus & ſingulis ejus ſuum ordinem, homini ſuum, beſtiæ ſuum, avi & piſci ſuum, vermi ſuum, cuivis arbori, imo gramini ſuum; ſed ut exempla illuſtrent, breviter adducam ſequentia; leges Ordinis homini indictæ ſunt, ut homo acquirat ſibi veritates ex Verbo, ac naturaliter, & quantum valet, rationaliter cogitet illas, & ſic fidem naturalem ſibi comparet; leges Ordinis tunc a parte Dei ſunt, quod appropinquet, impleat veritates Divina ſua luce, & ſic fidem ejus naturalem, quæ modo eſt ſcientia & perſuaſio, Divina eſſentia, ſic & non aliter fit fides ſalvifica; ſimile eſt cum charitate; ſed breviter recenſebimus aliqua; Deus non poteſt ſecundum ſuas leges alicui homini remittere peccata, niſi quantum homo ſecundum ſuas leges deſiſtit ab illis, Deus non poteſt ſpiritualiter regenerare hominem, niſi quantum homo ſecundum ſuas leges ſe naturaliter regenerat; Deus in perpetuo conatu eſt regenerandi & ſic ſalvandi hominem, ſed hoc non poteſt efficere niſi ſicut homo parat ſe receptaculum, & ſic applanat Deo viam, & aperit januam; non poteſt ſponſus intrare thalamum virginis non deſponſatæ, hæc occludit januam, & clavem intus apud ſe cuſtodit, ſed poſtquam virgo ſponſa facta eſt, dat clavem ſponſo. Deus non potuit ex ſua Omnipotentia redimere homines, niſi Homo factus ſit nec potuit; Humanum ſuum Divinum facere, niſi Humanum Ipſius primum eſſet ſicut Humanum infantis, & poſtea ſicut Humanum pueri, &

niſi

niſi Humanum poſtea formaret ſe in receptaculnm & habitaculum in quod Pater Ipſius intraret, quod factum eſt per quod impleverit omnia Verbi, hoc eſt, omnes leges ordinis ibi, & quantum hoc perfecit, tantum Se univit Patri, & Se Pater Ipſi. Sed hæc ſunt pauca, illuſtrationis cauſa adducta, ut videatis, quod Omnipotentia Divina ſit in ordine, ac regimen Ipſius, quod vocatur Providentia, ſit ſecundum Ordinem, & quod agat continue & in æternum ſecundum leges Ordinis ſui, & quod contra illas nequeat, nec illas quoad apicem mutare, quia Ordo cum omnibus ejus legibus eſt Ipſe. His dictis ſplendor lucis in colore aureo per tectum influxit, & cherubos volantes formavit in aere, & rutilum inde illuſtravit quorandam tempora a parte occipitii, ſed nondum a parte frontiſpicii, murmurabant enim, ignoramus adhuc quid Omnipotentia; & dixi, revelabitur illa, poſtquam hactenus dicta apud vos aliquam lucem fænerata ſunt.

74. Tertium Memorabile. Vidi e longinquo plures congregatos cum pileis ſuper capitibus, quoſdam cum pileis circumcinctis ſerico, qui ex Ordine Eccleſiaſtico erant, quoſdam cum pileis quorum limbos ornabant faſciæ aureæ, qui ex Ordine Civili erant, omnes hi docti & eruditi; & inſuper vidi quoſdam cum tiaris, qui erant indocti; acceſſi, & audivi illos inter ſe loquentes de Divina Potentia illimitata, & quod ſi illa progrederetur ſecundum aliquas leges quæ factæ ſunt ordinis, non illimitata ſed limitata foret, & ſic potentia & non Omnipotentia; at quis non videt, quod non aliqua neceſſitas legis poſſit Omnipotentiam adigere ad faciendum ita & non aliter; certe, dum cogitamus de Omnipotentia & ſimul de legibus Ordinis, ſecundum quas obligatur progredi, cadunt ideæ noſtræ præceptæ de Omnipotentia ſicut manus fracto ſcipione. Illi cum me viderunt prope ſe, accurrerunt aliqui, & in quadam vehementia dixerunt; es tu qui circumſcripſiſti Deum legibus ſicut vinculis, hoc quam petulans eſt; ſic etiam diſcerpſiſti fidem noſtram, ſuper qua fundatur ſalus noſtra, in cujus medio ponimus juſtitiam Redemptoris, ſuper illa Omnipotentiam Dei Patris, & appendicem facimus operationem Spiritus Sancti, & efficaciam ejus in hominis abſoluta impotentia in ſpiritualibus, cui ſatis eſt loqui de plenitudine juſtificationis, quæ ex Omnipotentia Dei ineſt fidei iſti; ſed audivi, quod tu inanitatem in illa videas, quia nihil ordinis Divini ab homine in illa. His auditis aperui os, & alta voce loquens dixi, diſcite leges Ordinis Divini, & poſtea aperite illam fidem, & videbitis vaſtam ſolitudinem, & in hac Leviathanem tortuoſum & oblongum, & circum circa illam, retia circum voluta ſicut in nodum inexplicabilia, ſed facite ſicut legitur de Alexandro, cum vidit Nodum Gorgium, quod nudaverit enſem, & biſſecuerit illum, & ſic contortus ejus diſſolverit, & projecerit in terram, & calceo fila ejus contriverit. Ad hæc dicta congregati mordebant linguas, volentes acuere illas in dicteria, ſed non auſi ſunt, quia videbant ſuper me Cælum apertum, & audiebant vocem inde, auſcultate primum cum moderamine, quid Ordo, ſecundum cujus leges Deus Omnipotens agit; Deus a Se ut Ordine, in ordine, ad ordinem, creavit Univerſum; ſimiliter hominem in quo leges ordinis ſui ſtabilivit, ex quibus imago & ſimilitudo Dei factus eſt, quæ in ſumma ſunt, ut credat in Deum, & amet proximum, & quantum illa duo ex naturali potentia facit, tantum ſe receptaculum Divinæ Omnipotentiæ facit, & tantum Deus conjungit Se illi, & illum Sibi, inde ejus fides fit viva & ſalvifica, & ejus facere fit charitas, etiam viva & ſalvifica: at ſciendum eſt, quod Deus perpetuo adſit, & continue conetur & agat in homine, & quoque tangat liberum ejus arbitrium, ſed nuſquam violet, ſi enim liberum arbitrium hominis violaret, periret habitatio hominis in Deo, & foret Solius Dei in homine, & hæc habitatio eſt in omnibus tam qui in terris ſunt, quam qui in cælis, & quoque in illis qui in infernis, inde enim eſt poſſe, velle, & intelligere illorum; ſed non eſt habitatio reciproca hominis in Deo, niſi apud illos qui vivunt ſecundum leges ordinis in Verbo latas, & hi fiunt imagines & ſimilitudines Ipſius, & his datur paradiſus in poſſeſ-

ſeſſionem, & fructus arboris vitæ in cibum; at reliqui congregant ſe circum arborem ſcientiæ boni & mali, & colloquuntur cum Serpente ibi, & comedunt, at poſtea expelluntur Paradiſo; attamen illos Deus non relinquit, ſed illi relinquunt Deum. Hæc illi in pileis intellexerunt, & approbaverunt, at illi in tiaris negaverunt, & dixerunt, numne ſic Omnipotentia eſt limitata, ac Omnipotentia limitata eſt contradictio; ſed reſpondi, non eſt contradictio omnipotenter agere ſecundum leges juſtitiæ cum judicio, aut ſecundum leges Amori inſcriptas ex Sapientia; at contradictio eſt, quod Deus poſſit agere contra leges Juſtitiæ & Amoris ſui, & hoc foret ex non judicio & ſapientia; talem contradictionem involvit fides veſtra, quæ eſt, quod Deus injuſtum poſſit ex mera gratia juſtificare, & omnibus ſalutis donis & vitæ præmiis inſignire. Sed dicam paucis, quid Omnipotentia Dei; Deus ex Omnidotentia ſua creavit Univerſum, & ſimul introduxit omnibus & ſingulis ejus Ordinem; Deus etiam ex Omnipotentia ſua conſervat Univerſum, & cuſtodit ibi Ordinem cum ſuis legibus in perpetuum, & dum aliquid elabitur ex ordine, reducit illud & redintegrat. Porro Deus ex Omnipotentia ſua inſtauravit Eccleſiam, & leges Ordinis ejus revelavit in Verbo; & cum Illa elapſa eſt ex ordine, reſtauravit illam, & cum totaliter elapſa eſt, Ipſe deſcendit in Mundum, & per aſſumtum Humanum induit Omnipotentiam, & reſtituit. Deus ex Omnipotentia & quoque Omniſcientia explorat unumquemque poſt mortem, ac præparat juſtos ſeu oves ad loca ſua in Cælo, & ex his condit Cælum, ac præparat injuſtos ſeu hircos ad loca ſua in inferno, & ex his condit Infernum; ac diſponit utrumque in Societates & congregationes ſecundum omnes varietates amoris illorum, quæ in Cælo totidem ſunt, quot ſtellæ in firmamento Mundi, ac Societates in Cælo conjungit in unum, ut ſint ſicut unus Homo coram Se; ſimiliter congregationes in Infermo, ut ſint ſicut unus Diabolus, & hos ab illis ſeparat per hiatum, ne Infernum inferat violentiam Cælo, & ne Cælnm inferat cruciatum Infermo; nam illi qui in Inferno ſunt, tantum cruciantur, quantum influit Cælum. Hæc & illa niſi Deus ex Omnipotentia ſua omni inſtanti faceret, ferinum intraret homines, uſque ut amplius non poſſent legibus alicujus Ordinis coerceri, & ſic periret Genus humanum: hæc & ſimilia evenirent, niſi Deus eſſet Ordo, & in Ordine Omnipotens. His auditis illi qui tecti pileis erant, abiverunt pileis ſub ulnis, laudantes Deum, nam in illo Mundo intelligentes teguntur pileis, at tecti tiaris non ita, quia calvi ſunt, & calvities ſignificat obeſitatem; & hi abiverunt ad ſiniſtrum, at illi ad dextrum.

DE CREATIONE UNIVERSI.

75. Quoniam in Primo hoc Capite de Deo Creatore agitur, etiam de Creatione Univerſi ab Ipſo agendum eſt, ſicut in ſequente Capite de Domino Redemptore, etiam de Redemptione; ſed non poteſt aliquis juſtam ideam de Creatione Univerſi ſibi comparare, niſi aliquæ cognitiones univerſales præmiſſæ intellectum in ſtatum perceptionis immittant, quæ erunt ſequentes. I. Quod duo Mundi ſint, Mundus ſpiritualis, in quo ſunt Angeli & Spiritus, & Mundus naturalis in quo ſunt homines. II. Quod in utroque Mundo ſit Sol, & quod Sol Mundi ſpiritualis ſit purus Amor ex Jehovah Deo, Qui in medio ejus eſt; & quod ex illo Sole procedant calor & lux, & quod Calor inde procedens in ſua eſſentia ſit amor, & quod Lux inde procedens, in ſua eſſentia ſit ſapientia; & quod illa duo afficiant voluntatem & intellectum hominis, calor ejus voluntatem, & lux ejus intellectum: at quod Sol Mundi naturalis ſit purus Ignis, & quod ideo Calor inde ſit mortuus, ſi-

ſimiliter Lux, & quod inſerviant Calori & Luci ſpirituali pro amiculo & adminiculo ut ad hominem tranſeant. III. Tum quod illa duo, quæ procedunt a Sole Mundi ſpiritualis, & inde omnia quæ per illa ibi exiſtunt, ſint ſubſtantialia & dicantur ſpiritualia, & quod ſimilia duo quæ procedunt a Sole Mundi naturalis, & inde omnia quæ per illa hic exiſtunt, ſint materialia & dicantur naturalia. IV. Quod in utroque Mundo ſint tres Gradus, qui vocantur gradus altitudinis, & inde tres Regiones, ſecundum quas ordinati ſunt tres Cæli angelici, & ſecundum quas ordinatæ ſunt Mentes humanæ, quæ ſic tribus illis Cælis angelicis correſpondent; & quod ſimiliter reliqua hic & ibi. V. Quod ſit Correſpondentia inter illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, & inter illa quæ in Mundo naturali. VI. Quod ſit Ordo, in quem omnia & ſingula utriuſque Mundi creata ſunt. VII. Quod de his omnino primum comparanda ſit idea; quod niſi fit, Mens humana ex mera ignorantia de illis, facile cadat in ideam de Creatione Univerſi a Natura, & ex ſola Auctoritate Eccleſiaſtica dicat quod Natura a Deo creata ſit; ſed quia neſcit quomodo, ſi interius de illa re ſcrutatur, labatur pronus in Naturaliſmum negantem Deum. Verum enim vero, quia illa ſingulatim exponere & demonſtrare, ſicut oportet, magni Voluminis opus foret, & quoque non proprie Syſtema Theologicum quod hujus Libri eſt, ut lemma aut argumentum, ingreditur, volo ſolum aliqua MEMORABILIA afferre, ex quibus idea de Creatione Univerſi a Deo poteſt concipi, & ex conceptione aliquis fætus repræſentans illam gigni.

76. PRIMUM MEMORABILE. Quodam die in meditatione de Creatione Univerſi fui, & quia hoc perceperunt Angeli ſupra me a latere dextro, ubi erant qui de eadem aliquoties meditati & ratiocinati ſunt, quare unus deſcendit & invitavit me, & factus ſum in ſpiritu, & comitatus ſum illum, & poſtquam intravi, deductus ſum ad Principem, in cujus Aula congregatos ad centenos vidi, & Princeps in medio illorum: & tunc unus ex illis dixit, percepimus hic quod meditatus ſis de Creatione Univerſi, & nos in ſimili meditatione aliquoties fuimus, ſed non potuimus concludere, quoniam cogitationibus noſtris inhæſit idea de Chao, quod hoc ſicut magnum Ovum fuerit, ex quo excluſa fuerunt omnia & ſingula Univerſi in ſuo Ordine; cum tamen nunc percipimus, quod tantum Univerſum non potuerit ita excludi; tum etiam inhæſit mentibus noſtris idea alia, quæ erat, quod a Deo omnia creata ſint ex nihilo, & tamen nunc percipimus, quod ex nihilo nihil fiat; & ex his duabus ideis Mentes noſtræ nondum ſe potuerunt evolvere, & in aliqua luce videre Creationem quomodo facta eſt; quapropter evocavimus te e loco ubi eras, ut de illa tuam meditationem expromas. His auditis, reſpondi, expromam; & dixi, de hoc diu meditatus ſum, ſed in vanum; at poſtea cum a Domino intromiſſus ſum in veſtrum Mundum, percepi quod vanum eſſet aliquid de Creatione Univerſi concludere, niſi prius ſciatur, quod duo Mundi ſint, Unus in quo Angeli ſunt, & alter in quo homines, & quod hi per mortem e ſuo in alterum tranſcendant; & tunc etiam vidi quod duo Soles eſſent, unus ex quo omnia Spiritualia profluunt, & alter ex quo omnia Naturalia, & quod Sol, ex quo omnia ſpiritualia profluunt, ſit purus Amor a Jehovah Deo, Qui in medio ejus eſt, & quod Sol, ex quo omnia naturalia profluunt, ſit purus Ignis. His cognitis, quondam cum in illuſtratione eram, datum eſt percipere, quod a Jehovah Deo per Solem, in cujus medio eſt, Univerſum creatum ſit; & quia Amor non dabilis eſt niſi una cum Sapientia, quod a Jehovah Deo ex ſuo Amore per ſuam Sapientiam Univerſum creatum ſit; quod ita ſit, convincunt omnia & ſingula, quæ vidi in Mundo, ubi vos eſtis, & quæ vidi in Mundo, in quo

ego corpore ſum. Quomodo autem a primordio ſuo progreſſio Creationis facta eſt, nimis prolixum eſt exponere; ſed cum in illuſtratione fui, percepi, quod mediis Luce & Calore ex Sole veſtri Mundi creatæ ſint athmoſphæræ ſpirituales, quæ in ſe ſunt ſubſtantiales, una ex altera; quæ quia tres ſunt, & inde tres gradis earum, tres Cæli facti ſunt, unum pro Angelis qui in ſupremo gradu amoris & ſapientiæ ſunt, alterum pro Angelis qui in ſecundo gradu, & tertium pro Angelis qui in ultimo gradu. Sed quia Univerſum hoc ſpirituale non poteſt exiſtere abſque Univerſo naturali, in quo illud ageret ſuos effectus & uſus, quod ſimul tunc Sol, ex quo omnia Naturalia procedunt, creatus ſit, & per hunc ſimiliter, mediis luce & calore, tres athmoſphæræ ambientes priores illas, ſicut putamina nucleos, aut philyræ ligna, & tandem per has Orbis terraqueus, ubi homines, beſtiæ, piſces, tum arbores, frutices & herbæ, ex terris quæ ex humis, lapidibus & mineris conſiſtunt. Aſt hæc eſt ſciagraphia communiſſima Creationis & ejus progreſſionis, at particularia & ſingularia non poſſunt exponi, niſi per Volumina librorum; verum omnia concludunt hoc, quod Deus non creaverit Univerſum ex nihilo, quia, ut dixiſtis, ex nihilo nihil fit, ſed per Solem cæli angelici, qui eſt ex Eſſe Ipſius, & inde purus Amor una cum Sapientia: quod Univerſum, per quod intelligitur uterque Mundus, Spiritualis & Naturalis, ex Divino Amore per Divinam Sapientiam creatum ſit, omnia & ſingula ejus teſtantur & conteſtantur, & vos, ſi illa in ordine & connexu expenditis, ex luce, in qua perceptiones intellectus veſtri ſunt, poteſtis clare videre: at tenendum eſt, quod Amor & Sapientia, quæ in Deo unum faciunt, non ſint Amor & Sapientia in ſenſu abſtracto, ſed in Ipſo ut Subſtantia, nam Deus eſt ipſa, unica & inde prima Subſtantia & Eſſentia, quæ in ſe Eſt & Subſiſtit. Quod omnia & ſingula ex Divino Amore & Divina Sapientia creata ſint, intelligitur per hæc apud Johannem „*Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. omnia per Ipſum facta ſunt, & Mundus per Ipſum factus eſt*, Cap. I: 1. 3. 10. Deus ibi ſignificat Divinum Amorem, & Verbum ſignificat Divinum Verum, ſeu Divinam Sapientiam, quare Verbum ibi appellatur Lux, & per Lucem, ubi de Deo, intelligitur Divina Sapientia. His peractis, cum vale dicerem, micæ lucis e Sole ibi per Cælos angelicos delapſæ ſunt in oculos illorum, & per hos in habitacula mentis illorum, & ſic illuſtrati dictis a me faverunt, & poſtea in atrium me ſequuti ſunt, & prior comes ad domum ubi eram, & abinde in Societatem ſuam reaſcendit.

77. Secundum Memorabile. Quodam mane, cum evigilatus e ſomno, in luce matutina & ſerena ante plenam vigiliam meditans, vidi trans feneſtram ſicut fulgur micans, & mox audivi ſicut tonitru crepans; cum miratus ſum unde hoc, audivi e Cælo, quod ſint aliqui non procul a me, qui acriter ratiocinantur de Deo et Natura, & quod vibratio lucis ſicut fulguris, & crepor aeris ſicut tonitru, eſſent correſpondentiæ & inde apparentiæ pugnæ & colliſionis argumentorum, ab una parte pro Deo, & ab altera pro Natura: principium hujus ſpiritualis pugnæ fuit hoc: erant aliqui Satanæ in Inferno, qui dixerunt inter ſe, utinam liceret nobis cum Angelis Cæli loqui, ac prorſus & plene demonſtrabimus, quod Natura ſit quam vocant Deum a quo omnia, ita ut Deus ſit modo vox, niſi intelligatur Natura; & quia Satanæ illi toto corde & tota anima id crediderunt, & cupiverunt cum Angelis cæli loqui, datum eſt illis e luto ac e tenebris Inferni aſcendere, & cum duobus Angelis tunc deſcendentibus e Cælo loqui; erant in Mundo ſpirituum, qui inter Cælum & Infernum medius eſt: Satanæ ibi viſis Angelis velociter accurrerunt, & furioſa voce clamabant, eſtis vos Angeli Cæli, cum quibus ratiocinando de Deo & de Natura licet congredi; vocamini ſapientes, quia agnoſcitis Deum, ſed oh quam ſimplices eſtis; quis vidit Deum, quis intelligit quid Deus, quis capit quod Deus regat & regere poſſit Univerſum, ac omnia & ſingula ejus; quis niſi plebs & vulgus agnoſcit quod non videt & intelligit; quid

ex-

exſtantius eſt, quam quod Natura ſit omne in omnibus, quis vidit aliud oculo quam naturam, quis audivit aliud aure quam naturam, quis odoravit aliud nare quam naturam, quis guſtavit aliud lingua quam naturam, quis aliquo tactu manus & corporis ſenſit aliud quam naturam, ſuntne ſenſus corporis noſtri teſtes veritatum, quis non poteſt ex illis jurare quod ita ſit, eſtne reſpiratio ex qua etiam vivit corpus noſtrum, teſtis, quid reſpiramus aliud quam naturam; ſuntne capita noſtra & veſtra in natura, unde influxus in cogitationes Capitum, niſi ex illa, ſi aufertur illa, num poteſtis cogitare quicquam; præter plura ſimiis farinæ alia. His auditis Angeli reſponderunt, vos ita loquimini, quia eſtis mere ſenſuales, omnes in Inferno ideas cogitationum ſenſibus corporis habent immerſas, nec poſſunt ſupra illos elevare mentes, quare nos ignoſcimus vobis, vita mali & inde fides falſi occluſit interiora mentium veſtrarum, uſque ut elevatio ſupra ſenſualia apud vos non dabilis ſit, niſi in ſtatu remoto a malis vitæ & a falſis fidei; nam Satanas æque ac Angelus poteſt intelligere verum cum illud audit, ſed non retinet, quia malum obliterat verum, & inducit falſum; ſed percipimus, quod vos ſitis in ſtatu remoto, & quod ſic poſſitis intelligere verum quod loquimur, quare attendite ad hæc quæ dicemus, & dixerunt: fuiſtis in Mundo naturali, & obiviſtis ibi, & nunc eſtis in Mundo ſpirituali, num prius quam nunc ſciviſtis aliquid de vita poſt mortem, numne prius negaviſtis eam, & feciſtis vos pares beſtiis; num prius aliquid ſciviſtis de Cælo & Inferno, num aliquid de luce & calore hujus Mundi; num de eo, quod non amplius ſitis intra Naturam, ſed ſupra illam, eſt enim hic Mundus, & ſunt omnia ejus ſpiritualia, & ſpiritualia ſunt ſupra naturalia, adeo ut ne quidem minimum naturæ, in qua fuiſtis, poſſit in hunc Mundum influere: ſed vos, quia Naturam credidiſtis Deum aut Deam, creditis etiam Lucem & Calorem hujus Mundi eſſe lucem & calorem Mundi naturalis, cum tamen ne hilum ſit, nam Lux naturalis hic eſt Caligo, & Calor naturalis hic eſt Frigus; num aliquid ſciviſtis de Sole hujus Mundi, ex quo noſtra Lux & noſter Calor procedunt; num ſciviſtis, quod hic Sol ſit purus Amor, & quod Sol Mundi naturalis ſit purus Ignis, & quod Sol Mundi, qui eſt purus ignis, ſit ex quo Natura exſtitit & ſubſiſtit, & quod Sol cæli, qui eſt purus Amor, ſit ex quo ipſa Vita, quæ eſt amor una cum ſapientia, exiſtit & ſubſiſtit; & ſic quod Natura, quam facitis Deum aut Deam, ſit plane mortua. Vos poteſtis, ſi cuſtodia vobis datur, cum nobis aſcendere in Cælum, & nos poſſumus, ſi cuſtodia datur, cum vobis deſcendere in Infernum, & videbitis in Cælo magnifica & ſplendida, at in Inferno turpia & immunda; diſcrimina illa ſunt, quia omnes in Cælo colunt Deum, & omnes in Inferno colunt Naturam, ac magnifica & ſplendida illa in Cælis, ſunt correſpondentiæ affectionum amoris boni & veri, at turpia & immunda illa in Infernis, ſunt correſpondentiæ affectionum amoris mali & falſi. Ex his & illis concludite nunc, num Deus vel num Natura ſit omne in omnibus. Ad hæc Satanæ reſponderunt, in ſtatu, in quo nunc ſumus, poſſumus ex auditis concludere, quod Deus ſit, ſed cum jucundum mali occupat mentes noſtras, non videmus niſi Naturam. Duo illi Angeli, & Satanæ non procul a me ſtabant, quare illos vidi & audivi, & ecce vidi circum illos multos, qui celebres eruditione in Mundo naturali fuerant, ac miratus ſum, quod Eruditi illi nunc ſtarent juxta Angelos, nunc juxta Satanas, & quod illis, juxta quos ſtabant, faverent, & dictum mihi eſt, quod mutationes ſitus illorum, eſſent mutationes ſtatus illorum mentis faventis nunc parti uni nunc parti alteri, erant enim quoad fidem ſicut vertumni: & dicemus tibi myſterium, deſpeximus in Terram ad celebres eruditione, & invenimus ſexcentos ex mille pro Natura, & reliquos pro Deo, & hos pro Deo, quia non ex intellectu, ſed modo ex auditis quod Natura ſit a Deo, frequenter loquuti ſunt, & frequens loquela ex memoria & reminiſcentia, tametſi non ſimul ex cogitatione & intelligentia, infert ſpeciem fidei. Poſt hæc data eſt Satanis cuſtodia, & cum duobus Angelis aſcenderunt in Cælum,

ac viderunt magnifica & ſplendida, & tunc in illuſtratione a luce cæli ibi agnoverunt quod Deus ſit, & quod Natura creata ſit ad inſerviendum vitæ, quæ a Deo eſt, & quod Natura in ſe mortua ſit, & quod ſic a ſe nihil agat, ſed a vita agatur. Illis viſis & perceptis deſcenderunt, & ſicut deſcendebant, rediit amor mali, & occluſit intellectum illorum ſupra, & aperuit illum infra, & tunc ſupra illum apparuit ſicut umbraculum fulgurans ex igne infernali; & actutum cum tetigerunt terram pedibus, hiabat ſolum ſub illis, & relapſi ſunt ad ſuos.

78. TERTIUM MEMORABILE. Poſtridie ad me venit Angelus ex alia Societate Cæll, & dixit, audivimus ibi, quod propter meditationem de Creatione Univerſi arceſſitus ſis in Societatem noſtræ propinquam, & quod ibi narraveris de Creatione talia, quibus tunc faverunt, & poſtea lætati ſunt; ego nunc tibi monſtrabo, quomodo Animalia & Vegetabilia omnis generis a Deo producta ſunt; & deduxit me in latum Campum viridem, & dixit, circumſpice, & circumſpexi, & vidi Aves pulcherrime coloratas, quaſdam volantes, quaſdam ſuper arboribus ſedentes, & quaſdam ſuper campo foliola excerpentes roſis; inter aves etiam erant Columbæ & Cygni. Poſtquam hæc a conſpectu meo evanuerunt, vidi non procul a me Greges ovium cum agnis, hædorum & caprarum, & circum circa greges illos vidi Armenta ex Bobus & Vitulis, tum ex Camelis & Mulis, & in quodam luco Cervas cum altis cornibus, & quoque Unicornes. Poſt hæc viſa, dixit, converte faciem ad Orientem, & vidi Hortum, in quo Arbores fructus, Aurantiæ, Citri, Oleæ, Vites, Ficus, Malogranata, & quoque Arbuſta quæ ferebant baccas. Poſtea dixit, ſpecta nunc ad Meridiem, & vidi Meſſes ex varii generis frumentis, ex triticis, miniis, hordeis, & fabis, & circum illa Floreta ex roſis pulchre variegantibus colores: ad Septentrionem autem Nemora plena caſtaneis, palmis, tiliis, platanis, & aliis arboribus foliaceis. His viſis dixit, ſunt omnia illa, quæ vidiſti, Correſpondentiæ affectionum amoris Angelorum, qui in propinquo ſunt, & narrabant, quibus affectionibus ſingula correſpondebant; & inſuper, quod non ſolum illa, ſed etiam ſingula reliqua, quæ coram oculis noſtris fiſtuntur videnda, ſint Correſpondentiæ, prout Domus, Utenſilla in illis, Menſæ & Cibi, Veſtes, tum etiam monetæ ex auro & argento, ut & adamantes, & alii lapides pretioſi, quibus Uxores & Virgines in Cælis exornantur; nos ex his & illis percipimus qualis unuſquiſque eſt quoad amorem & ſapientiam; illa quæ in domibus noſtris ſunt, & uſibus inſerviunt, conſtanter ibi manent, at coram illis, qui a ſocietatibus in ſocietates vagantur, talia mutantur ſecundum conſortia. Hæc tibi oſtenſa ſunt, propter cauſam ut in Typo particulari videas Creationem Univerſalem; Deus enim eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, & Amoris Ipſius ſunt infinitæ affectiones, & Sapientiæ Ipſius ſunt infinitæ perceptiones, & harum Correſpondentiæ ſunt omnia & ſingula quæ ſuper Tellure apparent, inde aves & beſtiæ, inde arbores & frutices, inde ſegetes & meſſes, & inde herbæ & gramina: nam Deus non eſt extenſus, ſed uſque in extenſo ubivis, ita in Univerſo a primis ejus ad ultima ejus, & quia Omnipræſens eſt, tales Correſpondentiæ affectionum Amoris & Sapientiæ Ipſius in toto Mundo naturali ſunt; at in noſtro Mundo, qui vocatur Mundus Spiritualis, ſunt ſimiles correſpondentiæ apud illos, qui a Deo affectiones & perceptiones recipiunt; diſcrimen eſt, quod talia in noſtro Mundo ſecundum affectiones Angelorum a Deo momento creentur, in veſtro autem Mundo in principio ſimiliter creata ſint, at proviſum eſt ut per generationes, unius ab altera, perenniter renoventur, & ſic Creatio continuetur: Cauſa quod in noſtro Mundo ſit Creatio momentanea, & in Veſtro Creatio durans per generationes, eſt quia Atmoſphæræ & terræ noſtri Mundi ſunt ſpirituales, & Athmoſphæræ & terræ Veſtri Mundi ſunt naturales, ac naturalia creata ſunt ut inveſtiant ſpiritualia, ſicut cutes corpora hominum & animalium, cortices & libri caudices & ramos arborum, matres & meninges cerebra, tunica nervos, & philyræ illorum fibras,

&

& ſic porro; inde eſt, quod omnia illa quæ in veſtro Mundo ſunt, conſtantia ſint, & conſtanter in annis redeant. His addidit, hæc quæ vidiſti & audiviſti, refer incolis tui Mundi, quia hactenus in plenaria ignorantia fuerunt de Mundo Spirituali, & abſque ejus notitia nemo poteſt ſcire, & ne quidem augurari, quod Creatio continua ſit in noſtro Mundo, & quod huic conſimilis fuerit in Veſtro, dum Univerſum a Deo creatum eſt.

Poſt hæc loquuti ſumus varia, & tandem de Inferno, quod prorſus nihil ex talibus, quæ in Cælo, ibi videantur, ſed modo oppoſita, quoniam affectiones amoris illorum, quæ ſunt cupiditates mali, oppoſitæ ſunt affectionibus amoris, in quibus ſunt Angeli Cæli; quare apud illos in Inferno, & in genere in Deſertis illorum, apparent Aves noctis, ut veſpertiliones, ululæ & bubones, & quoque lupi, pardi, tigrides, mures majores & minores, tum omnis generis ſerpentes venenati, ut dracones & crocodili; & ubi aliquid gramineum eſt, ibi ſuccreſcunt ſentes, urticæ, ſpinæ & cardui, & aliquæ herbæ toxicatæ, quæ per vices evaneſcunt, & tunc modo apparent ſtrues lapidum, ac paludes, in quibus ranæ crocitant: hæc & illa ſunt quoque Correſpondentiæ, ſed ut dictum eſt, Correſpondentiæ affectionum amoris illorum, quæ ſunt cupidates mali. Attamen talia non a Deo creantur ibi, nec creata ſunt in Mundo naturali, ubi ſimilia exiſtunt; nam omnia, quæ Deus creavit & creat, fuerunt & ſunt bona; aſt talia ſuper Tellure exorta ſunt una cum Inferno, quod ex hominibus, qui per averſionem a Deo, poſt mortem facti ſunt diaboli & ſatanæ, exſtitit. Sed quia hæc dira inceperunt lædere aures noſtras, avertimus cogitationes ab illis, & recollegimus illa, quæ in Cælis vidimus.

79. Quartum Memorabile. Quondam cum in cogitatione de Creatione Univerſi eram, acceſſerunt aliqui ex Orbe Chriſtiano, qui ſuo tempore Philoſophi inter celeberrimos fuerunt, & præ reliquis reputati ſapientes, & dixerunt, percipimus quod cogites de Creatione, dic nobis quæ tua mens de illa; ſed reſpondi, dicite primum quæ veſtra; & dixit unus, mens mea eſt, quod Creatio ſit a Natura, & ſic quod Natura ſeipſam creaverit, & quod hæc fuerit ab æterno; non enim datur vacuum, nec dabile eſt; atqui quid aliud ſpectamus oculis, captamus auribus, odoramus naribus, & reſpiramus pectore, quam Naturam, & hæc quia extra nos eſt, etiam intra nos eſt. Alter hæc audiens dixit, nominas Naturam, & hanc facis creatricem univerſi, ſed non ſcis, quomodo Natura operata eſt Univerſum, quare dicam; convolvit ſe in vortices, qui inter ſe colliſerunt ſicut nubes inter ſe, & ſicut domus in terræ motu, dum collabuntur, & quod ex illa colliſione craſſiora ſe contulerint in unum, unde Tellus, & quod fluidiora ſe ex his ſecreverint, & quoque ſe contulerint in unum, unde Maria, & quod ex his etiam leviora ſe ſeparaverint, unde æther & aer, & ex horum leviſſimis Sol; vidiſtine, quod dum Oleum, Aqua, & Pulvis terræ commiſcentur una, ſe ſponte dividant, & in ordine unum ſupra alterum collocent. Tunc alius illud auſcultans, dixit, loquimini ex phantaſia, quis non ſcit, quod omnium prima origo fuerit chaos, quod magnitudine quartam partem Univerſi impleverat, & quod in medio ejus fuerit Ignis, circum circa illum æther, & circum hunc materia, & quod illud Chaos rimas duxerit, & per hos Ignis eruperit, ſicut ex Æthna & Veſuvio, inde Sol; & quod poſt hunc Æther ſe evolverit & circum fuderit, unde Athmosphæra; & tandem materia reſidua ſe gloneraverit in orbem, unde Tellus: quod Stellas attinet, ſunt illæ modo luminaria in Expanſo Univerſi, ex Sole & ejus igne & luce exorta; Sol enim primum fuit ſicut Oceanus igneus, qui ne incenderet Tellurem, excerpſit ex ſe flammulas lucentes, quæ locum ſortitæ in ambitu perfecerunt Univerſum, inde ejus Firmamentum. Sed ſtetit unus inter illos, qui dixit, erratis, vos videmini vobis ſapientes, & ego vobis videor ſimplex, at uſque in ſimplicitate mea credidi & credo, quod Univerſum a Deo

creatum ſit, & quia natura eſt univerſi, quod ſimul tunc univerſa natura; ſi Naturam ſeipſam creaverit, fuiſſetne illa ab æterno, ſed oh quale delirium: & tunc unus ex ſapientibus ita dictis accurrit propius & propius ad hunc loquentem, & admovit ſiniſtram aurem ad os ejus, dextra ejus auris erat obturata ſicut goſſypio, & quæſivit quid loquutus eſt, & is repetiit idem; & tunc ille qui accurrit, circumſpexit, num aliquis Sacerdos adeſſet, & vidit unum a latere loquentis, & tunc replicuit dicens, fateor etiam ego, quod univerſa natura ſit a Deo, ſed; & tunc abivit, ſuſurrans cum ſociis, & inquiit, hoc dixi quia præſto erat Sacerdos, vos & ego ſcimus, quod natura ſit a natura, & quia ſic natura eſt Deus, dixi quod univerſa natura ſit a Deo, Sed. At ſacerdos audiens ſuſurros illorum, dixit, ſapientia veſtra quæ eſt mere philoſophica, ſeduxit vos, & occluſit interiora mentium veſtrarum, adeo, ut non Lux aliqua ex Deo & e Cælo Ipſius, potuerit influere, & illuſtrare vos, exſtinxiſtis illam; & dixit, ventilate itaque, & decidite inter vos, unde ſunt Animæ veſtræ, quæ immortales ſunt, num ex Natura, vel num fuerunt in magno illo Chao ſimul; quibus auditis abivit prior ad conſocios, rogans ut illi una cum ipſo hunc nodum quæſtionis ſolverent, & concluſerunt, quod Anima humana non ſit niſi quam æther, & quod cogitatio non niſi quam modificatio ætheris per lucem ſolis, ac æther eſt naturæ; & dixerunt, quis non ſcit, quod loquamur per aerem, & quid cogitatio niſi quam loquela in puriore aere, qui vocatur æther, inde eſt quod cogitatio & loquela unum faciant, quis hoc non poteſt animadvertere ex homine dum infans eſt, is primum diſcit loqui, & ſucceſſive loqui ſecum, & hoc eſt cogitare; quid tunc cogitatio aliud quam modificatio ætheris, ac ſonus loquelæ quid aliud quam modulamen ejus, ex quibus decidimus, quod Anima, quæ cogitat, ſit naturæ. Sed aliqui ex illis, quidem non diſſenſerunt, ſed ſtatum quæſtionis illuſtraverunt, dicentes, quod Animæ exortæ ſint, cum æther ex magno illo Chao ſe eglomeravit, & quod tunc in ſuprema regione ſe diviſerit in innumerabiles individuas formas, quæ ſe infundunt in homines, dum incipiunt ex aere puriore cogitare, quæ tunc vocantur Animæ. Hoc audito, dixit alius, concedo, quod formæ individuæ ab æthere in regione ſuperiore formatæ fuerint innumerabiles, ſed uſque homines a creatione Mundi nati numerum illarum exceſſerunt, quomodo tunc formæ illæ æthereæ ſufficere potuerunt, quare mecum cogitavi, quod Animæ exeuntes ex ore hominum dum obeunt, poſt aliquot millia annorum redeant ad eosdem, ac ſimilem priori vitam ineant & peragant; quod multi ex ſapientibus parilia & Metempſychoſin credant, notum eſt. Præter hos etiam a reliquis ſparſæ ſunt aliæ conjecturæ, quas, quia erant inſaniæ, prætereo. Poſt horulam rediit Sacerdos, & tunc ille, qui prius de Creatione Univerſi a Deo loquutus eſt, narravit illi deciſa illorum de Anima; quibus auditis Sacerdos dixit illis, vos loquuti eſtis prorſus quemadmodum in Mundo cogitaviſtis, neſcientes quod non in illo Mundo, ſed in alio, qui vocatur Mundus Spiritualis, ſitis; omnes illi qui ſenſuales corporei facti ſunt ex confirmationibus pro Natura, non ſciunt aliter, quam quod ſint in eodem Mundo, in quo nati & educati ſunt; cauſa eſt, quia ibi fuerunt in corpore materiali, hic autem ſunt in corpore ſubſtantiali, & homo ſubſtantialis videt ſe & ſocios circum ſe, prorſus ſicut homo materialis videt ſe & ſocios circum ſe; eſt enim ſubſtantiale primitivum materialis, & quia cogitatis, videtis, odoratis, guſtatis, & loquimini ſimiliter ut in Mundo naturali, ideo creditis, quod eadem Natura hic ſit, cum tamen hujus Mundi natura tantum differt & diſtat ab illius Mundi natura, quantum ſubſtantiale a materiali, ſeu ſpirituale a naturali, ſeu prius a poſteriori; & quia Natura Mundi, in qua prius vixiſtis, eſt reſpective mortua, ideo vos ex confirmationibus pro illa facti eſtis ſicut mortui, ſed in illis quæ Dei, Cæli & Eccleſiæ ſunt, & quoque in illa re, quæ Animas veſtras ſpectat: ſed uſque omnis homo, tam

ma-

malus quam bonus, poteſt quoad intellectum elevari uſque *in lucem in* qua ſunt Angeli Cæli, & tunc videre quod Deus ſit, & quod vita poſt mortem ſit, & quod Anima hominis non ſit ætherea, & ſic ex natura iſtius Mundi, ſed ſpiritualis,. & ideo victura in æternum; intellectus in angelica *illa* luce poteſt eſſe, dum modo amores naturales, qui ſunt ex Mundo & pro illo ejuſque natura, & ex corpore & pro illo ejuſque proprio removentur; & illico tunc a Domino, remoti ſunt illi amores, & datum eſt illis loqui cum Angelis, & ex illorum ſermone in illo ſtatu perceperunt quod Deus ſit, & quod poſt mortem in alio Mundo vivant, quare pudore ſuffuſi ſunt, & exclamaverunt, inſanivimus, inſanivimus; ſed quia hic ſtatus non fuit illorum proprius, & inde poſt aliquot minuta tædioſus & ingratus factus eſt, averterunt ſe a Sacerdote, & non voluerunt audire ejus loquelam amplius, & ſic redierunt in amores priores, qui erant mere naturales, mundari & corporei, & abiverunt ad ſiniſtrum, a ſocietate in ſocietatem, & tandem venerunt ad viam, ubi jucunda amorum illorum afflaverunt illos, & dixerunt, hanc viam eamus, & iverunt, & deſcenderunt, & tandem venerunt ad illos, qui in jucundis ſimilium amorum erant, ac ulterius; & quia jucundum illorum erat jucundum malefaciendi, & in via quoque malum fecerunt multis, incarcerati ſunt, & facti dæmones; & tunc jucundum illorum converſum eſt in injucundum, quia per pænas & harum timores, a priori ſuo jucundo, quod fecit naturam illorum, coerciti & refrænati ſunt; & quæſiverunt illos, qui in eodem carcere erant, num ita in æternum victuri ſint, reſpondebant aliqui ibi, nos fuimus hic aliquot ſæculis, & manſuri ſumus in ſæcula ſæculorum; quoniam natura, quam contraximus in Mundo, non mutari poteſt, nec expelli per pænas, & dum per has expellitur, uſque poſt brevem temporis elapſum recurrit.

80. QUINTUM MEMORABILE. Quondam unus Satanes cum venia ex Inferno aſcendit una cum fœmina, & acceſſit ad domum ubi eram, quibus viſis occluſi feneſtram, attamen trans illam cum illis loquebar, & quæſivi Satanam unde veniret, dixit, ex conſortio ſuorum, & quæſivi unde fœmina, dixit ſimiliter, hæc erat ex turba Sirenum, quæ callent per phantaſias ſibi inducere omnes habitus & figuras pulchritudinis & ornatus, nunc figurant pulchritudinem Veneris, nunc decorem oris ſicut eſſet Parnaſſis, nunc exornant ſe ſicut Reginæ coronis & chlamydibus, & ſuper baculo argenteo innixæ magnifice ambulant; tales in Mundo Spirituum ſunt meretrices, & phantaſiis ſtudent; phantaſia fit per cogitationem ſenſualem occluſis ideis ex cogitatione aliqua interiore. Quæſivi Satanam, num illa eſſet ejus Uxor, reſpondit, quid uxor, hoc neſcio, & neſcit ſocietas mea, eſt mea meretrix, & tunc illa inſpiravit viro laſciviam, quod etiam Sirenes dextre callent, qua recepta oſculatus eſt illam, & dixit, ah mea Adonis. Sed ad ſeria; interrogavi Satanam, quæ ejus functio, & ait, functio mea eſt Eruditio, videsne laurum ſuper capite meo, hanc Adonis ejus per artem ſuam conflavit, & a tergo impoſuit: & dixi, quoniam e ſocietate, ubi magiſteria ſunt, advenis, dic mihi, quid credis, & quid credunt conſocii tui de Deo; retulit, Deus nobis eſt Univerſum, quod etiam vocamus Naturam, & quod ſimplices noſtratium vocant Athmosphæram, quæ illis eſt aer, at ſapientes Atmosphæram quæ etiam eſt Æther; Deus, Cælum, Angeli, & ſimilia, de quibus multi multa fabulantur in hoc Mundo, ſunt vocabula inania, & figmenta capta ex Meteoris, quæ ludunt coram oculis plurium hic, ſuntne omnia, quæ ſuper Tellure apparent, a Sole creata, numne omni adventu ejus tempore veris naſcuntur Vermes cum alis & abſque alis, & ex calore ejus Volucres ſe mutuo amant & prolificant, & Terra æſtu ejus repefacta ſemina educit in germina, & tandem in fructus ut proles, annon ſic Univerſum eſt Deus, & Natura eſt Dea, & hæc ut Univerſi conjunx concipit, parit, educat, & alit illa. Porro interrogavi, quid credit Societas ejus, & ille, de Religione; reſpondit, quod Religio nobis præ vulgo eruditis, non ſit

niſi

niſi quam faſcinum plebis, quod circum ſenſitiva & imaginaria illorum mentis eſt ſicut aura, in qua volant pietatis ideæ tanquam papiliones in aere, & fides illorum, quæ connectit ideas illas ſicut in catenam, tanquam bombyx in volvulo ſerico, e quo evolat ut rex papilionum; amat enim Communio inerudita imagines ſupra ſenſualia corporis & inde cogitationis, propter cupidinem ut volent, ita etiam faciunt ſibi alas, ut ſicut aquilæ elevent ſe, & ſe jactent coram terricolis, dicturi, ecce me; nos autem credimus quod videmus, & amamus quod tangimus, & tunc tetigit Meretricem ſuam, & dixit, hoc credo, quia video & tango; verum nos talia ludibria per ſpeculares noſtras feneſtras ejicimus, & ſufflatu riſus abigimus. Poſtea quæſivi, quid una cum conſociis credit de Cælo & Inferno, reſpondit eum cachinno, quid Cælum niſi firmamentum æthereum in ſua altitudine, & quid Angeli ibi niſi quam maculæ errantes circum Solem, & Archangeli niſi quam cometæ cum longa cauda, ſuper qua habitat eorum turba; & quid Infernum niſi paludes, ubi ranæ & crocodili in phantaſia illorum ſunt diaboli; præter has ideas de cælo & inferno, reliqua ſunt nugæ, a quodam Primate ad capeſſendum gloriam a populo ignaro introductæ; ſed hæc omnia loquutus eſt, prorſus ut de illis cogitaverat in Mundo, neſciens quod viveret poſt mortem, & oblitus omnium, quæ, dum primum intravit Mundum Spirituum, audivit; quare etiam ad interrogationem de vita poſt mortem retulit quod ſit ens imaginarium, & quod forte aliquod effluvioſum exſurgens ex cadavere in tumulo in forma ſicut homo, aut quoddam quod vocatur ſpectrum, de quo fabulantur aliqui, tale quid in phantaſias hominum introduxerat. His auditis non potui amplius retinere riſum, quin erumperet & dixi, Satana, inſanis inſaniendo, quid tu nunc, eſne in forma homo, numne loqueris, vides, audis, gradiris, reminiſcere, quod vixeris in alio Mundo, cujus oblitus es, & quod nunc poſt mortem vivas, & quod loquutus ſis prorſus ſicut prius; & data eſt ei reminiſcentia, & recordatus eſt, & tunc puduit illum, & clamavit, inſanio, vidi cælum ſupra, & audivi angelos ibi loquutos ineffabilia, ſed hoc quando huc nuper allui; at nunc retinebo hoc narraturus ſociis meis, a quibus receſſi, & forte tunc pudebit illos ſimiliter; ac tenuit in ore quod illos vocaret inſanos, ſed ſicut deſcendit, oblivio expulit reminiſcentiam, & cum ibi erat, inſanivit conſimiliter, & vocavit illa, quæ a me audivit. inſanias. Talis eſt ſtatus cogitationis & ſermocinationis Satanarum poſt mortem: vocantur Satanæ illi, qui confirmaverunt apud ſe falſa uſque ad fidem, & Diaboli illi qui confirmaverunt mala apud ſe per vitam.

CAPUT SECUNDUM

DE DOMINO REDEMPTORE.

81. In priori Capite actum eſt de Deo Creatore, & ſimul tunc de Creatione, in hoc autem Capite agendum eſt de Domino Redemptore, & ſimul etiam de Redemptione, & in ſequente Capite de Spiritu Sancto, & ſimul de Divina Operatione: per Dominum Redemptorem, intelligimus Jehovam in Humano; nam quod Ipſe Jehovah deſcenderit, & Humanum aſſumſerit, propter finem ut Redemptionem ageret, in ſequentibus demonſtrabitur. Quod dicatur Dominus & non Jehovah, eſt cauſa quia Jehovah in Veteri Teſtamento vocatur Dominus in Novo, ut conſtare poteſt ex his; dicitur apud Moſen „ *Audi Iſrael*, JEHOVAH DEUS *veſter*, JEHOVAH *unus eſt: amabis* JEHOVAM DEUM *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, Deutr. VI: 4. 5. at apud Marcum „ DOMINUS DEUS *veſter* DOMINUS *unus eſt: amabis* DOMINUM DEUM *tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua* „ Cap. XII: 29. 30. Tum, apud Eſajam „ *Parate viam* JEHOVÆ, *complanate in ſolitudine ſemitam Deo noſtro*, Cap. XL: 3: at apud Lucam „ *Præibo ante faciem* DOMINI, *ad parandum viam Ipſi* „ Cap. I: 76, præter alibi: & quoque Dominus mandavit Diſcipulis ſuis, ut Ipſum vocarent Dominum, & ideo ab Apoſtolis in Epiſtolis eorum ita vocatus eſt, & poſtea ab Eccleſia Apoſtolica, ut patet a Symbolo ejus, quod vocatur Symbolum Apoſtolicum: cauſa fuit, quia Judæi non auſi ſunt nominare Jehovam propter ſanctitatem, & quoque per Jehovam intelligitur Divinum Eſſe, quod fuit ab æterno, & Humanum, quod aſſumſit in tempore, non fuit id Eſſe: quid Divinum Eſſe ſeu Jehovah, in ſuperiori Capite, n. 18 ad 26, & n. 27 ad 35, oſtenſum eſt: propter hanc rem, hic & in ſequentibus per Dominum intelligimus Jehovam in Humano ſuo. Nunc quia cognitio de Domino excellentia excedit omnes cognitiones, quæ in Eccleſia dantur, imo quæ in Cælo, erit diſpoſitio ordinata, ut cognitio illa veniat in lucem, quæ itaque hæc erit. I. *Quod Jehovah Creator Univerſi deſcenderit & aſſumſerit Humanum, ut redimeret & ſalvaret homines.* II. *Quod deſcenderit ut Divinum Verum, quod eſt Verbum, & tamen quod non ſeparaverit Divinum Bonum.* III. *Quod aſſumſerit Humanum ſecundum Divinum ſuum ordinem.* IV. *Quod Humanum, per quod ſe miſit in Mundum, ſit quod vocatur Filius Dei* V. *Quod Dominus per actus redemptionis ſe juſtitiam fecerit.* VI. *Quod per eosdem actus ſe univerit Patri, & Pater Se Ipſi; etiam ſecundum Divinum ordinem.* VII. *Quod ſic Deus factus ſit Homo, & Homo Deus in Una Perſona.* VIII. *Quod progreſſio ad unionem fuerit ſtatus exinanitionis Ipſius, & quod ipſa Unio ſit ſtatus glorificationis Ipſius.* IX. *Quod poſthac nullus ex Chriſtianis in Cælum veniat, niſi qui in Dominum Deum Salvatorem credit, & Ipſum ſolum adit.* Sed hæc ſingulatim explicabuntur.

82. I. QUOD JEHOVAH DEUS DESCENDERIT ET ASSUMSERIT HUMANUM, UT REDIMERET ET SALVARET HOMINES. In Eccleſiis Chriſtianis hodie creditur, quod Deus Creator Univerſi genuerit Filium ab æterno, & quod Hic deſcenderit & aſſumſerit Humanum ad redimendum & ſalvandum homines; ſed hoc erroneum eſt, & cadit ex ſe, dummodo cogitatur, quod Deus unus ſit, & quod plus quam fabuloſum ſit coram ratione, quod Deus unus ab æterno aliquem Filium genuerit, & quoque quod Deus Pater una cum Filio & cum Spiritu Sancto, quorum quiſque ſingulatim Deus eſt, ſit unus Deus; hoc fabuloſum prorſus diſſipatur, ſicut Stella caduca in aerem, dum e Verbo demonſtratur, quod Ipſe Jehovah Deus deſcenderit, & Homo factus ſit, & quoque Redemptor. Quod primum attinet, quod Ipſe Jehovah Deus deſcenderit, & Homo factus ſit, conſtat ex his

his locis, „ *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, qui vocabitur* DEUS NOBISCUM Eſaj. VII: 14. Matth. I: 22. 23. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, ſuper cujus humero Principatus, & vocabitur Nomen Ipſius, Mirabilis,* DEUS, *Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis,* Eſaj. IX: 5. 6. *Dicetur in die illo, ecce Deus noſter Hic, quem exſpectavimus ut liberet nos, Hic Jehovah, quem exſpectavimus, exultemus & lætemur inſalute Ipſius,* Eſaj. XXV: 9. *Vox clamantis in deſerto, parate viam* JEHOVÆ, *complanate in ſolitudine ſemitam* DEO NOSTRO, *& videbunt omnis caro ſimul,* Eſaj. XL: 3. 5. *Ecce* DOMINUS JEHOVIH *in forti venit, & brachium* IPSIUS *dominabitur* IPSI, *ecce merces* IPSIUS *cum* IPSO, *ſicut* PASTOR *gregem ſuum paſcet,* Eſaj. XL: 10. 11. *Dixit* JEHOVAH, *jubila & lætare filia Sionis, ecce Ego venio, ut habitem in medio tui: tunc adhærebunt Gentes multæ* JEHOVÆ *in die illo,* Sach. II: 14. 15. ECO JEHOVAH, *vocavi Te in juſtitia, & dabo Te in fœdus populi,* EGO JEHOVAH, HOC NOMEN MEUM, GLORIAM MEAM NON ALTERI DABO, Eſaj. XLII: 1. 6. 7. 8. *Ecce dies venientes, cum ſuſcitabo Davidi germen juſtum, qui regnet Rex, faciatque judicium & juſtitiam in terra, & hoc Nomen Ipſius,* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16. Præter in locis, ubi adventus Domini vocatur DIES JEHOVÆ, ut Eſaj. XIII: 6. 9. 13. 22. Ezech. XXXI: 15. Joel I: 15. Cap. II: 1. 2. 11. Cap. III: 2. 4. Cap. IV: 1. 14. 18. Amos V: 13. 18. 20. Zeph. I: 7 ad 18. Sach. XIV: 1. 4 ad 21, præter alibi. Quod Ipſe Jehovah deſcenderit & aſſumſerit Humanum, conſtat aperte apud Lucam, ubi hæc „ *Maria dixit ad Angelum, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognoſco, cui reſpondit Angelus,* SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, *unde quod naſcitur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Cap. I: 34. 35. Et apud Matthæum „ *Dixit Angelus ad Joſephum ſponſum Mariæ in ſomnio, quod in illa natum eſt, ex Spiritu Sancto eſt; & Joſephus non cognovit illam uſque dum peperit Filium, & vocavit nomen Ipſius Jeſum,* Cap. I: 20. 25: quod per Spiritum Sanctum intelligatur Divinum quod a Jehovah Deo procedit, in Capite Tertio hujus Operis videbitur: quis non ſcit, quod ex Patre ſit Anima & Vita proli, & quod ex Anima ſit Corpus, quid itaque apertius dicitur quam quod Domino ex Jehovah Deo fuerit Anima & Vita, & quia Divinum non poteſt dividi, quod ipſum Divinum Patris fuerit Ejus Anima & Vita; quare Dominus toties Jehovam Deum vocavit Patrem ſuum, & Jehovah Deus Ipſum vocavit Filium ſuum: Quid ergo ludicrius poteſt audiri, quam quod Anima Domini noſtri fuerit ex Maria matre, ſicut hodie ſomniant & Romano Catholici & Reformati, nec adhuc vigiles facti ſunt ex Verbo.

83. Quod aliquis Filius ab æterno natus deſcenderit & Humanum aſſumſerit, prorſus ut erroneum cadit & diſſipatur ex locis in Verbo, in quibus Ipſe Jehovah dicit, quod Ipſe Salvator & Redemptor ſit, quæ ſunt ſequentia „ *Nonne* EGO JEHOVAH, *& non amplius Deus præter Me, Deus juſtus &* SALVATOR NON PRÆTER ME „ Eſaj. XLV: 21. 22. EGO JEHOVAH ET NON PRÆTER ME SALVATOR, Eſaj. XLIII: 11. EGO JEHOVAH DEUS TUUS, *& Deum præter Me non agnoſces, &* SALVATOR NON PRÆTER ME, Hoſch. XIII: 4. *Ut ſciat omnis caro, quod* EGO JEHOVAH SALVATOR TUUS ET REDEMPTOR TUUS, Eſaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. *Quod ad* REDEMPTOREM NOSTRUM, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Eſaj. XLVII: 4. REDEMPTOR EORUM, FORTIS JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Jerem. L: 34. *Jehovah Petra mea, & Redemptor meus,* Pſalm XIX: 15. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Iſralis, Ego* JEHOVAH DEUS TUUS, Eſaj. XLVIII: 17. Cap. XLIII: 24. Cap. XLIX: 7. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS; *Ego* JEHOVAH *faciens omnia, & ſolus a Me Ipſo,* Eſaj. XLIV: 24. *Sic dixit* JEHOVAH *Rex Iſraelis, &* REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus,* Eſaj. XLIV: 6. TU JEHOVAH *Pater noſter,* REDEMPTOR NOSTER *a ſæculo Nomen tuum,* Eſaj. LXIII: 16. *Cum miſericordia æternitatis miſerebor, ſic dixit*

RE-

REDEMPTOR TUUS JEHOVAH, Eſaj. LIV: 8. REDEMERAS *me* JEHOVAH VERITATIS, Pſalm XXXI: 6. *Speret Iſrael in* JEHOVAH, *quia cum* JEHOVAH *Miſericordia, plurima cum Ipſo* REDEMPTIO; *Ille* REDIMET *Iſraelem ab omnibus iniquitatibus ejus*, Pſalm CXXX: 7. 8. JEHOVAH DEUS, & REDEMPTOR TUUS *Sanctus Iſraelis*, DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Eſaj. LIV: 5. Ex his locis & perplurimis aliis, omnis homo, cui oculi, & Mens per oculos aperta eſt, videre poteſt, quod Deus, qui unus eſt, deſcenderit, & Homo factus ſit, propter finem, ut Redemptionem ageret, quis hoc non videre poteſt ut in luce matutina, dum attendit ad ipſa illa effata Divina, quæ adducta ſunt: at vero qui in umbra noctis ſunt ex confirmatione pro nativitate alterius Dei ab æterno, ac de hujus deſcenſu & Redemptione, illi ad Divina illa Effata claudunt palpebras, & ſub illis cogitant, quomodo illa applicent ad ſua falſa & pervertant.

84. Quod Deus non potuerit Redimere homines, hoc eſt, a damnatione & Inferno extrahere illos, niſi per aſſumtum Humanum, ſunt plures cauſæ, quæ in ſerie in ſequentibus detegentur; Redemptio enim fuit ſubjugatio Infernorum, & ordinatio Cælorum, & poſt has inſtauratio Eccleſiæ; hæc Deus ex ſua Omnipotentia non potuit efficere, niſi per Humanum; ſicut non quis operari poteſt niſi ei ſit brachium, etiam Humanum Ipſius in Verbo vocatur Brachium Jehovæ, Eſaj. XL: 10. Cap. LIII: 1; tum ſicut quis non poteſt Urbem aliquam munitam aggredi & fana idolorum quæ inibi ſunt, deſtruere, niſi per Potentias medias; quod Deo in hoc Divino Opere Omnipotentia per ſuum Humanum fuerit, etiam ex Verbo patet; Deus enim, qui eſt in intimis & ſic puriſſimis, nequicquam potuit ad ultima, in quibus Inferna ſunt, & in quibus homines iſtius temporis fuerunt, aliter tranſire, comparative ſicut anima non aliquid abſque corpore poteſt agere; aut ſicut quis non poteſt vincere hoſtes, qui non in conſpectum ejus veniunt, aut ad quos non aliquibus armis, ut haſtis, clypeis aut ſclopetis, poteſt accedere & appropinquare; abſque Humano Redemptionem agere, tam impoſſibile fuit Deo, ſicut homini eſt ſubjugare Indos, & non transferre illuc milites per naves; tum ſicut facere arbores creſcere ſolum per calorem & lucem, niſi creatus ſit aer per quem tranſeant, & creata ſit terra, e qua producantur; imo tam impoſſibile eſt, ſicut emittere retia in aerem, & ibi captare piſces, & non in aquis: Jehovah enim, qualis eſt in ſe, ex Omnipotentia ſua non poteſt contingere aliquem diabolum in Inferno, nec aliquem diabolum ſuper terra, ac illum & ejus furorem compeſcere, & violentiam domare, niſi in ultimis ſit ſicut eſt in primis; in ultimis eſt in Humano ſuo, quare in Verbo vocatur Primus & Ultimus, Alphah & Omegah, Principium & Finis.

85. II. QUOD JEHOVAH DEUS DESCENDERIT UT DIVINUM VERUM, QUOD EST VERBUM, ET TAMEN QUOD NON SEPARAVERIT DIVINUM BONUM. Sunt duo quæ faciunt Eſſentiam Dei, Divinus Amor & Divina Sapientia, ſeu quod idem eſt, Divinum Bonum & Divinum Verum; quod Eſſentia Dei ſint illa duo, ſupra n. 36. ad 48, demonſtratum eſt. Illa duo in Verbo intelliguntur etiam per JEHOVAM DEUM, per Jehovam Divinus Amor ſeu Divinum Bonum, & per Deum Divina Sapientia ſeu Divinum Verum, inde eſt quod in Verbo diſtinguantur variis modis, & nunc ſolum nominetur Jehovah, nunc ſolum Deus, ubi enim agitur de Divino Bono, ibi dicitur Jehovah, & ubi de Divino Vero, ibi Deus, & ubi de utroque, ibi Jehovah Deus. Quod Jehovah Deus deſcenderit ut Divinum Verum, quod eſt Verbum, conſtat apud Johannem, ubi hæc „ *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. & Deus erat Verbum, omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit inter nos*, Cap. I: 13. 14: quod per Verbum ibi intelligatur Divinum Verum, eſt quia Verbum, quod in Eccleſia eſt, eſt ipſum Divinum Verum, eſt enim ab Ipſo Jehovah dictatum, & quod a Jehovah dictatur eſt pure Divinum Verum, nec

poteſt eſſe aliud; ſed quia illud tranſivit Cælos uſque in Mundum, accomodatum factum eſt Angelis in Cælo, & quoque hominibus in Mundo; inde ineſt Verbo ſenſus ſpiritualis, in quo Divinum Verum eſt in luce, & ſenſus naturalis in quo Divinum Verum eſt in umbra; quare Divinum Verum in hoc Verbo eſt quod apud Johannem intelligitur: hoc adhuc patet ex eo, quod Dominus in Mundum venerit, ut impleret omnia Verbi, quare toties legitur, quod hoc & illud Ipſi factum ſit, ut impleretur Scriptura. Nec aliud quam Divinum Verum per Meſſiam ſeu Chriſtum, nec aliud per Filium hominis, neque aliud per Paracletum Spiritum Sanctum, quem Dominus poſt exitum ſuum miſit, intelligitur. Quod in Transformatione coram tribus Diſcipulis ſuper monte, Matth. XII: Marc. IX: & Luc. IX, & quoque coram Johanne in Apocalypſi Cap. I: 12 ad 16, Se ut Verbum illud repræſentaverit, in Capite de SCRIPTURA SACRA, videbitur. Quod Dominus in Mundo fuerit Divinum Verum, patet ex his Ipſius verbis, *Ego ſum Via*, VERITAS, *& Vita*, Joh. XIV: 6. & ex his, *Scimus quod Filius Dei venerit, & dederit nobis Intellectum, ut cognoſcamus* VERITATEM, *& ſimus in* VERITATE, IN FILIO IPSIUS JESU CHRISTO: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*, Joh. 1 Epiſt. Cap. V: 20. 21. Et adhuc per quod dicatur Lux, ut in his locis „LUX VERA *erat, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum*, Joh. I: 4. 9. *Jeſus dixit, adhuc breve tempus* LUX VOBISCUM *eſt, ambulate quouſque* LUCEM *habetis, ne tenebræ vos apprehendant: quouſque* LUCEM *habetis, credite in* LUCEM, *ut* FILII LUCIS SITIS, Joh. XII: 35. 36. 46. EGO LUX MUNDI SUM, Joh. IX: 5. *Simeon dixit, viderunt oculi mei Salutare tuum*, LUCEM *in revelationem gentium*, Luc. II: 30. 31. 32. *Hoc eſt judicium, quod* LUX VENIT IN MUNDUM, QUI FACIT VERITATEM, VENIT AD LUCEM, Joh. III: 19. 21, præter alibi, per Lucem intelligitur Divinum Verum.

86. Quod Jehovah Deus in Mundum ut Divinum Verum deſcenderit, erat cauſa ut Redemptionem ageret, & Redemptio fuit ſubjugatio Infernorum, & ordinatio Cælorum, & poſt has inſtauratio Eccleſiæ: ad efficiendum illa, non valet Divinum Bonum, ſed Divinum Verum ex Divino Bono; Divinum Bonum in ſe ſpectatum eſt ſicut umbo enſis rotundus, aut ſicut lignum obtuſum, aut ſicut nudus arcus, aſt Divinum Verum ex Divino Bono, eſt ſicut enſis acutus, & ſicut lignum haſtile, & ſicut arcus cum telis, quæ contra hoſtes valent; per enſes, haſtas, & arcus, in ſenſu ſpirituali Verbi etiam intelliguntur vera pugnantia, videatur Apoc: Revelata, n: 52. 299. 436, ubi hoc demonſtratum eſt; nec aliter falſa & mala, in quibus Univerſum Infernum fuit, & perpetuo eſt, potuit quam per Divinum Verum ex Verbo impugnari, vinci, & ſubjugari; nec per aliud potuit novum Cælum, quod etiam tunc factum eſt, condi, formari, & ordinari; nec per aliud potuit nova Eccleſia in terris inſtaurari: præterea omne robur, omnis virtus & potentia Dei, eſt Divini Veri ex Divino Bono: Hæc cauſa fuit, quod Jehovah Deus ut Divinum Verum, quod eſt Verbum, deſcenderit; propterea dicitur apud Davidem „*Accinge gladium tuum ſuper femur, o* POTENS, *& in honore tuo aſcende,* EQUITA SUPER VERBO VERITATIS, *docebit Te mirabilia dextra tua, tela tua acuta, hoſtes tui cadent ſub te*, Pſalm XLV: 4. 5. 6; hæc de Domino, & de pugnis Ejus cum Infernis, deque victoriis ſuper illa.

87. Quale Bonum eſt abſque Vero, & quale Verum ex bono, manifeſte appareret ex homine; omne bonum ejus reſidet in Voluntate, & omne verum ejus in Intellectu, ac Voluntas ex bono ſuo ne hilum poteſt agere niſi per Intellectum, non poteſt operari, non poteſt loqui, nec poteſt ſentire, omnis virtus & potentia ejus eſt per intellectum, proinde per verum, nam intellectus eſt receptaculum & habitaculum veri. Cum his ſimile eſt quemadmodum cum operatione Cordis & Pulmonis in Corpore, Cor abſque reſpiratione Pulmonis non aliquem motum, nec aliquem ſenſum producit, ſed hæc duo facit reſpiratio pulmonis ex corde, quod evidens eſt in deliquiis apud ſuffocatos ac illapſos aquis, in quibus ceſſat reſpiratio,

per-

perſtante adhuc ſyſtolica activitate cordis, quod illis non ſit motus nec ſenſus, notum eſt; ſimile eſt cum embryonibus in uteris matrum; cauſa eſt, quia Cor correſpondet Voluntati & ejus bonis, & Pulmo Intellectui & ejus veris. In Mundo ſpirituali maxime conſpicua eſt potentia veri; Angelus qui in Divinis Veris a Domino eſt, tametſi quoad corpus invalidus eſt ſicut infans, poteſt uſque turmam ſpirituum infernalium, apparentium ſicut Enakim & Nephilim, hoc eſt, ſicut Gigantes, dejicere in fugam, perſeqni ad Infernum, ac detrudere in cavernas ibi; e quibus dum exeunt, non hiſcunt accedere ad angelum. Sunt illi qui in Divinis veris a Domino ſunt, in illo Mundo ſicut leones, tametſi quoad corpora non plus valent quam oves. Simile eſt cum hominibus, qui in Divinis veris a Domino ſunt, contra mala & falſa, proinde contra phalanges diabolorum, qui in ſua eſſentia ſpectati non aliud ſunt quam mala & falſa. Quod Divino Vero tale robur inſit, eſt cauſa, quia Deus eſt ipſum Bonum & ipſum Verum, & per Divinum Verum Creavit Univerſum; & omnes leges ordinis, per quas conſervat univerſum, ſunt veritates; quare dicitur apud Johannem, *Quod per Verbum omnia facta ſint, & ſine Illo factum ſit nihil quod factum eſt*, Cap. I: 3. 10. & apud Davidem „ *Per Verbum Jehovæ Cæli facti ſunt, & per Spiritum oris Ipſius omnis excercitus eorum*" Pſalm XXXIII: 6.

88. Quod Deus tametſi deſcendit ut Divinum Verum, uſque non ſeparaverit Divinum Bonum, conſtat ex Conceptione, de qua legitur, quod virtus Altiſſimi adumbraverit Mariam, Luc: I: 35, & per virtutem Altiſſimi intelligitur Divinum Bonum: idem conſtat ex locis, ubi Ipſe dicit, quod Pater in Ipſo ſit, & Ipſe in Patre; quod omnia Patris ſint Ipſius; & quod Pater & Ipſe unum ſint, præter plura, per Patrem intelligitur Divinum Bonum.

89. III. Quod Deus assumserit Humanum secundum Divinum suum Ordinem. In Paragrapho de Divina Omnipotentia & Omniſcientia, oſtenſum eſt, quod Deus una cum Creatione introduxerit Ordinem tam in Univerſum quam in omnia & ſingula ejus; & quod ideo Dei Omnipotentia in Univerſo & in omnibus & ſingulis ejus ſecundum leges ſui Ordinis procedat, & operetur, de quibus in ſerie a n. 49 ad 74, ſupra actum eſt. Nunc quia Deus deſcendit, & quia Ipſe eſt Ordo, ut quoque ibi demonſtratum eſt, non potuit aliter, ut actualiter etiam homo fieret, quam concipi, geſtari in utero, naſci, educari, & ſucceſſive ſcientias addiſcere, per illas in intelligentiam & ſapientiam introduci; quapropter quoad Humanum fuit infans ſicut infans, puer ſicut puer, & ſic porro; cum ſola differentia, quod citius, plenius & perfectius quam alii, progreſſionem illam perfecerit: quod ita ſecundum Ordinem progreſſus ſit, conſtat ex his apud Lucam „ *Jeſus puer crevit & corroboratus eſt ſpiritu, ac profecit ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines*, Cap. II: 40. 52; quod citius, plenius & perfectius quam alii, patet ex illis, quæ de Ipſo apud eundem Evangeliſtam dicuntur, ut quod dum *Puer 12 annorum erat, in Templo in medio Doctorum ſederit & docuerit, & quod obſtupuerint omnes audientes Ipſum ſuper Intelligentia & Reſponſionibus Ipſius*, Cap. II: 46. 47; & poſtea Cap. IV: 16 ad 22. 32. Hoc factum eſt, quia Divinus Ordo eſt, ut homo ſeipſum præparet ad receptionem Dei, & ſicut ſe præparat, ita Deus in illum, ut in ſuum habitaculum & domum intret, & præparatio illa fit per cognitiones de Deo & de ſpiritualibus quæ Eccleſiæ ſunt, & ſic per intelligentiam & ſapientiam; nam Lex Ordinis eſt, quod quantum homo accedit & appropinquat ad Deum, quod faciet prorſus ſicut a ſe, tantum Deus accedat & appropinquet ad hominem, & in medio ejus ſe conjungat cum illo: quod Dominus ſecundum hunc Ordinem uſque ad Unionem cum ſuo Patre progreſſus ſit, in ſequentibus ulterius demonſtrabitur.

90. Qui non ſciunt, quod Divina Omnipotentia procedat & operetur ſecundum ordinem, illi poſſunt plura ſanæ rationi oppoſita, & contradictoria ex phan-

taſia excludere, ſicut cur Deus non immediate ſine tali progreſſione aſſumſit Humanum; cur non ex Elementis e quatuor plagis Mundi ſibi creavit aut compoſuit corpus, & ſic ut Deum Hominem coram populo Judaico, imo coram Univerſo Mundo, ſe exhibuerit videndum; aut ſi voluit naſci, cur non ipſi embryoni, aut ſibi infanti infudit omne Divinum ſuum; aut cur non poſt partum ſe erexit in ſtaturam adulti, & ex Divina Sapientia illico loquutus eſt; talia & ſimilia poſſunt illi, qui de Divina Omnipotentia abſque ordine cogitant, concipere & parere, & ſic deliriis & nugis implere Eccleſiam; ſicut etiam factum eſt: quemadmodum quod Deus potuerit gignere Filium ab æterno, ac facere ut Tertius Deus a Se & Filio etiam tunc procederet; tum quod potuerit iraſci Generi humano, illud devotioni dare, & velle per Filium reduci in miſericordiam, & hoc per interceſſionum, & recordationem crucis Ipſius; & inſuper Filii ſui juſtitiam in hominem immittere, & indere hanc in cor ejus ſicut ſubſtantiam ſimplicem Wolffianam, in qua, ſicut ipſe Auctor dicit, omnia meriti Filii ſunt, ſed quod dividi nequeat, quoniam ſi dividatur cadit in nihilum; & inſuper quod poſſit ſicut per Bullam Papalem reremittere peccata cuicunque vult, ſeu purificare maxime impium ab atris ejus malis, & ſic nigrum ſicut diabolum facere candidum ſicut Angelum lucis, præter quod homo ſe moveat plus quam lapis, aut dum ſtat ut ſtatua, vel ut idolum; præter plures alias inſanias, quas illi, qui Divinam Potentiam abſolutam abſque cognitione & agnitione alicujus ordinis ſtatuunt, poſſunt ſpargere ſicut vertilator paleas in aerem: hi poſſunt in ſpiritualibus, quæ Cæli & Eccleſiæ, & inde vitæ æternæ ſunt, a veris Divinis aberrare, ſicut cæcus in ſylva, qui nunc cadit ſuper lapides, nunc impingit frontem in arborem, nunc intricat crines ramis ejus.

91. Miracula Divina etiam ſecundum Divinum Ordinem facta ſunt, ſed ſecundum ORDINEM INFLUXUS MUNDI SPIRITUALIS IN MUNDUM NATURALEM, de quo Ordine hactenus nemo aliquid ſcivit, quia nemo aliquid de Mundo Spirituali: qualis autem ille Ordo eſt, manifeſtabitur ſuo tempore, quando de MIRACULIS DIVINIS, & de MIRACULIS MAGICIS.

92. IV. QUOD HUMANUM, PER QUOD DEUS SE MISIT IN MUNDUM, SIT FILIUS DEI. Dominus frequenter dixit, quod Pater Ipſum miſerit, ac quod miſſus ſit a Patre, ut Matth. X: 40. Cap. XV: 24. Joh. III: 17. 34. Cap. V: 23, 24, 36, 37, 38. Cap. VI: 29, 39, 40, 44, 57. Cap. VII: 16, 18, 28, 29. Cap. VIII: 16, 18, 29, 42. Cap. IX: 4; & perſæpius alibi; & hoc dicit, quia per mitti in Mundum, intelligitur deſcendere, & inter homines venire, & hoc factum eſt per Humanum, quod per Mariam virginem aſſumſit; & quoque Humanum eſt actualiter Filius Dei, quia a Jehovah Deo, ut Patre conceptum, ſecundum Luc. Cap. I: 32. 35. Vocatur Filius Dei, Filius hominis, & Filius Mariæ, & per Filium Dei intelligitur Jehovah Deus in ſuo Humano, per Filium hominis Dominus quoad Verbum, & per Filium Mariæ proprie Humanum quod aſſumſit; quod per Filium Dei & per Filium hominis illa duo intelligantur, in ſequentibus demonſtrabitur: quod per Filium Mariæ intelligatur mere Humanum, conſtat manifeſte ex generatione hominum, quod anima ſit ex patre, & corpus ex matre; ſemini enim patris ineſt anima, & hæc induitur corpore apud matrem, ſeu quod idem, omne ſpirituale, quod homini eſt, a patre eſt, & omne materiale ei a matre eſt; quoad Dominum, Divinum quod Ipſi fuit, a Jehovah Patre erat, & Humanum Ipſi a matre; hæc duo unita ſunt Filius Dei; quod ita ſit, conſtat clare ex nativitate Domini, de qua hoc apud Lucam „*Angelus Gabriel ad Mariam dixit. Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te, unde quod naſcitur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, Cap. I: 35. Dominus ſe vocavit Miſſum a Patre, etiam propter cauſam, quia per Miſſum ſignificatur ſimile quod per Angelum, Angelus enim in Lingua originali eſt Miſſus, dicitur enim apud Eſajam, ANGELUS FACIERUM JEHOVÆ *liberavit eos, ob amorem ſuum & clementiam ſuam redemit illos* „ Cap. LXIII: 9;

&

& apud Malachiam „ *Subito veniet ad Templum ſuum* DOMINUS, *quem vos quæritis*, & ANGELUS FÆDERIS, *quem vos deſideratis*, Cap. III: 1. præter alibi. Quod Divina Trinitas, Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſit in Domino, & quod Pater in Ipſo ſit Divinum a quo, Filius Divinum Humanum, & Spiritus ſanctus Divinum procedens, in Capite hujus Operis III^tio, ubi de Divina Trinitate, videbitur.

93. Quoniam a Gabriele Angelo ad Mariam dictum eſt, quod SANCTUM, quod naſcetur ex te vocabitur Filius Dei, ex Verbo afferentur loca, quod Dominus quoad Humanum dicatur SANCTUS ISRAELIS, quæ ſunt „ *Videns ſui in viſionibus, ecce Vigil &* SANCTUS *e Cælo deſcendens*, Dan. IV: 10. 20. *Deus e Themane veniet, &* SANCTUS *e monte Paran*, Habak. III: 3. *Ego Jehovah* SANCTUS, *Creator Iſraelis* SANCTUS VESTER, Eſaj. XLIV: 11. 15. *Sic dixit Jehovah Redemptor Iſraelis* SANCTUS IPSIUS, Eſaj. XLIX: 7. *Ego Jehovah Deus tuus*, SANCTUS ISRAELIS SALVATOR TUUS, Eſaj. XLIII: 1. 3. *Quoad* REDEMPTOREM *noſtrum, Jehovah Zebaoth domen Ipſius* SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. XLVII: 4. *Dixit Jehovah* REDEMPTOR *veſter* SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. XLIII: 14. Cap. XLVIII: 17. *Jehovah Zebaoth nomen Ipſius, &* REDEMPTOR TUUS SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. LIV: 5. *Tentarunt Deum, &* SANCTUM ISRAELIS, Pſalm LXXVIII: 41. *Dereliquerunt Jehovam, & provocarunt* SANCTUM ISRAELIS, Eſaj. I: 4. *Dixerunt, ceſſare facite a faciebus noſtris* SANCTUM ISRAELIS: *propterea ſic dixit* SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. XXX: 11. 12. *Qui dicunt, properet opus Ipſius ut videamus, & appropinquet & veniat conſilium* SANCTI ISRAELIS, Eſaj. V: 19. *In die illo innitentur Jehovæ*, SANCTO ISRAELIS *in veritate*, Eſaj. X: 20. *Exclama & jubila filia Sionis, quia magnus in medio tui* SANCTUS ISRALIS, Eſaj. XII: 16. *Dictum Dei Iſralis, in die illo oculi ejus ad* SANCTUM ISRAELIS *ſpectabunt*, Eſaj. XVII: 7. *Egeni hominum in* SANCTO ISRAELIS *exultabant*, Eſaj. XXIX: 19. Cap. XLI: 16. TERRA PLENA EST REATU CONTRA SANCTUM ISRAELIS, Jerem. L: 29. & præterea Eſaj. LV: 5. Cap. LX: 9, & alibi. Per Sanctum Iſraelis intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, nam Angelus ad Mariam dixit, SANCTUM *quad naſcetur ex te, vocabitur* FILIUS DEI, Luc. I: 35. Quod JEHOVAH & SANCTUS ISRAELIS unum ſint, tametſi diſtincte nominantur, conſtare poteſt ex locis etiam hic allatis, quod Jehovah ſit ille Sanctus Iſralis. Quod Dominus dicatur DEUS ISRAELIS, conſtat etiam ex perplurimis locis, ut Eſaj. XVII: 6. Cap. XXI: 10. 17. Cap. XXIV: 15. Cap. XXIX: 23. Jerem. VII: 3. Cap. IX: 14. Cap. XI: 3. Cap. XIII: 12. Cap. XVI: 9. Cap. XIX: 3. 15. Cap. XXIII: 2. Cap. XXIV: 5. Cap. XXV: 15. 27. Cap. XXIX: 4. 8. 21. 25. Cap. XXX: 2. Cap. XXXI: 29. Cap. XXXII: 14. 15. 36. Cap. XXXIII: 4. Cap. XXXIV: 2. 13. Cap. XXXV: 13. 17. 18. 19. Cap. XXXVII: 7. Cap. XXXIII: 17. Cap. XXXIX: 16. Cap. XLII: 9. 15. 18. Cap. XLIII: 10. Cap. XLIV: 2. 7. 11. 25. Cap. XLVIII: 1. Cap. L: 18. Cap. LI: 33. Ezech. VIII: 4. Cap. IX: 3. Cap. X: 19. 20. Cap. XI: 2. Cap. XLIII: 2. Cap. XLIV: 2. Zeph. II: 9. Pſalm XLI: 14. Pſalm LIX: 6. Pſalm LXVIII: 9.

94. In hodiernis Eccleſiis Chriſtianis commune eſt vocare Dominum Salvatorem noſtrum Filium Mariæ, & raro Filium Dei, niſi tunc intelligant Filium Dei natum ab æterno; hoc inde eſt, quia Romano-Catholici Mariam Matrem ſuper reliquos ſanctificavit, & illam ſicut Deam ſeu Reginam omnibus Sanctis ſuis præfecit; cum tamen Dominus, cum glorificavit Humanum ſuum, omne Matris ſuæ exuit, & omne Patris induit, quod in ſequentibus hujus Operis plene demonſtrabitur. Ex communi hoc in omnium Ore, quod dicatur Filius Mariæ, plures enormitates influxerunt in Eccleſiam, imprimis apud illos, qui non in judicium ſuum admiſerunt illa, quæ in Verbo de Domino dicta ſunt, ut quod Pater & Ipſe unum ſint, quod Ipſe in Patre, & Pater in Ipſo ſit, quod omnia Patris ſint Ipſius, quod Ipſe Jehovam vocaverit Patrem ſuum, & Jehovah Pater Ipſum Filium ſuum. Enormitates, quæ in Eccleſiam influxerunt ex eo quod nominent Ipſum

Fili-

Filium Mariæ & non Filium Dei, ſunt, quod de Domino pereat idea Divinitatis, & cum hac omne id quod in Verbo de Ipſo ut Filio Dei dicta ſunt; tum quod per id intret Judaiſmus, Arianiſmus, Socinianiſmus, Calviniſmus qualis hic fuit in principio, & tandem Naturaliſmus, & cum hoc Fanatiſmus, quod Filius Mariæ ex Joſepho fuerit, tum quod Anima ei fuerit ex Matre, & inde quod dicatur Filius Dei & non ſit; conſulat ſe quiſque, tam Clericus quam Laicus, num aliam ideam de Domino ut Filio Mariæ, quam ut de mero homine, conceperit & foveat. Quoniam talis idea jamdum Sæculo tertio, quando ſurrexerunt Ariani, inter Chriſtianos incepit prævalere, ideo Concilium Nicænum ad vindicandum Divinitatem Domino, finxerunt Filium Dei natum ab æterno, ſed per hoc figmentum elevabatur quidem tunc, & apud plures etiam hodie elevatur Humanum Domini ad Divinum, verum non apud illos, qui per Unionem hypoſtaticam intelligunt unionem ſicut inter duos, quorum unus eſt ſupra & alter eſt infra. Sed quid aliud inde reſultat, quam quod Univerſa Eccleſia Chriſtiana pereat, quæ unice ſuper cultu Jehovæ in Humano fundata eſt, proinde ſuper Deo Homine; quod nemo poſſit videre Patrem, nec cognoſcere Ipſum, nec venire ad Ipſum, nec credere in Ipſum, niſi per Humanum Ipſius, Dominus multis in locis declarat; ſi hoc non ſit, vertitur omne ſemen Eccleſiæ nobile in ſemen ignobile, ſemen oleæ in ſemen pinus, ſemen aurantii, citri, pomi, pyri, in ſemen ſalicis, ulmi, tiliæ, ilicis, vitis in juncum paluſtrem, triticum & hordeum in paleas, imo omnis cibus ſpiritualis fit ſicut pulvis, quo ſerpentes veſcuntur; nam in homine lux ſpiritualis fit naturalis, & tandem ſenſualis corporea, quæ in ſe ſpectata eſt lux fatua; imo fit homo tunc ſicut avis, quæ dum volat in alto, abſciſſis alis decidit in terram, ubi gradiens non plus videt circum ſe, quam quod ante pedes jacet; & tunc de ſpiritualibus Eccleſiæ, quæ erunt pro vita æterna, non aliter ac quam hariolus cogitat; hæc fiunt, dum homo Dominum Deum Redemptorem & Salvatorem ſpectat ut merum Filium Mariæ, ita ut merum hominem.

95. V. QUOD DOMINUS PER ACTUS REDEMPTIONIS SE JUSTITIAM FECERIT. Quod Domino Soli meritum & juſtitia per obedientiam quam Deo Patri in Mundo præſtitit; & imprimis per paſſionem crucis, in Eccleſiis Chriſtianis hodie dicitur & creditur, ſed autumatum eſt, quod Paſſio crucis fuerit ipſe actus redemptionis, cum tamen illa non fuit actus redemptionis, ſed actus glorificationis Humani Ipſius, de qua re in ſequente Lemmate de REDEMPTIONE; actus Redemptionis, per quos Dominus ſe fecit juſtitiam, fuit quod Ultimum judicium, quod factum eſt in Mundo ſpirituali, peregerit, & tunc malos a bonis & hircos ab ovibus ſeparaverit, & illos qui unum fecerunt cum beſtiis draconis e Cælo expulerit, & ex dignis condiderit Novum Cælum, & ex indignis Infernum; & ſucceſſive omnia in ordinem utrobivis redegerit; ac inſuper Novam Eccleſiam inſtauraverit; hi actus fuerunt actus Redemptionis, per quos Dominus ſe Juſtitiam fecit; juſtitia enim eſt facere omnia ſecundum Divinum Ordinem, ac redigere in ordinem, quæ ex ordine elapſa ſunt, nam ipſe Divinus Ordo eſt Juſtitia. Illa intelliguntur per hæc Domini Verba, *Conveniens Mihi eſt implere* OMNEM JUSTITIAM DEI, Matth. III: 15; & per hæc in Veteri Teſtamento, *Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi Germen* JUSTUM, *qui regnabit Rex, & faciet* JUSTITIAM IN TERRA, *& hoc nomen Ipſius*, JEHOVAH JUSTIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII. 15. 16. *Loquor in* JUSTITIA, *magnus ad ſalvandum*, Eſaj. LXIII: 1. *Sedebit ſuper throno Davidis, ad ſtabiliendum illud in* JUDICIO ET JUSTITIA, Eſaj. IX: 6. *Zion in* JUSTITIA *redimetur*, Eſaj. I: 27.

96. Noſtrates, qui primatum in Eccleſia gerunt, prorſus aliter deſcribunt Juſtitiam Domini, & quoque per inſcriptionem ejus apud hominem fidem ſuam ſalvificam faciunt, cum tamen veritas eſt, quod Juſtitia Domini, quia talis & inde eſt, & in ſe pure Divina, non poſſit conjungi alicui homini, & ſic non aliquam ſalvationem producere, plus quam Divina Vita, quæ eſt Divinus Amor & Divina Sapientia,

Dō-

Dominus cum his apud unumquemvis hominem intrat, ſed niſi homo ſecundum ordinem vivit, ineſt quidem Vita illa, ſed prorſus nihil ad ſalutem confert, dat modo facultatem intelligendi verum & faciendi bonum. Vivere ſecundum Ordinem, eſt ſecundum præcepta Dei, & quando homo, ita vivit & facit, tunc comparat ſibi juſtitiam, non juſtitiam redemptionis Domini, ſed ipſum Dominum ut Juſtitiam; hi ſunt qui intelliguntur per hæc „ *Niſi abundaverit* JUSTITIA VESTRA *ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum*, Matth. V: 19, *Beati qui perſequutionem patiuntur propter* JUSTITIAM, *quia eorum eſt Regnum Cælorum* „ Matth. V: 10. *In conſummatione ſæculi exibunt Angeli, & ſeparabunt malos e medio* JUSTORUM, Matth. XIII: 49, præter alibi; per Juſtos in Verbo intelliguntur qui ſecundum Divinum ordinem vixerunt, quoniam Divinus ordo eſt Juſtitia. Ipſa Juſtitia, quæ per actus redemptionis factus eſt Dominus, non poteſt homini adſcribi, inſcribi, adaptari & conjungi, aliter quam poteſt lux oculo, ſonus auri, voluntas muſculis agentis, cogitatio labris loquentis, aer pulmoni reſpiranti, calor ſanguini, & ſic porro, quæ quod influant, & ſe adjungant, præter quod ſe conjungant, quiſque ex ſe percipit. Sed juſtitia acquiritur, quantum homo juſtitiam exercet, & juſtitiam exercet, quantum ex amore juſti & veri cum proximo agit; in ipſo bono, ſeu in ipſo uſu, quem facit, juſtitia habitat; Dominus enim dicit, quod omnis arbor ex fructu ejus cognoſcatur; quis non cognoſcit alterum ex operibus ejus, ſi attendit ad illa, ex quo fine & propoſito voluntatis, & ex qua intentione & cauſa fiunt; ad hæc attendunt omnes Angeli, & quoque omnes ſapientes in noſtro Mundo; in genere, omne genimen & germen e terra cognoſcitur ex ſuo flore & ſemine, & ex hujus uſu; omne metallum ex ſua bonitate; omnis lapis ex ſua qualitate; omnis ager ex ſua, omnis cibus ex ſua, tum omne animal terræ, & omnis avis Cæli ex ſua; quid non homo. Sed de qualitate operum hominis, unde eſt, in Capite de FIDE aperietur.

97. VI. QUOD DOMINUS PER EOSDEM ACTUS SE UNIVERIT PATRI ET PATER SE IPSI. Quod unio facta ſit per actus redemptionis, eſt quia Dominus illos ex Humano ſuo operatus eſt, & ſicut operatus eſt, ita Divinum quod intelligitur per Patrem propius acceſſit, adjuvit & cooperatum eſt, & tandem ſe conjunxerunt ita, ut non duo ſed unum eſſent; & hæc Unio eſt Glorificatio, de qua in ſequentibus.

98. Quod Pater & Filius, hoc eſt, Divinum & Humanum, in Domino unita ſint ſicut Anima & Corpus, eſt quidem ex fide hodiernæ Eccleſiæ, & quoque ex Verbo, ſed uſque vix quinque inter centum, aut quinquaginta inter mille hoc norunt; cauſa eſt Doctrina juſtificationis per ſolam fidem, cui plerique ex Clero, qui famam eruditionis propter honores & lucrationes ambiunt, omni ſtudio incumbunt, uſque dum illa doctrina omne punctum mentis eorum hodie ferat & obſideat, & quia hæc cogitationes illorum ſicut ſpiritus vinoſus alcohol dictus inebriavit, ideo ſicut ebrii eſſentialiſſimum hoc Eccleſiæ, quod Jehovah Deus deſcenderit, & Humanum aſſumſerit, non viderunt; cum tamen per hanc Unionem homini cum Deo unice datur conjunctio, & per conjunctionem ſalvatio: quod ſalus ex cognitione & agnitione Dei pendeat, conſtare poteſt unicuivis qui expendit, quod Deus ſit omne in omnibus Cæli, & inde omne in omnibus Eccleſiæ, conſequenter omne in omnibus Theologiæ. Sed primum hic demonſtrabitur, quod Unio Patris & Filii, ſeu Divini & Humani in Domino, ſit ſicut unio animæ & corporis, & poſtea quod Unio illa ſit reciproca; Unio ſicut animæ & corporis conſtabilita eſt in Symbolo Athanaſii, quod in Univerſo Chriſtiano Orbe pro Doctrina de Deo receptum eſt; ibi hæc leguntur „ *Noſter Dominus Jeſus Chriſtus eſt Deus & Homo, & quamvis eſt Deus & Homo, uſque non ſunt duo ſed eſt Unus Chriſtus; eſt Unus, quia Divinum ſuſcepit ad ſe Humanum; imo eſt prorſus Unus, & eſt Una Perſona, nam ſicut Anima & Corpus unus eſt homo, ita Deus & Homo unus eſt Chriſtus*; ſed hic intelligitur, quod talis unio ſit Filii Dei ab æterno cum Filio nato in tempore; ve-

rum quia Deus eſt unus & non tres, dum illa Unio intelligitur cum Deo uno ab æterno, concordat illa Doctrina cum Verbo; in Verbo hæc leguntur „*Quod conceptus ſit a Jehovah Patre*, Luc. I: 34. 35. inde Ipſi anima & vita, quare dicit, *quod Ipſe & Pater unum ſint*, Joh. X: 30. *Quod qui Ipſum videt & cognoſcit, videa & cognoſcat Patrem*, Joh. XIV: 9. *Si Me noſſetis, etiam Patrem meum noſſetis*, Joh. VIII: 19. *Qui Me ſuſcipit, ſuſcipit Ipſum qui miſit Me*, Joh. XIII: 20. *Quod in ſinu Patris ſit*, Joh. I: 18. *Quod omnia quæcunque Pater habet, ſua ſint*, Joh. XVI: 15. *Quod dicatur Pater æternitatis*, Eſaj. IX: 5. *Quod inde Ipſi ſit poteſtas omnis carnis*, Joh. XVIII. *Et omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18. Ex his & pluribus in Verbo clare videri poteſt, quod Unio Patris & Ipſius ſit ſicut Animæ & Corporis; quare etiam in Veteri Teſtamento Ipſe ſæpius nominatur Jehovah, Jehovah Zebaoth, & Jehovah Redemptor, videatur ſupra n: 83.

99. Quod Unio illa ſit reciproca, conſtat clare ex his locis in Verbo, „*Philippe, nonne credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit: Credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit*, Joh. XIV: 6. 11. *Ut cognoſcatis & credatis, quod Pater in Me, & Ego in Patre*, Joh. X: 36. 38. *Ut omnes unum ſint, ſicut Tu Pater in Me, & Ego in Te*, Joh. XVII: 21. *Pater omnia Mea Tua ſunt, & Omnia Tua Mea*, Joh. XVII: 10. Quod Unio reciproca ſit, eſt quia non datur aliqua Unio ſeu conjunctio inter duos, niſi unus ad alterum viciſſim accedat; omnis Conjunctio in Univerſo Cælo, & in univerſo Mundo, & in toto homine, non aliunde eſt, quam ex reciproca acceſſione unius ad alterum, & tunc quod alter cum altero unum velit; inde fit homogeneum & ſympathicum, ac unanimum & concors, in ſingulis utriuſque; talis conjunctio reciproca eſt animæ & corporis apud unumquemvis hominem; talis conjunctio eſt ſpiritus hominis cum organis ſenſoriis & motoriis ejus corporis; talis conjunctio eſt cordis & pulmonis; talis conjunctio eſt voluntatis & intellectus; talis conjunctio eſt omnium membrorum & viſcerum in ſe & inter ſe, in homine; talis conjunctio mentium eſt inter omnes qui ſe interius amant, eſt enim illa omni amori & amicitiæ inſcripta, amor enim vult amare & vult amari. Reciproca conjunctio eſt omnium in Mundo, quæ inter ſe ſarte conjuncta ſunt; ſimilis conjunctio eſt caloris ſolis cum calore ligni & lapidis, caloris vitalis cum calore omnium fibrarum in animatis, ſimilis eſt arboris cum radice, per radicem cum arbore, & per arborem cum fructu, talis eſt magnetis cum ferro, & ſic porro. Niſi conjunctio per acceſſionem unius ad alterum reciproce & viciſſim fiat, non fit niſi externa conjunctio & non interna, & hæc a ſe mutuo, tempore dilabitur, & quandoque ut ſe non amplius cognoſcant.

100. Nunc quia non dabilis eſt conjunctio quæ conjunctio, niſi fiat reciproce & viciſſim, ideo conjunctio Domini & hominis non alia eſt, ut manifeſte patet ex his locis, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in* ME MANET, ET EGO IN illo, Joh. VI: 56. MANETE IN ME, ET EGO IN VOBIS; QUI MANET IN ME ET EGO IN ILLO; *hic fert fructum multum*, Joh. XV: 4. 5. *Qui aperit januam, ingrediar ad illum, &* CÆNABO CUM ILLO, ET ILLE MECUM, Apoc. III: 20, præter alibi; hæc Conjunctio fit, per quod homo accedat a Dominum, & Dominus ad illum; nam certa & immutabilis Lex eſt, quod quantum homo accedit ad Dominum, tantum Dominus accedat ad hominem; ſed de hoc, in Cap: de CHARITATE & FIDE plura videbuntur.

101. VII. QUOD SIC DEUS FACTUS SIT HOMO, ET HOMO DEUS IN UNA PERSONA. Quod Jehovah Deus factus ſit Homo & Homo Deus in una Perſona, ſequitur ut concluſum ex omnibus præmiſſis Articulis hujus Capitis, imprimis ex his duobus „Quod Jehovah Creator univerſi deſcenderit & aſſumſerit Humanum, ut redimeret & ſalvaret homines, de quo ſupra n. 82. 83. 84; & quod Dominus per actus Redemptionis univerit Se Patri, & Pater Se Ipſi, ita reciproce & viciſſim, de quo ſupra n. 97 ad 100; ex reciproca illa Unione evidenter patet, quod Deus factus

ſit

ſit Homo, & Homo Deus in una Perſona: idem etiam conſequitur ex Unione utriuſque, quod ſit ſicut Animæ & Corporis; quod hoc ſit ſecundum fidem hodiernæ Eccleſiæ ex Symbolo Athanaſii, videatur ſupra, n. 89; tum ſecundum fidem Evangelicorum in Capite librorum Orthodoxiæ illorum, quod vocatur FORMULA CONCORDIÆ, ubi valide ſtabilitur, tam ex Scriptura Sacra, quam ex Patribus, & quoque per rationes, quod Humana Chriſti Natura ad Divinam Majeſtatem, Omnipotentiam & Omnipræſentiam exaltata ſit, tum quod in Chriſto Homo ſit Deus & Deus Homo, de hoc ibi p. 607. 765. præterea in hoc Capite evictum eſt, quod Jehovah Deus quoad Humanum ſuum in Verbo dicatur Jehovah, Jehovah Deus, Jehovah Zebaoth, tum Deus Iſraelis; quare Paulus dicit, *Quod in Jeſu Chriſto omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter*, Coloſſ. II: 9; & Johannes, *Quod Jeſus Chriſtus Filius Dei ſit verus Deus* & *Vita æterna*, 1 Epiſt. V: 20. 21; quod per Filium Dei proprie intelligatur Humanum Ipſius, videatur ſupra n. 92 ſeq. & præterea, Jehovah Deus & Se & Ipſum vocat Dominum; legitur enim, *dixit* DOMINUS DOMINO *meo, ſede a dextris meis*, Pſalm CX: 1.: & apud Eſajam „ *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cujus nomen* DEUS, PATER ÆTERNITATIS, Cap. IX: 5. 6: per Filium etiam intelligitur Dominus quoad Humanum apud Davidem „ *Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit*, FILIUS MEUS TU, *Ego* HODIE *genui Te, oſculamini* FILIUM, *ne iraſcatur, & pereatis in via*. Pſalm II: 7. 12; hic non intelligitur Filius ab æterno, ſed Filius natus in Mundo, nam eſt propheticum de Domino venturo, quare vocatur Statutum, de quo Jehovah annuntiavit Davidi, & in Pſalmo illo præmittitur, *Ego inunxi Regem meum ſuper Sionem*, Verſ. 6, & ſequitur, *dabo gentes Illi in hæreditatem*, Verſ. 8; quare HODIE ibi non eſt ab æterno, ſed in tempore, nam apud Jehovam futurum eſt præſens.

102. Creditur quod Dominus quoad Humanum non modo fuerit, ſed etiam ſit Filius Mariæ, ſed in hoc Orbis Chriſtianus hallucinatur; quod fuerit Filius Mariæ verum eſt, ſed quod adhuc ſit non verum eſt, nam per actus Redemptionis exuit Humanum ex Matre & induit Humanum ex Patre, inde eſt quod Humanum Domini ſit Divinum, & quod in Ipſo Deus ſit Homo & Homo Deus. Quod exuerit Humanum ex matre, ac induerit Humanum ex Patre, quod eſt Divinum Humanum, videri poteſt ex eo, quod Ipſe Mariam nuſquam vocaverit ſuam matrem, ut conſtare poteſt ex his, *Dixit Mater Jeſu ad Ipſum, vinum non habent, dixit illi Jeſus, quid Mihi & tibi*, MULIER, *nondum venit hora mea*, Joh. II: 4. Et alibi, *Jeſus e cruce videt Matrem, & Diſcipulum adſtantem quem amabat, dicit Matri ſuæ*, MULIER *ecce filius tuus, deinde dicit Diſcipulo, ecce Mater tua* Joh. XIX: 26. 27: & ſemel quod non agnoverit illam, *Nuntiatum eſt Jeſu a dicentibus, Mater tua & fratres tui foris ſtant, & volunt Te videre. Jeſus reſpondens dixit, Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui audiunt Verbum Dei & faciunt illud*, Luc. VIII: 20. 21. Matth. XII: 46 ad 49, Marc. III: 31 ad 35, ita Dominus non vocavit illam Matrem ſed Mulierem, & dedit illam Johanni in Matrem; in aliis locis vocatur illa Mater Ipſius, ſed non ab Ipſius ore. Hoc etiam confirmatur per hoc, quod non agnoverit Se eſſe Filium Davidis; legitur enim apud Evangeliſtas, *Interrogavit Jeſus Phariſæos, dicens, quid vobis videtur de Chriſto, cujus Filius eſt. dicunt Ipſi, Davidis; dixit illis, quomodo ergo David illum in ſpiritu Dominum ſuum vocat, dicens, dixit* DOMINUS DOMINO MEO, *ſede a dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; ſi ergo David vocat Ipſum Dominum, quomodo filius ejus eſt; & nemo poterat Ipſi reſpondere verbum* Matth. XXII: 39 ad 44. Marc. XII: 35. 36. 37. Luc. XX: 41 ad 44. Pſalm CX: 1. „ His adjiciam hoc novum; ſemel mihi datum „ eſt loqui cum Maria Matre; præteriit quondam, & viſa eſt in Cælo ſupra caput „ meum in veſtitu albo ut ex ſerico, & tunc paulum morata dixit, quod Mater „ Domini fuerit, quia a ſe natus, ſed quod factus Deus exuerit omne Humanum „ ex illa, & quod ideo adoret Ipſum ut ſuum Deum, & quod nolit ut quiſquam Ip-

„ ſum pro Filio ſuo agnoſcat, quia in Ipſo omne Divinum eſt". Ex his nunc elucet hæc veritas, quod ita Jehovah ſit Homo ut in primis etiam in ultimis, ſecundum hæc, *Ego ſum Alphah & Omegah, Principium & Finis; Ille qui Eſt, qui Fuit, & qui Venturus eſt, Omnipotens*, Apoc. I: 8. 11. *Johannes cum vidit Filium hominis in medio ſeptem candelabrorum, cecidit ad pedes Ipſius ſicut mortuus; ſed impoſuit dextram ſuam ſuper illo, dicens, Ego ſum Primus & Ultimus*, Apoc. I: 13. 17. Cap. XXI: 6. *Ecce venio cito, ut dem unicuique ſecundum opus ejus, Ego ſum Alphah & Omegah, Principium & Finis, Primus & Ultimus*, Apoc. XXII: 12. 13. Et apud Eſajam „*Sic dixit Jehovah Rex Iſraelis, & Redemptor ejus Jehovah Zebaoth, Ego ſum Primus & Ultimus*, Cap. XLIV: 6. Cap. XLVIII: 12.

103. His adjungam hoc Arcanum; quod Anima quæ eſt ex Patre, ſit ipſe homo, & quod Corpus quod eſt a matre, non ſit homo in ſe, ſed ex illo; hoc duntaxat eſt indumentum ejus, contextum ex talibus quæ e Mundo naturali ſunt, at vero Anima ex talibus quæ in Mundo ſpirituali; omnis homo poſt mortem deponit naturale, quod a matre tulit, & retinat ſpirituale quod a patre, una cum aliquo limbo ex puriſſimis naturæ circum illud; ſed hic limbus apud illos, qui in Cælum veniunt, eſt infra, & ſpirituale ſupra, at limbus ille, apud illos qui in Infernum veniunt, eſt ſupra & ſpirituale infra; inde eſt, quod homo angelus loquatur e Cælo, ita bonum & verum, at quod homo diabolus loquatur ex inferno dum ex corde ſuo, & tanquam e Cælo dum ex ore; hoc facit foris, illud autem domi. Quoniam Anima hominis eſt ipſe homo, & illa ſpiritualis ex origine ſua, patet unde eſt, quod mens, animus, indoles, inclinatio, & affectio amoris Patris inhabitet proli poſt prolem, ac redeat & conſpicuam ſe ſiſtat a generatione in generationem; inde eſt, quod plures familiæ, imo gentes a ſuo primo Patre cognoſcantur, eſt communis imago in ſingulis faciebus progeniei, quæ ſe manefeſtat; & hæc imago non mutatur niſi quam per ſpiritualia Eccleſiæ: quod communis imago Jacobi & Judæ adhuc in poſteris illorum permaneat, & quod per illam ab aliis dignoſcantur, eſt cauſa, quia ſuo Religioſo firmiter huc uſque adhæſerunt; eſt enim in ſemine cujuſvis, ex quo concipitur, tradux ſeu propago Animæ patris in ſuo pleno intra quoddam involucrum ex elementis e natura, per hæc in utero matris formatur corpus ejus, quod poteſt fieri vel ad ſimilitudinem patris, vel ad ſimilitudinem matris, remanente uſque imagine patris intra illam, quæ jugiter allaborat ſe educere, quare ſi id non poteſt in prima ſobole, præſtat id in ſequentibus. Quod imago patris in pleno ſit in ſemine, eſt cauſa, quia, ut dictum eſt, Anima eſt ſpiritualis ex origine ſua, & ſpirituale non commune habet cum ſpatio, quare ſimile ſibi eſt in parvo volumine, ut in magno. Quod ad Dominum attinet, Ille, dum in Mundo fuit, per actus redemptionis exuit omne Humanum ex Matre, & induit Humanum ex Patre, quod eſt Divinum Humanum, inde eſt, quod in Ipſo Homo ſit Deus & Deus Homo.

104. VIII. QUOD PROGRESSIO AD UNIONEM FUERIT STATUS EXINANITIONIS IPSIUS, ET QUOD IPSA UNIO SIT STATUS GLORIFICATIONIS IPSIUS. Quod Domino, cum fuit in Mundo, bini Status, qui vocantur Exinanitionis & Glorificationis, fuerint, notum eſt in Eccleſia; prior Status, qui fuit Exinanitionis, deſcribitur multis in locis in Verbo, imprimis in Pſalmis Davidis, & quoque apud Prophetas, & ſingulatim apud Eſajam Cap. LIII, ubi dicitur, *quod uſque ad mortem exinaniverit animam ſuam*, Verſ. 12; idem hic Status fuit ſtatus humiliationis Ipſius coram Patre, nam in illo oravit ad Patrem, ac dicit quod voluntatem Ipſius faciat, & adſcribit omnia quæ operatus & loqutus eſt Patri; quod oraverit ad Patrem, conſtat ex his locis, Matth. XVII: 43. Marc. I: 35. Cap. VI: 46. Cap. XIV: 32 ad 39. Luc. V: 15. Cap. VI: 12. Cap. XXII: 41 ad 44. Joh. XVII: 9. 15. 20. Quod fecerit voluntatem Patris, Joh. IV: 34. Cap. V: 30; quod adſcripſerit omnia quæ operatus & loquutus eſt, Patri, Joh. VIII: 26. 27. 28. Cap XII: 49. 50. Cap.

XIV.

XIV: 10; imo ſuper cruce exclamavit, Deus mi, Deus mi, quare derelinquis Me, Matth. XXVII: 47. Marc. XV: 34; & præterea, abſque hoc ſtatu non potuit crucifigi. Status Glorificationis erat etiam Status Unionis; in hoc ſtatu fuit, cum Transformatus fuit coram tribus ſuis Diſcipulis, & quoque cum Miracula fecit, & quoties dixit quod Pater & Ipſe unum ſint, quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre ſit, quod omnia Patris Ipſius ſint; & poſt plenariam Unionem, quod Ipſi eſſet poteſtas omnis carnis, Joh. XVII: 2. ac omnis poteſtas in Cælo & in Terra, Matth. XXVIII: 18; præter plura.

105. Quod bini illi ſtatus, Exinanitionis & Glorificationis, fuerint Domino, fuit cauſa, quia non alia progreſſio ad Unionem dabilis eſt, quoniam eſt ſecundum Divinum Ordinem, qui immutabilis eſt; Divinus Ordo eſt, ut homo diſponat ſe ad receptionem Dei, ac paret ſe receptaculum & habitaculum, in quod Deus ingrediatur, ac ut in ſuo Templo habitet; hoc faciet homo a ſeipſo, ſed uſque agnoſcet quod ſit a Deo; hoc agnoſcet, quia non ſentit præſentiam & operationem Dei, tametſi Deus omne bonum amoris & omne verum fidei apud hominem præſentiſſime operatur: ſecundum hunc Ordinem progreditur & progreſſurus eſt omnis homo, ut a naturali fiat ſpiritualis: ſimiliter Dominus, ut Humanum Naturale ſuum Divinum faceret; inde eſt, quod oraverit ad Patrem, quod fecerit Voluntatem Ipſius, quod omnia, quæ operatus & loquutus eſt, Ipſi attribuerit, & quod ſuper cruce dixerit, Deus mi, Deus mi, cur derelinquis Me; in hoc enim ſtatu Deus apparet abſens: at poſt hunc ſtatum venit alter, qui eſt ſtatus Conjunctionis cum Deo, in hoc agit homo ſimiliter, ſed tunc ex Deo, nec tunc opus habet, ut ſimiliter ſicut prius, tribuat Deo omne bonum quod vult & agit, & omne verum quod cogitat & loquitur, quia hoc inſcriptum eſt cordi ejus, & inde eſt intus in omni actione & loquela ejus. Similiter Dominus ſe univit ſuo Patri, & Pater Se Ipſi: verbo, Dominus glorificavit ſuum Humanum, hoc eſt, Divinum illud fecit, quemadmodum Dominus regenerat hominem, hoc eſt, illum ſpiritualem facit.

Quod quiſque homo, qui a naturali fit ſpiritualis, binos ſtatus ſubeat, & quod per primum intret in alterum, & ſic e Mundo ad Cælum, in Capitibus de Libero Arbitrio, de Charitate et Fide, & de Reformatione & Regeneratione, plene demonſtrabitur; hic ſolum, quod in Primo ſtatu, qui vocatur Reformationis, homo ſit in plena libertate agendi ſecundum Rationale intellectus ſui, & quod in ſecundo, qui eſt ſtatus Regenerationis, ſit quoque in ſimili libertate, ſed quod tunc velit & agat, ac cogitet & loquatur ex novo amore & nova intelligentia, quæ ſunt a Domino; in primo enim ſtatu Intellectus agit primas partes & voluntas ſecundas, in altero agit voluntas primas ac intellectus ſecundas, at uſque intellectus a voluntate, non autem voluntas per intellectum; conjunctio boni & veri, charitatis & fidei, ac interni & externi hominis, non aliter fit.

106. Bini illi Status repræſentantur per varia in Univerſo, cauſa eſt, quia ſunt ſecundum Divinum ordinem, & Divinus Ordo omnia & ſingula uſque ad ſingulariſſima in Univerſo implet: Primus ſtatus repræſentatur apud omnem hominem per ſtatum infantiæ & pueritiæ ejus uſque ad ephebatum, adoleſcentiam & juventutem ejus, qui ſtatus eſt humiliationis ejus coram parentibus, & tunc obedientiæ, & quoque informationis a magiſtris & miniſtris; alter autem ſtatus repræſentatur per ſtatum ejuſdem dum fit ſui juris & arbitrii, ſive ſuæ voluntatis & ſui intellectus, in quo illi eſt poteſtas in ſua domo. Primus Status ſic repræſentatur per ſtatum Principis ſeu filii Regis, aut Ducis, antequam fit Rex aut Dux; ſimiliter per ſtatum cujuſvis civis, antequam fit perſona magiſtratus; cujuſvis ſubditi antequam aliquo officio fungitur; tum cujuſvis gymnaſiſtæ qui initiatur in miniſterium antequam fit facerdos, & poſtea hujus antequam fit paſtor, & deinde hujus antequam fit Primas; tum cujuſvis virginis antequam fit uxor, & cujuſvis ancil-

cillæ antequam fit hera; in genere cujuſvis tironis antequam fit mercator, cujuſvis militis antequam fit præfectus, & cujusvis famuli antequam fit herus; primus horum ſtatus eſt ſervitutis, & alter eſt propriæ voluntatis & inde intellectus. Bini illi ſtatus repræſentantur etiam per varia in Regno Animali, primus per beſtias & aves quamdiu ſunt apud matres & patres, quos tunc jugiter ſequuntur, ac ab illis aluntur & ducuntur; & alter ſtatus dum relinquunt illos, & ſibi ipſis proſpiciunt; ſimiliter per vermes, primus dum repunt & ex foliis nutriuntur, ſecundus dum exuvias deponunt, & fiunt papiliones. Bini illi ſtatus repræſentantur etiam in ſubjectis Regni vegetabilis, primus dum vegetabile ex ſemine exſurgit, ac ramis, frondibus & folſis inſignitur, & alter dum fructus fert, & nova ſemina producit; hoc æquaparari poteſt conjunctioni veri & boni, quoniam omnia quæ arboris ſunt correſpondent veris, & fructus bonis. At homo, qui ſubſiſtit in Primo ſtatu, & non intrat alterum, ſimilis eſt arbori, quæ ſolum folia fert, & non fructus, de qua dicitur in Verbo, quod exſtirpanda & conjicienda in ignem, Matth. XXI: 19. Luc. I: 9. Cap. XIII: 6 ad 10. Joh. XV: 5. 6. eſtque ſicut ſervus, qui non vult liber eſſe, de quo ſtatutum erat, *quod adduceretur ad januam vel ad poſtem, & perforaretur auris ejus ſubula*, Exod. XXI: 6. ſervi ſunt qui non conjunguntur Domino, at liberi qui Ipſi conjunguntur, nam dicit Dominus, *Si Filius vos liberos facit, vere liberi eſtis*. Joh. VIII: 8.

107. IX. QUOD POSTHAC NULLUS EX CHRISTIANIS IN CÆLUM VENIAT, NISI QUI IN DOMINUM DEUM SALVATOREM CREDIT, ET IPSUM SOLUM ADIT. Legitur apud Eſajam „ *Ecce Ego creo Cælum novum & Terram novam, & non commemorabuntur priora, neque aſcendent ſuper cor; & ecce creaturus ſum Hieroſolymam exultationem, & populum ejus lætitiam*, Cap. LXV: 17. & in Apocalypſi „ *Vidi Cælum novum & Terram novam, & vidi Sanctam Hieroſolymam deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut Sponſam Marito ſuo: & dixit Sedens ſuper throno, ecce omnia nova faciam*, Cap. XXI: 1. 2. 5. & pluries, quod non alii ingreſſuri ſint Cælum, quam qui ſcripti ſunt in Libro vitæ Agni, Apoc. XIII: 8. Cap. XVII: 8. Cap. XX: 12. 15. Cap. XXI: 26. per Cælum ibi non intelligitur Cælum coram oculis noſtris aſpectabile, ſed Cælum Angelicum; per Hieroſolymam non aliqua Urbs e Cælo, ſed Eccleſia quæ e Cælo illo a Domino deſcendet: & per Librum vitæ Agni non intelligitur aliquis liber ſcriptus in Cælo qui aperietur, ſed Verbum, quod eſt a Domino, & de Ipſo. Quod Jehovah Deus, qui Creator & Pater vocatur, deſcenderit, & aſſumſerit Humanum, etiam propter cauſam, ut poſſit adiri & conjungi, in præcedentibus hujus Capitis confirmatum, evictum & ſtabilitum eſt; quis enim, qui accedit ad hominem, adit Animam ejus, & quis hoc poteſt, ſed adit ipſum hominem, quem videt facie ad faciem, & cum quo loquitur ore ad os; ſimile eſt cum Deo Patre & Filio, eſt enim Deus Pater in Filio, ſicut Anima in ſuo Corpore. Quod in Dominum Deum Salvatorem credendum ſit, conſtat ex his in Verbo „ *Adeo Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipſum, non pereat, ſed vitam æternam habeat* Joh. III: 15. 16. *Qui* CREDIT IN FILIUM, *non judicatur, qui autem* NON CREDIT, *jam judicatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 18. *Qui* CREDIT IN FILIUM, *habet vitam æternam; qui vero* NON CREDIT FILIO, *non videbit vitam, ſed ira Dei manebit ſuper illo*, Joh. III: 36. *Panis Dei eſt, qui deſcendit e Cælo, & vitam dat Mundo; qui venit ad Me, non ſuriet, & qui* CREDIT IN ME, *non ſitiet unquam*, Joh. VI: 33. 35. *Hæc eſt voluntas Ipſius, qui miſit Me, ut omnis qui videt Filium & CREDIT IN IPSUM, habeat vitam æternam, & reſuſcitem Ego illum in extremo die*. Joh. VI: 40. *Dixerunt ad Jeſum, quid faciemus ut operemur opera Dei, reſpondit Jeſus, hoc eſt opus Dei, ut* CREDATIS IN IPSUM, *quem miſit Pater*, Joh. VI: 28. 29. *Amen dico vobis, qui* CREDIT IN *Me, habet vitam æternam*, Joh. VI: 47. *Jeſus clamavit dicens, ſi quis ſitiverit, venito ad Me, & bibito,* QUISQUIS CREDIT

DIT IN ME, *Flumina e ventre illius fluent aquæ viventis*, Joh. VII: 37. 38. *Nisi* CREDIDERITIS *quod Ego sim moriemini in peccatis vestris*, Joh. VIII: 24. *Jesus dixit; Ego sum resurrectio & vita, qui* CREDIT IN ME, *etsi moriatur, vivet: omnis vero qui vivit, &* CREDIT IN ME, *non morietur in æternum*, Joh. XI: 25. 26. *Jesus dixit, Ego Lux in Mundum veni, ut omnis qui* CREDIT IN ME, *in tenebris non maneat*, Joh. XII: 46. Cap. VIII: 12. *Quousque Lucem habetis*, CREDITE IN LUCEM, *ut filii Lucis sitis*, Joh. XII: 36. *Quod manſuri ſint in Domino, & Dominus in illis*, Joh. XIV: 20. Cap. XV: 1 ad 5. Cap. XVII: 23, quod fit per fidem. *Paulus conteſtatus & Judæis & Græcis pœnitentiam in Deum, &* FIDEM IN DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, Act. Apoſt. Cap. XX: 21. *Ego ſum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me*, Joh. XIV: 6. Quod qui credit in Filium, credat in Patrem, quoniam ut ſupra dictum, Pater eſt in Ipſo, ſicut Anima in Corpore, conſtat ex his, *Si Me noſſetis, etiam Patrem meum noſſetis*, Joh. VIII: 19. Cap. XIV: 7. *Qui videt Me, videt Ipſum qui miſit Me*, Joh. XII: 45. *Qui Me ſuſcipit, ſuſcipit Ipſum qui miſit Me*, Joh. XIII: 20. Cauſa eſt, quia nemo poteſt *videre Patrem, & vivere*, Exod. XXXIII: 20. quare dicit Dominus, *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius qui in ſinu Patris eſt, Ille expoſuit*, Joh. I: 18. *Non Patrem vidit quis, niſi qui eſt apud Patrem, Hic vidit Patrem*, Joh. VI: 6. *Non vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis*, Joh. V: 37. Illi autem, qui non ſciunt aliquid de Domino, ut pleriqui in duabus Partibus Orbis, Aſia & Africa, & quoque in Indiis, hi ſi credunt in Deum unum & vivunt ſecundum præcepta Religionis ſuæ, ex ſua fide & vita ſalvantur, nam imputatio eſt illis qui norunt, & non illis qui ignorant, ſicut non eſt cæcis dum impingunt, nam dicit Dominus, *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, jam vero dicitis quod videatis, ideo peccatum veſtrum manet*, Joh. IX: 41.

108. Ad hoc ulterius confirmandum referam quæ ſcio, quia vidi & ideo teſtari poſſum, quæ ſunt; quod hodie a Domino Novum Cælum Angelicum condatur, & quod condatur ex illis, qui in Dominum Deum Salvatorem credunt, & Ipſum immediate adeunt, & quod reliqui rejiciantur; quare ſi poſthac aliquis e Chriſtiano Orbe in Mundum Spiritualem venit, quod fit omni homini poſt mortem, & non in Dominum credit, & Illum ſolum adit, & hoc tunc non poteſt recipere, quia male vixit, aut in falſis ſe confirmavit, in primo veſtigio ad Cælum repellitur, & facies ejus inde avertitur, & convertitur ad Terram Inferiorem, quo etiam abit, & ſe conjungit cum illis ibi, qui in Apocalypſi per Draconem & Pſeudoprophetam intelliguntur. Omnis etiam homo in Terris Chriſtianis, qui non credit in Dominum, poſthac nec exauditur, ejus preces in Cælo ſunt ſicut odores maleolenti, ac ſicut eructiones ex pulmone faucio; & ſi putatur quod oratio ejus ſit ſicut ſuffitus ex thure, uſque non aſcendit ad Cælum angelicum aliter quam ſicut fumus incendii, qui a procella deorſum cadente rejicitur in oculos ejus, aut ſicut ſuffitus ex thuribulo ſub pallio monachi, ita fit poſt hoc tempus cum omni pietate, quæ determinatur ad Trinitatem diſcretam, & non ad conjunctam; quod in Domino Divina Trinitas conjuncta ſit, eſt hujus Operis principale objectum. Hic Novum hoc adjiciam, quod ante aliquot Menſes duodecim Apoſtoli a Domino convocati ſint, & in Univerſum Mundum Spiritualem, ſicut prius in Mundum naturalem, emiſſi, cum mandato ut hoc Evangelium prædicent, & tunc cuivis Apoſtolo ſua Regio addicata eſt; quod mandatum etiam omni zelo & opera obeunt. Sed de his in Ultimo Capite hujus Libri, ubi de CONSUMMATIONE SÆCULI, de ADVENTU DOMINI, & de NOVA ECCLESIA, in ſpecie tranſigetur.

COROLLARIUM.

109. Omnes Eccleſiæ, quæ ante Adventum Domini fuerant, Eccleſiæ Repræſentativæ fuerunt, quæ Divina Vera non videre potuerunt niſi quam in Umbra; at poſt adventum Domini in Mundum, Eccleſia ab Ipſo inſtituta eſt, quæ Divina Vera vidit, aut potius, videre potuit in Luce; differentia eſt, qualis inter Veſperam & Mane; Status Eccleſiæ ante Adventum Domini in Verbo etiam vocatur Veſpera, & Status Eccleſiæ poſt adventum Ipſius, vocatur Mane. Dominus ante adventum ſuum in Mundum, quidem præſens fuit apud homines Eccleſiæ, ſed mediate per Angelos qui repræſentabant Ipſum, at poſt adventum ſuum præſens eſt apud homines Eccleſiæ immediate, nam in Mundo induit quoque Divinum Naturale, in quo apud homines præſens eſt: Glorificatio Domini eſt glorificatio Humani Ipſius, quod aſſumſit in Mundo, ac Humanum Domini glorificatum eſt Divinum Naturale: Quod ita ſit, evidens eſt ex eo, quod Dominus cum toto ſuo Corpore, quod in Mundo habuit, e ſepulchro reſurrexerit, nec quicquam in illo reliquerit, proinde quod ipſum Humanum Naturale a primis ad ultima ejus inde ſecum tulerit: quapropter dixit Diſcipulis poſt reſurrectionem credentibus videre Spiritum, *Videte Manus meas & Pedes meos, quod Ipſe Ego ſim, palpate Me & videte, nam Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut Me videtis habere*, Luc. XXIV: 37. 39. Ex quibus patet, quod Naturale Ipſius Corpus per Glorificationem Divinum factum ſit; quare dicit Paulus, *Quod in Chriſto habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloſſ. II: 9, & Johannes, *Quod Filius Dei Jeſus Chriſtus ſit Verus Deus*, I Epiſt. V: 20. 21. Ex his ſciunt Angeli, quod ſolus Dominus in Univerſo Mundo Spirituali ſit plenus Homo.

Notum eſt in Eccleſia, quod omnis Cultus apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam fuerit mere Externus, & quod adumbraverit Cultum Internum, quem Dominus aperuit; & quod ſic Cultus ante adventum Domini conſtiterit in typis & figuris, quæ repræſentabant Cultum verum in ſua juſta effigie. Ipſe Dominus apud Antiquos quidem viſus eſt, nam dixit ad Judæos, *Abraham Pater veſter exultavit ut videret diem meum, & vidit, & gaviſus eſt: dico vobis, priuſquam Abraham fuit, Ego ſui*, Joh. VIII: 56. 58. Sed quia tunc ſolum repræſentabatur Dominus, quod factum eſt per Angelos, ideo omnia Eccleſiæ apud illos repræſentativa facta ſunt; at poſtquam in Mundum venit, repræſentationes illæ evanuerunt; hujus rei interior cauſa fuit, quia Dominus in Mundo etiam induit Divinum Naturale, & ex hoc non modo illuſtrat Internum ſpiritualem hominem, ſed etiam Externum naturalem, quæ duo niſi ſimul illuſtrantur, homo eſt ſicut in umbra, at dum uterque ſimul illuſtratur, eſt ſicut in die; dum enim ſolus Internus homo illuſtratur & non ſimul Externus, aut dum ſolum Externus & non ſimul Internus, eſt ſicut quis dormit & ſomniat, & mox dum expergiſcitur, recolligit ſomnium, & ex illo concludit varia, quæ tamen imaginaria ſunt; & eſt quoque ſicut ambulans in ſomno, & objecta quæ videt, putat videri in luce diurna. Diſcrimen inter ſtatum Eccleſiæ ante adventum Domini, & poſt adventum Ipſius, eſt quoque ſicut qui noctu in luce Lunæ & Stellarum legit ſcripturam, & ſicut qui in luce ſolis; quod oculus in priore luce, quæ modo eſt candida, erret, & in poſteriore, quæ etiam eſt flammea, non erret, liquet: quare de Domino legitur, *Dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt Petra Iſraelis, ille ſicut Lux matutæ, dum oritur Sol, matutæ ſine nubibus*, II Sam. XXIII: 3. 4, Deus Iſraelis, & Petra Iſraelis eſt Dominus: & alibi, *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptupla, ſicut Lux ſeptem dierum, in die quo obligabit Jehovah fracturam populi ſui*, Eſaj. XXX:

XXX: 25. 26: hæc dicuntur de Statu Eccleſiæ poſt adventum Domini. Verbo, Status Eccleſiæ ante adventum Domini comparari poteſt Vetulæ, cujus facies fucata fuit, & ex purpura fuci apparuit ſibi pulchra; at Status Eccleſiæ poſt adventum Domini comparari poteſt Virgini ex purpura nativa formoſæ: Et quoque Status Eccleſiæ ante adventum Domini comparari poteſt cruſtæ alicujus fructus, ut aurantii, pomi, pyri, uvæ, & ejus ſapori, at ſtatus Eccleſiæ poſt adventum Ipſius comparari poteſt Interioribus illorum fructuum, & horum ſapori; præter cum ſimilibus aliis: & hæc propter illam cauſam, quia Dominus, poſtquam induit etiam Divinum Naturale, illuſtrat Internum ſpiritualem hominem & Externum naturalem ſimul, nam dum modo Internus homo illuſtratur & non ſimul Externus, fit umbra, ſimiliter dummodo Externus & non ſimul Internus.

110. Hic adducentur hæc MEMORABILIA. PRIMUM. Quondam in Mundo Spirituali vidi Ignem fatuum in aere delapſum in terram, & lucidum circum circa illum, erat meteoron quod vulgus vocat Draconem; notavi locum ubi decidit, ſed hoc in diluculo ſuboriente Sole diſparatum eſt, ſicut fit cum omni fatuo Igne. Poſt matutam acceſſi ad locum, ubi delapſum ejus in nocte vidi, & ecce ibi humus ex miſcela ſulphuris, ramentorum ferri, & argillæ luti: & ſubito tunc viſa ſunt duo Tentoria, unum directe ſupra locum, & alterum a latere verſus meridiem, & ſuſpexi, & vidi quendum Spiritum e cælo ſicut falmen decidentem, & injectum in Tentorium, quod directe ſupra locum delapſus meteori ſtetit, & ego in altero quod juxta erat verſus meridiem, in oſtio hujus ſteti, & vidi Spiritum in altero etiam in oſtio ſui tentorii ſtantem; & tunc quæſivi illum, cur ita decidit e Cælo; ad quod ille reſpondit, quod dejectus ſit ut angelus Draconis ab angelis Michaelis, quia aliqua de Fide mea, in qua me confirmavi in Mundo, loquutus ſum; inter quæ fuit hoc, quod Deus Pater & Deus Filius ſint duo, & non unus; omnes enim in Cælis hodie credunt, quod ſint unum ſicut anima & corpus; & omnis dictio contra id, eſt ſicut ſtimulus in naribus illorum, & ſicut ſubula perforans aures illorum, unde illis fit emotio & dolor, & propter hoc contradicens mandatur exire, & ſi tergiverſatur, dejicitur: hoc audito ad illum dixi, cur non credidiſti ſicut illi, retulit, quod poſt exceſſum e Mundo nemo poſſit credere aliud, quam quod per confirmationem ſibi impreſſerat, hoc manet infixum, & non poteſt avelli, imprimis id quod quis apud ſe confirmavit de Deo; quoniam in Cælis cuivis eſt locus ſecundum ideam Dei: porro interrogavi, per quæ confirmaverat quod Pater & Filius eſſent duo, dixit, per hæc in Verbo, quod Filius oraverit ad Patrem, non modo ante Paſſionem crucis, ſed etiam in illa; ut & quod ſe coram Patre ſuo humiliaverit; quomodo tunc poſſunt unus eſſe, ſicut anima & corpus unum ſunt in homine, quis orat ſicut ad alium, & humiliat ſe ſicut coram alio, dum ipſe ille eſt, ita nullus facit, minus Filius Dei: & præterea, Univerſa Eccleſia Chriſtiana meo tempore diviſit Divinitatem in Perſonas, ac unaquævis Perſona eſt unum per ſe, ac *definitur quod ſit quod proprie ſubſiſtit.* His ab illo auditis, reſpondi, percepi ex ſermone, quod prorſus nihil ſcias, quomodo Deus Pater & Filius unum ſunt, & quia non ſcis quomodo, confirmaveras te in falſis, in quibus Eccleſia adhuc eſt de Deo; nonne ſcis, quod Domino, cum erat in Mundo, fuerit anima ſicut omni alii homini, unde hæc Illi, niſi ex Deo Patre; quod ita ſit, ex Verbo Evangeliſtarum abunde patet, quid tunc quod vocatur Filius niſi Humanum, quod a Divino Patris conceptum eſt, & a Maria Virgine natum; Mater non poteſt concipere Animam, hoc totaliter repugnat Ordini, ſecundum quem omnis homo naſcitur; nec poteſt Deus Pater indere Ani-

nam ex ſe & deinde recedere, ſicut omnis pater in Mundo, quoniam Deus eſt ſua Divina Eſſentia, & hæc eſt una & individua, & quia eſt individua eſt Ipſe; inde eſt, quod Dominus dicat, quod Pater & Ipſe unum ſint, & quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre, præter plura ſimilia: hoc etiam conceptores Symboli Athanaſiani e longinquo viderunt, quare poſtquam Deum in tres Perſonas partiti ſunt, uſque dicunt quod in Chriſto Deus & Homo, hoc eſt, Divinum & Humanum, non ſint duo, ſed unum ſicut anima & corpus in homine. Quod Dominus in Mundo oraverit ad Patrem ſicut ad alium, & quod humiliaverit ſe coram Patre ſicut coram alio, fuit ſecundum Ordinem a Creatione conſtabilitum, qui immutabilis, ſecundum quem omnis ad conjunctionem cum Deo progredietur; ordo ille eſt, quod ſicut homo per vitam ſecundum leges ordinis, quæ ſunt præcepta Dei, ſe conjungit Deo, ita Deus ſe conjungat homini, & a naturali illum ſpiritualem faciat; ſimiliter Dominus ſe univit ſuo Patri & Deus Pater ſe Ipſi; fuitne Dominus dum Infans ſicut infans, dum Puer ſicut puer, legiturne quod profecerit ſapientia & gratia, & poſtea, quod rogaverit Patrem, ut Nomen ſuum, hoc eſt, Humanum ſuum, glorificaret, glorificare eſt per Unionem ſecum Divinum facere; inde patet, quod Dominus in ſtatu exinanitionis ſuæ, qui ſtatus fuit ſtatus progreſſionis Ipſius ad Unionem, oraverit ad Patrem. Idem ille Ordo a Creatione cuivis homini inſcriptus eſt, nimirum quemadmodum homo per veritates ex Verbo parat intellectum ſuum, ita adaptat illum ad recipiendum fidem a Deo, & quemadmodum per opera charitatis parat voluntatem, ita accommodat illam ad recipiendum amorem a Deo; nam quemadmodum artifex ſecat adamantem, ita applicat illum ad recipiendum & emittendum ſplendorem lucis; & ſic porro: parare ſe ad receptionem Dei & conjunctionem, eſt vivere ſecundum Divinum Ordinem, & leges ordinis ſunt omnia præcepta Dei; hæc Dominus ad omnem apicem implevit, & ſic ſe fecit receptaculum Divinitatis in omni plenitudine; quare Paulus dicit, quod in Jeſu Chriſto omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter, & Ipſe Dominus quod omnia Patris ſint Ipſius. Ulterius tenendum eſt, quod Dominus apud hominem ſolus activus ſit, & quod homo ex ſe mere paſſivus ſit, at quod per influxum vitæ a Domino etiam activus; ex hoc perpetuo influxu a Domino apparet homini ſicut ſit activus ex ſe; & quia ita eſt, & ei liberum arbitrium eſt, & hoc ei datum eſt ut ſemet paret ad recipiendum Dominum, & ſic ad conjunctionem, quæ non dabilis eſt, niſi ſit reciproca, & reciproca ſit dum homo ex ſuo libero agit, & tamen ex fide attribuit Domino omne activum.

Poſt hæc interrogavi, num ille ſicut alii ejus ſodales confeſſus eſt, quod Deus unus ſit, reſpondit, quod confeſſus; & tunc dixi, at vereor, quod cordis tui confeſſio ſit, quod nullus Deus ſit, numne omnis loquela oris procedit ex cogitatione mentis, quare non poteſt aliter, quam ut confeſſio oris, quod unus Deus ſit, expellat cogitationem e mente quod tres ſint, ac viciſſim quod cogitatio mentis expellat ex ore confeſſionem quod unus ſit, quid inde reſultat aliud, quam quod nullus Deus ſit, numne ſic evacuatur omne interſtitium, quod eſt a cogitatione ad os, & ab ore retro ad cogitationem, & quid tunc a mente aliud concluditur de Deo, quam quod Natura ſit Deus, & de Domino quod Anima Ipſi vel a Matre vel a Joſepho fuerit; a quibus duobus, ut ab horrendis & abominabilibus, omnes Angeli cæli ſe avertunt. His dictis, Spiritus ille ablegatus eſt in Abyſſum, de qua in Apocalypſi Cap. IX: 2 ſeq. ubi Angeli Draconis ventilant myſtica de ſua Fide. Poſtridie cum proſpexi ad eundem locum, vidi loco Tentoriorum duas Statuas in ſimilitudine hominum, factas ex pulvere terræ, quæ erat miſcela ſulphuris, ferri & argillæ, & una Statua viſa eſt habere ſceptrum in manu ſiniſtra, coronam ſuper capite, & librum in manu dextra, tum pectorale oblique cinctum faſcia ex lapidibus pretioſis, & a tergo togam fluentem ad alteram Statuam,

tuam, ſed hæc Statuæ illi inducta fuerunt per phantaſiam; & tunc vox audita eſt inde a quodam Draconico, hæc Statua repræſentat Fidem noſtram ut Reginam, & altera poſt illam, Charitatem ut famulam ejus: hæc erat ex ſimili miſcela pulverum conflata, & poſita poſt extremitatem togæ defluentis a tergo Reginæ, & tenuit chartam in manu, ſuper qua erat ſcriptum, cave ne propius accedas & togam tangas. At ſubito tunc imber e cælo decidit, & penetravit utramque Statuam, quæ quia ex miſcela ſulphuris, ferri & argillæ conſtabant, ebulliebant, ſicut fieri ſolet miſcela illorum pulverum, dum aqua ſuper illam immittitur, & ſic accenſæ igne inteſtino diffluebant, & factæ acervi, qui poſtea ſicut tumuli ſepulchrales ſuper terra illa eminebant.

III. SECUNDUM MEMORABILE. In Mundo naturali eſt homini duplex loquela, quia duplex cogitatio, Externa & Interna, poteſt enim homo loqui ex cogitatione interna, & ſimul tunc ex cogitatione externa, & poteſt loqui ex cogitatione externa & non ex interna, imo contra internam, inde ſimulationes, aſſentationes & hypocriſes: at in Mundo Spirituali non eſt homini duplex loquela, ſed ſimplex, loquitur ibi ſicut cogitat, alioquin ſonus ſtridet, & lædit aures; at uſque poteſt ſilere, & ſic non evulgare mentis ſuæ cogitata; quare hypocrita, cum inter ſapientes venit, vel abit, vel proripit ſe ad angulum in conclavi, & facit ſe inconſpicuum, & ſedet mutus. Quondam erant multi in Mundo Spirituum congregati, & de hac re inter ſe loquebantur, dicentes, quod non poſſe loqui niſi ſicut cogitat, ſit durum illis in bonorum conſortio, qui non juſte cogitaverunt de Deo & de Domino. In medio congregatorum erant Reformati, & multi ex Clero, & juxta illos Pontificii cum monachis; ac hi & illi primum dixerunt, quod hoc non durum ſit, quid opus aliter loqui quam ſicut cogitat, & ſi forte non juſte cogitet, poteſtne comprimere labia, & tenere ſilentium; & Clerus dixit, quis non cogitat juſte de Deo & de Domino: ſed aliqui ex congregatis dixerunt, tentemus illos; & dixerunt illis, qui ſe confirmaverunt in Trinitate Perſonarum de Deo, ut ex cogitatione dicerent Unum Deum; ſed non potuerunt, contorſerunt & plicaverunt labia in plures ſinus, & non potuerunt articulare ſonum in voces alias, quam ideis cogitationis illorum conſonas, quæ erant trium Perſonarum, & inde trium Deorum. Porro dictum eſt illis, qui confirmaverunt Fidem Separatam a charitate, ut nominarent JESUM, ſed non potuerunt, at omnes potuerunt dicere Chriſtum, & quoque Deum Patrem; hoc mirati ſunt & quæſiverunt cauſam, & invenerunt hanc, quod oraverint ad Deum Patrem propter Filium, & non oraverint ad Ipſum Salvatorem, & JESUS ſignificat Salvatorem. Porro dictum eſt illis, ut ex cogitatione de Humano Domini dicerent DIVINUM HUMANUM; ſed nemo ex Clero, qui ibi aderat, potuit, at aliqui ex Laicis potuerunt, quare hoc in feriam ventilationem miſſum eſt; & tunc I. lecta ſunt coram illis hæc apud Evangeliſtas, *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. III: 35. *Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis*, Joh. XVII: 2. *Omnia Mihi tradita ſunt a Patre*, Matth. XI: 7. *Data eſt Mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18. & dictum eſt illis, tenete inde in cogitatione, quod Chriſtus tam quoad Divinum quam quoad Humanum ſuum ſit Deus Cæli & Terræ, & ſic enuntiate DIVINUM HUMANUM, ſed uſque non potuerunt, & dixerunt, quod quidem exinde tenerent aliquid cogitationis ex intellectu de eo, ſed uſque non aliquid agnitionis, & quod ideo non poſſent. II. Poſtea lectum eſt coram illis ex Luca Cap. I: 32. 34. 35; quod Dominus quoad Humanum eſſet Filius Jehovæ Dei, & quod ibi dicatur Filius Altiſſimi, & ubivis alibi Filius Dei, & quoque Unigenitus, & petierunt ut hoc tenerent in cogitatione, & quoque quod Unigenitus Filius Dei natus in Mundo non poſſit non eſſe Deus ſicut Pater eſt Deus, & eloquerentur DIVINUM HUMANUM; ſed dixerunt, non poſtumus, quia ſpiritualis noſtra cogitatio, quæ eſt interior, non admittit in cogitationem proximam loquælæ alias ideas

quam ſimiles, & quod inde percipiant, quod nunc non liceat cogitationes ſuas dividere, ſicut in Mundo naturali. III: Deinde lecta ſunt coram illis verba Domini ad Philippum, hæc, *Dixit Philippus, Domine, monſtra nobis Patrem, & dixit Dominus, qui videt Me videt Patrem, nonne credis, quod Ego in Patre & Pater in Me* Joh. XIV: 8 ad 11; & quoque alia loca, *quod Pater & Ipſe unum ſint*, ut Joh. X: 30; & dictum eſt illis, ut tenerent id in cogitatione, & ſic dicerent DIVINUM HUMANUM, ſed quia illa cogitatio non fuit radicata in agnitione, quod Dominus eſſet Deus etiam quoad Humanum, contorſerunt labia in plicas uſque ad indignationem, & voluerunt cogere os ſuum ad edicendum, ſed non valuerunt; cauſa erat, quia ideæ cogitationis, quæ fluunt ex agnitione, unum faciunt cum vocibus linguæ apud illos qui in Mundo Spirituali ſunt, & ubi ideæ illæ non ſunt, non dantur voces, nam ideæ fiunt voces in loquela. IV. Porro, lecta ſunt coram illis ex Doctrina in Univerſo Chriſtiano Orbe recepta, hæc, *Quod Divinum & Humanum in Domino non ſint duo, ſed unum, imo una Perſona, unita ſicut anima & corpus in homine*, hæc ex Fide ſymbolica Athanaſiana, & agnita a Conciliis; & dictum eſt illis, exinde poteſtis omnino habere ideam ex agnitione, quod Humanum Domini ſit Divinum, quia Anima Ipſius eſt Divina, eſt enim ab Eccleſiæ veſtræ doctrina, quam in Mundo agnoveratis; inſuper Anima eſt ipſa hominis eſſentia, & corpus eſt hujus forma, ac eſſentia & forma unum faciunt, ſicut eſſe & exiſtere, & ſicut cauſa efficiens effectus & ipſe effectus; retinuerunt illam ideam, & voluerunt ex illa enuntiare DIVINUM HUMANUM, ſed non potuerunt, interior enim idea de Humano Domini exterminavit & expunxit ideam hanc novam adſcititiam, ut illam vocabant. V. Adhuc coram illis lectum eſt ex Johanne, hoc, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt*, I: 1. 14, & quoque hoc, *Jeſus Chriſtus eſt verus Deus. & Vita æterna*, I Epiſt. V: 21. & ex Paulo „ *In Chriſto Jeſu habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloſſ. II: 9; & dicebatur illis ut ſimiliter cogitarent, nempe quod Deus qui fuit Verbum factus ſit Homo; quod eſſet verus Deus; & quod omnis plenitudo Divinitatis in Ipſo habitaret corporaliter; & fecerunt ita, ſed ſolum in externa cogitatione, quare non potuerunt propter reniſum internæ eloqui DIVINUM HUMANUM, dicentes aperte, quod non poſſent habere ideam Divini Humani, quia Deus eſt Deus, & homo eſt homo, & Deus eſt Spiritus, & de ſpiritu non aliter cogitavimus, quam ſicut de Vento aut æthere. VI. Tandem dictum eſt illis, noſtis quod Dominus dixerit, *Manete in Me, & Ego in vobis, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*, Joh. XV: 4. 5; & quia aliqui ex Clero Angliæ aderant, lectum eſt coram illis ex una illorum Oratione ad Sanctam Communionem, *For, when we ſpiritualy eat the flesh of Chriſt and drinck the blood, then we dwel in Chriſt, and Chriſt in us*; ſi nunc cogitatis, quod hoc non dari poſſit, niſi Humanum Domini ſit Divinum, enuntiate itaque DIVINUM HUMANUM ex agnitione in cogitatione, ſed uſque non potuerunt, fuit enim idea illis tam alte impreſſa, quod Divinum non poſſet eſſe Humanum, & Humanum non Divinum, & quod Divinum Ipſius eſſet a Divino Filii ab æterno, & Humanum ſimile humano alterius hominis: at dictum eſt illis, quomodo poteſtis ita cogitare, num rationalis Mens poteſt uſquam cogitare, quod aliquis Filius a Deo ſit natus ab æterno. VII. Poſtea converterunt ſe ad Evangelicos, dicentes, quod Auguſtana Confeſſio & Lutherus docuerint, quod Filius Dei & Filius hominis in Chriſto ſit una Perſona, & quod Ipſe etiam quoad Humanam Naturam ſit Omnipotens & Omnipræſens, & quod quoad illam ad dextram Dei Patris ſedeat, & gubernet omnia in Cælis & in Terris, impleat cuncta, nobiſcum ſit, & in nobis habitet & operetur; & quod non ſit adorationis differentia, quia per Naturam, quæ cernitur, adoratur Divinitas quæ non cernitur, & quod in Chriſto Deus ſit Homo & Homo Deus: his auditis reſpon-

de-

derunt, num eſt ita, & circumſpexerunt, & mox dixerunt, hæc prius non novimus, quare non poſſumus dicere Divinum Humanum: at unus & alter dixit, legimus id & ſcripſimus id, ſed uſque cum de eo in nobis cogitavimus, fuerunt modo verba, quorum ideam interiorem non habuimus. VIII. Tandem converſi ad Pontificios dixerunt, forte vos poteſtis nominare DIVINUM HUMANUM, quia creditis quod in veſtra Euchariſtia in Pane & Vino, & in omni eorum parte ſit integer Chriſtus, & quoque adoratis Ipſum, cum monſtratis & circumfertis hoſtias, ut Sanctiſſimum Deum, tum quia vocatis Mariam Deiparam ſeu Dei genetricem, conſequenter agnoſcitis quod genuerit Deum, hoc eſt, Divinum Humanum; & illi tunc voluerunt enuntiare illud, ſed quia ſubiit tunc materialis idea de Corpore & Sanguine Chriſti, & quoque fides quod Humanum Ipſius a Divino ſeparabile ſit, & quod actualiter ſeparatum ſit apud Papam, in quem ſolum Humana Ipſius poteſtas, & non Divina tranſlata eſt, non enuntiare potuerunt: & tunc ſurrexit unus Monachus, & dixit, quod poſſit cogitare Divinum Humanum de Sanctiſſima Virgine Maria, & quoque de Sancto Monaſterii ſui; & alter Monachus acceſſit, dicens, ego poſſum ex idea cogitationis meæ, quam nunc foveo, dicere Divinum Humanum de Sanctiſſimo Papa, potius quam de Chriſto; ſed tunc aliqui ex Pontificiis retraxerunt illum, & dixerunt, pudeat te. Poſt hæc viſum eſt Cælum apertum, & viſæ ſunt Linguæ ſicut flammulæ deſcendentes & influentes apud quoſdam, & illi tunc celebrabant DIVINUM HUMANUM DOMINI, dicentes, removete ideam trium Deorum, & credite quod in Domino habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & quod Pater & Ipſe unum ſint ſicut anima & corpus unum ſunt, & quod Deus non ſit ventus & æther, ſed quod ſit Homo, & tunc conjungemini Cælo, & a Domino poteritis nominare JESUM, & dicere DIVINUM HUMANUM.

112. TERTIUM MEMORABILE. Quondum poſt diluculum evigilatus exivi in hortum ante domum, & vidi orientem Solem in ſuo jubare, & circum circa illum cincturam primum tenuem & poſtea exſtantiorem ſicut ex auro ſplendentem, & ſub limbo ejus aſcendentem nubem, quæ pyropi inſtar, a flamma ſolis coruſcabat; & tunc incidi in meditationem ex fabulis vetuſtiſſimorum, quod finxerint Auroram alatam pennis argenteis in ore ferentem aurum. Cum Mens deliciabatur in his, factus ſum in ſpiritu, & audivi aliquos inter ſe loquentes, & dicentes, utinam daretur loqui cum Novatore, qui pomum Eridis inter Antiſtites Eccleſiæ projecit, ad quod cucurrerunt multi ex Laicis, & deſumptum obtulerunt oculis noſtris; per pomum illud intellexerunt Codicillum inſcriptum, SUMMARIA EXPOSITIO DOCTRINÆ NOVÆ ECCLESIÆ; & dixerunt eſt ſane ſchiſmaticum a nemine hactenus cogitatum; & audivi tunc unum ex illis clamantem, quid Schiſmaticum, eſt Hæreticum; ſed aliqui a latere ejus regerebant, tace, obmuteſce, non eſt Hæreticum, allegat copiam dictaminum Verbi, ad quæ peregrini noſtri, per quos intelligimus laicos, attendunt & adſtipulantur. Cum hæc audivi, quia in ſpiritu eram, acceſſi, & dixi, adſum, quid rei; & ſtatim unus ex illis, qui, ut poſtea audivi, fuit Germanus, nativus ex Saxonia, & tono auctoritatis loquutus dixit, unde tibi audacia invertendi Cultum in Orbe Chriſtiano per tot ſæcula conſtabilitum, qui fuit, quod Deus Pater ut Creator Univerſi, & ejus Filius ut Mediator, & Spiritus ſanctus ut Operator, invocarentur, & tu Primum & Ultimum Deum ex Perſonalitate noſtra ſeparas, cum tamen Ipſe Dominus dicit, quando oratis, orate ita, PATER NOSTER, QUI EST IN CÆLIS, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, VENIAT REGNUM TUUM, itane mandatum eſt, ut invocaremus Deum Patrem: his dictis ſilentium factum eſt, & omnes, qui illi favebant, ſteterunt ſicut fortes milites ſuper Navibus bellicis cum vident Claſſem hoſtilem, clamaturi, pugnemus nunc, certa eſt victoria; & tunc exorſus ſum loqui, & dixi, quis veſtrum non ſcit, quod Deus de Cælo deſcenderit, & factus ſit homo, nam legitur, *Verbum erat*

apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est; tum quis vestrum non scit, & spectavi ad Evangelicos, inter quos erat Dictator ille, qui me alloquutus est, quod in Christo ex Maria Virgine nato, Deus sit Homo & Homo Deus; sed ad hæc Cætus obstrepuit, quare dixi, scitisne hoc, est secundum doctrinam confessionis vestræ, quæ vocatur FORMULA CONCORDIÆ, ubi hoc dicitur, & multis corroboratur; & tunc Dictator ille se convertit ad Cætum, & quæsivit num nossent hoc, & responderunt, nos parum studuimus in Libro illo de PERSONA CHRISTI, sed sudavimus ibi in Articulo de JUSTIFICATIONE *per solam fidem*; at usque si illud ibi legitur, acquiescimus; & tunc unus ex ilis recordatus dixit, legitur, & plus adhuc, quod Humana Christi Natura ad Divinam Majestatem & ad omnia ejus attributa, exaltata sit, & quoque quod Christus in Illa sedeat ad dextram sui Patris. His auditis conticuerunt; post hunc consensum iterum loquutus sum, dicens, quum ita est, quid tunc Pater nisi Filius & Filius nisi etiam Pater, sed quia hoc iterum obstrepuit auribus illorum, continuavi dicens; audite ipsa verba Domini, ad quæ si non prius attenderitis, attendite nunc, dixit enim, *Pater & Ego unum sumus*; *Pater in Me est & Ego in Patre; Pater omnia Mea tua sunt & omnia Tua Mea; qui videt Me videt Patrem*, quid illa aliud, quam quod Pater in Filio sit & Filius in Patre, & quod unum sint sicut Anima & Corpus in homine, & sic quod sint una Persona; hoc quoque erit fidei vestræ, si creditis Symbolo Athanasiano, ubi consimilia dicuntur: sed assumite ex allatis solum hoc effatum Domini, *Pater, omnia Mea Tua sunt & omnia Tua Mea*, quid hoc aliud, quam quod Divinum Patris sit Humani Filii, & Humanum Filii Divini Patris, consequenter quod in Christo Deus sit Homo & Homo Deus, & sic quod unum sint sicut anima & corpus unum sunt: simile etiam potest omnis homo de sua anima & suo corpore dicere, videlicet, omnia tua mea sunt & omnia mea tua, tu in me es & ego in te, qui videt me videt te, nos unum sumus quoad personam & quoad vitam; causa est, quia anima est in toto & in omni parte hominis, vita enim animæ est vita corporis, & mutuum est inter illos: ex his patet, quod Divinum Patris sit anima Filii, & quod Humanum Filii sit corpus Patris; unde anima filii nisi a patre, & unde corpus ejus nisi a matre; dicitur Divinum Patris, ac intelligitur Ipse Pater, quoniam Ipse & suum Divinum est idem, hoc etiam est unum & individuum; quod ita sit, constat etiam ex his Angeli Gabrielis verbis ad Mariam, *Virtus Altissimi obumbrabit te, & Spiritus Sanctus superveniet te, & sanctum quod nascetur ex te, vocabitur Filius Dei*, & mox supra vocatur *Filius Altissimi*; & alibi, *Filius Unigenitus*; vos autem, qui solum nominatis Ipsum Filium Mariæ, deperditis ideam Divinitatis Ipsius, sed hanc non perdunt alii, quam Docti e Clericis ac Eruditi e Laicis, qui dum elevant cogitationes supra sensualia corporis sui, spectant gloriam famæ suæ, quæ non modo adumbrat, sed etiam exstinguit lucem, per quam intrat gloria Dei. Sed redeamus ad Orationem Dominicam, ubi dicitur, *Pater noster qui est in Cælis, sanctificetur Nomen tuum, veniat Regnum tuum*; vos, qui hic estis, intelligitis per illa Patrem in Solo Divino suo, ego autem Ipsum in Humano suo, & Hoc quoque est Nomen Patris, nam Dominus dixit, *Pater glorifica Nomen tuum*, hoc est, Humanum tuum; & quando hoc fit, tunc venit Regnum Dei, & hæc Oratio mandata est pro hoc tempore, videlicet, ut Deus Pater adeatur per Humanum suum; dixit etiam Dominus, *Nemo venit ad Patrem nisi per Me*: & apud Prophetam, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, cujus Nomen* DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS; & alibi, *Tu Jehovah Pater noster, Redemptor noster a sæculo nomen tuum*, & millies alibi, ubi Dominus Salvator noster vocatur Jehovah. Hæc est vera explicatio verborum istius Orationis. Postquam hæc dicta sunt, inspexi illos, & animadverti mutationes vultuum secundum mutationes status mentis illorum, quosdam faventes & me intuentes, quosdam non faventes & a me se avertentes: & tunc ad dextrum vidi Nubem opalini coloris, &

ad

ad ſiniſtrum Nubem fuſcam, & ſub utraque ſicut depluvium, & ſub hac ſicut imbris empore ſeri autumni, & ſub illa ſicut roris tempore primi veris; & ſubito tunc a ſpiritu factus ſum in corpore, & ſic e Mundo ſpirituali redivi in Mundum naturalem.

113. QUARTUM MEMORABILE. Proſpexi in Mundum Spirituum, & vidi Exercitum ſuper Equis rufis & nigris; Sedentes ſuper illis apparebant ſicut Simiæ, verſæ quoad faciem & pectus ad lumbos & caudas Equorum, & quoad occipitium & tergum ad cervices & capita illorum, & capiſtra pendebant circum colla Equitantium, & clamabant contra Equitantes ſuper Equis albis, & movebant utriſque manibus ſuis capiſtra, at ſic retrahebant Equos a pugna; & hoc continue. Tunc e Cælo ſe demiſerunt duo Angeli, & venerunt ad me, & dicebant, quid vides, & narrabam, quod videam tam ludicrum Equitatum, & quæſivi quid hoc, & quinam illi, & reſponderunt Angeli, ſunt e loco, qui vocatur Armageddon, Apoc. Cap. XVI: 16, in quem congregati ſunt ad aliquot millia ad pugnandum contra illos, qui e Nova Domini Eccleſia, quæ vocatur Nova Hieroſolyma, ſunt; loquebantur in loco illo de Eccleſia & Religione, & tamen apud illos non erat aliquid Eccleſiæ, quia non aliquod ſpirituale verum, nec aliquid Religionis, quia non aliquod ſpirituale bonum; loquebantur ibi ore & labiis de hac & de illa, ſed ex cauſa, ut per illas dominarentur; didicerunt in juventute confirmare Solam Fidem, & aliquid de Deo, ſed cum ad eminentiora Officia in Eccleſia provecti ſunt, aliquamdiu retinuerunt illa; at quia tunc cæperunt non magis cogitare de Deo & de Cælo, ſed de Se & de Mundo, ita non de beatitudine & felicitate æterna, ſed de eminentia & opulentia temporali, rejecerunt doctrinalia in juventute attracta e Mentis rationalis interioribus, quæ communicant cum Cælo, & inde in luce Cæli ſunt, in Mentis rationalis exteriora, quæ communicant cum Mundo, & inde in lumine Mundi ſunt, & tandem detruſerunt illa in naturale ſenſuale; unde doctrinalia Eccleſiæ apud illos facta ſunt ſolius oris, & non amplius cogitationis ex ratione, & adhuc minus affectionis ex amore; & quia ſe tales fecerunt, non admittunt ullum Divinum verum quod Eccleſiæ eſt, nec ullum genuinum bonum quod Religionis; comparative facta ſunt Interiora mentis eorum ſicut Utres repleti ramentis ferri cum pulvere ſulphureo commixtis, in quæ ſi immittitur aqua, ſit primum incaleſcentia & poſtea flamma, ex qua utres illi rumpuntur; ſimiliter illi, cum audiunt aliquid de aqua viva, quæ eſt genuinum verum Verbi, & hoc intrat per aures, vehementer excandeſcunt & inflammantur, & id rejiciunt ſicut tale, quod rumperet capita illorum. Hi ſunt, qui tibi apparuerunt ſicut Simiæ equitantes inverſo corpore ſuper Equis rufis & nigris cum capiſtris circum colla, quoniam illi, qui non amant verum & bonum Eccleſiæ ex Verbo, non volunt ſpectare anteriora alicujus Equi, ſed poſteriora ejus; Equus enim ſignificat intellectum Verbi, Equus rufus intellectum Verbi deperditum quoad bonum, & Equus niger intellectum Verbi deperditum quoad verum: quod clamaverint ad pugnam contra Equitantes ſuper Equis albis, eſt quia Equus albus ſignificat intellectum Verbi quoad verum & bonum; quod viſi collo retrahere ſuos Equos, erat quia timebant pugnam, ne verum Verbi ad multos veniret, & ſic in lucem: hæc eſt interpretatio.

Angeli porro dixerunt, nos ſumus e Societate Cæli, quæ vocatur Michael, & a Domino mandati ſumus deſcendere in locum dictum Armageddon, unde Equitatus tibi viſus erupit: per Armageddon apud nos in Cælo ſignificatur ſtatus & animus pugnandi ex falſificatis veris, oriundus ex amore dominandi & eminendi ſuper omnes; & quia percipimus apud te deſiderium ſciendi de Pugna illa, aliquid narrabimus. Poſt deſcenſum e Cælo acceſſimus ad locum illum dictum Armageddon, & vidimus illuc congregatos ad aliquot millia; verum non intravimus in Cætum illum, ſed erant aliquæ Domus ad latus meridionale iſtius loci, ubi erant Pueri cum Magiſtris; illuc intravimus, qui nos exceperunt benigne; delectabamur a conſortio

tio illorum; erant omnes quoad faciem ſpecioſi ex Vita in oculis, & ex Zelo in ſermone, vita in oculis erat illis ex perceptione veri, & zelus in ſermone ex affectione boni; quare etiam dedimus illis Pileos, quorum limbos ornabant faſciæ ex filis aureis intertextæ margaritis, & quoque dedimus Veſtes ex colore albo & hyacinthino variegatas: quæſivimus illos, num in locum propinquum, qui vocatur Armageddon, ſpectaverint, dixerunt, quod per feneſtram, quæ ſub tecto domus; & quod congregationem ibi viderint, ſed ſub variis figuris; nunc ut homines proceres, & nunc non ut homines, ſed ut Statuas & Idola ſculpta, & circum illos Cætum flectentem genua; hi etiam ſub variis formis nobis apparuerunt, quidam ſicut homines, quidam ſicut pardi, & quidam ſicut hirci, & hi cum cornibus deorſum protenſis, quibus effodiebant humum; nos interpretati ſumus metamorphoſes illas, quos repræſentabant, & quid ſignificabant. Sed ad rem, Congregati illi, cum audiverunt, quod intraverimus in Domos illas, dixerunt inter ſe, quid illi apud Pueros illos, mittamus e noſtro Cætu aliquos, qui ejiciant illos; etiam miſerunt, & cum venerunt, dixerunt ad nos, cur intraviſtis in Domus illas, unde eſtis, nos ex imperio mandamus, ut abeatis; ſed reſpondebamus, non poteſtis id ex imperio mandare, eſtis quidem vos in oculis veſtris ſicut Enachim, & illi qui hic ſunt ſicut homunciones, ſed uſque nihil poteſtatis & juris habetis hic, niſi per aſtutias, quæ tamen non valebunt, quare renuntiate veſtris, quod nos e Cælo huc miſſi ſimus, ad viſitandum, num apud vos ſit Religio vel non, ſi non, e loco iſto ejiciemini; quare proponite illis hoc, in quo eſt ipſum Eſſentiale Eccleſiæ & Religionis, quomodo intelligunt hæc verba in Oratione Dominica, PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, ADVENIAT REGNUM TUUM; his auditis, dixerunt primum, quid hoc, & deinde quod proponerent; & abiverunt, & dixerunt illa ad ſuos, qui reſponderunt, quæ & qualis illa propoſitio; at intellexerunt arcanum, quod velint ſcire, num illa confirmant viam fidei noſtræ ad Deum Patrem, quare dixerunt, ſunt clara verba quod orandum ſit ad Deum Patrem, & quia Chriſtus eſt noſter Mediator, quod orandum ſit ad Deum Patrem propter Filium; & mox in indignatione decreverunt, quod adirent nos, & dictarent id oretenus, dicendo etiam quod vellicarent aures noſtras; etiam e loco illo exiverunt, & intraverunt in Lucum Domibus illis, in quibus erant pueri cum magiſtris, propinquum, in cujus medio erat Planum ſicut Palæſtra elevatum, ac tenebant ſe manibus, & intraverunt in palæſtram illam, ubi eramus, & exſpectavimus; erant ibi ceſpites ex humo ſicut colliculi, ſuper illis ſe reponebant, nam dixerunt inter ſe, coram illis non ſtabimus ſed ſedebimus. Et tunc unus ex illis, qui potuit facere, ut appareret ſicut Angelus lucis, cui a reliquis injunctum fuit cum nobis loqui, dixit, propoſuiſtis nobis ut aperiamus mentes noſtras de primis verbis in Oratione Dominica, quomodo illa intelligimus; dico itaque vobis, quod intelligamus illa ita, quod orandum ſit ad Deum Patrem, & quia Chriſtus eſt Mediator noſter, & per Ipſius meritum ſalvamur, quod orandum ſit ad Deum Patrem ex fide in Ipſius meritum. Sed tunc diximus illis, ſumus ex Societate Cæli, quæ vocatur Michael, & miſſi ſumus ad viſitandum & inquirendum, num vobis in locum illum congregatis ſit aliqua Religio vel non; idea enim Dei intrat in omne religionis, & per illam fit conjunctio, & per conjunctionem ſalvatio; nos in Cælo legimus quotidie illam Orationem ſicut homines in Terra, & tunc non cogitamus de Deo Patre, quia inviſibilis, ſed de Ipſo in Divino Humano ſuo, quia in Hoc eſt viſibilis; & Ipſe in Hoc a vobis vocatur Chriſtus, ſed a nobis Dominus, & ſic Dominus nobis eſt Pater in Cælis; docuit etiam Dominus, quod Ipſe & Pater unum ſint; Quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre ſit; & quod qui videt Ipſum videat Patrem; tum quod nemo veniat ad Patrem niſi per Ipſum; & quoque quod voluntas Patris ſit, ut credant in Filium, & quod qui non credit Filio, non videat vitam, imo quod ira Dei maneat ſuper illo; ex quibus patet, quod adeatur Pater per Ipſum

ſum & in Ipſo; & quia ita eſt, etiam docuit, quod Ipſi data ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra: dicitur in Oratione illa, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, VENIAT REGNUM TUUM, & demonſtravimus ex Verbo, quod Divinum Humanum Ipſius ſit Nomen Patris, & quod Regnum Patris tunc ſit, quando Dominus immediate aditur, & prorſus non cum Deus Pater immediate; quare etiam Dominus mandavit Diſcipulis, ut prædicarent Regnum Dei, & hoc eſt Regnum Dei. His auditis dixerunt Antagoniſtæ, recitatis multa ex Verbo, ſed talia forte legimus ibi, ſed non reminiſcimur, quare aperite coram nobis Verbum, & legite illa inde, imprimis id ibi, quod Regnum Patris tunc veniat, quando Regnum Domini; & tunc dixerunt Pueris, apportate Verbum, & apportabant, & inde legimus hæc ſequentia; *Johannes prædicans Evangelium Regni, dixit, completum eſt tempus, appropinquavit* REGNUM DEI, Marc. I: 14. 15. Matth. III: 2. *Ipſe Jeſus prædicavit Evangelium Regni, & quod appropinquaret* REGNUM DEI, Matth. V: 17. 23. Cap. IX: 35. *Jeſus mandavit Diſcipulis, ut prædicarent & evangelizarent* REGNUM DEI, Marc. XVI: 15. Luc. VIII: 1. Cap. IX: 60. *ſimiliter Septuaginta, quos emiſit*, Luc. X: 9. 11. præter alibi, ut Matth. XI: 5. Cap. XVI: 27. 28. Marc. VIII: 35. Cap. IX: 1. 27. Cap. X: 29. 30. Cap. XI: 10. Luc: I: 19. Cap. II: 10. 11. Cap. IV: 43. Cap. VII: 22. Cap. XXI: 30. 31. Cap. XXII: 18. Regnum Dei, quod evangelizabatur, erat Regnum Domini, & ſic Regnum Patris; quod ita ſit, patet ex his, *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. III: 35. *Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis*, Joh. XVII: 2. *Omnia Mihi tradita ſunt a Patre*, Matth. XI: 27. *data eſt Mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 16. Et porro ex his „ *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, & Redemptor Sanctus Iſraelis, Deus totius Terræ vocabitur*, Eſaj. LIV: 5. *Vidi, & ecce ſicut* FILIUS HOMINIS, *cui datum eſt Dominium, gloria & regnum, & omnes populi & gentes Ipſum colent, Dominium Ipſius dominium ſæculi, quod non tranſibit, & Regnum Ipſius, quod non peribit*, Dan. VII: 13. 14. *Cum ſeptimus Angelus clanxit, factæ ſunt voces magnæ in Cælis, dicentes facta ſunt Regna mundi Domini noſtri & Chriſti Ipſius, & regnabit in ſæcula ſæculorum*, Apoc. XI: 15. Cap. XII: 10. Et inſuper inſtruximus illos ex Verbo, quod Dominus in Mundum venerit non modo ut redimeret Angelos & Homines, ſed etiam ut unirentur Deo Patri per Ipſum & in Ipſo, nam docuit, quod qui credunt in Ipſum, ſit in illis & illi in Ipſo, Joh. VI: 56. Cap. XIV: 20. Cap. XV: 4. 5. His auditis, quæſiverunt, quomodo ergo Dominus veſter poteſt vocari Pater, diximus, ex illis quæ lecta ſunt, & quoque ex his „ *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cujus Nomen* DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, Eſaj. IX. 5. *Tu Pater noſter, Abraham non cognoſcit nos, & Iſrael non agnoſcit nos, Tu* JEHOVAH PATER NOSTER REDEMPTOR NOSTER A SÆCULO NOMEN TUUM, Eſaj. LXIII: 16. Dixitne ad Philippum volentem videre Patrem, *Philippe non noſti Me, qui videt Me videt Patrem*. Joh. XIV: 9. Cap. XII: 45; quis tunc alius eſt Pater, quam quem Philippus oculis ſuis vidit. His addimus hoc, dicitur in toto Chriſtiano Orbe, quod illi, qui ab Eccleſia ſunt, faciant Chriſti Corpus, & ſint in Ipſius Corpore, quomodo tunc poteſt homo Eccleſiæ adire Deum Patrem, niſi per Ipſum, in cujus corpore eſt, ſin aliter, omnino exibit e Corpore & adibit. Ultimo informavimus illos, quod hodie NOVA ECCLESIA a Domino inſtauretur, quæ intelligitur per NOVAM HIEROSOLYMAM in Apocalypſi, in qua Cultus ſolius Domini erit, ſicut in Cælo, & quod ſic *Omne complebitur, quod in Oratione Dominica a principio ad finem continetur*: Confirmavimus omnia ex Verbo apud Evangeliſtas, & apud Prophetas, & ex Apocalypſi, in qua de illa Eccleſia a principio ad finem agitur, in tanta copia, ut defatigarentur audire.

His cum indignatione auditis, voluerunt Armageddoni paſſim interpolare ſermonem noſtrum; & tandem ruperunt illum, & exlamaverunt, loquuti eſtis contra Doctrinam Eccleſiæ noſtræ, quæ eſt, quod Deus Pater immediate adeundus ſit

& credendum in Illum, ſic reos vos feciſtis violationis fidei noſtræ, quare exite abhinc, & ſi non, ejiciemini: & animi illorum accenſi a minis in conatum venerunt; ſed tunc ex potentia nobis data percuſſimus illos cæcitate, ex qua non videntes nos eruperunt, & in errore diſcurrebant, & quidam inciderunt in abyſſum, de qua in Apocalypſi, Cap. IX: 2, quæ nunc eſt in Plaga meridionali verſus Orientem, ubi ſunt qui confirmant juſtificationem per ſolam fidem, & illi ibi qui confirmant illam ex Verbo, emittuntur in deſertum, in quo feruntur uſque ad extremitatem Orbis Chriſtiani, & commiſcentur paganis.

DE REDEMPTIONE.

114. Quod in Domino ſint Duo Munia, SACERDOTALE & REGIUM, notum eſt in Eccleſia, ſed pauci ſciunt, in quo unum & in quo alterum conſiſtit, quare dicetur; Dominus ex Munere Sacerdotali dictus eſt JESUS, & ex Munere Regio CHRISTUS; & quoque ex Munere Sacerdotali in Verbo vocatur Jehovah & Dominus, & ex Munere Regio Deus & Sanctus Iſraelis, ut & Rex: hæc duo diſtinguuntur inter ſe, ſicut Amor & Sapientia, ſeu quod idem, ſicut Bonum & Verum inter ſe; quamobrem quicquid Dominus egit & operatus eſt ex Divino Amore ſeu Divino Bono, ex Munere ſuo ſacerdotali egit & operatus eſt, at quicquid ex Divina Sapientia ſeu Divino Vero, ex Munere ſuo Regio; in Verbo etiam Sacerdos & Sacerdotium ſignificat Divinum Bonum, ac Rex & Regium Divinum Verum; illa duo repræſentabant Sacerdotes & Reges in Eccleſia Iſraelitica. Quod Redemptionem concernit, pertinet illa ad utrumque Munus; ſed quid ejus ad unum, & quid ejus ad alterum, in ſequentibus detegetur. Sed ut ſingula diſtincte percipiantur, expoſitio de illa diſpeſcetur in Canones ſeu Articulos, qui erunt I. *Quod ipſa Redemptio fuerit ſubjugatio Infernorum, & ordinatio Cælorum, & per illa præparatio ad novam Eccleſiam ſpiritualem.* II. *Quod abſque illa Redemptione nullus homo ſalvari potuerit, nec Angeli in ſtatu integritatis ſubſiſtere.* III. *Quod Dominus ſic non modo homines, ſed etiam Angelos redemerit.* IV. *Quod Redemptio fuerit opus pure Divinum.* V. *Quod ipſa hæc Redemptio non fieri potuerit quam per Deum incarnatum.* VI. *Quod Paſſio crucis fuerit ultima Tentatio quam ut maximus Propheta ſuſtinuit, & quod fuerit medium Glorificationis Humani Ipſius, hoc eſt, unionis cum Divino Patris ſui, & non Redemptio* VII. *Quod Paſſio crucis credatur fuiſſe ipſa Redemptio, ſit fundamentalis error Eccleſiæ: & quod ille error, una cum errere de tribus Perſonis Divinis ab æterno, perverterit totam Eccleſiam, adeo ut non aliquid reſiduum ſpirituale in illa ſuperſit.* Hæc nunc ſingulatim evolvenda ſunt.

115. I. QUOD IPSA REDEMPTIO FUERIT SUBJUGATIO INFERNORUM, ET ORDINATIO CÆLORUM, ET PER ILLA PRÆPARATIO AD NOVAM ECCLESIAM SPIRITUALEM. Quod hæc tria ſint Redemptio, poſſum in omni certitudine dicere, quoniam Dominus etiam hodie facit Redemptionem, quæ inchoavit Anno 1757 una cum ULTIMO JUDICIO, quod tunc factum eſt; ab illo tempore perſtitit hæc Redemptio huc uſque; cauſa eſt, quia hodie eſt SECUNDUS ADVENTUS DOMINI, & Nova Eccleſia inſtituenda eſt, quæ non inſtitui poteſt, niſi præcedat ſubjugatio Infernorum & ordinatio Cælorum; & quia mihi datum eſt videre omnia, poſſum deſcribere, quomodo ſubjugata ſunt Inferna, & quomodo Novum Cælum conditum & ordinatum eſt, ſed hoc foret integri operis; quomodo autem Ultimum Judicium peractum eſt, apertum feci in Codicillo An: 1758 Londini edito. Quod ſubjugatio Infernorum, ordinatio Cælorum, ac inſtauratio Novæ Eccleſiæ fuerint Redemptio, eſt quia abſque illis nullus homo ſalvari potuit; ſequuntur etiam in ordine, primum enim ſubjuganda ſunt Inferna, antequam Novum Cælum Angelicum conformari pot, eſt

&

& hoc prius conformandum eſt, antequam Nova Eccleſia in terris inſtitui poteſt, nam homines in Mundo cum Angelis Cæli & cum ſpiritibus Inferni ita conjuncti ſunt, ut in mentium interioribus utrinque unum faciant: ſed de hoc in Capite ultimo hujus Operis, ubi de CONSUMMATIONE SÆCULI, DE ADVENTU DOMINI, & de NOVA ECCLESIA, in ſpecie tranſigendum eſt.

116. Quod Dominus dum in Mundo fuit, pugnaverit contra Inferna, ac illa vicerit & ſubjugaverit, & ſic illa ſub ſuam obedientiam miſerit, conſtat ex multis locis in Verbo, ex quibus hæc pauca depromam; apud Eſajam, *Quis Hic qui venit ex Edom, conſperſus veſtes ex Bozra, hic honorabilis in veſtitu ſuo, incedens in multitudine roboris ſui: Ego qui loquor in juſtitia, magnus ad ſalvandum; quare rubicundus quoad veſtem tuam & veſtis tua ſicut calcantis in torculari, torcular calcavi ſolus, & de populo non vir mecum: propterea calcavi illos in ira mea, & conculcavi illos in excandeſcentia mea, inde ſparſa eſt victoria eorum ſuper veſtes meas; nam dies vindictæ in corde meo, & annus Redemptorum meorum venit, ſalutem præſtitit Mihi brachium meum; deſcendere feci in terram victoriam eorum: dixit, ecce populus meus illi, filii, ideo factus eſt illis in Salvatorem; ob amorem ſuum & ob clementiam ſuam Ille redemit eos*, LXIII: 1 ad 9. Hæc de pugna Domini contra Inferna; per veſtem, in qua honorabilis, & quæ rubicunda, intelligitur Verbum, cui violentia a populo Judaico illata eſt; ipſa pugna contra Inferna, & victoria ſuper illa, deſcribitur per quod calcaverit illos in ira ſua, & conculcaverit in excandeſcentia ſua; quod ſolus & ex propria potentia pugnaverit, deſcribitur per hæc, de populo non vir Mecum, ſalutem Mihi præſtitit brachium meum, deſcendere feci in terram victoriam eorum; quod per id ſalvaverit & redemerit, per hæc, ideo factus eſt illis in Salvatorem, ob amorem & ob clementiam ſuam Redemit illos; quod hoc fuerit cauſa adventus Ipſius, intelligitur per hæc, dies vindictæ in corde meo, & annus Redemptorum meorum venit. Iterum apud Eſajam „*Vidit quod non quiſquam, & obſtupuit quod non eſſet intercedens; ideo ſalutem præſtitit Ipſi brachium ſuum, & Juſtitia ſuſcitavit Ipſum; inde induit Juſtitiam ſicut loricam, & galeam ſalutis ſuper caput ſuum, & induit veſtes vindictæ, & texit Se zelo ſicut pallio; tunc venit Zioni Redemptor*; LIX: 16. 17. 20. Apud Jeremiam „*Illi conſternati ſunt, fortes eorum contuſi ſunt; fugam fugerunt, nec reſpexerunt; dies ille Domino Jehovih Zebaoth, dies ultionis, ut vindictam ſumat de hoſtibus ſuis, comedat gladius & ſaturetur*, XLVI: 5. 10, hæc & illa de pugna Domini contra Inferna, & de victoria ſuper illa. Apud Davidem „*Accinge gladium ſuper femur, Potens; tela tua acuta, populi cadent ſub Te, e corde hoſtes Regis: Thronus tuus in ſæculum & æternum, amaſti Juſtitiam, propterea unxit Te Deus*, Pſalm XLV: 4 ad 7; præter in permultis aliis locis. Quoniam Dominus Solus vicit Inferna, cum nulla ope alicujus Angeli, ideo vocatur HEROS & VIR BELLORUM, Eſaj. XLII: 15. Cap. IX: 5. REX GLORIÆ, JEHOVAH FORTIS, HEROS BELLI, Pſalm XIV: 8. 10. FORTIS JACOBI, Pſalm CXXXII: 2; & multis in locis *Jehovah Zebaoth*, hoc eſt, Jehovah Exercituum: & quoque Adventus Ipſius, vocatur *Dies Jehovæ terribilis, crudelis, indignationis, excandeſcentiæ, iræ, vindictæ, exitii, belli, buccinæ, clangoris, tumultus*, &c. Apud Evangeliſtas leguntur hæc, *Nunc Judicium eſt Mundi, Princeps Mundi hujus ejicietur foras*, Joh. XII: 31. *Princeps hujus Mundi judicatus eſt*, Joh. XVI: 11. *Confidite, Ego vici Mundum*, Joh. XVII: 33. *Vidi Satanam ſicut fulmen e Cælo cadentem*, Luc. X: 18; per Mundum, Principem mundi, Satanam & Diabolum, intelligitur Infernum. Præter hæc in Apocalypſi a principio ad finem deſcribitur, qualis Eccleſia Chriſtiana hodie eſt, tum quod Dominus iterum venturus ſit, ac Inferna ſubjugaturus, ac Novum Cælum Angelicum facturus ſit, & deinde Novam Eccleſiam in terris inſtauraturus. Hæc omnia ibi prædicta ſunt, ſed non prius quam hodie detecta; cauſa eſt, quia Apocalypſis, ſicut omnia Prophetica Verbi, conſcripta fuit per meras Correſpondentias, quæ niſi a Domino detectæ

fuiſſent, vix aliquis potuiſſet rite intelligere unum verſiculum ibi, at nunc propter Novam Eccleſiam, omnia quæ ibi, in APOCALYPSI REVELATA, Amſtelodami An: 1766 edita, detecta ſunt, & videbunt illa, qui credunt Verbo Domini apud Matthæum Cap. XXIV, de ſtatu Eccleſiæ hodiernæ, & de adventu Ipſius; ſed hæc fides vacillat ſolum apud illos adhuc, qui fidem hodiernæ Eccleſiæ de Trinitate Perſonarum Divinarum ab æterno, & de Paſſione Chriſti quod fuerit ipſa Redemptio, tam alte impreſſerunt cordibus ſuis, ut eradicari non poſſit; ſed hi ſunt, ut in MEMORABILI ſupra n: 113, dictum eſt, ſicut utres repleti ramentis ferri, & pulvere ſulphureo, in quæ ſi immittitur aqua, fit primum incaleſcentia, & poſtea flamma, ex qua utres illi rumpuntur; ſimiliter illi, dum audiunt aliquod de aqua viva, quæ eſt genuinum verum Verbi, & hoc intrat per oculos aut aures, vehementer excandeſcunt & inflammantur, & rejiciunt ſicut tale, quod rumperet Capita illorum.

117. Subjugatio Infernorum, ordinatio Cælorum, & deinde inſtauratio Eccleſiæ, illuſtrari poſſunt per varias ſimilitudines; illuſtrari poſſunt per ſimilitudinem cum Excercitu prædonum aut rebellium, qui invadunt Regnum aut Urbem, & ibi incendunt domos, depopulantur incolarum bona, & dividunt prædas inter ſe, & ſe inde lætificant & glorificant; ipſa autem Redemptio illuſtrari poteſt per ſimilitudinem cum Rege juſto, qui cum ſuo Excercitu aggreditur illos, & partem illorum ſub gladium mittit, & partem ergaſtulis includit, ac aufert illis prædas, ac ſubditis reſtituit, ac poſtea Regnum ordinat, & tutum a ſimilium inſultu reddit. Illuſtrari etiam poteſt per ſimilitudinem cum feris congregatis erumpentibus e ſylva, quæ invadunt greges & armenta, & quoque homines, propter quæ homo mœnibus ſuæ urbis non audet exire, & colere terram, unde campi erunt deſerti, & urbani fame perituri ſunt; ac Redemptio illuſtrari poteſt per internecionem & profligationem ferarum illarum, & per tutationem agrorum & camporum a talium ulteriore invaſione. Illuſtrari etiam poteſt per locuſtas conſumentes omne viride humi, & per media ne ulterius progrediantur: pariter per vermiculos tempore primo æſtatis, qui deprivant arbores foliis, & ſic etiam fructibus, ut ſtent nudæ ſicut in media hyeme, & per excuſſionem illorum, & ſic reſtitutionem horti in ſtatum ſuæ efflorescentiæ & fructificationis. Simile fieret cum Eccleſia, niſi Dominus per Redemptionem ſeparaviſſet bonos a malis, & hos in Infernum conjeciſſet, & illos in Cælum elevaviſſet; quid foret cum Imperio & Regno, ubi non juſtitia & judicium, per quæ mali e medio bonorum auferantur, & boni tutentur a violationibus, ut quiſque in ſecuritate in ſua domo vivat, ac ſicut in Verbo dicitur, ſub ſua ficu & vite in tranquillo ſedeat.

118. II. QUOD ABSQUE ILLA REDEMPTIONE NULLUS HOMO SALVARI POTUERIT, NEC ANGELI IN STATU INTEGRITATIS SUBSISTERE. Primum dicetur quid Redemptio; Redimere ſignificat liberare a damnatione, vindicare a morte æterna, eripere ex Inferno, ac auferre captivos & vinctos e manu diaboli: hoc a Domino factum eſt per quod ſubjugaverit Inferna, & condiderit novum Cælum; quod homo alioquin non ſalvari potuerit, eſt quia Mundus Spiritualis cum Mundo naturali, talem nexum habet, ut ſeparari nequeant, principaliter cum interioribus horum quæ Animæ & Mentes eorum vocantur, bonorum cum animabus & mentibus angelorum, & malorum cum animabus & mentibus ſpirituum infernalium; talem unionem habent, ut ſi illi ab homine removerentur, homo caderet mortuus ſicut ſtipes; ſimiliter nec Angeli & Spiritus poſſunt ſubſiſtere, ſi illis ſubtraherentur homines. Inde patet, quamobrem Redemptio facta eſt in Mundo ſpirituali, & quamobrem, Cælum & Infernum prius ordinanda ſunt, antequam Eccleſia in terris inſtaurari poſſit: quod ita ſit patet clare in Apocalypſi, quod poſtquam Novum Cælum factum eſt, ex Cælo illo deſcenderit Nova Hieroſolyma, quæ eſt Nova Eccleſia, Cap. XXI: 1. 2.

119.

119. Quod niſi Redemptio facta ſit a Domino, nec Angeli in ſtatu integritatis potuerint ſubſiſtere, eſt cauſa, quia Univerſum Cælum Angelicum una cum Eccleſia in terris, coram Domino eſt ſicut unus Homo, cujus Internum conſtituit Cælum Angelicum, & Externum Eccleſia; aut ſpecialius, cujus Caput conſtituit Cælum ſupremum, Pectus & Mediam corporis Regionem Cælum ſecundum & ultimum, ac Lumbos & Pedes Eccleſia in terris, & Ipſe Dominus eſt Anima & Vita totius hujus Hominis; quare niſi Dominus Redemptionem feciſſet, deſtructus fuiſſet hic Homo; quoad Pedes & Lumbos, quando Eccleſia in terris recedit, quoad Regionem gaſtricam quando Cælum Ultimum, quoad Thoracem quando Cælum Secundum, & tunc Caput, quia non habet correſpondentiam cum Corpore, in deliquium cadit. Sed hoc per ſimilitudines illuſtrabitur; eſt ſicut cum Caro morticina invadit pedes, & morticinium ejus progreſſive ſcandit, ac inficit primum lumbos, & deinde viſcera abdominis, & tandem invadit vicinias Cordis, quod tunc homo morte ſuccumbat, notum eſt. Illuſtrari etiam poteſt per ſimilitudinem cum morbis viſcerum, quæ infra Diaphragma ſunt, quod quando illa fathiſcunt, Cor incipiat palpitare, & Pulmo graviter anhelare, & quod tandem ceſſent. Illuſtrari etiam poteſt per ſimilitudinem cum Interno & Externo homine, quod Internus homo valeat, quamdiu Externus obedienter obit ejus functiones, at ſi Externus homo non obedit, ſed repugnat, & plus ſi illum impugnat, tandem Internus labefactatur, & demum aufertur a jucundis Externi, uſque dum ei favet & aſſentit. Et quoque illuſtrari poteſt per ſimilitudinem cum homine ſtante ſuper Monte, & infra ſe videt terras inundatas, & quod aquæ ſucceſſive aſſurgant, & cum ad altitudinem, in qua ipſe ſtat, emergunt, etiam ille inundatur, niſi per quandam naviculam, quæ per undas alluit, ſaluti ſuæ poſſit conſulere: ſimiliter ſi quis ex Monte videt denſum nimbum plus & plus e terra aſſurgentem, & abſcondentem campos, villas & urbes, & poſtea dum nimboſum illud uſque ad illum pertingit, non videt quicquam, nec ſemet ubi eſt. Simile eſt cum Angelis, dum Eccleſia in terris perit, quod tunc etiam Cæli inferiores abeant; cauſa eſt, quia Cæli ex hominibus e terra conſiſtunt, & dum amplius non aliquod bonum cordis & verum Verbi ſupereſt, inundantur Cæli a malis quæ aſſurgunt, & ab illis ſicut ex aquis ſtygiis ſuffocantur; ſed uſque a Domino reconduntur alicubi, & ad diem ultimi Judicii reſervantur, & tunc in Cælum Novum attolluntur; hi ſunt qui intelliguntur in Apocalypſi per hos „ *Vidi ſub Altari animas occiſorum propter Verbum Dei, & propter Teſtimonium quod habebant; & clamavant voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui Sanctus & Verus, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper Terra; & datæ ſingulis ſtolæ albæ; & dictum eis, ut requieſcant adhuc tempus parvum, uſque dum complentur, & conſervi & fratres eorum, qui futuri occidi ſicut illi*, Cap. VI: 9. 10. 11.

120. Quod abſque Redemptione a Domino iniquitas & malitia pervagaretur totum orbem Chriſtianum in utroque Mundo, Naturali & Spirituali, ſunt plures cauſæ, inter quas etiam hæc eſt, quia omnis homo poſt mortem in Mundum ſpirituum venit, & tunc ſibi prorſus ſimilis eſt, qualis prius, ac in introitu nemo arceri poteſt a colloquio cum defunctis parentibus, fratribus, affinibus & amicis, quiſque maritus tunc primum quærit uxorem ſuam, & quæque uxor maritum ſuum, & ab his & illis introducuntur in varia conſortia talium, qui extrinſecus ſicut oves apparent, ac intrinſecus ſicut lupi ſunt, & ab his perverteruntur etiam illi, qui pietati ſtuduerunt; inde, & ex artibus nefandis in Mundo naturali ignotis, ille Mundus ita repletus eſt malitioſis, prout ſtagnum ex ovulis ranarum virideſcens; quod conſortia cum malis ibi hoc etiam efficiant, ex his conſpicuum reddi poteſt, eſt enim ſicut quis commoratur cum prædonibus aut piratis, tandem fit illis ſimilis: atque eſt ſicut quis habitat cum adulteris & ſcortis, tandem adulteria pro nihilo reputat, eſt quoque ſicut qui ſe immiſcet rebellibus, tandem mi-

nihili facit violentias inferre cuicunque: omnia enim mala ſunt contagioſa, & comparari poſſunt peſti, quæ ex ſola aſpiratione & exhalatione inficit; & quoque cancro & gangrænæ, quæ ſerpit & putrefacit vicina & ſucceſſive remotiora, uſque dum totum corpus perit; jucunda mali, in quæ quiſque naſcitur, in cauſa ſunt. Ex his nunc conſtare poteſt, quod abſque Redemptione a Domino, nullus ſalvari poſſit, nec Angeli in ſtatu integritatis ſubſiſtere: unicum refugium, ne quis pereat, eſt ad Dominum, nam dicit, *Manete in Me, etiam Ego in vobis, quemadmodum palmes non poteſt fructum ferre a ſe ipſo, niſi manſerit in vite; ita vos niſi in Me manſeritis: Ego ſum Vitis, vos palmites; qui manet in Me, & Ego in illo, hic fort fructum multum; quia ſine Me non poteſtis facere quicquam: niſi quis manſerit in Me, ejectus eſt foras, & arefactus in ignem conjicitur, & comburitur*, Joh. XV: 4. 5. 6.

121. III. QUOD DOMINUS SIC NON MODO HOMINES, SED ETIAM ANGELOS REDEMERIT. Hoc ſequitur ex dictis in Articulo præcedente, quod abſque Redemptione a Domino nec Angeli potuerint ſubſiſtere; ad cauſas ſupradictas accedunt hæ, 1. Quod tempore Primi Adventus Domini Inferna ſuccreverint in altum, uſque ut implerent Univerſum Mundum ſpirituum, qui medius eſt inter Cælum & Infernum, & ſic non modo confuderint Cælum, quod vocatur ultimum, ſed etiam aggreſſi Cælum medium, quod mille modis infeſtaverunt; quod niſi Dominus ſuſtinuerit, deſtructum iret. Talis inſultus Infernorum intelligitur per Turrim ædificatam in terra Schinaar, cujus caput pertingeret uſque ad Cælum, & quorum conatus per confuſionem labiorum inhibitus eſt, & illi diſperſi ſunt, ac urbs vocata eſt Babel, Gen. XI: 1 ad 9; quid ibi per Turrim, & per confuſionem labiorum intelligitur, in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, explicatum eſt. Cauſa, quod Inferna in talem altitudinem ſuccreverint, fuit, quod tempore, quo Dominus in Mundum venit, Univerſus orbis per idololatrias & magias ſe prorſus a Deo abalienaverit, & Eccleſia, quæ fuerat apud filios Iſraelis, & demum apud Judæos, per falſificationem & adulterationem Verbi plane deſtructa fuerit; & omnes hi & illi poſt mortem in Mundum Spirituum alluerunt, ubi tandem ita adaucti & multiplicati ſunt, ut non inde potuerint expelli, niſi per deſcenſum Ipſius Dei, & tunc per robur Divini brachii Ipſius, quod quomodo factum eſt, in Opuſculo Londini anno 1758 de ULTIMO JUDICIO edito, deſcriptum eſt: hoc peractum eſt a Domino, cum in Mundo fuit: ſimile etiam hodie a Domino factum eſt, quoniam, ut ſupra dictum eſt, hodie eſt Secundus Adventus Ipſius, qui in Apocalypſi ubivis, & apud Matthæum Cap. XXIV: 3. 30. apud Marcum Cap. XIII: 26; apud Lucam Cap. XXI: 27, & in Actis Apoſt. Cap. I: 11, & alibi, prædictus eſt; diſcrimen eſt, quod in Primo Ipſius Adventu Inferna in tantum accreverint ex idololatris, magis & falſificatoribus Verbi, at in hoc Secundo ex Chriſtianis ita vocatis, tam illis qui naturaliſmum imbuerunt, quam illis qui falſificaverunt Verbum per confirmationes fabuloſæ fidei ſuæ de tribus Perſonis Divinis ab æterno, & de Paſſione Domini quod fuerit ipſa Redemptio; hi enim ſunt qui per Draconem & binas ejus Beſtias in Apocalypſi Cap. XII: & XIII, intelliguntur. 2. Secunda cauſa, quod Dominus etiam redemerit Angelos, eſt, quod non modo unuſquiſque homo, ſed etiam unuſquiſque Angelus a Domino detineatur a malo, & teneatur in bono; nullus enim ſive Angelus ſive homo, eſt in bono a ſe, ſed omne bonum eſt a Domino; cum itaque ſcabellum pedum Angelorum, quod illis eſt in Mundo ſpirituum, ſurreptum eſt, tunc factum eſt cum illis, ſicut cum ſedente ſuper ſolio, dum ejus ſtylobatæ auferuntur. Quod Angeli coram Deo non ſint puri, conſtat ex propheticis Verbi, & quoque ex Hiobo; tum ex eo, quod non detur aliquis Angelus, qui non prius fuerat homo. Per hæc confirmantur illa, quæ in FIDE NOVI CÆLI ET NOVÆ ECCLESIÆ IN UNIVERSALI ET SINGULARI FORMA, huic Operi præmiſſa, dicuntur, videlicet „ Quod Dominus in

„ Mun-

„ Mundum venerit, ut removeret Infernum ab homine, & quod id removerit „ per pugnas contra illud, & per victorias ſuper illud, ita ſubjugaverit illud, „ & redegerit illud ſub ſuam obedientiam. Tum per hæc ibi, „ quod Jehovah „ Deus deſcenderit & aſſumſerit Humanum, propter finem, ut in ordinem redi- „ geret omnia quæ in Cælo, & omnia quæ in Eccleſia erunt, quoniam tunc po- „ tentia Diaboli, hoc eſt, Inferni, valuit ſuper potentiam Cæli, & in terris po- „ tentia mali ſuper potentiam boni, & inde totalis damnatio ante fores ſtetit & „ imminuit; hanc futuram damnationem Jehovah Deus per Humanum ſuum ſu- „ ſtulit, & ſic homines & angelos redemit: ex quibus patet, quod abſque adven- „ tu Domini nullus ſalvari potuerit. Simile eſt hodie, quare niſi Dominus iterum „ in Mundum veniat, nec quiſquam poteſt ſalvari" vide ſupra n. 2. 3.

122. Quod Dominus vindicaverit Mundum Spiritualem, & per hunc vindicaturus ſit Eccleſiam ab univerſali damnatione, illuſtrari poteſt per comparationem cum Rege, qui ſuos filios principes ab hoſte captos, carceribus incluſos, & catenis vinctos, per victorias ſuper illum liberat, & in Aulam ſuam reducit. Tum per comparationem cum Paſtore, qui oves ſuas e faucibus leonis aut urſi, ſicut Simſon & David, eripit, aut feras illas erumpentes e ſylvis in prata, ejicit, & perſequitur uſque ad extremos terminos, & demum urget illas in ſtagna, aut in deſerta, & poſtea redit ad oves, & in ſecuritate paſcit illas, & ex fontibus aquæ limpidæ potat illas. Illuſtrari etiam poteſt cum aliquo, qui videt ſerpentem in ſpiram tortum, jacentem in via, ac intendentem infligere plagam calcaneo viatoris, ac prehendit caput ejus, & illum, tametſi ſe circum manum ejus contorquet, uſque domum portat, & ibi caput ejus amputat, & reliquum in ignem conjicit. Illuſtrari etiam poteſt cum ſponſo aut marito, qui dum videt adulterum tentantem inferre violentiam ſuæ ſponſæ aut uxori, illum aggreditur, & vel manum ejus gladio ſauciat, vel crura & lumbos ejus plagis corripit, vel per ſervos ſuos ejicit in plateas, qui fuſtibus illum uſque ad domum ejus perſequuntur, & ſic liberatam in thalamum ſuum abducit: per Sponſam & Uxorem etiam in Verbo intelligitur Eccleſia Domini, & per adulteros intelliguntur violatores ejus, qui ſunt, qui Verbum Ipſius adulterant; quod quia Judæi fecerunt, a Domino vocati ſunt gens adultera.

123. IV. Quod Redemptio fuerit Opus pure Divinum. Qui ſcit quale Infernum eſt, & qualis ejus altitudo & inundatio ſuper univerſum Mundum Spirituum tempore adventus Domini fuit, tum qua potentia Dominus infernum dejecit & diſſipavit, & poſtea illud una cum Cælo in ordinem redegit, non poteſt non obſtupeſcere, & exclamare, quod omnia illa pure Divinum Opus fuerint. Primum, *Quale Infernum eſt*, conſiſtit illud ex myriadibus myriadum, quoniam ex omnibus illis, qui a creatione Mundi per mala vitæ & falſa fidei abalienaverunt ſe a Deo. Alterum, *qualis altitudo & inundatio inferni ſuper univerſum Mundum Spirituum tempore adventus Domini fuit*, aliquantum in præcedentibus Articulis expoſitum eſt; qualis fuit tempore primi Adventus, non alicui notum factum eſt, quia non in ſenſu literæ Verbi revelatum; ſed qualis fuit tempore ſecundi Adventus Ipſius, oculis meis videre datum eſt, ex quo de priori concludi poteſt, & hoc deſcriptum eſt in Opuſculo de Ultimo Judicio Londini an: 1758 edito, pariter, *qua potentia Dominus infernum illud dejecit & diſſipavit*; ſed huc transferre illa, quæ ex autopſia in illo Opuſculo deſcripta ſunt, vanum opus eſt, quia exſtat, & adhuc Exemplaria in copia Londini apud Typographum reſervata ſunt; quiſque, qui illud legit, clare videre poteſt, quod id Omnipotentis Dei Opus fuerit. Quartum, *quomodo Dominus omnia tam in Cælo quam in Inferno poſtea in ordinem redegit*, nondum a me eſt deſcriptum, quoniam ordinatio cælorum & infernorum, a die Ultimi Judicii uſque ad hodiernum tempus perſtitit, & adhuc perſtat; aſt poſt hunc Librum editum, ſi deſideratur, in publicum dabitur; quod

me

me attinet, quoad hanc rem, quovis die vidi & video Omnipotentiam Divinam Domini ſicut in facie; at poſtremum hoc proprie eſt Redemptionis, prius autem illud proprie eſt Ultimi judicii, qui duo illa diſtincte intuentur, illi poſſunt plura, quæ in propheticis Verbi ſub figuris concelata ſunt, & tamen deſcripta, dum per explicationem correſpondentiarum in lucem intellectus protrahuntur, videre. Hoc & illud opus Divinum, non aliter illuſtrari poteſt, quam per comparationes, ſed uſque parum; illuſtrari poteſt per comparationem, cum pugna contra Exercitus omnium Gentium in Univerſo Mundo inſtructos haſtis, ſcutis, gladiis, ſclopetis & bombardis, habentes duces & præfectos callidos & aſtutos; hoc dicitur, quia plerique in Inferno artes in Mundo noſtro ignotas e callent, in quibus ſe inter ſe exercent, quomodo aggreſſuri, inſidiaturi, obſeſſuri & impugnaturi illos qui e Cælo ſunt. Pugna Domini cum Inferno etiam poteſt comparari, attamen parum, cum pugna cum feris totius Orbis terrarum, ac cum illarum ſtrage & domatione, uſque dum nulla illarum hiſcat prodire, & inſultum in ullum hominem, qui in Domino eſt, facere, unde ſi quis minacem vultum exferit, ſubito retrahit ſe, ſicut ſentiret vulturem in ſinu pectoris ſui, tentantem perforare illum uſque ad cor; per feras etiam in Verbo deſcribuntur Spiritus infernales; hi quoque per feras, cum quibus Dominus 40 dies erat, apud Marcum Cap. I: 13, intelliguntur. Comparari etiam poteſt, cum reſiſtentia contra univerſum Oceanum, cum fluctibus ſuis irrumpentem in regiones & urbes, diſruptis vallis; ſubjugatio Inferni a Domino etiam intelligitur per quod compeſcuerit Mare per quod dixerit, *file*, *obmutesce*, Marc. IV: 38. 39. Matth. VIII: 26. Luc. VIII: 23. 24; per Mare enim ibi, ut in pluribus aliis locis, ſignificatur Infernum. Dominus ex ſimili potentia Divina, hodie pugnat contra Infernum apud unumquemvis hominem, qui regeneratur, nam Infernum omnes illos diabolico furore aggreditur, cui niſi Dominus reſiſtit, & illud domat, homo non poteſt non ſuccumbere: Infernum enim eſt ſicut unus homo monſtroſus, ac ſicut immanis Leo, cum quo etiam in Verbo comparatur, quare niſi Dominus illum Leonem aut illud Monſtrum manicis & pedicis vinctum teneret, non potuiſſet aliter, quin ut horro, dum ab uno malo eripitur, in alterum, & porro in plura, ex ſe incideret.

124. V. QUOD IPSA HÆC REDEMPTIO NON FIERI POTUERIT, QUAM PER DEUM INCARNATUM. In præcedente Articulo oſtenſum eſt, quod Redemptio fuerit Opus pure Divinum, conſequenter quod non fieri potuerit niſi a Deo Omnipotente: quod non niſi quam per Se incarnatum, hoc eſt, factum Hominem, cauſa eſt, quia Jehovah Deus, qualis eſt in infinita ſua eſſentia, non poteſt appropinquare ad Infernum, minus intrare in illud, eſt enim in puriſſimis & primis; quare Jehovah Deus, in ſe talis, ſi modo afflaret illos qui in Inferno ſunt, momento enecaret illos, nam dixit ad Moſen volentem videre Ipſum, *Non poteris videre faciem meam, quia non videbit Me homo & vivet*, Exod. XXXIII: 20; cum itaque Moſes non potuit, minus adhuc illi qui in Inferno ſunt, ubi omnes ſunt in ultimis, & craſſiſſimis, & ſic in remotiſſimis, ſunt enim naturales infimi; quamobrem niſi Jehovah Deus aſſumſerit Humanum, & ſic ſe induerit corpore, quod in ultimis eſt, fruſtra aliquam Redemptionem ingredi potuit; quis enim poteſt aliquem hoſtem aggredi, niſi approximet, ac inſtructus ſit armis ad pugnam: aut quis poteſt abigere & deſtruere dracones, hydras & baſiliſcos in quodam deſerto, niſi circumdet corpus lorica & caput galea, & cum haſta in manu: aut quis poteſt balænas in mari captare, abſque navi & adminiculis accommodatis ad capturam: per hæc & ſimilia non ita comparari poteſt, ſed illuſtrari pugna Dei Omnipotentis cum Infernis, quam inire non poſſet, niſi Humanum prius induerit. At ſciendum eſt, quod pugna Domini cum Infernis, non fuerit pugna oralis, ſicut inter ratiocinantes & litigantes, talis pugna prorſus nihil ibi efficit, ſed fuit pugna ſpiritualis,

quæ

quæ eſt Divini Veri ex Divino Bono, quod erat ipſum Vitale Domini; hujus in fluxui, medio viſu, nemo in Infernis poteſt reſiſtere; talis potentia illi ineſt, ut infernales genii ſolum ad perceptionem ejus aufugiant, ſe in profundum dejiciant, & in cryptas intrudant, ut ſe abſcondant: hoc idem eſt quod deſcribitur apud Eſajam „ *Intrabunt in cavernas petrarum; & in fiſſuras pulveris, propter pavorem Jehovæ, quando ſurget ad terrendum terram*, Cap. II: 19. Et in Apocalypſi „ *Omnes abſcondent ſe in ſpeluncis petrarum, & in petris montium, dicentque montibus & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie Sedentis ſuper Throno, & ab ira Agni*, Cap. VI: 15. 16. 17. Qualis potentia Domino, quod Ipſi eſt ex Divino Bono, dum Ultimum Judicium Anno 1757, peregit, fuit, conſtare poteſt ex illis, quæ in Opuſculo de illo Judicio deſcripta ſunt; ut quod colles & montes, quos Infernales in Mundo ſpirituum occupaverunt, e ſuis locis evulſerit, & in diſſita tranſtulerit, & quoſdam ſubſidere fecerit, quodque urbes, villas & campos illorum diluvio inundaverit, & terras illorum e fundo eruerit, & illas una cum incolis in voragines, ſtagna, & paludes conjecerit, præter plura: & hæc omnia a Solo Domino per potentiam Divini Veri ex Divino Bono.

125. Quod Jehovah Deus non potuerit talia niſi per Humanum ſuum in actum mittere & efficere, illuſtrari poteſt per varias comparationes; ut quod inconſpicuus non poſſit conſerere manus, nec loquelam, niſi cum conſpicuo; ne quidem angelus & ſpiritus cum homine, tametſi juxta corpus ejus & ante faciem ejus ſtaret. Nec poteſt alicujus anima cum aliquo loqui & agere niſi per ſuum corpus. Non poteſt Sol cum ſua luce & ſuo calore intrare in aliquem hominem, beſtiam & arborem, niſi prius intret aerem, & per hunc agat; ſimiliter nec in piſces niſi per aquas; aget enim per elementum, in quo ſubiectum eſt. Ne quidem poteſt aliquis deſquamare piſcem cultro, & deplumare corvum, abſque digitis; nec deſcendere in profundum lacus abſque campana urinatoria: verbo, unumquodvis accommodatum erit alteri, antequam fit communicatio, & operatio contra illum aut cum illo.

126. VI: Quod Passio crucis fuerit ultima Tentatio, quam Dominus ut Maximus Propheta sustinuit, et quod fuerit medium glorificationis Humani Ipsius, hoc est, unionis cum Divino Patris sui, et non Redemptio. Sunt duo, propter quæ Dominus in Mundum venit, & per quæ ſalvavit homines & Angelos, videlicet Redemptio & Glorificatio Humani ſui; hæc duo inter ſe diſtincta ſunt, ſed uſque unum ad ſalvationem faciunt. Quid Redemptio, in antecedentibus Articulis oſtenſum eſt, nempe quod fuerit Pugna cum Infernis, ſubjugatio illorum, & poſtea ordinatio Cælorum: Glorificatio autem eſt Unitio Humani Domini cum Divino Patris ſui, hæc ſucceſſive facta eſt, & plenarie per Paſſionem crucis; omnis enim homo a ſua parte accedere debet ad Deum, & quantum homo accedit, tantum Deus a ſua parte intrat: hoc ſimile eſt ſicut cum Templo, hoc primum ædificandum eſt, & hoc fit manibus hominum, & poſtea inaugurandum eſt, & demum orandum, ut Deus præſens ſit, ac uniat ſe cum Eccleſia ibi. Quod ipſa Unio plene facta ſit per Paſſionem crucis, eſt cauſa, quia fuit ultima Tentatio, quam Dominus in Mundo ſubivit, & per Tentationes fit conjunctio; in his enim homo ad apparentiam ſibi ſoli relinquitur, tametſi non relictus eſt, nam Deus tunc in intimis ejus præſentiſſime adeſt, ac ſuffulcit; quare cum aliquis in tentatione vincit, intime conjungitur Deo, ac Dominus tunc Deo Patri ſuo intime unitus eſt. Quod Dominus in Paſſione crucis ſibi relictus ſit, conſtat ex hac Ipſius exclamatione ſuper cruce, Deus quare reliquiſti Me, & quoque ex his Domini verbis „ *Nemo tollit animam a Me, ſed Ego pono illam a Meipſo; poteſtatem Ego habeo ponendi illam, & poteſtatem habeo recipiendi illam, hoc præceptum accepi a Patre meo*, Joh. X: 18. Ex his nunc conſtare poteſt, quod Dominus non quoad Divinum, ſed quoad Humanum paſſus

ſit, & quod tunc intima & ſic plenaria unio facta ſit. Hoc illuſtrari poteſt per hoc, quod dum homo patitur quoad corpus, anima ejus non patiatur, ſed modo doleat; aſt Deus dolorem hunc poſt victoriam aufert, & abſtergit ſicut quis lachrymas ex oculis.

127. Hæc duo, Redemptio & Paſſio crucis, diſtincte percipienda ſunt, alioquin incidit mens humana ſicut navis in ſyrtes aut in ſcopulos, ac perit una cum gubernatore, nauclero & nautis, hoc eſt, errat in omnibus illis, quæ ſalvationis a Domino ſunt: nam homo abſque diſtincta idea de duobus illis, eſt tanquam in ſomnio & videt vana, & auguratur ex illis, quæ credit realia eſſe, cum tamen ſunt ludicra; aut eſt ſicut qui ambulat in nocte, & dum arripit frondes alicujus arboris, credit crines hominis eſſe, & accedit propius, & ſuos crines eis implicat. Sed tametſi Redemptio & Paſſio crucis duo diſtincta ſunt, usque ad ſalvationem unum faciunt, quoniam Dominus per Unionem cum ſuo Patre, quæ per Paſſionem crucis peracta eſt, factus eſt Redemptor in æternum.

128. De GLORIFICATIONE, per quam intelligitur unitio Divini Humani Domini cum Divino Patris, quod per Paſſionem crucis plene peracta eſt, Ipſe Dominus ita apud Evangeliſtas loquitur, *Poſtquam Judas exivit, dixit Jeſus, nunc Glorificatus eſt Filius hominis, & Deus Glorificatus eſt in Ipſo; ſi Deus Glorificatus eſt in Ipſo, etiam Deus Glorificabit Ipſum in Seipſo, & ſtatim Glorificabit Ipſum*, Joh: XIII: 31: 32. hic Glorificatio dicitur & de Deo Patre & de Filio, nam dicitur, Deus Glorificatus eſt in Ipſo, & Glorificabit Illum in Seipſo, quod hoc ſit uniri, patet: *Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet* Te, Joh: XVII: 1: 5, ita dicitur, quia unitio fuit reciproca, ac ut dicitur, Pater in Ipſo & Ipſe in Patre. *Nunc anima mea turbata eſt, & dixit, Pater, glorifica Nomen tuum, & exiit vox e Cælo, & Glorificavi, & rurſus Glorificabo*, Joh: XII: 27: 28. hoc dictum eſt, quia Unitio ſucceſſive facta fuit. *Nonne hoc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam ſuam*, Luc: XXIV: 26. gloria in Verbo, ubi de Domino, ſignificat Divinum Verum unitum Divino Bono. Ex his clare patet, quod Humanum Domini ſit Divinum.

129. Quod Dominus uſque ad Paſſionem crucis voluerit tentari, fuit cauſa, quia erat Ipſe Propheta, & Prophetæ olim ſignificabant doctrinam Eccleſiæ ex Verbo, & inde repræſentabant Eccleſiam, qualis illa fuit, per varia, & quoque per iniqua, dura & quoque nefaria, quæ illis a Deo injuncta fuerunt. Dominus autem quia fuit ipſum Verbum, per Paſſionem crucis ut Ipſe Propheta repræſentavit Eccleſiam Judaicam, quomodo illa ipſum Verbum prophanavit: huic cauſæ accedit hæc, quod ſic pro Salvatore utriuſque Mundi agnoſceretur in Cælis, omnia enim Paſſionis Ipſius ſignificabant talia quæ prophanationis Verbi ſunt, & Angeli illa ſpiritualiter, dum homines Eccleſiæ naturaliter intelligunt. Quod Domius fuerit ipſe Propheta, conſtat ex his locis. *Dominus dixit, non eſt* PROPHETA *minus honoratus, quam in Patria ſua, & in Domo ſua*, Matth: XIII: 57. Marc: VI: 4. Luc: IV: 24. *Jeſus dixit, non eſt conveniens* PROPHETAM *interire extra Hieroſolymam*, Luc. XIII: 33. *Cepit timor omnes, laudantes Deum, dicentes, quod* PROPHETA MAGNUS *ſuſcitatus ſit inter illos*, Luc: VII: 16. *Dixerunt de Jeſu,* ILLE PROPHETA *a Naſareth*, Matth: XXI: 26. Joh: VII: 40, 41. *Quod* PROPHETA *excitaretur e medio fratrum, cujus verbis obedirent* Deutr: XVIII: 15 ad 19.

130. Quod Prophetæ repræſentaverint ſtatum Eccleſiæ ſuæ quoad doctrinam e Verbo, & quoad vitam ſecundum illam, conſtat ex his locis; mandatum eſt Eſajæ Prophetæ, *ut diſſolveret ſaccum deſuper lumbis ſuis, & calceum deſuper pede ſuo, ac iret nudus & diſcalceatus tres annos, in ſignum & prodigium*, Eſaj: XX: 2, 3. Mandatum eſt Ezechieli Prophetæ, ut repræſentaret ſtatum Eccleſiæ, *per quod faceret vaſa migrationis, & migraret in locum alium in oculis filiorum Iſraelis, & educeret vaſa interdiu, & exiret in veſpera per effoſſum parietem, & obtegeret facies ut non*

vide-

videret terram, & quod ſic prodigium eſſet domui Iſraelis, & diceret, ecce ego prodigium veſtrum, quemadmodum feci, ſic fiet vobis, Ezech. XII: 3 ad 7, 11. Mandatum eſt Hoſcheæ prophetæ, ut repræſentaret ſtatum Eccleſiæ, *per quod acciperet ſibi Meretricem in uxorem; & quoque accepit, & illa peperit ei tres filios, quorum unum vocavit Jiſreel, alterum non Miſerandum, & tertium non Populum. Ac iterum ei mandatum eſt, ut abiret & amaret Mulierem amatam ſocio, & adulteram, quam etiam ſibi comparavit*, Hoſeh: I: 2 ad 9. & Cap: III: 2, 3. Prophetæ cuidam etiam mandatum, *ut cinerem ſuper oculos mitteret, & patcretur ſe percuti & verberari.* 1 Reg: XX: 35, 37. Mandatum eſt Ezechieli Prophetæ, ut repræſentaret ſtatum Eccleſiæ, *per quod ſumeret laterem, & ſculperet ſuper eo Hieroſolymam, poneret obſidionem, & daret vallum & aggerem contra illam, poneret ſartaginem ferri inter ſe & urbem, & cubaret ſuper latere ſiniſtro, & ſuper latere dextro. Tum quod ſumeret trit ca, hordea, lentes, milium & zeas, & ex illis faceret panem; & quoque placentam hordeorum cum ſtercore fimi hominis; & quia hoc deprecatus eſt, permiſſum eſt, ut faceret illam cum excrementis bovis. Dictum eſt illi, Tu cuba ſuper latere ſiniſtro, & pone* INIQUITATEM DOMUS ISRAELIS *ſuper illud; numerum dierum, quibus cubabis ſuper illo*, PORTABIS INIQUITATEM EORUM; *Ego enim dabo tibi annos iniquitatis eorum juxta numerum dierum* 390 *dies*, UT PORTES INIQUITATEM DOMUS ISRAELIS: *quum vero abſolveris hos, jacebis ſuper latere tuo dextro ſecundum, ut* PORTES INIQUITATEM DOMUS JEHUDÆ, Ezech: IV: 1 ad 15. Quod Propheta per hæc portaverit iniquitates Domus Iſraelis & Domus Jehudæ, & non abſtulerit, illas, & ſic expiaverit, ſed modo repræſentaverit & monſtraverit, patet a ſequentibus ibi; *Sic inquit Jehovah, comedent filii Iſraelis panem ſuum immundum: ecce Ego frangens baculum panis, ut careant pane & aqua, & deſolentur vir & frater ejus, & contabeſcant propter inquitatem eorum*, Verſ: 13, 16, 17. in eodem Capite. Simile itaque intelligitur de Domino, ubi dicitur, *Morbos noſtros Ille tulit, dolores noſtros* PORTAVIT; *Jehovah incurrere fecit in Illum iniquitates omnium noſtrum; per ſcientiam ſuam juſtificavit multos, eo quod* INIQUITATES EORUM IPSE PORTAVERIT, Eſaj. LIII: 1. ubi in toto Capite agitur de Paſſione Domini. Quod Dominus ut ipſe Propheta repræſentaverit ſtatum Eccleſiæ Judaicæ quoad Verbum, patet ex ſingulis paſſionis Ipſius „ *Ut quod a Juda proditus fuerit: quod a Principibus ſacerdotum & a Senioribus comprehenſus & condemnatus ſit: quod colaphos impegerint: quod caput calamo percuſſerint; quod impoſuerint coronam ex ſpinis: quod veſtimenta Ipſius diviſerint, & ſuper tunicam jecerint ſortem: quod crucifixerint: quod dederint Ipſi acetum ad bibendum: quod transfoderint latus: quod ſepultus, & quod tertio die reſurrexerit.* Quod a Juda proditus fuerit, ſignificabat, quod a gente Judaica, apud quam tunc erat Verbum, nam Judas illam repræſentabat: quod a Principibus ſacerdotum & Senioribus conprehenſus & condemnatus ſit, ſignificabat quod ab omni illa Eccleſia: quod colaphos impegerint, ſpuerint in faciem, flugellaverint, & caput calamo percuſſerint, ſignificabant quod ſimiliter fecerint cum Verbo, quoad Divina vera ejus: quod impoſuerint coronam ex ſpinis, ſignificabat quod illa fallificaverint & adulteraverint: quod veſtimenta diviſerint, & ſuper tunicam jecerint ſortem, ſignificabat quod omnia vera Verbi diſperſerint, ſed non ſenſum ejus ſpiritualem, hunc tunica Domini ſignificabat: quod crucifixerint, ſignificabat quod totum Verbum deſtruxerint & prophanaverint: quod præbuerint Ipſi acetum ad bibendum, ſignificabat quod mere falſificata, quare illad non bibit: quod transfoderint latus, ſignificabat quod plene exſtinxerint omne verum Verbi & omne bonum ejus: quod ſepultus, ſignificabat rejectionem reſidui a matre: quod tertio die reſurrexerit, ſignificabat Glorificationem ſeu Unionem Humani Ipſius cum Divino Patris. Ex his nunc patet, quod per Portare iniquitates, non intelligatur auferre illas, ſed repræſentare prophanationem veritatum Verbi.

131. Hæc quoque illuſtrari poſſunt per comparationes, quod fit propter ſimpli-

ces, qui ex comparationibus melius vident, quam ex deductionibus analytice ex Verbo & simul ratione formatis: Omnis civis aut subditus unitur Regi, per quod mandata ejus & præcepta faciat, & plus si pro illo sustinet gravia, & adhuc plus si mortem pro illo subit, quod fit in pugnis & præliis: pariter amicus unitur amico, filius patri, & famulus hero, per quod illa, quæ voluntatis eorum sunt, faciant, & plus si contra inimicos illos defendunt, & adhuc si plus pro illorum honore dimicant. Quis non unitur virgini, quam in sponsam ambit, qui pugnat cum illis, qui diffamant illam, & qui ad vulnera cum rivali: quod per talia uniantur, est secundum legem naturæ inscriptam. Dominus dicit, *Ego sum Pastor bonus*, *Pastor bonus animam ponit pro ovibus*, *propter quod Pater me amat*, Joh: X: 11: 17.

132. VII: Quod Passio crucis credatur fuisse ipsa Redemptio, sit fundamentalis error Ecclesiæ; et quod ille error una cum errore de tribus Personis divinis ab æterno, perverterit totam Ecclesiam, adeo ut non aliquid residuum spirituale in illa supersit. Quid plus hodie libros Orthodoxorum implet & farcit, & quid in Gymnasiis ardentius docetur & inspiratur, ac e suggestis frequentius prædicatur & exclamatur, quam quod Deus Pater iratus contra genus humanum, non modo removerit illud a se, sed etiam concluserit illud sub damnatione universali, pœinde illud excommunicaverit; sed quia gratiosus est, quod pervaserit, aut exsuscitaverit Filium suam, ut descenderet, & definitam damnationem in se susciperet, & sic iram Patris sui expiaret, & quod sic & non aliter posset ex aliquo favore aspicere hominem; tum quod hoc etiam factum sit per Filium, ut quod damnationem Generis humani in se susciendo passus sit se a Judæis flagellari, in faciem spui, & dein sicut maledictio Dei crucifigi, Deutr: XXI: 23, & quod Pater post hoc factum propitiatus sit, & ex amore erga Filium retraxerit damnationem, sed modo ab illis, pro quibus intercederet, & quod sic Mediator coram Patre suo in perpetuum factus sit. Hæc & similia hodie in Templis sonant, & reverberantur e parietibus, sicut echo e sylvis, & implent omnium aures ibi. Sed quis, cui Ratio illustrata & sana facta est e Verbo, non potest videre, quod Deus, qui est ipsa Misericordia & Clementia, quia est ipse Amor & ipsum Bonum, & quod illa sint Ipsius Essentia, & inde quod contradictio fit dicere, quod ipsa Misericordia seu ipsum Bonum possit aspicere hominem ex ira, & damnationem ejus concludere, & usque manere sua Divina Essentia, talia vix cadunt in hominem probum sed in improbum, nec in Angelum Cæli, sed in spiritum Inferni; quare infandum est illa addicare Deo. Sed si inquiritur in Causam, est hæc, quod Passionem crucis pro ipsa Redemptione assumserint, inde effluxerunt illa, sicut ex uno Falso falsa in continua serie, aut sicut ex Cado aceti non nisi quam acetum, aut ex Mente insana non nisi quam insanum; ex uno enim Concluso sequuntur theoremata ejusdem prosapiæ, latent intus in Concluso, & successive inde prodeunt, & ex illo de Passione crucis quod sit Redemptio, plura adhuc scandalosa & Deo ignominiosa possunt prodire & protrahi, usque ut fiat, sicu dicit Esajas „ *Sacerdos & Propheta errant per siceram, tituhani judicio, omnes mensæ plenæ sunt vomitu egestionis*, Cap: XXVIII: 7, 8.

133. Ex idea hac de Deo & de Redemptione, universa Theologia, a spirituali facta est infime naturalis, quod fit quia proprietates mere naturales Deo attributæ sunt, & tamen ab idea Dei & ab idea Redemptionis, quæ unum facit cum Salvatione, pendet omne Ecclesiæ; est enim illa idea sicut Caput, ex quo procedunt omnia corporis, quare dum illa est spiritualis, omnia Ecclesiæ fiunt spiritualia, & dum illa est naturalis, omnia Ecclesiæ fiunt naturalia, quapropter quia idea de Deo & de Redemptione facta est mere naturalis, hoc est, sensualis & corporea, ideo mere naturalia sunt omnia, quæ Ecclesiæ Capita & Membra in suis dogmaticis tradiderunt & tradunt: quod inde non nisi quam falsa possint excludi, est quia na-

naturalis homo continue agit contra ſpiritualem, & inde ſpiritualia ſpectat ſicut larvas & phantaſmata in aere; quare dici poteſt, quod propter ſenſualem illam ideam de Redemtione & inde de Deo, viæ ad Cælum, quæ ſunt ad Dominum Deum Salvatorem, obſeſſæ ſint furibus & latronibus, Joh: X: 1, 8, 9. & quod in Templis valvæ dejectæ ſint, & ſic intraverint dracones, ululæ, tzjim & jiim, ac diſcorditer concentent. Quod hæc idea de Redemptione & de Deo, ingeſta ſit fidei hodiernæ, notum eſt, quæ eſt ut orent ad Deum Patrem, ut propter crucem & ſanquinem Filii ſui remittat delicta, & ad Deum Filium ut oret & intercedat pro illis, & ad Deum ſpiritum ſactum ut juſtificet & ſanctificet; quid hoc aliud eſt, quam ſupplicare ad tres Deos in ſuo ordine, & quid tunc cogitatio de Regimine Divino alia quam de Regimine Ariſtocratico aut Hierarchico; aut ſicut de Triumviratu, qualis ſemel fuit Romæ, at pro Triumviratu vocari poteſt Triumperſonatus; & quid tunc facilius eſt Diabolo, quam facere ſicut dicitur, divide & impera, hoc eſt, diſcindere animos, & excitare motus rebelles, nunc contra unum Deum, nunc contra alterum, quemadmodum ab Arii tempore huc usque factum eſt, & ſic Dominum Deum Salvatorem, Cui eſt omnis poteſtas in Cælo & Terra, Matth: XXVIII: 18. dejicere e Throno, & quendam ſuum Clientem ſuperimponere, & huic cultum addicere, aut cultum, quia huic, etiam ipſi Domino adimere.

134. His adjicientur hæc MEMORABILIA: PRIMUM; Quondam intravi Templum in Mundo ſpirituum, ubi plures erant congregati, & ante Concionem inter ſe ratiocinati ſunt de REDEMPTIONE. Templum erat quadratum, & non aliquæ feneſtræ in parietibus, ſed magna apertura ſupra in medio tecti, per quam lux e Cælo intrabat, & plus illuminabat, quam ſi fuiſſent feneſtræ a lateribus: & ecce ſubito, cum in ſermocinatione de Redemptione erant, Nubes atra e ſeptentrione alluens obtexit aperturam, unde tenebræ factæ ſunt, ut non videret unus alterum, & vix quiſquam palmam ſuam; cum propter hoc obſtupefacti ſteterunt, ecce atra illa nubes findebatur in medio, & per fiſſuram viſi ſunt angeli demiſſi e Cælo, & hi Nubem ab utraque parte diſcuſſerunt, ex quo in Templo iterum factum eſt luminoſum; & tunc Angeli demiſerunt unum ex ſe in Templum, qui vice eorum interrogabat congregatos, de qua re contendunt, quoniam tam obſcura Nubes ſaperveniens ſuſtulit lucem, & induxit tenebras; reſponderunt, quod de Redemptione, & quad hæc facta ſit a Filio Dei per Paſſionem crucis, & quod per illam expiaverit, & liberaverit Genus humanum a damnatione & morte æterna; ſed ad hæc dixit Angelus demiſſus, quid per Paſſionem crucis, exponite cur per illam; & tunc Sacerdos venit, & dixit, ego exponam in ſerie, quæ ſcimus & credimus, quæ ſunt, quod Deus Pater iratus contra Genus humanum, damnaverit Illud, & a clementia ſua excluſerit, & declaraverit omnes devotos & maledictos, & addixerit Inferno; & quod voluerit, ut Filius Ipſius damnationem illam in ſe ſuſciperet, & quod Filius annuerit, & propter id deſcenderit, & aſſumſerit Humanum, & paſſus ſe crucifigi, & ſic damnationem Generis humani in ſe transferri, nam legitur, Maledictus omnis ſuſpenſus ſuper ligno crucis; & quod Filius ſic propitiaverit Patrem intercedendo & mediando; & quod tunc Pater ex amore erga Filium, & ex miſeria viſa in Illo ſuper ligno crucis commotus fanciverit, quod condonaturus ſit, ſed ſolum illis quibus imputo Juſtitiam tuam, hos faciam ex filiis iræ & maledictionis filios gratiæ & benedictionis, ac juſtificabo & ſalvabo; reliqui maneant, ſicut prius ſancitum eſt, filii iræ; hæc eſt fides noſtra, & illa ſunt juſtitia, quam Deus Pater infert fidei noſtræ, quæ ſola juſtificat & ſalvat. Angelus his ami-

auditis diu conticuit, hæſit enim in ſtupore, & poſt ſolvit ſilentium, & fatus eſt hæc; poteſt Orbis Chriſtianus in tantum inſanire, & a ſana ratione in talia deliria abſcedere, & ex illis Paradoxis fundamentale ſalutis dogma concludere; quis non poteſt videre, quod illa e diametro ſint contra ipſam Divinam Eſſentiam, hoc eſt, contra Divinum Ipſius Amorem & Divinam Ipſius Sapientiam, & ſimul contra Ipſius Omnipotentiam & Omnipræſentiam; ita facere non poteſt ullus herus probus contra famulos ſuos & ancillas ſuas; imo nec fera contra catulos & pullos ſuos, eſt inſandum: eſtne contra Divinam Eſſentiam Ipſius annihilare Vocationem, quæ facta eſt ad omnes & ſingulos ex Genere humano; eſtne contra Divinam Eſſentiam immutare Ordinem ab æterno conſtabilitum, qui eſt, ut quiſque ſecundum ſuam vitam judicetur; eſtne contra Divinam Eſſentiam ſubtrahere amorem & miſericordiam alicui homini, & plus univerſo generi humano; eſtne contra Divinam Eſſentiam ex viſa in Filio miſeria reduci in miſericordiam, & quia miſericordia eſt ipſa Dei Eſſentia, reduci in ſuam Eſſentiam, ac nefandum eſt cogitare, quod uſquam ex illa exiverit; eſt enim illa Ipſe ab ætarno in ærernum. Eſtne etiam impoſſibile inferre in aliquod ens, quale eſt fides veſtra, Juſtitiam redemptionis, quæ in ſe eſt Divinæ Omnipotentiæ, & illam imputare & addicare homini, & hunc abſque ullis aliis mediis declarare juſtum, purum, & ſanctum; eſtne impoſſibile remittere alicui peccata, ac aliquem innovare, regenerare & ſalvare ex ſola imputatione, & ſic injuſtitiam vertere in juſtitiam, & maledictionem in benedictionem, poteſtne ſic Infernum vertere in Cælum, & Cælum in Infernum, aut Draconem in Michaelem, & Michaelem in Draconem, & ſic diſcindere pugnam inter illos; quid opus niſi uni ſubtrahere fidei veſtræ imputationem, & indere alteri; ita nos, qui in Cælo ſumus, trepidabimus in æternum. Nec eſt juſtitiæ & judicii, ut alter in ſe ſuſcipiat alterius nefas, & nefarius inſons fiat, & nefas ſic diluatur; hocne eſt contra Juſtitiam & Divinam & humanam. Orbis Chriſtianus ignorat adhuc, quod Ordo ſit, & plus quid Ordo, quem Deus, cum Mundum creavit, ſimul introduxit, & quod Deus non poſſit agere contra illum, quoniam tunc ageret contra Se; eſt enim Deus ipſe Ordo. Sacerdos illa ab Angelo dicta intellexit, quia Angeli, qui ſupra erant, infuderunt lucem e Cælo; & tunc gemuit & dixit, quid faciendum, omnes hodie ita prædicant, & orant, & credunt; in ore omnium eſt hoc, Pater bone miſerere noſtri, & remitte nobis peccata noſtra, propter ſanguinem Filii tui, quem pro nobis ſuper cruce effudit; & ad Chriſtum, Domine intercede pro nobis; & nos Sacerdotes illis addimus, mitte nobis Spiritum ſanctum; & tunc dixit Angelus, animadverti, quod Sacerdotes parent collyria ex Verbo non interius intellecto, quæ ſuper oculos per fidem illorum occæcatos illinunt, aut faciunt inde ſibi ſicut emplaſtrum, quod ſuper vulnera a dogmatibus illorum inflicta ponunt, ſed uſque non ſanant illa, quia inveterata; quare adi illum, qui ibi ſtat, & monſtravit me digito, ille docebit te a Domino, quod Paſſio crucis non fuerit Redemptio, ſed unitio Humani Domini cum Divino Patris; at quod Redemptio fuerit ſubjugatio infernorum, & ordinatio Cælorum, & quod abſque illis a Domino, cum fuit in Mundo, peractis, non fuiſſet ſalus alicui in Terris, nec alicui in Cælis; & docebit amplius ordinem a creatione inductum, ſecundum quem vivant ut ſalventur, & quod qui ſecundum illum vivunt, numerentur inter Redemptos, & dicantur Electi. His dictis, in Templo factæ ſunt feneſtræ a lateribus, per quas luminoſum a quatuor plagis Mundi influxit, & apparebant Cherubi volantes in ſplendore lucis; & ſublatus eſt Angelus ad ſuos ſupra aperturam; & læti receſſimus.

135. SECUNDUM MEMORABILE: Quodam mane evigilatus a ſomno, apparuit mihi Sol Mundi ſpiritualis in ſuo jubare, & ſub illo vidi Cælos diſtantes, ſicut Tellus a ſuo Sole; & tunc e Cælis auditæ ſunt voces ineffabiles, quæ ſimul collectæ articulabantur in hoc effabile, quod unus Deus, qui Homo, ſit, cujus habitaculum

lum eſt in Sole illo; hoc articulatum decidit per Cælos medios ad Infimum, & ex hoc in Mundum ſpirituum, ubi eram; & appercepi, quod idea unius Dei, quæ erat Angelis, ſecundum gradus delapſus verteretur in ideam trium Deorum; quod cum obſervabam ingreſſus ſum loqui cum illis, qui tres Deos cogitabant, dicens, oh, quæ enormitas, unde vobis illa; & reſpondebant, cogitamus tres ex idea perceptiva noſtra de Deo Triuno, ſed hæc uſque non cadit in os noſtrum, cum loquimur, nos ſemper dicimus pleno ore quod Deus unus ſit, ſi in mentibus noſtris alia eſt, ſit, modo non defluat, & ſcindat unitatem Dei in ore; at uſque tempore a tempore defluit, quia ineſt, & tunc ſi eloqueremur, dicturi eſſemus tres Deos, ſed ab hoc cavemus, ne exponamur riſui audientium: & tunc aperte ex cogitatione loquebantur, dicentes, nonne ſunt tres Dii, quia ſunt tres Perſonæ Divinæ, quarum unaquævis eſt Deus, nec poſſumus aliter cogitare, quum Antiſtes Eccleſiæ noſtræ ex ſcrinio ſanctorum ſuorum dogmatum, adſcribit uni Creationem, alteri Redemptionem, & tertio Sanctificationem, & plus cum proprietates, cuivis ſuam, quas aſſerit incommunicabiles, illis attribuit, quæ non modo ſunt Creatio, Redemptio, & Sanctificatio, ſed etiam Imputatio, Mediatio & Operatio, eſtne tunc unus qui creavit nos, & ille quoque imputat, alter qui redemit nos, & hic quoque mediat, & tertius qui imputationem mediatam operatur, & hic quoque ſanctificat: quis non ſcit, quod Filius Dei a Deo Patre in Mundum miſſus ſit, ut Genus humanum redimeret, & ſic fieret Expiator, Mediator, Propitiator, & Interceſſor, & quia hic unus eſt cum Filio Dei ab æterno, ſuntne duæ Perſonæ a ſe diſtinctæ; & quia hæ duæ in Cælo ſunt, una ſedens ad dextram alterius, eritne tertia Perſona quæ decreta in Cælo exſequetur in Mundo. His auditis, tacui, at mecum cogitavi, oh quæ fatuitas, non ſciunt quicquam quod in Verbo per Mediationem intelligitur: & tunc ex mandato Domini deſcenderunt tres Angeli e Cælo, & mihi aſſociabantur, propter cauſam, ut ex interiore perceptione cum illis, qui in idea trium Deorum erant, loquerer, & in ſpecie de Mediatione, Interceſſione, Propitiatione, & Expiatione, quæ ab illis tribuuntur Secundæ Perſonæ, ſeu Filio, ſed non prius quam poſtquam Homo factus eſt, & Homo factus eſt poſt plura ſæcula a Creatione, quando quatuor illa ſalutis media nondum fuerunt, & ſic Deus Pater non propitiatus, Genus humanum non expiatum, & non aliquis e Cælo eſt miſſus qui interceſſit & mediavit; & tunc ex inſpiratione illata loquutus ſum cum illis, dicens, adeſte quot poſſunt, & audite, quid in Verbo per Mediationem, Interceſſionem, Expiationem, & Propitiationem, intelligitur; ſunt illæ quatuor Prædicationes gratiæ unius Dei in Humano ſuo; Deus Pater nuſquam poteſt adiri, nec Ipſe poteſt ullum hominem adire, quia eſt Infinitus & in ſuo Eſſe quod eſt Jehovah, a Quo ſi adiret hominem, diſſolveret illum, ſicut ignis lignum, & redigit illud in favillam; hoc patet ab his, quod dixerit ad Moſen volentem videre Ipſum, quod nemo poſſit videre Ipſum & vivere, Exod. XXXIII: 20; & Dominus dicit, Quod Deum nemo viderit unquam, niſi Filius qui in ſinu Patris eſt, Joh. I: 18. Matth. XI: 27; tum, Quod nemo vocem Patris audiverit, nec ſpeciem Ipſius viderit, Joh. V: 37; legitur quidem, quod Moſes viderit Jehovam facie ad faciem, & loquutus cum Illo ore ad os, ſed hoc factum eſt per Angelum, ſimiliter apud Abrahamum & Gideonem. Nunc quia talis eſt Deus Pater in ſe, placuit Ipſi aſſumere Humanum, & in hoc admittere homines, & ſic audire illos, & loqui cum illis; & hoc Humanum eſt quod vocatur Filius Dei, & Hoc eſt, quod mediat, intercedit, propitiat & expiat. Dicam itaque, quid illa quatuor Prædicata de Humano Dei Patris ſignificant: MEDIATIO ſignificat, quod Illud ſit intermedium, per quod homo poſſit adire Deum Patrem, & Deus Pater hominem, & ſic docere & ducere eum ut ſalvetur, quare Filius Dei, per quem intelligitur Humanum Dei Patris, vocatur Salvator, & in Mundo Jeſus, hoc eſt, Salus. INTERCESSIO ſignificat perpetuam

Me-

Mediationem, nam ipſe Amor cujus eſt Miſericordia, clementia & gratia, perpetuo intercedit, hoc eſt, mediat, pro illis qui faciunt præcepta Ipſius, quos amat. EXPIATIO ſignificat amotionem peccatorum, in quæ homo rueret, ſi nudum Jehovam adiret. PROPITIATIO ſignificat clementiæ & gratiæ operationem, ne homo per peccata in damnationem ſe inferat, ſimiliter tutelam, ne ſanctitatem prophanet, hoc ſignificabat Propitiatorium ſuper Arca in Tabernaculo. Notum eſt, quod Deus in Verbo per apparentias loquutus ſit, ut quod iraſcatur, vindicet, tentet, puniat, conjiciat in infernum, damnet, imo quod malum faciat, cum tamen nemini iraſcitur, non vindicat, tentat, punit, conjicit in infernum, damnat, hæc tam longe abſunt a Deo, ſicut Infernum a Cælo, & infinite plus, quare ſunt loquutiones apparentiæ; loquutiones apparentiæ in alio ſenſu etiam ſunt Expiatio, Propitiatio, Interceſſio & Mediatio, per quas intelliguntur prædicationes acceſſus ad Deum, & gratiæ a Deo, per Humanum ſuum: quæ quia non intellectæ ſunt, diviſerunt Deum in Tres, & ſuper Tribus his omnem doctrinam Eccleſiæ fundaverunt, & ſic Verbum falſificarunt; inde eſt ABOMINATIO DESOLATIONIS, a Domino apud Danielem, & porro apud Matthæum Cap. XXIV: prædicta. His dictis receſſit Cohors ſpirituum a circum me, & animadverti, quod illi qui actualiter cogitabant tres Deos, ſpectarent verſus Infernum, & qui unum Deum, in quo Divina Trinitas, & quod hæc ſit in Domino Deo Salvatore, verſus Cælum, & his Sol Cæli, in quo Jehovah in ſuo Humano eſt, apparuit.

136. TERTIUM MEMORABILE. Vidi e longinquo quinque Gymnaſia, lux e Cælo circumfudit unumquodvis, Gymnaſium primum circumfudit lux purpurea, qualis eſt in nubibus ante ſolis ortum tempore matutino in terris; Secundum Gymnaſium circumfudit lux flaveſcens, qualis eſt auroræ poſt ſolis ortum: Tertium Gymnaſium circonfudit lux candida, qualis eſt in Mundo tempore meridiei: Quartum Gymnaſium circumfudit lux media, qualis eſt cum incipit immiſceri umbræ veſperæ: & Quintum Gymnaſium in ipſa umbra veſperæ ſtetit. Gymnaſia in Mundo ſpirituum ſunt Curiæ, ubi conveniunt Eruditi, & ventilant varia arcana, quæ illorum ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ inſerviunt. Illis viſis invaſit me deſiderium abeundi ad unum ex illis, & abivi in ſpiritu ad illud, quod luce media circumfuſum erat, ac intravi, & viſus eſt Cætus ex Eruditis congregatus, qui inter ſe ventilabat, quid involvit id, quod de Domino dicitur, quod ſublatus in Cælum conſedeat a dextris Dei, Marc. XVI: 19. Plerique ex congregatis dixerunt, quod illa prorſus ſecundum verba intelligenda ſint, quod Filius ita ſedeat juxta Patrem: at quæſitum eſt cur ita, dixerunt aliqui quod Filius a Patre ad dextram locatus ſit propter Redemptionem quam perfecit; aliqui quod ita ſedeat ex amore; aliqui quod propterea, ut Conſiliarius Ejus ſit, & quia talis ut Illi honor ab Angelis; & aliqui quod ideo, quia datum ei a Patre regnare vice Ejus, nam legitur quod Ipſi data ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra; at multa pars, ut audiat a dextris pro quibus intercedit; omnes enim in Eccleſia hodie adeunt Deum Patrem, & orant, ut miſereatur propter Filium, & hoc efficit, ut Pater ſe vertat ad illum, ut mediationem excipiat; at aliqui dixerunt, quod ſolum Filius Dei ab æterno ad dextram Patris ſedeat, ut communicet Divinitatem ſuam cum Filio hominis nato in Mundo. His auditis, miratus ſum valde, quod Eruditi, tametſi aliquo tempore in Mundo ſpirituali commorati ſunt, uſque tam ignari rerum cæleſtium eſſent; ſed percepi cauſam, quod ex fiducia propriæ intelligentiæ non ſe paſſi ſint a ſapientibus inſtrui. Verum ne diutius in ignorantia de ſeſſione Filii ad dextram Patris permanerent, ſuſtuli palmam, rogans, ut præbeant aures ad pauca, quæ de illa loqui deſidero; & quia annuerunt, dixi, noſtiſne ex Verbo, Quod Pater & Filius unum ſint, & quod Pater ſit in Filio & Filius in Patre, hæc Dominus aperte dicit, Joh. X: 30, & Cap. XIV: 10. 11; ſi hæc non creditis, di-

dividitis Deum in duos, quo facto non poteſtis aliter quam naturaliter, ſenſualiter, imo materialiter, de Deo cogitare, quod etiam factum eſt in Mundo a tempore Concilii Nicæni, quod introduxit Tres Perſonas Divinas ab æterno, & per id Eccleſiam vertit in Theatrum, cui appendit Aulæa picta, intra quæ perſonati novas ſcenas repræſentabant; quis non ſcit & agnoſcit, quod Deus Unus ſit, ſi hoc corde & ſpiritu agnoſcitis, diſſipantur ex ſe omnia quæ loquuti eſtis, & reſiliunt in aerem ſicut nugæ ab aure ſapientis. Ad hæc dicta multi accenſi ira ardebant vellicare aures meas, & mandare ſilentium; ſed Præſul congregationis in indignatione dixit, hic non ſermo eſt de unitate & pluralitate Dei, quia utramque credimus, ſed de hoc, quid involvit, quod Filius ſedeat ad dextram ſui Patris, ſi de hoc aliquid noviſti, fare; & reſpondi, fabor, ſed quæſo, inhibe ſtrepitus; & dixi, per ſedere ad dextram non intelligitur ſedere ad dextram, ſed intelligitur Omnipotentia Dei per Humanum quod aſſumſit in Mundo, per hoc in ultimis eſt ſicut in primis, & per hoc intravit, deſtruxit & ſubjugavit Inferna, & per hoc ordinavit Cælos, ita per hoc redemit & homines & angelos, & redimit in æternum: ſi conſulitis Verbum, & tales eſtis, ut queatis illuſtrari, appercepturi eſtis, quod per Dextram ibi intelligatur Omnipotentia, ut apud Davidem, Manus mea fundavit *Terram*, & dextra mea *pugillavit Cælos*, Pſalm XLVIII: 13. *Juravit Deus per* dextram suam, *& per Brachium roboris ſui*, Pſalm LXII: 8. Dextra tua *ſuſtentat me*, Pſalm XVIII: 36. *Reſpice ad Filium confortaveras Tibi*, manus tua *pro* viro dextræ, *pro Filio hominis confortaſti Tibi*, Pſalm CXX: 16. 17. Inde patet quomodo intelligitur hoc „ *Dictum Jehovæ ad Dominum meum, ſede ad* Dextram meam, *uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; ſceptrum roboris tui mittet Jehovah e Zione, dominare in medio inimicorum tuorum*, Pſalm: CX: 1. 2, agitur in toto illo Pſalmo de pugna Domini cum Infernis, & de illorum ſubjugatione; quoniam Dextra Dei ſignificat Omnipotentiam, ideo Dominus dicit quod ſeſſurus a ſit a dextris potentiæ, Matth. XXVI: 63. 64: & a dextris virtutis Dei, Luc. XXII: 69. Sed ad hæc Cætus obſtrepuit, at dixi: cavete vobis, forte e Cælo appareat Manus, quæ cum apparet, ſicut apparuerat mihi, incredibilem terrorem potentiæ incutit, quod mihi confirmationi fuit, quod Dextra Dei ſignificet Omnipotentiam; vix hoc dictum eſt, & viſa eſt extenſa Manus ſub Cælo, qua viſa tantus terror invaſit, ut coacervatim ruerent ad portas, & quidam ad feneſtras ut ſe ejicerent, & quidam deficientes anhelitu ſuccumbebant; at ego non territus manſi, & poſt illos lente abivi; & ad diſtantiam inde converti me, & vidi Gymnaſium illud nube obſcura circumtectum; & dictum eſt mihi e Cælo, quod ita factum ſit, quia ex fide trium Deorum loquuti ſunt, & quod Lux prior circum illud reditura ſit, quando ſaniores ibi congregabuntur.

137. Quartum Memorabile. „ Audivi quod convocatum ſit Synedrium ex famigeratis in Scriptis & eruditione de Fide hodierna & de juſtificatione electorum „ per illam; hoc erat in Mundo ſpirituum, & dabatur mihi in ſpiritu adeſſe præ„ ſens, & vidi convocatos ex Clero conſentientes & diſſentientes; a parte dex„ tra ſtabant illi, qui in Mundo vocati ſunt Patres Apoſtolici, & vixerunt in „ ſæculis ante Concilium Nicænum; & a ſiniſtra parte ſtabant viri poſt illa ſæcula „ incluti ex membranis typo impreſſis aut exſcriptis a tironibus, multi ex his e„ rant mento calvo & tecti capillitiis ex crine muliebri cincinnatis, & quidam ho„ rum in collariis ex volvulis, & quidam in collariis ex alis; illi autem erant men„ to barbato, & in capillis nativis; ante hos & illos ſtetit Vir Judex & Arbiter „ ſcriptorum hujus ſæculi cum ſcipione in manu, qui pulſavit ſolum, & induxit „ ſilentium; hic aſcendit gradum ſuperiorem Cathedræ & exſpiravit gemitum, & „ ex illo voluit clamare alte, ſed halitus gemens retraxit clamorem retro in „ guttur, at tandem loquutus dixit; Fratres, oh quale ſæculum, ſurrexit ex „ caterva Laicorum unus, cui non pallium, tiara, & laurus, & fidem noſtram

„ detraxit e Cælo, & projecit in ſtygem; oh facinus, & tamen illa ſola eſt Stella „ noſtra, quæ lucet ſicut Orion in noctibus, & ſicut Lucifer in matutis; ille vir „ tametſi annoſus, prorſus cæcutit in myſteriis Fidei noſtræ, quia non aperuit il- „ lam, & vidit in illa juſtitiam Domini Salvatoris, & ejus mediationem & propi- „ tiatiouem, & cum hæc non vidit, nec vidit juſtificationis ejus mirabilia, quæ „ ſunt remiſſio peccatorum, regeneratio, ſanctificatio & ſalvatio; hic vir loco „ noſtræ Fidei ſumme ſalvificæ; quia in tres Perſonas Divinas, ita in totum „ Deum, tranſtulit in Secundam Perſonam, nec in illam, ſed in Humanum il- „ lius, quod quidem dicimus Divinum ex incarnatione Filii ab æterno, ſed quis „ de illo cogitat aliud quam mere Humanum, & quid tunc inde aliud quam fides, „ ex qua ut ex fonte ſcaturit Naturalismus; & talis fides, quia non eſt ſpiritua- „ lis, parum differt a fide in Vicarium, aut in Sanctum; noſtis quid Calvinus ſuo „ tempore de Cultu ex hac fide dixerat: &, quæſo, dic unus ex vobis, unde eſt „ Fides, numne immediate a Deo, cui ſic omnia ſalutis inſunt. Ad hæc ſodales „ ſiniſtri lateris, qui mento calvo, in capellitiis cincinnatis, & in cinctura co- „ ronali circum collum erant, comploſerunt palmas, & vociferati, ſapientiſſime „ fatus es, nos ſcimus quod non poſſimus quicquam ſumere, quod non datur e „ Cælo; dicat nobis ille propheta, unde fides, & quid fides niſi illa; impoſſibile „ eſt, ut alia & aliunde ſit; aliam fidem, quæ fides, quam hanc expromere, tam „ impoſſibile eſt, ut eſt equitare ad quendam aſteriſmum in Cælo, & inde capta- „ re ſtellam, ac illam recondere in burſa togæ, & deportare, hoc dixit, ut con- „ ſocii ad omnem novam fidem riderent. His auditis, indignati ſunt Viri lateris „ dextri, qui mento barbato & in capillis nativis erant; & ſurrexit unus ex il- „ lis, Senex, ſed uſque viſus ut juvenis poſtea, erat enim Angelus e Cælo, ubi „ omnis ætas juveneſcit, ille loquens dixit, audivi qualis eſt veſtra fides, quam „ Vir cathedralis ita magnificavit; ſed quid illa fides, niſi ſepulchrum Domini „ noſtri poſt reſurrectionem, iterum clauſum a militibus Pilati; aperui illam, nec „ vidi quicquam quam baculos præſtigiatorum, per quos magi in Ægypto fece- „ runt miracula; imo eſt fides veſtra extrinſecus in oculis veſtris ſicut ſcrinium „ conflatum ex auro, & obſitum lapidibus pretioſis, quod dum aperitur, eſt „ vacuum, niſi forte in angulis ejus ſit pulvis ex reliquiis Pontificiorum, nam his „ illa eadem eſt, modo quod hodie ab his obtecta ſit ſanctitatibus externis; eſt „ quoque, ut ſimilitudinibus utar, ſicut Veſta antiquorum, quæ exſtinxit ignem „ ſacrum, infoſſa terræ; & aſſeverare poſſum, quod illa coram meis oculis ſit „ ſicut vitulus aureus, circum quem filii Iſraelis, poſtquam Moſes abivit & aſ- „ cendit in montem Sinai ad Jehovam, ſaltaverunt: ne miremini quod loquutus „ ſim de Fide veſtra per tales comparationes, quia ita loquimur de illa nos in „ Cælo-Noſtra autem Fides eſt, fuit & erit in æternum, in Dominum Deum Sal- „ vatorem, cujus Humanum eſt Divinum & Divinum eſt Humanum, ita accom- „ modata receptioni, & ex qua Divinum ſpirituale unitur hominis naturali, & „ fit fides ſpiritualis in naturali, unde naturale fit ſicut diaphanum ex luce ſpiri- „ tuali in qua noſtra fides eſt; veritates ex quibus conſiſtit, ſunt totidem quot „ verſiculi in ſacro Codice, veritates illæ ſunt omnes ſicut ſtellæ, quæ lucibus „ ſuis manifeſtant & conformant illam; homo aſſumit illam ex Verbo medio na- „ turali ſuo lumine, in quo eſt ſcientia, cogitatio & perſuaſio, ſed Domi- „ nus apud illos qui in Ipſum credunt, facit ut fiat convictio, fiducia, & con- „ fidentia, ita fit ſpiritualis naturalis, & per charitatem viva; Fides hæc apud „ nos eſt ſicut Regina ornata lapidibus pretioſis, quot murus ſanctæ Hieroſoly- „ mæ, Apocalypſi Cap. XXI: 17 ad 20. Sed ne credatis, quod hæc, quæ dixi, „ ſint ſolum verba exaltationis, quæ ne ideo floccipendantur prælegam aliqua „ ex ſancto Verbo, ex quibus patebit, quod Fides noſtra non ſit in Hominem, „ ut vos creditis, ſed in verum Deum, in quo eſt omne Divinum; Johannes di-

„ cit,

„ cit, *Jeſus Chriſtus eſt verus Deus, & Vita æterna*, 1 Epiſt. V: 21. Paulus „ *In Chriſto habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloſſ. II: 9; & in „ actis Apoſtolorum, *Quod prædicaverit & Judæis & Græcis pœnitentiam in Deum*, „ *& fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, Cap. XX: 21; & Ipſe Dominus, „ *quod Ipſi data ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra* Matth. XXVIII: 18; ſed „ hæc pauca ſunt. Poſt hæc, Angelus me inſpexit, & dixit, tu ſcis quid Evan- „ gelici ita dicti credunt aut credituri ſunt de Domino Salvatore, recita aliqua „ ut ſciamus num in illa fatuitate ſint, ut credant, quod Humanum Ipſius ſit „ mere Humanum, & num aliquid Divini Illi adſcribunt, aut quomodo; & tunc „ coram Cætibus, ex collectis e Libro Orthodoxiæ eorum, FORMULA CONCORDIÆ „ vocato, & Lipſiæ An: 1756 excuſo, prælegi hæc ſequentia; *Quod in Chriſto* „ *Divina & Humana Natura ita unitæ ſint, ut faciant unam Perſonam*, pag. 606. „ 762. *Quod Chriſtus vere Deus & Homo in indiviſa Perſona ſit, & maneat in æter-* „ *num*, pag. 609. 673. 762. *Quod in Chriſto Deus ſit Homo, & Homo Deus*, „ pag. 607. 765. *Quod Humana Natura Chriſti ad omnem Majeſtatem Divinam* „ *exaltata ſit, hoc etiam ex multis Patribus*, pag. 844 ad 852. 860 ad 865. 869 „ ad 878. *Quod Chriſtus quoad Humanam Naturam Omnipræſens ſit & impleat om-* „ *nia*, p. 768. 783. 784. 785. *Quod Chriſto quoad Humanam Naturam omnis po-* „ *teſtas ſit in Cælo & in Terra*, pag. 775. 776. 780. *Quod Chriſtus quoad Humanam* „ *Naturam ad dextram Patris ſedeat*, pag. 608. 764. *Quod Chriſtus quoad Huma-* „ *nam Naturam invocandus ſit, confirmatum ex dictis Scripturæ ibi*, pag. 226. *Quod* „ *Auguſtana Confeſſio illum Cultum maxime probet*, pag. 19. Poſtquam hæc præ- „ lecta ſunt, converti me ad Virum cathedræ, & dixi, ſcio quod omnes hic con- „ ſociati ſint cum ſimilibus ſui in Mundo naturali, dic, precor, num ſcis cum „ quo tu es, reſpondit tono gravi, ſcio, conſociatus ſum cum Viro incluto, Præ- „ tore phalangum ab Exercitu illuſtrium Eccleſiæ; & quia tono tam gravi reſpon- „ dit, dixi, ignoſce quod interrogem, num ſcis ubi Prætor ille inclutus habitat, „ & dixit, ſcio, habitat non procul a buſto Lutheri; ad hæc ſubridens dixi, cur „ dicis buſtum, ſciſne quod Lutherus reſurrexerit, & quod hodie abdicaverit „ ſua erronea de juſtificatione per fidem in tres Perſonas Divinas ab æterno, & „ ideo tranſlatus ſit inter Novi Cæli felices, & quod videat & rideat inſanientes „ poſt ſe; & regeſſit, ſcio, ſed quid hoc ad me: & tunc tono ſimili, quo ille, „ alloquutus ſum, dicens, inſpira tuo Incluto cum quo conſociatus es, quod „ verear, quod contra Orthodoxiam Eccleſiæ ſuæ illo inſtanti ſubtraxerit Domi- „ no Divinum Ipſius, aut paſſus ſit calamum ſuum arare ſulcum, in quem impro- „ viſe inſeminavit Naturaliſmum, quando contra cultum Domini Salvatoris noſtri „ ſcripſit: ad hæc reſpondit, hoc non poſſum, quia ego & ille quoad hanc rem „ pæne unam mentem facimus, ſed illa quæ ego dico, ille non intelligit, ſed om- „ nia quæ ille, perſpicue intelligo; Mundus enim ſpiritualis intrat in Mundum „ naturalem, & percipit cogitata hominum ibi, ſed non viciſſim, hic ſtatus con- „ ſoeiationis ſpirituum & hominum eſt. Nunc quia incepi loqui cum Viro cathe- „ dræ, dixi, interpolabo, ſi licet, adhuc aliqua interrogatione, num ſcis, quod „ Orthodoxia Evangelicorum in Libro manuali Eccleſiæ eorum FORMULA CON- „ CORDIÆ appellato, doceat, quod in Chriſto Deus ſit Homo & Homo Deus, & „ quod Divinum & Humanum Ipſius in indiviſa Perſona ſit & mancat in æternum, „ quomodo tunc ille potuit ac tu potes fædare cultum Domini naturaliſmo; ad „ quæ reſpondit, illud ſcio & tamen non ſcio, quare continuavi dicendo; illum, „ tamrtſi abſens eſt, aut te loco ejus, interrogo, unde Anima Domini Salvatoris „ noſtri, ſi reſponditis quod a Matre, infanitis; ſi a Joſepho, prophanatis Verbum; „ ſi vero a Spiritu ſancto, recte dicitis, modo per Spiritum Sanctum intelligitis „ Divinum procedens & operans, ita quod ſit Filius Jehovæ Dei. Iterum inter- „ rogo, quid Unio hypoſtatica, ſi reſponditis quod ſit ſicut inter duos, unum ſu-

„ pra & alterum infra, insanitis, sic etenim potuissetis facere Deum Salvatorem
„ duos, sicut Deum tres; at si dixeritis, quod sit unio personalis, sicut est Animæ
„ & Corporis, recte dicitis, hoc quoque est secundum Doctrinam vestram, tum
„ etiam Patrum, consule FORMULAM CONCORDIÆ, pag. 765 ad 768. Et consule
„ SYMBOLUM ATHANASII, ubi hæc, *Est Fides recta, ut credamus & confiteamur,*
„ *quod Dominus noster Jesus Christus, Deus & Homo sit; Qui licet Deus est & Ho-*
„ *mo, non duo tamen. sed unus est Christus, unus omnino, non confusione substantiæ,*
„ *sed unitate Personæ: nam sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus &*
„ *Homo est unus Christus.* Interrogo adhuc, quæ fuit damnabilis Hæresis ARII,
„ propter quem Concilium Nicænum ab Imperatore Constantino Magno convo-
„ catum est, aliud quam quod negaverit Divinitatem Humani Domini. Porro
„ dicite, Quem intelligitis per hæc apud Jeremiam, *Ecce dies venient, cum sus-*
„ *citabo Davidi Germen justum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipsius* JEHOVAH
„ JUSTITIA NOSTRA, Cap. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16; si dicitis Filium ab
„ æterno, insanitis, ille non fuit Redemptor, si autem dicitis Filium natum in
„ tempore, qui Unigenitus Filius Dei fuit, Joh. I: 18. Cap. III: 16, recte dicitis,
„ Hic per Redemptionem factus est Justitia, ex qua facitis Fidem vestram. Le-
„ gite etiam Esaj. IX: 5, præter alia loca, in quibus prædicitur, quod Ipse Je-
„ hovah in Mundum venturus esset. Ad hæc Vir cathedræ siluit & avertit se.
„ Postquam hæc peracta sunt, voluit Præses oratione finire Synedrium, sed su-
„ bito tunc Vir e sinistro Cætu erupit, cui tiara super capite, & pileus super illa,
„ & tetigit digito pileum, & loquutus dixit, ego etiam consociatus sum Viro in
„ Mundo tuo, qui ibi in eminente honore constitutus est, hoc scio, quia loquor
„ ex illo sicut ex me; & quæsivi, ubi Eminens ille commoratur, respondit, Go-
„ thoburgi, & ex illo quondam cogitavi, quod nova tua Doctrina sapiat Mahu-
„ medismum; ex qua voce audita vidi omnes a dextris, ubi stabant Patres Apo-
„ stolici, attonitos & mutatos facies, & audivi ex mentibus illorum per ora illo-
„ rum exclamatas voces, oh facinus, o quale sæculum; sed ad sedandum justam
„ excandescentiam illorum, exporrexi manum, & petivi auscultationem, qua data,
„ dixi, scio quod vir istius eminentiæ tale quid impinxerit Epistolæ, quæ postea
„ typo impressa est, sed si tunc sciviset, qualis illa blasphemia est, sane discerp-
„ sisset illam digitis, & tradidisset Vulcano ad comburendum, talis contumelia
„ illa est, quæ intelligitur per Domini verba ad Judæos dicentes, quod Christus
„ ex alia potestate quam ex Divina fecerit miracula, Matth. XII: 22 ad 32; præ-
„ ter illa ibi etiam dicit Dominus, *Quisquis non est Mecum, contra Me est; &*
„ *quisquis non congregat Mecum, dispergit*, Vers. 30: his edictis, consociatus ejus
„ demisit vultum, sed mox sustulit illum, & dixit, duriora a te audivi quam us-
„ quam; sed regessi, in causa sunt duæ formulæ, Naturalismus & Mahumedismus,
„ quæ sunt Mendacia nefaria astu inventa, & duo stigmata mortifera ad averten-
„ dum voluntates & deterrendum a Sancto Cultu Domini: & converti me ad
„ posteriorem consociatum, & dixi, dic illi in Gothoburgo, si potes, ut legat
„ illa quæ a Domino dicta sunt in Apocalypsi Cap. III: 18. & quoque illa, quæ
„ Cap. II: 16, ibi. His dictis, factus est strepitus; sed hic sedatus est per lucem
„ e Cælo demissam, ex qua plures ex illis qui a sinistris erant, transiverunt ad il-
„ los qui a dextris, remanentibus illis, qui non cogitant nisi vana, & ideo pendent
„ ab ore cujusvis magistri, & quoque illis, qui non nisi quam Humanum de Do-
„ mino credunt; ab his & illis Lux e Cælo demissa, visa est sicut repercuti, ac
„ influere in illos qui transiverunt a parte sinistra ad partem dextram.

CA-

CAPUT TERTIUM

DE

SPIRITU SANCTO,

ET DE

DIVINA OPERATIONE.

138. Omnes e Sacro Ordine, qui aliquam juſtam ideam de Domino Salvatore noſtro foverunt, dum intrant Mundum ſpiritualem, quod ut plurimum fit tertio die poſt obitum, primum inſtruuntur de Divina Trinitate; & in ſpecie de Spiritu Sancto, quod non ſit Deus per ſe, ſed quod per Illum in Verbo intelligatur Divina Operatio procedens a Deo Uno & Omnipræſente; cauſa quod de Spiritu Sancto in ſpecie inſtruantur, eſt quia plerique Enthuſiaſtæ poſt mortem incidunt in veſanam phantaſiam, quod ipſi ſint Spiritus Sanctus; & quod multi ab Eccleſia, qui in Mundo crediderunt, quod Spiritus Sanctus per illos loquutus ſit, terreant alios per verba Domini apud Matthæum, quod dicere contra illa, quæ Spiritus Sanctus inſpiravit illis, ſit peccatum irremiſibile, Cap. XII: 31. 32; illi qui poſt inſtructionem recedunt a fide, quod Spiritus Sanctus ſit Deus per ſe, informantur poſtea de Unitate Dei, quod non ſit tripartita in Perſonas, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus & Dominus ſecundum Symbolum Athanaſianum, ſed quod Divina Trinitas ſit in Domino Salvatore, ſicut Anima, Corpus, & Virtus procedens, apud quemvis hominem; hi deinde præparantur ad recipiendum fidem Novi Cæli, & his, poſtquam præparati ſunt, aperitur via ad Societatem in Cælo, ubi ſimilis fides eſt, & datur illis manſio cum confratribus, cum quibus in beatitudine vivent in æternum. Nunc quia actum eſt de Deo Creatore, & de Domino Redemptore, neceſſum eſt, ut quoque de Spiritu Sancto agatur; quæ Tranſactio, ſicut reliquæ diſpeſcenda eſt in ſuos Articulos, qui ſunt ſequentes. I. *Quod Spiritus Sanctus ſit Divina Veritas, & quoque Divina Virtus & Operatio procedens a Deo Uno, in quo Divina Trinitas eſt, ita a Domino Deo Salvatore.* II. *Quod Divina Virtus & Operatio, quæ intelligitur per Spiritum Sanctum, ſint in genere Reformatio & Regeneratio, & ſecundum has Innovatio, Vivificatio, Sanctificatio & Juſtificatio, & ſecundum has Purificatio a malis & Remiſſio peccatorum, & tandem Salvatio.* III. *Quod Divina illa virtus & operatio, quæ intelligitur per miſſionem Spiritus Sancti, apud Clericos in ſpecie ſit Illuſtratio & Inſtructio.* IV. *Quod Dominus operetur illas Virtutes in illis qui credunt in Ipſum.* V. *Quod Dominus operetur ex, Se a Patre, & non viciſſim* VI. *Quod ſpiritus hominis ſit ejus Mens, & quicquid ex illa procedit.*

139. I. QUOD SPIRITUS SANCTUS SIT DIVINA VERITAS, ET QUOQUE DIVINA VIRTUS ET OPERATIO PROCEDENS A DEO UNO, IN QUO EST DIVINA TRINITAS, ITA A DOMINO DEO SALVATORE. Per Spiritum Sanctum proprie ſignificatur Divinum Verum, ita quoque Verbum, & in hoc ſenſu eſt Ipſe Dominus etiam Spiritus Sanctus; ſed quia in Eccleſia hodie per Spiritum Sanctum deſcribitur Divina Ope-

ratio, quæ eſt actualis Juſtificatio, ideo hæc pro Spiritu Sancto hic aſſumitur, & de hac præcipue agitur, etiam ex cauſa, quia Divina Operatio fit per Divinum Verum, quod ex Domino procedit, & id quod procedit, eſt unius & ejuſdem eſſentiæ cum Ipſo a quo proeedit, ſicut Tria hæc, Anima, Corpus, & Procedens, quæ ſimul faciunt unam Eſſentiam, apud hominem mere Humanam, apud Dominum autem Divinam & ſimul Humanam, poſt Glorificatiouem ita unitas, ſicut Prius cum ſuo Poſteriori, ac ſicut Eſſentia cum ſua Forma; ita tria Eſſentialia, quæ vocantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in Domino unum ſunt. Quod Dominus ſit ipſum Divinum Verum, ſeu Divina Veritas, ſupra oſtenſum eſt; quod autem Spiritus Sanctus ſit illud, conſtat ex his locis, *Exibit virga e trunco Iiſhaii, quieſcet ſuper Ipſo Spiritus Jehovæ, Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & virtutis, percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum occidet impium, erit juſtitia cingulum lumborum Ejus, & Veritas cingulum feminum ejus*, Eſaj. XI: 1. 4. 5. *Veniet ſicut flumen anguſtum, Spiritus Jehovæ ſignum inferet in Illum, tunc veniet Zioni Redemptor*, Eſaj. LIX: 19. 20. *Spiritus Domini Jehovih ſuper Me, unxit Me Jehovah, ad evangelizandum pauperibus miſit Me*, Eſaj. LXI: 1. Luc. IV: 18. *Hoc fœdus meum, Spiritus meus qui ſuper Te, & verba mea non recedent ex ore tuo a nunc & in æternum*, Eſaj. LIX: 21. Quoniam Dominus eſt ipſa Veritas, inde omne id quod procedit ex Ipſo eſt veritas, & hoc intelligitur per Paracletum, qui etiam nominatur Spiritus veritatis, & Spiritas Sanctus; hoc conſtat ex his locis, *Ego* VERITATEM *vobis dico, prodeſt vobis ut Ego abeam, ſi enim non abirem, Paracletus non veniet ad vos; ſi vero abivero, mittam illum ad vos*, Joh. XVI: 7. *Quando venerit ille* SPIRITUS VERITATIS, *ducet vos in* OMNEM VERITATEM: *non lequetur a ſe ipſo, ſed quæcunque audiverit, loquetur*, Joh. XVI: 13. *Ille Me glorificabit, quia* EX MEO *accipiet, & annuntiabit vobis: omnia quæcunque Pater habet*, Mea *ſunt, propter hoc dixi, quod a* MEO *accepturus ſit, & annuntiaturus vobis*, Joh. XVI: 14. 15. *Ego regabo Patrem, ut alium Paracletum det vobis*, SPIRITUM VERITATIS, *quem Mundus non poteſt accipere, quoniam non videt illum, nec cognoſcit illum, vos autem cognoſcitis illum, quia apud vos manet, & in vobis erit, non relinquam vos orphanos, venio ad vos, & vos videbitis Me*, Joh. XIV: 16. 17. *Quando venerit Paracletus, quem Ego miſſurus ſum vobis a Patre*, SPIRITUS VERITATIS, *Ille teſtabitur de Me*, Joh. XV: 26: vocatur Ille Spiritus Sanctus, Joh. XIV: 26. Quod Dominus per Paracletum ſeu Spiritum Sanctum intellexerit Se ipſum, patet ab illis Domini verbis, quod Mundus illum adhuc non cognoſceret, *vos autem cognoſcitis illum*; non relinquam vos orphanos, *venio ad vos, vos videbitis Me:* & alibi, *Ecce Ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. XXVIII: 20. tum ex illis, non loquetur ex Seipſo, ſed quod ex Meo accepturus ſit.

140. Nunc quia per Spiritum Sanctum intelligitur Divina Veritas, & hæc fuit in Domino, & Ipſe Dominus, Joh. XIV: 6, & ſic quia non potuit aliunde procedere, ideo dixit, *Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus erat*, Joh. VII: 39; & poſt Glorificationem, *inſpiravit in Diſcipulos, & dixit, accipite Spiritum Sanctum*, Joh. XX: 22. Quod Dominus aſpiraverit diſcipulos, & illud dixerit, fuit cauſa, quia aſpiratio erat ſignum repræſentativum externum Divinæ inſpirationis: Inſpiratio autem eſt inſertio in ſocietates angelicas. Ex his ab intellectu comprehendi poteſt hoc de Conceptione Domini ab Angelo Gabriele dictum, *Spiritus Sanctus veniet ſuper te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit te, unde quod naſcitur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. I: 35. Tum, *Angelus Domini in ſomnio dixit Joſepho, ne timeas accipere Mariam Sponſam tuam, nam quod in ea natum, ex Spiritu Sancto eſt; & Joſephus non tetigit illam, uſque dum peperit Filium ſuum primogenitum*, Matth. I: 20. 25. Spiritus Sanctus ibi eſt Divinum Verum procedens a Jehovah Patre, & hoc Procedens eſt Virtus Altiſſimi, quæ tunc obumbra-

bravit Matrem: hoc itaque coincidit cum hoc apud Johannem, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 1. 14; quod per Verbum ibi intelligatur Divinum Verum, vide in FIDE NOVÆ ECCLESIÆ, ſupra n. 3.

141. Quod Divina Trinitas ſit in Domino, ſupra demonſtratum eſt, & amplius in ſequentibus ubi de illa ex profeſſo agendum eſt, demonſtrabitur; hic ſolum aliqua abſona ex Trinitate illa diviſa in Perſonas ſequentia, adducentur; hoc foret, ſicut quis Eccleſiæ Miniſter e ſuggeſto docet quid credendum & quid faciendum eſt, & juxta illum alius Miniſter ſtat, & immurmurat auri ejus, hoc recte dicis, & inſuper aliquid adhuc; & dicunt tertio, qui in ſcala ſtat, deſcende in Templum, aperi aures eorum, & infunde illa cordibus illorum, & ſimul fac ut ſint puritates, ſanctitates, & juſtitiæ pignora. Divina Trinitas diviſa in Perſonas, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus & Dominus, ſimilis etiam eſt tribus Solibus in uno Mundo, in alto unus juxta alterum, & tertius infra, qui circumfundit angelos & homines, ac infert duorum calorem & lucem cum omni potentia in mentes, corda & corpora illorum, & illos ſicut ignis in retortis acuit, clarificat & ſublimat materias; quis non videt, ſi ita fieret, quod homo combureretur uſque in cinerem. Regimen trium Divinarum Perſonarum in Cælo, etiam ſimile foret regimini trium Regum in uno Regno; aut regimini trium Ducum ejuſdem poteſtatis ſuper uno Exercitu; aut potius Regimini Romano ante Cæſarum tempora, quando fuerunt Conſul, Senatus, & Tribunus plebis, inter quos quidem diviſa eſt poteſtas, at uſque ſumma apud omnes ſimul; quis non videt abſonum, ludicrum, & delirum, tale Regimen introducere in Cælum, ac introducitur cum poteſtas ſicut ſummi Conſulis addicitur Deo Patri, poteſtas ſicut Senatus Filio, & poteſtas ſicut Tribuni plebis Spiritui Sancto, quod fit cum functio propria attribuitur cuivis, & plus ſi additur, quod proprietates illæ non communicabiles ſint.

142. II. QUOD DIVINA VIRTUS ET OPERATIO, QUÆ INTELLIGITUR PER SPIRITUM SANCTUM, SINT IN CENERE REFORMATIO ET REGENERATIO, ET SECUNDUM HAS INNOVATIO, VIVIFICATIO, SANCTIFICATIO, ET JUSTIFICATIO, ET SECUNDUM HAS PURIFICATIO A MALIS, ET REMISSIO PECCATORUM, ET TANDEM SALVATIO. Hæ ſunt in ſuo ordine Virtutes, quas Dominus operatur apud illos qui credunt in Ipſum, ac ſe accommodant, & diſponunt ad receptionem & habitationem Ipſius, & hoc fit per Divinum Verum, & apud Chriſtianos per Verbum, hoc enim eſt unicum medium, per quod homo ad Dominum accedit, & in quod Dominus intrat; nam ut ſupra dictum eſt, Dominus eſt ipſum Divinum Verum, & quicquid procedit ex Ipſo, eſt illud: ſed intelligendum Divinum Verum ex Bono, quod idem eſt cum Fide ex Charitate, fides enim non aliud eſt, quam veritas, & charitas non aliud quam bonitas. Per Divinum Verum ex Bono, hoc eſt, per Fidem ex Charitate, homo reformatur & regeneratur, tum innovatur, vivificatur, ſanctificatur, juſtificatur, & ſecundum horum progreſſiones & incrementa purificatur a malis, & purificatio ab his eſt remiſſio peccatorum. Sed omnes hæ Operationes Domini non poſſunt hic ſingulatim exponi, quia unaquævis ſuam Analyſin confirmatam ex Verbo, & illuſtratam a ratione poſtulat, & hoc hujus loci non eſt, quare remittitur Lector ad illa quæ ordine ſequuntur in hoc Opere, quæ ſunt de Charitate, Fide, Libero Arbitrio, Pœnitentia, & de Reformatione & Regeneratione. Sciendum eſt, quod Dominus illas ſalutes continuo operetur apud unumquemvis hominem, ſunt enim gradus ad Cælum, Dominus enim vult omnium ſalutem, quare ſalus omnium Ipſi eſt finis, & qui vult finem, vult media: propter ſalutem hominum fuit Adventus, Redemptio & Paſſio crucis Ipſius, Matth. XVIII: 11. Luc. XIX: 10, & quia ſalus hominum Ipſi fuit & in æternum eſt finis, ſequitur quod ſupramemoratæ operationes ſint fines medii, & ſalvatio finis ultimus.

143.

143. Operatio harum virtutum eſt Spiritus Sanctus, quem Dominus mittit ad illos qui credunt in Ipſum & ſe diſponunt ad recipiendum Ipſum, ac intelligitur per Spiritum in his locis „ *Dabo novum Cor &* SPIRITUM NOVUM; SPIRITUM MEUM *dabo in medio veſtri, & faciam ut in ſalutis via ambuletis*, Eſaj. XXXVI: 26 27. Ezech. XI: 19. *Cor mundum crea in nobis Deus, &* SPIRITUM FIRMUM *innova in medio mei, reduc mihi gaudium ſalutis tuæ, &* SPIRITUS SPONTANEUS *ſuſtentet me*, Pſalm LI: 12. *Jehovah format* SAIRITUM HOMINIS *in medio ejus*, Sach. XII: 11. *Anima mea exſpectavi Te nocte, &* SPIRITU MEO *in medio mei exſpectavi Te mane*, Eſaj. XXXVI: 9. *Facite vobis Cor novum & Spiritum novum, quare moriemini Domus Iſraelis*, Ezech. XVIII: 31: præter alibi. In locis illis per Cor novum intelligitur voluntas boni, & per Spiritum novum intellectus veri; quod Dominus operetur hæc apud illos qui faciunt bonum & credunt verum, ita apud illos qui in fide charitatis ſunt, patet clare ab his ibi, Deus dat animam ambulantibus in ea, & ex hoc, quod dicatur Spiritus ſpontaneus; & quod homo operaturus ſit ex ſua parte, ex his, Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum, quare moriemini domus Iſraelis.

144. Legitur, quod cum Jeſus baptizabatur, Cæli aperti ſint, & Johannes viderit Spiritum Sanctum deſcendentem ſicut Columbam, Matth. III: 16. Marc. I: 10. Luc. III: 11. Joh. I: 32. 33. hoc factum eſt, quia Baptiſmus ſignificat Regenerationem & purificationem, ſimiliter Columba; quis non percipere poteſt, quod Columba non eſſet Spiritus Sanctus, nec quod Spiritus Sanctus eſſet in columba; in Cælo ſæpius apparent Columbæ, & quotics apparent, ſciunt Angeli, quod ſint correſpondentiæ affectionum & inde cogitationum de regeneratione & purificatione apud quoſdam qui in vicinia ſtant, quare ut primum ad illos accedunt, & cum illis de quadam alia re, quam quæ in cogitationibus illorum fuit, cum apparatio illa erat, loquuntur, columbæ illico evaneſcunt: hoc ſimile eſt ſicut cum multis, quæ viſa ſunt Prophetis, ut quod Johanni viſus ſit Agnus ſuper monte Sionis, Apoc. XIV: 1, & alibi; quis non ſcit, quod Dominus non fuerit ille Agnus, neque in Agno, ſed quod Agnus eſſet repræſentatio innocentiæ Ipſius; inde elucet error illorum, qui ex Columba viſa ſuper Domino cum baptizabatur, & ex voce e Cælo audita tunc, *Hic eſt Filius meus dilectus*, tres Perſonas Trinitatis deducunt. Quod Dominus hominem regeneret per fidem & charitatem, intelligitur per hoc quod Johannes Baptiſta dixit, *Ego vos baptizo aqua in pœnitentiam, qui vero poſt me venturus eſt, ille baptizabit* SPIRITU SANCTO, *& igne*, Matth. III: 15. Marc. I: 8. Luc. III: 16; baptizare Spiritu Sancto & igne, eſt regenenerare per Divinum Verum quod eſt fidei, & per Divinum Bonum quod eſt charitatis. Simile ſignificatur per hæc verba Domini, *Niſi quis generatus fuerit aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei*, Joh. III: 5, per aquam hic ut alibi in Verbo, ſignificatur verum in naturali ſeu externo homine, & per ſpiritum verum ex bono in ſpirituali ſeu interno.

145. Nunc quia Dominus eſt ipſum Divinum Verum ex Divino Bono, & hoc eſt ipſa Eſſentia Ipſius, & quiſque ex Eſſentia ſua agit quod agit, conſtat, quod Dominus continue velit, nec poſſit aliud velle, quam implantare verum & bonum, ſeu fidem & charitatem, cuivis homini. Hoc illuſtrari poteſt ex multis in Mundo, ut ex his, quod omnis homo ex eſſentia ſua velit, & cogitet, & quantum licet, loquatur & agat, ut pro exemplo, homo fidelis cogitat & intendit fidelia, homo honeſtus, probus, pius & religioſus, honeſta, proba, pia & religioſa, & viciſſim homo faſtuoſus, aſtutus, doloſus, avarus, talia quæ cum eſſentia ſua unum faciunt; hariolus non vult niſi hariolari; & ſtultus non niſi quam contra illa quæ ſapientiæ ſunt, garrire; verbo, Angelus non volvit & molitur niſi cæleſtia, & diabolus non niſi quam infernalia. Simile eſt cum omni ſubjecto inferioris ſortis in Regno animali, ut cum ave, beſtia, piſce, verme alato & non alato, unumquodvis cognoſcitur ex ſua eſſentia ſeu natura, ex hac & ſecundum

dum hanc eſt cujuſvis inſtinctus. Similiter in Regno vegetabili, omnis arbor, omne virgultum, & omne olus, cognoſcitur ex ſuo fructu & ſemine, quibus eſſentia ſua innata eſt, nec poteſt quicquam exinde aliud produci quam ſui ſimile & ſuum imo ab eſſentia de omni humo, de omni argilla, de omni lapide tam nobilem, ignobili, deque omni minera & metallo, judicatur.

146. III. QUOD DIVINA ILLA VIRTUS ET OPERATIO, QUÆ INTELLIGITUR PER MISSIONEM SPIRITUS SANCTI, APUD CLERICOS IN SPECIE SIT ILLUSTRATIO ET INSTRUCTIO. Operationes Domini, in præcedente Articulo recenſitæ, quæ ſunt reformatio, regeneratio, innovatio, vivificatio, ſanctificatio, juſtificatio, purificatio, remiſſio peccatorum, & demum ſalvatio, tam apud Clericos quam apud Laicos a Domino influunt, & recipiuntur ab illis qui in Domino ſunt & Dominus in illis, Joh. VI: 56. Cap. XIV: 20. Cap. XV: 4. 5. quod autem in ſpecie Illuſtratio & Inſtructio, ſunt cauſæ, quia illæ muneris eorum ſunt, ac inauguratio in miniſterium illas ſecum portat, & quoque credunt, quod dum ex zelo concionantur, inſpirentur, ſicut diſcipuli Domini, in quos Dominus inſpiravit dicens, accipite Spiritum Sanctum, Joh. XX: 22, & præter quæ Marc. XIII: 11; quidam etiam teſtantur, quod influxum ſentiverint. Sed probe caveant, ne ſibi perſuadeant, quod zelus, a quo multi corripiuntur, dum concionantur, ſit Divina operatio in cordibus eorum, datur enim ſimilis, & adhuc ardentior apud Enthuſiaſtas, & quoque apud illos qui in extremis falſis doctrinæ ſunt, imo apud illos qui Verbum floccipendunt, ac naturam pro Deo colunt, & fidem & charitatem ſicut in ſaccum poſt tergum rejiciunt, & dum prædicant & docent ante faciem appendunt ſicut quendam ventriculum ruminatorium, ex quo expromunt & egurgitant talia, quæ ſciunt victui inſervire auditoribus. Zelus enim in ſe ſpectatus eſt excandeſcentia naturalis hominis, ſi intus in illa eſt amor veri, tunc eſt illa ſicut ignis ſacer, qui influxit in Apoſtolos, de quo ita in Actis illorum, *viſæ ſunt illis diviſæ Linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſuper unumquemvis eorum, unde impleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, Cap. II: 3. 4. at vero ſi intus in zelo aut excandeſcentia illa latet amor falſi, tunc eſt ſicut ignis incarceratus ligno, qui erumpit & incendit domum: tu, qui Sanctitatem Verbi, & Divinitatem Domini negas, deſume quæſo tuum ſaccum e dorſo, & aperi illum, quod libere facis domi, & videbis. Scio, quod illi, qui per Luciferum apud Eſajam intelliguntur, qui ſunt qui ex Babele, dum intrant Templum, & plus dum ſcandunt pulpitum, imprimis qui ex ſocietate Jeſu ſe nominant, abripiantur a zelo, qui multis eſt ex amore infernali, ac inde vehementius vociferentur, & ſuſpiria altius e pectore trahant, quam illi, qui in zelo ex amore cæleſti ſunt. Quod apud Clericos adhuc duæ operationes ſpirituales ſint, videatur infra, n. 155.

147. Eccleſia adhuc fere neſcit, quod in omni voluntate & cogitatione & inde actione & loquela hominis ſit Internum & Externum, & quod homo ab infantia edoctus ſit loqui ab Externo utcunque diſſentit Internum, inde ſimulationes, aſſentationes & hypocriſes; conſequenter quod ſit duplex, & ille modo ſimplex, cujus Externum cogitat & loquitur, atque vult & agit ab Interno, hi quoque per ſimplices intelliguntur in Verbo, ut Luc. VIII: 15. Cap. XI: 34, & alibi, tametſi plus ſapientes ſunt, quam duplices. Quod duplicitas & triplicitas ſit in omni creato, conſtat ab his in corpore humano; omnis Nervus ibi conſtat a fibris, & fibra a fibrillis; omnis Muſculus ex faſciculis fibrarum, & hi ex fibris motricibus; omnis Arteria ex tunicis in triplici ſerie; ſimile eſt in Mente humana, cujus organiſmus ſpiritualis eſt talis; hoc eſt quod, ut ſupra dictum eſt, Mens humana in tres regiones diſtincta ſit, quarum ſuprema, quæ etiam eſt intima, vocatur cæleſtis, media ſpiritualis, & infima naturalis. Mentes omnium hominum, qui negant ſanctitatem Verbi & Divinitatem Domini, cogitant in regione infima, ſed quia ab infantia didicerunt etiam ſpiritualia quæ Eccleſiæ ſunt, & hæc recipiunt, at

illa ponunt infra naturalia, quæ ſunt varia ſcientifica, politica & civilia moralia, & quia infime & proxime loquelæ in mente ſedent, ex illis loquuntur in templis & in cætibus, &, quod mirum eſt, non aliter ſciunt tunc, quam quod loquantur & doceant ex fide illorum, cum tamen, quando in ſuo libero ſunt, quod fit domi, aperitur janua, quæ occluſit internum mentis eorum, & tunc quandoque rident ad illa, quæ coram cætu ſermocinati ſunt, dicentes corde, quod Theologica ſint ſpecioſi laquei ad captandum columbas.

148. Internum & Externum talium æquiparari poſſunt Venenis obductis cruſtis ſaccharinis: tum colycinthidis, quas pueri prophetarum colligentes miſerunt in pulmentum, quod dum comederent, clamabant, mors in olla, II Reg. IV: 38 ad 43. Et quoque comparari poſſunt Beſtiæ ex mari, quæ habebat duo cornua ſicut Agni, & loquuta eſt ſicut draco, Apoc. XIII: 11, in ſequentibus beſtia illa vocatur pſeudopropheta. Et ſunt ſicut latrones in Urbe, ubi cives morati, qui in illa moraliter agunt & rationaliter loquuntur, at cum redeunt in ſylvas, feræ ſunt: aut etiam ſicut piratæ, qui ſuper terra homines ſunt, at in mari crocodili: hi & illi incedunt dum ſuper terra aut in urbe ſunt, ſicut pantheræ indutæ pellibus ovis; aut ſicut ſimiæ amictæ veſtibus humanis, ante cujus vultum appoſitus eſt typus faciei hominis. Aſſimilari etiam poſſunt meretrici, quæ inungit ſe balſamo, fucat faciem purpura, ac inveſtit ſe ſerico albo cum intextis floribus, quæ cum in domum ſuam redit, nudat ſe coram lupercis, ac inficit illos ſua lepra. Quod tales ſint, qui ſanctum Verbo & Divinum Domino corde derogant, per annorum experientias in Mundo Spirituali mihi datum eſt cognoſcere, ibi enim omnes primum tenentur in externis ſuis, at poſtea his ademptis immittuntur in Interna, & tunc comædum eorum fit tragicum.

149. IV. QUOD DOMINUS OPERETUR ILLAS VIRTUTES IN ILLIS, QUI CREDUNT IN IPSUM. Quod Dominus operetur illas virtutes, quæ per miſſionem Spiritus Sancti intelliguntur, in illis qui credunt in Ipſum, hoc eſt, quod illos reformet, regeneret, innovet, vivificet, ſanctificet, juſtificet, purificet a malis, & demum ſalvet, conſtat ex omnibus illis locis in Verbo, quæ confirmant, quod ſalus & vita æterna ſit illis qui credunt in Dominum, quæ adducta ſupra n. 108. videantur; & inſuper ab hoc „ *Dixit Jeſus, quiſquis* CREDIT IN ME, *ſicut dicit Scriptura, flumina ex ventre ejus fluent aquæ viventis, hoc dixit de* SPIRITU, *quem accepturi ſunt* CRTDENTES IN IPSUM, Joh. VII: 38. 39. Tum ex hoc, TESTIMONIUM JESU EST SPIRITUS PROPHETIÆ, Apoc. LIX: 10; per ſpiritum prophetiæ intelligitur Verum doctrinæ ex Verbo, prophetia non aliud ſignificat quam doctrinam, ac prophetare docere illam, & per teſtimonium Jeſu intelligitur confeſſio ex fide in Ipſum, ſimile intelligitur per Teſtimonium Ipſius in hoc loco „ *Michaelis Angeli vicerunt draconem per ſanguinem Agni, & per Verbum* TESTIMONII IPSIUS: *& Draco abivit, ut faceret bellum cum reliquis ſeminis Ipſius, qui tenebant mandata Dei, & habent Teſtimonium Jeſu Chriſti*, Apoc. XII: 11. 17.

150. Quod credentes in Dominum Jeſum Chriſtum accepturi ſint ſpirituales illas virtutes, eſt quia Ipſe eſt Salus & Vita æterna, Salus eſt quia Salvator, hæc quoque eſt nomen Ipſius Jeſus, Vita æterna, quia illis in quibus Ipſe eſt & illi in Ipſo, eſt vita æterna, quare etiam Ipſe vocatur Vita æterna apud Johannem I Epiſt. V: 21; nunc quia eſt Salus & Vita æterna, ſequitur quod etiam ſit omne id per quod ſalus & vita æterna obtinentur, proinde quod ſit omne reformationis, regenerationis, innovationis, vivificationis, ſanctificationis, juſtificationis, purificationis a malis, & tandem Salvatio; Dominus apud unumquemvis hominem operatur illa, hoc eſt, conatur inferre illa, & cum homo ſe accommodat & diſponit ad receptionem, infert illa; ipſum activum accommodationis & diſpoſitionis etiam eſt a Domino, ſed ſi homo non ſpontaneo ſpiritu recipit illa, tunc præter conatum, qui jugiter perſtat non poteſt inferre.

151.

151. Credere in Dominum, non ſolum eſt agnoſcere Ipſum, ſed etiam facere præcepta Ipſius, nam modo agnoſcere Ipſum eſt ſolum cogitationis ex aliquo intellectu, at facere præcepta Ipſius, eſt quoque agnitionis ex voluntate; Mens hominis conſiſtit ex Intellectu & Voluntate, ac Intellectus eſt cogitare, ac Voluntatis eſt facere; quare dum homo ſolum agnoſcit ex cogitatione intellectus, duntaxat ex dimidia mente adit Dominum, at vero cum facit, tunc ex tota, & hoc eſt credere: alioquin poteſt homo dividere cor ſuum, ac ſuperficiem ejus adigere, ut ſe elevet ſurſum, dum caro ejus ſe invertit deorſum, & ſic volat ſicut aquila inter Cælum & Infernum, & tamen homo non ſequitur aſpectum ſuum, ſed jucundum carnis ſuæ, & hoc quia eſt in Inferno, ideo devolat illuc, & poſtquam ibi litavit voluptatibus ſuis, & libavit muſtum dæmonibus, induit vultum ex facetiis & viſum ex ſcintillis ignis, & ſic mentitur angelum lucis: tales ſatanæ fiunt illi poſt mortem, qui agnoſcunt Dominum, & non faciunt præcepta Ipſius.

152. In ſuperiori Articulo oſtenſum eſt, quod ſalus & vita æterna hominum ſint finis primus & ultimus Domini; & quia finis primus & ultimus continent fines medios in ſe, ſequitur quod ſupramemoratæ virtutes ſpirituales inſimul ſint in Domino, & quoque a Domino in homine, ſed uſque ſucceſſive prodeunt; Mens enim humana creſcit ſicut corpus ejus, ſed hoc ſtatura, illa autem ſapientia, ita quoque hæc exaltatur e regione in regionem, nempe a naturali in ſpiritualem, & ab hac in cæleſtem, in hac regione eſt homo ſapiens, in illa eſt intelligens, in infima ſciens; ſed hæc exaltatio mentis non fit niſi tempore a tempore, & fit ſicut homo comparat ſibi vera & conjungit illa bono: hoc ſimile eſt, ſicut qui ædificat domum, primum comparat ſibi materias ad illam, ut lateres, tegulas, tigna, aſſeres, & ſic ponit fundamentum, exſtruit muros, diſtinguit in cameras, his apponit januas, & in parietibus feneſtras, ac ſtruit ſcalas a manſione in manſionem; hæc omnia inſimul inſunt fini, qui eſt commoda & honorifica habitatio, quam ille prævidet & providet. Simile eſt cum Templo, quum hoc conſtruitur, omnia ejus conſtructionis inſunt fini, qui eſt cultus Dei. Simile eſt cum omnibus aliis, ut cum hortis & agris, & quoque cum officiis & negotiis, ad quæ ipſe finis adminicula ſibi parat.

153. V. QUOD DOMINUS OPERETUR EX SE A PATRE, ET NON VICISSIM. Per Operari hic ſimile intelligitur, quod per mittere Spiritum Sanctum, quoniam ſupramemoratæ Operationes, quæ ſunt in genere, Reformatio, Regeneratio, Innovatio, Vivificatio, Sanctificatio, Juſtificatio a malis, Remiſſio peccatorum, quæ hodie attribuuntur Spiritui Sancto ut Deo per ſe, ſunt Operationes Domini: quod hæ ſint ex Domino a Patre, & non viciſſim, primum confirmabitur ex Verbo, & poſtea per plura quæ rationis ſunt, illuſtrabitur: ex Verbo ab his „*Quando venerit Paracletus*, QUEM EGO MISSURUS SUM A PATRE, *Spiritus veritatis, qui a Patre exit, ille teſtabitur de Me*, Joh. XV: 26. *Si non abivero, Paracletus non veniet ad vos, ſi vero abivero*, MITTAM ILLUM AD VOS, Joh. XVI: 7. *Paracletus, Spiritus veritatis, non loquetur ex ſe ipſo, ſed* EX MEO ACCIPIET *& annuntiabit vobis, omnia quæcunque Pater habet*, MEA SUNT; *propter hoc dixi, quod* EX MEO *accepturus ſit, & annuntiaturus vobis*, Joh. XVI: 13. 14. 15. *Spiritus Sanctus nondum erat, quia Jeſus nondum glorificatus eſt*, Joh. VII: 39. *Jeſus inſpiravit in Diſcipulos, & dixit, accipite Spiritum Sanctum*, Joh. XX: 22. *Quodcunque petieritis in Nomine meo*, HOC FACIAM, *ut glorificetur Pater in Filio, ſi quid petieritis in Nomine meo*, EGO FACIAM, Joh. XIV: 13. 14. Ex his locis manifeſte patet, quod Dominus mittat Spiritum Sanctum, hoc eſt, operetur illa, quæ hodie adſcribuntur Spiritui Sancto ut Deo per ſe; dixit enim quod miſſurus ſit illum a Patre, quod miſſurus ſit illum ad vos, quod nondum fuerit Spiritus Sanctus, quia Jeſus nondum glorificatus eſt, quod poſt glorificationem inſpiraverit in Diſcipulos & dixerit accipite Spiritum Sanctum; tum quod dixerit, quodcunque petieritis in Nomine meo, Ego

faciam, ut &, qnod Paracletus ex Meo accepturus ſit quod annuntiabit: quod Paracletus ſit idem cum Spiritu Sancto, videatur Joh. XIV: 26. Quod Deus Pater non operetur illas virtutes ex ſe per Filium, ſed quod Filius ex ſe a Patre, conſtat ex his, *Deum nemo vidit unquam*, *Unigenitus Filius*, *qui in ſinu Patris eſt ille expoſuit*, Joh. I: 18. & alibi, *Non vocem Patris audiviſtis uſquam; nec ſpeciem Ipſius vidiſtis*, Joh. V: 37. Ex his itaque ſequitur, quod Deus Pater operetur in Filio & in Filium, ſed non per Filium, verum quod Dominus operetur ex Se a ſuo Patre, nam dicit, *Omnia Patris mea ſunt*, Joh. XVI: 14. *Quod Pater omnia dederit in manum Filii*, Joh. III: 35. Tum *Quod ſicut Pater habet vitam in ſe Ipſo, ita dederit Filio vitam habere in ſe ipſo*, Joh. V: 26. ut &, *Verba quæ Ego loquor, ſpiritus & vita ſunt*, Joh. VI: 63. Quod Dominus dicat quod Spiritus veritatis exeat a Patre, Joh. XV: 26, eſt quia a Deo Patre exit in Filium, & ex Filio a Patre; quare etiam dicit, *In illa die cognoſcetis quod Pater in Me, & Ego in Patre, & vos in Me & Ego in vobis*, Joh. XIV: 11. 20. Ex his perſpicuis effatis Domini manifeſte patet error in Chriſtiano Orbe, qui eſt, quod Deus Pater mittat Spiritum Sanctum ad hominem; & error Eccleſiæ Græcæ, quod Deus Pater Illum immediate mittat: hoc, quod Dominus ex Se a Deo Patre illum mittat, & non viciſſim, eſt e Cælo, & Angeli illud vocant Arcanum, quia nondum in Mundo detectum.

154. Hæc per plura, quæ rationis ſunt, illuſtrari poſſunt; ut per hæc: notum eſt, quod Apoſtoli, poſtquam donati ſunt Spiritu Sancto a Domino, prædicaverint Evangelium per multum orbis, & quod hoc promulgaverint ore & ſcriptis, & hoc fecerunt ex ſe ipſis a Domino; aliter enim docuit & ſcripſit Petrus, aliter Jacobus, aliter Johannes, & aliter Paulus, quiſque ſecundum ſuam intelligentiam, Dominus implevit omnes ſuo ſpiritu, ſed quiſque deſumpſit inde ſportam ſecundum qualitatem ſuæ perceptionis, & exſequuti ſunt ſecundum qualitatem ſuæ potentiæ. Omnes Angeli in cælis impleti ſunt Domino, ſunt enim in Domino & Dominus in illis, ſed uſque quiſque loquitur & agit ſecundum ſtatum ſuæ mentis, quidam ſimpliciter, quidam ſapienter, ita cum infinita varietate, & tamen unuſquiſque loquitur ex ſe a Domino. Simile eſt cum omni Miniſtro Eccleſiæ, tam illo qui in veris quam qui in falſis eſt, cuique eſt ſuum os & ſua intelligentia, & quiſque loquitur ex ſua mente, hoc eſt, ex ſuo ſpiritu quem poſſidet. Omnes Proteſtantes, ſive dicantur Evangelici ſive Reformati, poſtquam inſtructi ſunt dogmaticis a Luthero, Melanctone vel Calvino traditis, hi ſeu dogmatica eorum non loquuntur ex ſe per illos, ſed ipſi ex ſe ab illis; unumquodvis dogma etiam poteſt mille modis exponi, eſt enim quodvis ſicut cornucopia, ex quo quiſque depromit quod ſuo genio favet & adæquatur, & exponit ſecundum ſuam dotem. Hoc illuſtrari poteſt per cordis actionem in pulmone & in illum, & per pulmonis reactionem ex ſe a corde, hæc ſunt duo diſtincta, at uſque reciproce unita, pulmo reſpirat ex ſe a corde, non autem cor per pulmonem, ſi hoc fieret ſubſiſteret utrumque; ſimile etiam eſt cum cordis actione in viſceribus & in viſcera totius corporis, cor emittit ſanguinem undequaque, ſed viſcera inde hauriunt, quodlibet ſuum penſum ſecundum quale uſus, quod præſtat, & quoque ſecundum hoc agit, ita diverſimode. Idem hoc poteſt illuſtrari per hæc; malum a parentibus, quod vocatur hæreditarium, agit in homine & in hominem; ſimiliter bonum a Domino, hoc ſupra aut intra, illud infra vel extra, ſi malum ageret per hominem, homo non foret reformabilis, neque foret culpabilis, ſimiliter ſi bonum a Domino ageret per hominem, nec foret reformabilis, ſed quia utrumque pendet a libera electione hominis, fit reus dum ex ſe a malo agit, & inſons dum ex ſe a bono: nunc quia malum eſt diabolus, & bonum eſt Dominus, fit reus ſi agit a diabolo, ac inſons ſi a Domino; ex libera illa electione, quæ cuivis homini eſt, eſt quod homo reformari poſſit. Simile eſt cum omni Interno & Externo apud ho-

hominem, hæc ſunt duo diſtincta, ſed uſque reciproce unita; Internum agit in Externo & in illud, ſed non agit per Externum, Internum enim millia volvit, ex quibus Externum modo deſumit accommodata uſui; in Interno enim hominis, per quod intelligitur Mens ejus voluntaria & perceptiva, ſunt congeries idearum in volumine, quæ ſi effluerent per os hominis, foret ſicut ventoſum ex folle; Internum, quia univerſalia volvit, comparari poteſt Oceano, aut Floreto, aut Horto, ex quibus Externum depromit quantum ſatis eſt pro uſu: Verbum Domini eſt ſicut Oceanus, Floretum & Hortus, quando Verbum eſt in aliqua plenitudine in Interno hominis, tunc homo loquitur & agit ex ſe a Verbo, & non Verbum per illum: ſimile eſt cum Domino, quia Ipſe eſt Verbum, hoc eſt Divinum Verum & Divinum Bonum ibi, Dominus ex ſe ſeu ex Verbo agit in homine & in illum, non autem per illum, quia homo libere agit & loquitur a Domino dum a Verbo. Sed hoc propius illuſtrari poteſt per mutuum commercium animæ & corporis, quæ duo diſtincta ſunt, ſed reciproce unita, Anima agit in corpore & in corpus, ſed non per corpus, at corpus agit ex ſe ab anima; quod anima non agat per corpus, eſt quia non conſultant & deliberant inter ſe, nec anima mandat aut rogat, ut corpus hoc aut illud agat, vel ex ore ſuo loquatur, neque corpus poſcit aut petit, ut anima aliquid det & ſuppeditet, omne enim animæ eſt corporis, mutuo & viciſſim: ſimile eſt cum Divino & Humano Domini, eſt enim Divinum Patris Anima Humani Ipſius, & Humanum eſt Corpus Ipſius, & Humanum non petit a Divino ſuo ut dicat quid loquuturum & operaturum eſt, quare dicit Dominus, *In illo die in Nomine meo petetis & non dico vobis, quod Ego petiturus ſim Patrem pro vobis, Ipſe namque Pater amat vos, quia Me amaſtis*, Joh. XVI: 26. 27: in illo die eſt poſt glorificationem, hoc eſt, poſt perfectam & abſolutam unionem cum Patre. Hoc Arcanum eſt ab Ipſo Domino pro illis qui e nova Ipſius Eccleſia erunt.

155. Supra in Articulo Tertio oſtenſum eſt, quod Divina illa Virtus, quæ intelligitur per operationem Spiritus Sancti apud Clericos, in ſpecie ſit Illuſtratio, & Inſtructio, ſed his duabus accedunt duæ intermediæ, quæ ſunt Perceptio & Diſpoſitio, quare ſunt quatuor, quæ apud Clericos ordine ſequuntur, Illuſtratio, Perceptio, Diſpoſitio, & Inſtructio: ILLUSTRATIO eſt a Domino: PERCEPTIO eſt apud hominem, ſecundum ſtatum mentis ejus formatum per doctrinalia, quæ ſi vera ſunt, fit perceptio clara a luce quæ illuſtrat, at ſi falſa ſunt, fit perceptio obſcura, quæ tamen poteſt apparere ſicut clara ex confirmationibus, ſed hoc eſt ex luce fatua, quæ coram viſu mere naturali eſt ſimilis claritatis. DISPOSITIO autem eſt ex affectione amoris voluntatis, jucundum hujus amoris diſponit, ſi hoc amoris mali & inde falſi eſt, excitat zelum, qui extrinſecus aſper, hiſpidus, ardens & ignivomus eſt, ac intus eſt ira, rabies & immiſericordia; ſi autem eſt boni & inde veri, eſt extrinſecus lævis, glaber, tonans & flagrans, ac intus eſt charitas, gratia & miſericordia. INSTRUCTIO autem ſequitur ut effectus ex illis ut cauſis. Ita Illuſtratio, quæ eſt a Domino, vertitur in varias luces & in varios calores, apud unumquemvis ſecundum ſtatum ejus mentis.

156. VI. QUOD SPIRITUS HOMINIS SIT EJUS MENS, ET QUICQUID EX ILLO PROCEDIT. Per Spiritum hominis in concreto non aliud intelligitur quam Mens ejus, hæc enim eſt quæ vivit poſt mortem, & tunc vocatur ſpiritus, ſi bonus, Spiritus angelicus & poſtea angelus, ſi malus, Spiritus ſatanicus, & poſtea ſatanas. Mens cujuſvis hominis eſt Internus ejus homo, qui actualiter eſt homo, & intus in Externo homine, qui facit corpus ejus, quare dum rejicitur corpus, quod fit per mortem, eſt in plena forma humana. Errant itaque, qui credunt quod Mens hominis modo ſit in Capite, ibi ſolum eſt in principiis, ex quibus primum exit omne quod homo ex intellectu cogitat & ex voluntate agit, in corpore autem eſt in principiatis, formatis ad ſentiendum & agendum; & quia intus adhæret cor-

poreis, infert illis ſenſum & motum, & quoque inſpirat perceptionem, ſicut corpus cogitet & agat ex ſe, ſed quod hoc ſit fallacia, omnis ſapiens novit. Nunc quia ſpiritus hominis ex intellectu cogitat & ex voluntate agit, & corpus non ex ſe ſed ex illo, ſequitur quod per ſpiritum hominis intelligatur ejus intelligentia & amoris affectio, & quicquid ex illis procedit & operatur. Quod ſpiritus hominis talia quæ mentis ſunt, ſignificet, conſtat ex multis locis in Verbo, quæ dum modo adducuntur, a quovis videri poteſt, quod non aliud ſint: ex multis ſint hæc pauca, *Bezaaleel & impletus ſpiritu ſapientiæ, intelligentiæ & ſcientiæ*, Exod. XXXI: 3. Nebuchadnezar de Daniele, *quod ſpiritus excellens, ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ eſſet in eo*, Dan. IV: 5. *Impletus eſt Jehoſchua ſpiritu ſapientiæ*, Deut. XXXIV: 9. *Facite vobis cor novum & ſpiritum novum*, Ezech. XVIII: 31. *Beati pauperes ſpiritu, quia talium eſt Regnum Cœlorum*, Matth. V: 3. *Habito in contrito & humili ſpiritu, ad vivificandum ſpiritum humilium*, Eſaj. LVII: 15. *Sacrificia Dei ſpiritus infractus*, Pſalm LI: 19. *Dabo pallium laudis loco ſpiritus contracti*, Eſaj. LXI: 3. præter alibi, Quod ſpiritus ſignificet talia quæ Mentis perverſæ & iniquæ ſunt, conſtat ex his: *Dixit prophetis ſtultis, qui abeunt poſt ſpiritum ſuum*, Ezech. XIII: 3. *Concipite quiſquilias, parite ſtipulam, quoad ſpiritum veſtrum, ignis comedet vos*, Eſaj. XXXIII: 11. *Vir qui vagabundus ſpiritu, & mendacium effutit*, Mich. II: *Generatio, cujus non conſtans cum Deo ſpiritus*, Pſalm LXXVIII: 8. *Spiritus ſcortationum*, Hoſch. V: 4. Sach. IV: 12. *Ut liqueſcat omne cor, & contrahatur omnis ſpiritus*, Ezech. XXI: 12. *Quod aſcendit ſuper ſpiritum veſtrum, non fiet unquam*, Ezech. XII: 32. *Modo non in ſpiritu ejus dolus*, Pſalm XXXII: 2. *Spiritus Pharaonis turbatus eſt*, Gen. XLI: 8. ſimiliter *Nebuchadnezaris*, Dan. II: 3. Ex his & perpluribus aliis locis manifeſte conſtat, quod ſpiritus ſignificet mentem hominis, & talia quæ Mentis ſunt.

157. Quoniam per Spiritum hominis intelligitur Mens ejus, ideo per ESSE IN SPIRITU, quod aliquoties in Verbo dicitur, intelligitur ſtatus mentis ſeparatæ a corpore, & quia in illo ſtatu Prophetæ viderunt talia, quæ in Mundo Spirituali exiſtunt, ideo vocatur ille Viſio Dei; ſtatus ille fuit tunc illis, qualis eſt ipſis Spiritibus & Angelis in illo Mundo; in illo ſtatu ſpiritus hominis, ſicut mens ejus quoad viſum, transferri poteſt e loco in locum, manente corpore in ſuo. Hic ſtatus eſt, in quo ego nunc per 26 annos fueram, cum diſcrimine, quod in ſpiritu & ſimul in corpore, & modo aliquoties extra corpus. Quod Ezechiel, Sacharias, Daniel, & Johannes cum ſcripſit Apocalypſin, in illo ſtatu fuerint, conſtat ex ſequentibus; dicit EZECHIEL „*Spiritus ſuſtulit me, & reduxit me in Chaldæam ad Captivitatem in* VISIONE DEI, *in* SPIRITU DEI, *ita aſcendit ſuper me* VISIO, *quam vidi*, Cap. XI: 1. 24. *Quod ſuſtulerit illum Spiritus, & audiverit poſt ſe terræ motum*, Cap. III: 12. 14. *Quod ſuſtulerit illum Spiritus inter Terram & Cœlum, & abduxerit Hieroſolymam, & viderit abominationes*, Cap. VIII: 3. ſeq. *Quod viderit quatuor Animalia, quæ erant Cherubi, & varia apud illos*, Cap. I. & Cap. X. Tum *novam Terram & novum Templum, & Angelum metientem illa*, Cap. XL ad XLVIII, quod tunc fuerit in Viſione & in Spiritu, Cap. XL: 2. Cap. XLIII: 15. Simile factum eſt cum SACHARIA, in quo tunc Angelus fuit, cum vidit *Virum equitantem inter myrtos*, Cap. I: 8. ſeq. *Quatuor cornua, & virum in cujus manu funiculus menſuræ*, Cap. II: 1. 5. ſeq. *Joſchuam Sacerdotem magnum*, Cap. V: 1. 6. *Quatuor Currus exeuntes inter duos montes, & Equos*, Cap. VI: 1. ſeq. In ſimili ſtatu fuit DANIEL, cum vidit *quatuor Beſtias aſcendentes ex mari, & plura de illis*, Cap. VII: 1. ſeq. cum vidit *Pugnas arietis & hirci*, Cap. VIII: 1. ſeq. Quod viderit illa *in Viſione*, Cap. VII: 1. 2. 7. 13. Cap. VIII: 2. Cap. X: 1. 7. 8. Quod *Angelus Gabriel viſus ei ſit in Viſione, & loquutus cum illo.* Simile factum eſt cum JOHANNE, quando ſcripſit Apocalypſin, qui dicit ſe fuiſſe *in Spiritu* die Dominica, Apoc. I: 10; quod delatus in deſertum *in Spiritu*, Cap. XVII: 3. ſuper montem altum *in Spiritu*,

Cap.

Cap. XXI: 10. Quod viderit *in Viſione*, Cap. IX: 17: & alibi, quod *Viderit* illa, quæ deſcripſit, ut cum vidit Filium hominis in medio ſeptem candelabrorum; Tabernaculum, Templum, Arcam & Altare in Cælo: Librum obſignatum ſeptem ſigillis. & ex illo exeuntes Equos: quatuor Animalia circa Thronum: 12000 Electos, ex unaquavis Tribu; Agnum tunc ſuper Monte Sionis: Locuſtas aſcendentes ex abyſſo; Draconem & ejus pugnam cum Michaele: Mulierem parientem filium maſculum, ac fugientem in deſertum propter Draconem: Beſtias duas, unam aſcendentem ex mari, & alteram ex terra: Mulierem ſedentem ſuper Beſtia coccinea: Draconem ejectum in ſtagnum ignis & ſulphuris: Equum album & Cænam magnam: Urbem Sanctam Hieroſolymam deſcendentem, deſcriptam quoad portas, murum & hujus fundamenta; Fluvium aquæ vivæ, & arbores vitæ facientes fructus quovis menſe; præter plura. In ſimili ſtatu fuerunt Petrus, Jacobus & Johannes, cum viderunt Jeſum transformatum; & Paulus cum audivit e Cælo ineffabilia.

COROLLARIUM.

158. Quoniam in hoc Capite de SPIRITU SANCTO actum eſt, meretur omnino memorare, quod in Verbo Veteris Teſtamenti nullibi nominetur Spiritus Sanctus, ſed modo Spiritus ſanctitatis in tribus locis, ſemel apud Davidem Pſalm LI: 13; & bis apud Eſajam Cap. LXIII: 10. 11. Verum in Verbo Novi Teſtamenti, tam apud Evangeliſtas, quam in Actis Apoſtolorum, & in horum Epiſtolis frequenter; cauſa eſt, quia tunc primum erat Spiritus Sanctus, quando Dominus in mundum venit, ille enim ex Ipſo a Patre procedit; nam DOMINUS EST SOLUS SANCTUS, Apoc. XV: 4; quare etiam dicitur ab Angelo Gabriele ad Mariam Matrem, SANCTUM *quod naſcetur ex te*, Luc. I: 35. Quod dictum ſit, *Nondum erat Spiritus Sanctus quia Jeſus nondum glorificatus eſt*, Joh. VII: 39, & tamen prius dicatur, quod Spiritus Sanctus impleverit Eliſabetham, Luc. I: 41, tum Sachariam Luc. I: 67; ut & Simeonem Luc. II: 25, erat cauſa, quia Spiritus Jehovæ Patris implevit illos, qui Spiritus Sanctus vocatus eſt propter Dominum, qui jamdum in Mundo erat. Hæc cauſa eſt, quod in Verbo Veteris Teſtamenti nullibi dicatur, quod Prophetæ loquuti ſint a Spiritu Sancto, ſed a Jehovah; ubivis enim dicitur, JEHOVAH LOQUUTUS EST AD ME, VERBUM A JEHOVAH FACTUM EST AD ME, DIXIT JEHOVAH, DICTUM JEHOVÆ; ut nemo dubitet quin ita ſit, volo ſolum ex JEREMIA afferre, ubi hæc dicuntur, Cap. I: 4. 7. 11. 12. 13. 14. 19. Cap. II: 1. 2. 3. 4. 5. 9. 19. 22. 29. 31. Cap. III: 1. 6. 10. 12. 14. 16. Cap. IV: 1. 3. 9. 17. 27. Cap. V: 11. 14. 18. 22. 29. Cap. VI: 6. 9. 12. 15. 16. 21. 22. Cap. VII: 1. 3. 11. 13. 19. 20. 21. Cap. VIII: 1. 3. 12. 13. Cap. IX: 2. 6. 8. 12. 14. 16. 21. 23. 24. Cap. X: 1. 2. 13. Cap. XI: 1. 6. 9. 11. 17. 18. 21. 22. Cap. XII: 14. 17. Cap. XIII: 1. 6. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 25. Cap. XIV: 1. 10. 14. 15. Cap. XV: 1. 2. 3. 6. 11. 19. 20. Cap. XVI: 1. 3. 5. 9. 14. 16. Cap. XVII: 5. 9. 20. 20. 21. 24. Cap. XVIII: . 15. 6. 11. h3. Cap. XIX: 1. 3. 6. 12. 16. Cap. XX: 4. Cap. XXI: 1. 4. 7. 8. 11. 12. Cap. XXII: 2. 5. 6. 11. 18. 24. 29. 30. Cap. XXIII: 2. 5. 7. 12. 15. 24. 29. 31. 38. Cap. XXIV: 3. 5. 8. Cap. XXV: 1. 3. 7. 8. 9. 15. 27. 28. 29. 32. Cap. XXVI: 1. 2. 18. Cap. XXVII: 1. 2. 4. 8. 11. 16. 19. 21. 22. Cap. XXVIII: 2. 12. 14. 16. Cap. XXIX: 4. 8. 9. 16. 19. 20. 21. 25. 30. 31. 31. Cap. XXX: 1. 2. 3. 4. 5. 8. 10. 11. 12. 17. 18. Cap. XXXI: 1. 2. 7. 10. 15. 16. 17. 23. 27. 28. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. Cap. XXXII: 1. 6. 14. 15. 25. 26. 28. 30. 36. 41. Cap. XXXIII: 1. 2. 4. 10. 12. 13. 17. 19. 20. 23. 25. Cap. XXXIV: 1. 2. 4. 8. 12. 13. 17. 22.

Cap.

Cap. XXXV: 1. 13. 17. 18. 19. Cap. XXXVI: 1. 6. 27. 29. 30. Cap. XXXVII: 6. 7. 9. Cap. XXXVIII: 2. 3. 17. Cap. XXXIX: 15. 16. 17. 18. Cap. XL: 1. Cap. XLII: 7. 9. 15. 18. 19. Cap. XLIII: 8. 10. Cap. XLIV: 1. 2. 7. 11. 24. 25. 26. 30. Cap. XLV: 1. 2. 5. Cap. XLVI: 1. 23. 25. 28. Cap. XLVII: 1. Cap. XLVIII: 1. 8. 12. 30. 35. 38. 40. 43. 44. 47. Cap. XLIX: 2. 5. 6. 7. 12. 13. 16. 18. 26. 28. 30. 32. 35. 37. 38. 39. Cap. L: 1. 4. 10. 18. 20. 21. 30. 31. 33. 35. 40. Cap. LI: 25. 33. 36. 39. 52. 58 : Hæc ſolum apud JEREMIAM ; ſimile dicitur apud omnes reliquos Prophetas, & non quod loquutus ſit Spiritus Sanctus, nec quod Jehovah loquutus ſit ad illos per Spiritum Sanctum.

159. His adjiciam hæc MEMORABILIA. PRIMUM : Quondam cum fui in conſortio cum Angelis in Cælo, vidi ad diſtantiam infra magnum Fumum, & ex illo per vices erumpentem ignem, & tunc Angelis mecum confabulantibus dixi, quod pauci hic ſciant, quod fumus in Infernis viſus exoriatur ex falſis per ratiocinia confirmatis, & quod ignis ſit ira excandeſcens contra illos qui contradicunt; quibus addidi, quod hoc tam ignotum ſit in hoc Mundo, ſicut eſt in meo, ubi corpore vivo, quod flamma non aliud ſit quam incenſus fumus; quod ita ſit, ſæpius ſum expertus, in foco enim vidi fumos ex lignis aſcendentes, & cum eis intuli ignem per titionem, vidi fumos illos verti in flammas, & has in ſimili forma cum illis, ſingulæ enim particulæ fumi fiunt ſcintillulæ, quæ conjunctim flagrant, ſicut etiam fit cum pulvere pyrio accenſo: ſimile eſt cum hoc Fumo, quem infra videmus, hic conſiſtit ex totidem falſis, & ignis erumpens ut flamma ibi eſt excandeſcentia zeli pro illis. Tunc mihi dixerunt Angeli, oremus ad Dominum ut liceat deſcendere & accedere, ut percipiamus quænam falſa ſunt quæ apud illos ita fumant & flagrant, ac datum eſt; & ecce apparuit columna lucis circum nos continua ad locum illum; & tunc vidimus quatuor Turmas ſpirituum, qui ſtrenue confirmabant, quod Deus Pater, quia inviſibilis, adeundus & colendus ſit, & non Filius Jpſius natus in Mundo, quia homo & viſibilis: cum ſpectavi ad latera, ad ſiniſtrum viſi ſunt Docti ex Clericis, & poſt illos indocti; & ad dextrum Eruditi ex Laicis, & poſt illos ineruditi; at inter nos & illos erat hians intercapedo, quæ non tranſiri potuit: ſed oculos & aures vertimus ad ſiniſtrum, ubi erant Docti ex Clericis & poſt illos indocti, & audivimus de Deo ita ratiocinantes; novimus ex Doctrina noſtræ Eccleſiæ, quæ una eſt de Deo in toto Europæo Orbe, quod Deus Pater, quia inviſibilis eſt, adeundus ſit, & ſimul tunc Deus Filius & Deus Spiritus Sanctus, qui etiam inviſibiles ſunt, quia coæterni cum Patre; & quia Deus Pater eſt Creator univerſi, & inde in Univerſo, quocunque vertimus oculos noſtros, præſens eſt, & cum ad Illum oramus, gratioſe exaudit, & poſt Mediationem a Filio acceptam, mittit ſpiritum ſanctum, qui in corda noſtra infert gloriam juſtitiæ Filii ſui, & nos beatificat; nos creati Doctores Eccleſiæ, dum concionati ſumus, ſanctam miſſionis iſtius operationem in pectoribus noſtris ſenſimus, & anhelavimus devotionem ex præſentia illius in mentibus noſtris; ita afficimur, quia omnes ſenſus noſtros dirigimus ad Deum inviſibilem, qui non ſingulariter in viſu intellectus noſtri, ſed univerſaliter in toto ſyſtemate mentis & corporis noſtri per ſpiritum emiſſarium ſuum operatur; tales effectus non ſiſteret cultus Dei viſibilis, ſeu coram mentibus conſpicui ſicut homo. His dictis indocti e Clericis, qui ſteterunt poſt illos, adplauſerunt, & adjecerunt hoc, unde eſt Sanctum niſi a Divino inconſpicuo & imperceptibili; ad hoc, ut primum tangit oſtium auditus noſtri, expandimus vultus facierum noſtrarum, ac lætificamur ſicut ex mulcimine auræ odoriferæ, & quoque plangimus pectora noſtra, aliter ad perſpicuum & perceptibile, hoc

hoc dum intrat aurem, fit mere naturale, & non Divinum: propter ſimilem cauſam Romano-Catholici Miſſas ſuas latino idiomate exclamant, & hoſtias, de quibus Divina myſtica edunt, ex adytis altarium depromunt & monſtrant, ad quæ, ut ad arcaniſſima, populus cadit ſuper genua, & reſpirat ſanctum. Poſt hæc convertimus nos ad dextrum, ubi Eruditi, & poſt illos ineruditi ex Laicis conſtiterunt, & ab Eruditis audivi hæc, novimus quod ſapientiſſimi ex Antiquis, Deum inconſpicuum coluerint, quem vocaverunt Jehovam, at quod poſt hos in ævo quod ſucceſſit fecerint ſibi deos ex defunctis Monarchis, ex quibus erant Saturnus, Jupiter. Neptunus, Pluto, Apollo, tum Minerva, Diana, Venus, Themis, & illis exſtruxerint fana, & Divinum cultum addixerint, ex quo cultu, quum tempore deſcendit, exorta eſt idololatria, ex qno totus orbis tandem inſanivit; nos ideo ad ſacerdotium & presbyterium noſtrum conſenſu unanimiter accedimus, quod tres Divinæ Perſonæ ab æterno, quarum unaquævis Deus, fuerint & ſint; ſatis nobis eſt quod inconſpicui ſint: his ineruditi poſt illos adjecerunt, conſentimus, numne Deus eſt Deus, & homo eſt homo; ſed ſcimus, quod ſi quis proponit Deum hominem, Communio plebeja, cui ſenſualis idea de Deo eſt, acceſſura ſit. Poſt hæc dicta, aperti ſunt oculi illorum, & viderunt nos prope ſe, & illi tunc ex indignatione quod audiverimus illos, obmutuerunt; at Angeli tunc ex potentia ſibi data occluſerunt exteriora ſeu inferiora cogitationum illorum, ex quibus loquuti ſunt, & aperuerunt interiora ſeu ſuperiora, & ex his adegerunt illos loqui de Deo, & tunc loquuti dixerunt, quid Deus, non vidimus ſpeciem Ipſius, nec audivimus vocem Ipſius, quid itaque Deus niſi quam Natura in ſuis primis & ultimis, hanc vidimus, quia lucet in oculis noſtris, & hanc audivimus quia ſonat in auribus noſtris: his auditis, diximus illis, num uſquam videritis Socinum, qui ſolum Deum Patrem agnovit, aut Arium qui Divinum Domini Salvatoris negavit, aut aliquos aſſeclas illorum, ad quæ reſponderunt, non vidimus; ſunt diximus in profundo ſub vobis, & mox inde aliqui arceſſiti ſunt, & quæſiti de Deo, ſimiliter ac illi prius loquuti ſunt, ac inſuper, quid Deus, poſſumus facere deos, quotcunque volumus; & tunc diximus, incaſſum eſt cum vobis de Filio Dei nato in Mundo loqui, ſed uſque eloquemur hoc, quod ne fides de Deo, in Ipſum & ab Ipſo, propterea quod nemo viderit Ipſum, & illa fic tanquam bulla aquea in aere in prima & ſecunda ætate pulchre colorata, & in tertia & ſequente diffluerет in nihilum, placuerit Jehovæ Deo deſcendere & aſſumere Humanum, & ſic Se in conſpectum mittere, & convincere, quod Deus non ſit Ens rationis, ſed Ipſum quod Fuit, Eſt & Erit ab æterno in æternum, & quod Deus non ſit vox trium ſyllabarum, ſed quod ſit omne rei ab Alphah ad Omegah, conſequenter quod ſit Vita & Salus omnium qui credunt in Ipſum viſibilem, & non illorum qui dicunt ſe credere in Deum inviſibilem, nam credere, videre & cognoſcere, unum faciunt; quare dixit Dominus ad Philippum, qui videt & cognoſcit Me, videt & cognoſcit Patrem, & alibi; quod voluntas Patris ſit, ut credant in Filium, & qui credit in Filium, habeat vitam æternam, at qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei ſuper illum maneat, hæc & illa dicit apud Johannem Cap. III: 15. 16. 36. Cap. XIV: 6 ad 15. His auditis, multi ex quatuor Turmis excanduerunt in tantum, ut fumus & ignis exiret ex naribus illorum; quare abivimus, & Angeli, poſtquam me comitati ſunt domum, aſcenderunt in ſuum Cælum.

160. Secundum Memorabile: Quondam in comitatu cum Angelis ambulavi in Mundo ſpirituum, qui medius eſt inter Cælum & Infernum, in quem omnes homines poſt mortem primum veniunt, & præparantur, boni ad Cælum, & mali ad Infernum, & colloquutus cum illis de pluribus, inter quæ etiam de hoc, quod in Mundo, ubi ſum corpore, tempore noctis, innumerabiles Stellæ, majores & minores, appareant, & quod illæ ſint totidem ſoles, qui modo lucem in Mundum noſtri ſolis transmittunt; & cum vidi, quod in veſtro Mundo etiam conſpiciantur

Stellæ, autumavi quod hæ totidem ſint, quot in Mundo, ubi ſum: Angeli ex hoc ſermone delectati, dicebant, quod forte totidem ſint, quoniam unaquævis Societas Cæli, coram illis qui ſub cælo ſunt, quandoque lucet ſicut Stella, & Societates Cæli ſunt innumerabiles, omnes ordinatæ ſecundum varietates affectionum amoris boni, quæ in Deo infinitæ ſunt, & inde ex Illo innumerabiles; & quia hæ ante creationem præviſæ ſunt, arbitror quod ſecundum illarum numerum proviſæ, hoc eſt, creatæ ſint totidem Stellæ in Mundo ubi homines, qui in naturali materiali corpore erunt. Cum ita confabulabamur, vidi in ſeptentrione Viam ſtratam, Spiritibus ita conſtipatam, ut vix veſtigii locus daretur inter duos, & dixi Angelis, quod hanc viam etiam prius viderim, ac Spiritus ſicut turmas exercitus ſuper illa, & quod audiverim, hanc viam eſſe, quam omnes, qui e Mundo naturali decedunt, pertranſeunt: quod Via illa tanto numero Spirituum operta ſit, eſt cauſa, quia aliquot myriades hominum quavis ſeptimana obeunt, & omnes illi poſt mortem in hunc Mundum transmigrant: his addiderunt Angeli, quod via illa terminetur in hoc Mundo in ejus medio, ubi jam nos ſumus; quod in medio ejus, ſit cauſa, quia a latere verſus Orientem ſunt Societates quæ in Amore in Deum & erga proximum ſunt, & ad ſiniſtrum verſus Occidentem Societates ex illis qui contra illos amores ſunt, & antrorſum in meridie Societates ex illis qui intelligentiores reliquis ſunt; inde eſt, quod recentes e Mundo naturali huc primum alluant: quando hic ſunt, tunc in externis, in quibus proxime in priori Mundo fuerunt, ſunt, & poſtea ſucceſſive immittuntur in ſua interna, & explorantur quales ſunt, & poſt explorationem feruntur boni ad ſua loca in Cælo, & mali ad ſua loca in Inferno.

Conſtitimus in medio, in quod terminabatur via affluxus, & diximus, moremur hic parumper, & loquamur cum quibuſdam novis advenis; & ex alluentibus elegimus duodecim; & quia omnes erant recentes ex Mundo naturali, non ſciebant aliter, quam quod adhuc ibi eſſent; & interrogavimus illos, quid de CÆLO & INFERNO, & quid de VITA POST MORTEM, ſentiunt; ad quæ UNUS ex illis reſpondit, quod Sacer noſter Ordo impreſſerit mihi fidem, quod victuri ſimus poſt mortem, & quod Cælum & Infernum ſint, & inde ego credidi, quod omnes qui moraliter vivunt, in Cælum veniant, & quia omnes moraliter vivunt, quod nemo in Infernum, & ſic quod Infernum ſit fabula efficta a Clero, ut deterreantur a male vivere: quid refert, ſi de Deo cogitem ita vel ita, cogitatio eſt modo ſicut gluma aut bulla ſuper aqua, quæ diffluit & abit. ALTER prope illum dixit, mea fides, eſt, quod Cælum & Infernum ſint, & quod Deus regat Cælum & Diabolus Infernum, & quia hoſtes ſunt, & inde ſibi oppoſiti, unus vocat malum quod alter bonum, & quod moralis homo ſimulator, qui poteſt facere ut malum appareat ſicut bonum & bonum ſicut malum, ab utriuſque parte ſtet, quid tunc intereſt, ſive cum uno aut altero Domino ſim, modo faveat, jucundat homines æque malum ac bonum. TERTIUS a latere ejus dixit; quid mea refert, ſi credam quod Cælum & Infernum ſint, nam quis inde venit & narravit, ſi omnis homo poſt mortem viveret, cur non ex tanta multitudine unus rediiſſet & nuntiaviſſet. QUARTUS juxta illum dixit, informabo te cur non aliquis redierit & nuntiaverit, cauſa eſt, quia homo dum exſpiravit animam, & mortuus eſt; tunc vel fit larva & diſſipatur, vel eſt ſicut ſpiritus oris, qui modo eſt ventus, quomodo poteſt talis redire, & cum aliquo loqui. QUINTUS excepit & dixit, amici, exſpectate ad diem Ultimi judicii, quia omnes tunc redibunt in ſua corpora, & videbitis illos, & loquemini cum illis, & narrabit tunc quiſque ſua fata alteri. SEXTUS e diametro ſtans, & ridens dixit, quomodo poteſt ſpiritus, qui eſt ventus, redire in corpus a vermibus exeſum, & ſimul in ejus ſceleton Sole exuſtum ac in pulverem dilapſum, & quomodo aliquis Ægyptius factus Mumi, & a pharmacopola immixtus extractis vel emulſis, epotis aut comeſtis, redire & aliquid narrave, quare exſpectate ſi vobis eſt fides, ultimum illum diem, ſed exſpectatione perenni & perenni fruſtra.

SEP-

Septimus poſt hunc dixit, ſi crederem Cælum & Infernum, & inde vitam poſt mortem, crederem etiam aves & beſtias æque victuras, ſuntne aliquæ ex his æque morales & rationales ut homines; negatur quod beſtiæ vivant, quare ego nego quod homines, eſt par ratio, unum ſequitur ex altero; quid homo niſi animal. Octavus a tergo hujus ſtans acceſſit & dixit, credite ſi vultis Cælum, ſed ego non credo Infernum, eſtne Deus Omnipotens, & poteſt ſalvare unumquemvis. Tunc Nonus palpans manum ejus, & dixit, Deus non modo eſt Omnipotens, ſed etiam gratioſus, non poteſt aliquem mittere in ignem æternum, & ſi quis ibi eſt, non poteſt quin illum inde eximat & attollat. Decimus excurrit ex ordine in medium, & dixit, nec ego credo Infernum, nonne Deus miſit Filium ſuum, & Ille expiavit & ſuſtulit totius Mundi peccata, quid tunc valet Diabolus contra id, & quia non valet, quid tunc Infernum. Undecimus, qui fuit Sacerdos, hoc audito exanduit, & dixit, numne ſcis, quod illi qui adepti ſunt fidem, cui meritum Chriſti inſcriptum eſt, ſalventur, & quod illi quos Deus eligit, adipiſcantur illam fidem, eſtne Electio in Arbitrio Omnipotentis, & in Ipſius Judicio, quinam ſunt digni, quis poteſt contra illa. Duodecimus, qui erat Politicus, tacuit, at rogatus ut coronaret reſponſa, dixit, non quicquam de Cælo, Inferno & de Vita poſt mortem e pectore expromam, quoniam de illis non quiſquam aliquid ſcit, ſed uſque abſque vituperatione ſinite, ut Sacerdotes prædicent illa, ſic etenim mentes vulgi ab inviſibili vinculo tenentur obſtrictæ legibus & ducibus, pendetne ab hoc Salus publica.

Nos talibus auditis obſtupuimus, & diximus inter nos, hi tametſi Chriſtiani nominantur, non ſunt homines nec beſtiæ, ſed homines beſtiæ: verum ad excitandum illos e ſomno, diximus, eſt Cælum & Infernum, & eſt Vita poſt mortem, quod ſint, convincemini, dum ignorantiam de ſtatu vitæ, in quo nunc eſtis, diſcutimus; quiſque enim primis diebus poſt mortem, non aliter ſcit, quam quod adhuc vivat in eodem Mundo, in quo prius, tempus enim præterlapſum eſt ſicut ſomnus, ex quo cum quis expergiſcitur, non ſentit aliter quam quod ſit ubi fuit; ſimile eſt cum vobis hodie, quare loquuti eſtis ſimiliter ut cogitaviſtis in Mundo priori: & Angeli excuſſerunt ignorantiam, & tunc ſe viderunt in alio Mundo, ac inter illos, quos non cognoverunt, & tunc exclamabant, oh ubi ſumus; & diximus, non amplius in Mundo naturali ſed in Mundo ſpirituali, & nos ſumus Angeli: tunc poſt evigilationem, dixerunt, ſi eſtis vos Angeli, monſtrate nobis Cælum, & reſpondebamus, moremini hic paulisper, & redibimus, & poſt ſemiſſem horæ reverſi vidimus illos exſpectantes nos, & diximus, ſequimini nos in Cælum, & ſequuti ſunt, & cum illis aſcendimus, & quia nos eramus cum illis, cuſtodes aperiebant portam, & immittebant; & nos diximus illis, qui in limine excipiebant advenas, explorate illos; & illi circumverterunt illos, & viderunt quod Occipitia illorum eſſent valde excavata; & tunc dixerunt, recedite ab hinc, quia jucundum amoris malefaciendi vobis eſt, & inde non conjuncti eſtis Cælo, cordibus enim veſtris negaviſtis Deum, & ſpreviſtis religionem: & nos tunc diximus illis, ne moremini, quia alioquin ejiciemini, & feſtinabant deorſum & abiverunt.

In via domum loquuti ſumus de cauſa, cur Occipitia illorum, quibus jucundum malefaciendi eſt, in hoc Mundo excavata ſint, & dixi hanc cauſam, quod homini duo Cerebra ſint, unum in Occipitio, quod vocatur Cerebellum, & alterum in Frontiſpicio, quod vocatur Cerebrum, & quod in Cerebello habitet amor voluntatis, & in Cerebro cogitatio intellectus, & quod dum cogitatio intellectus non ducit amorem voluntatis hominis, intima Cerebelli, quæ in ſe cæleſtia ſunt, concidant, inde Excavatio.

161. Tertium Memorabile. Quondam in Mundo Spirituali audivi ſonum ſicut Molæ, erat in Plaga ejus Septentrionali: primum miratus ſum quid hoc, ſed recordatus ſum, quod per Molam & Molere intelligatur ex Verbo inquirere quod in-

ſervit Doctrinæ, quare acceſſi ad locum, ubi auditus eſt ille Sonus, & cum prope eram, evaneſcebat ſonus; & tunc videbam lacunatum quid ſupra terram, ad quod patebat aditus per antrum, quo viſo deſcendi & intravi; & ecce erat Camera, in qua vidi Virum ſenem ſedentem inter libros, tenentem ante ſe Verbum, & inquirentem inde quid inſerviebat doctrinæ ejus; ſchedulæ jacebant circum, quibus inſervientia inſcripſit; in Camera contigua erant ſcribæ, qui ſchedulas colligebant, & illa quæ ſuper illis ſcripta erant, integræ chartæ mandabant. Quæſivi primum de Libris circum illum, dixit, quod omnes agerent de FIDE JUSTIFICANTE, profunde illi ex Suionia & Danemarchia, profundius illi qui ex Germania, & adhuc profundius illi qui ex Britannia, & profundiſſime illi qui ex Batavia; & addidit, quod in variis diſcrepent, ſed in Articulo de Juſtificatione & Salvatione per ſolam fidem, omnes conveniant. Poſtea dixit, quod ex Verbo nunc colligat hoc primum Fidei juſtificantis, quod Deus Pater exciderit gratia erga Genus humanum propter iniquitates ejus, & quod ideo Divina neceſſitas ad ſalvandum homines fuerit, ut fieret ſatisfactio, reconciliatio, propitiatio, mediatio per aliquem, qui in ſe ſuſciperet damnationem juſtitiæ, & quod hoc nullatenus potuerit fieri quam per unicum ſuum Filium; & quod poſtquam hoc factum eſt, apertus ſit acceſſus ad Deum Patrem propter Ipſum, nam dicimus, Pater miſerere noſtri propter Filium; & dixit, video & vidi quod hoc ſit ſecundum omnem rationem & ſcripturam, quomodo alioquin potuiſſet Deus Pater adiri, niſi per fidem in meritum Filii. Audivi hoc, & obſtupui, quod dixerit id eſſe ſecundum rationem & ſecundum ſcripturam, cum tamen eſt contra rationem & contra Scripturam, quod etiam aperte ei dixi: ille tunc in excandeſcentia zeli ſui regeſſit, quomodo potes ita loqui: quare aperui mentem, dicens, annon contra rationem eſt cogitare, quod Deus Pater exciderit gratia pro Genere humano, & reprobaverit & excommunicaverih illud; eſtne Divina Gratia attributum Divinæ Eſſentiæ, quare excidere gratia foret excidere Divina Eſſentia, & excidere Divina ſua Eſſentia foret non magis eſſe Deus, num poteſt Deus abalienari a Seipſo; crede mihi, quod Gratia a parte Dei, ſicut eſt infinita, etiam ſit æterna; gratia Dei a parte hominis poteſt amitti, ſi non recipit illam; ſi gratia a Deo recederet, actum foret cum Univerſo Cælo & cum univerſo Genere humano; quare permanet gratia a parte Dei in æternum, non modo erga Angelos & Homines, ſed etiam erga diabolos in Inferno: cum hoc ſecundum rationem eſt, cur dicis quod ad Deum Patrem unicus acceſſus ſit per fidem in meritum Filii, cum tamen perpetuus eſt per gratiam. Sed cur dicis acceſſum ad Deum Patrem propter Filium, & non per Filium, eſtne Filius Mediator & Salvator, cur non adis Ipſum Mediatorem & Salvatorem, eſtne Ille Deus & Homo, quis in terris adit immediate aliquem Cæſarem, Regem aut Principem, annon procurator & introductor erit, ſciſne quod Dominus in Mundum venerit, ut Ipſe introducat ad Patrem, & quod non detur niſi per Ipſum acceſſus, & quod hic acceſſus perpetuus ſit, quum immediate adis ipſum Dominum, quoniam Ipſe eſt in Patre & Pater in Ipſo; inquire nunc in Scriptura, & viſurus es, quod hoc ſit ſecundum illam, & quod tua via ad Patrem ſit contra illam, ſicut eſt contra rationem; dico tibi etiam, quod ſit protervitas ſcandere ad Deum Patrem, & non per Ipſum, qui in ſinu Patris eſt, & ſolus apud Illum, anne legiſti Joh. XIV: 6. His auditis Senex ille excanduit in tantum, ut exſiliret folio, & clamaret ad Scribas ſuos, ut me ejicerent, & cum actutum a me ipſo egreſſus ſum, projecit poſt me extra fores Librum, quem forte manus ejus apprehendit, & ille Liber erat Verbum.

162. QUARTUM MEMORABILE. Exorta eſt lis inter Spiritus, num quiſquam poſſit videre aliquod verum doctrinale Theologicum in Verbo, niſi a Domino: in eo convenerunt omnes, quod nemo poſſit niſi a Deo, *quia non poteſt homo ſumere quicquam, niſi ſit datum illi Cælo*, Joh. III: 27, quapropter litebatur, num aliquis pos-

poſſit, niſi adeat immediate Dominum; dixerunt ab una porte, quod Dominus directe adeundus ſit, quia eſt Verbum, ab altera parte, quod etiam videatur verum doctrinale, cum Deus Pater immediate aditur; quare declinabat lis in hoc primum, num alicui Chriſtiano liceat Deum Patrem immediate adire, & ſic ſcandere ſupra Dominum, & annon hoc ſit inſolentia & audacia indecens & temeraria, quia Dominus dicit, quod nemo *veniat ad Patrem niſi per Ipſum*, Joh. XIV: 6: ſed hoc reliquerunt, & dixerunt, quod homo poſſit videre verum doctrinale ex Verbo a ſuomet lumine naturali, ſed hoc rejectum eſt; quare inſtiterunt, quod videri poſſit ab illis, qui ad Deum Patrem orant; & lectum eſt coram illis aliquid ex Verbo, & tunc orabant ſuper genubus, ut Deus Pater illuſtraret illos, & ad verba quæ lecta coram illis ex Verbo, dixerunt, quod hoc & illud eſſet verum ibi, ſed erat falſum; ita aliquoties uſque ad tædium; tandem faſſi ſunt quod non poſſint: at ab altera, qui immediate adiverunt Dominum, videbant vera, & informabant illos. Poſt hanc litem ita diremtam, aſcenderunt aliqui ex Abyſſo, qui apparuerunt primum ſicut Locuſtæ, & poſtea ſicut homunciones; erant, qui in Mundo oraverunt ad Deum Patrem, & Juſtificationem per ſolam fidem confirmaverunt; erant iidem, de quibus in Apocalypſi Cap. IX: 1 ad 11, agitur; hi dicebant, quod videant id quod homo juſtificetur per ſolam fidem abſque operibus legis in clara luce, & quoque ex Verbo; interrogati ſunt per quam fidem, reſponderunt in Deum Patrem; ſed poſtquam explorati ſunt, dictum eſt illis e Cælo, quod ne quidem unum Verum doctrinale ex Verbo ſciant; at regeſſerunt, quod uſque videant Vera ſua, in luce; tunc dictum eſt illis, quod videant illa in luce fatua; quæſiverunt, quid eſt lux fatua, informati ſunt, quod lux fatua ſit lux confirmationis falſi, & quod illa lux correſpondeat luci, in qua ſunt Noctuæ & Veſpertitiones, quibus tenebræ ſunt lux, & lux ſunt tenebræ: hoc confirmabatur per id, quod cum ſpectabant ſurſum ad Cælum, ubi ipſa Lux, viderent tenebras, & cum ſpectabant deorſum ad Abyſſum, unde erant, viderent lucem. Ex hac confirmatione indignati dixerunt, quod ſic Lux & Tenebræ non ſint aliquid, ſed modo ſtatus oculi, ex quo dicitur quod lux ſit lux, & quod tenebræ ſint tenebræ; at oſtenſum eſt, quod Lux fatua, quæ eſt lux confirmationis falſi, illis eſſet, & quod lux eorum modo eſſet activitas mentis eorum oriunda ex igne concupiſcentiarum, non abſimilis luci ſelum, quorum oculi ex ardente appetitu murium in cellariis nocturno tempore apparent ſicut candelæ. His auditis irati dixerunt, quod non ſint feles, nec ſicut feles, quia poſſunt ſi volunt; ſed quia timebant interrogationem, cur non volunt, receſſerunt; & demiſerunt ſe in Abyſſum ſuam; vocantur etiam illi qui ibi, & ſimiles illis, ab Angelis Noctuæ & Veſpertiliones, & quoque Locuſtæ.

Dum illi venerunt ad ſuos in Abyſſo, & narraverunt quod Angeli dixerint, quod nos non ſciamus ullum verum doctrinale, ne quidem unum, & quod appellaverint nos Noctuas, Veſpertitiones, & Locuſtas, factus eſt ibi tumultus, & dicebant, oremus a Deum, ut liceat aſcendere, & clare demonſtrabimus, quod nobis ſint multa vera doctrinalia, quæ ipſi Archangeli agnoſcent; & quia orabant ad Deum, data eſt venia, & aſcenderunt uſque ad trecentos, & viſi ſupra terram dixerunt; nos fuimus in Mundo Celebres & Famigerati, quia novimus & docuimus arcana Juſtificationis per ſolam fidem, & ex confirmationibus non modo vidimus lucem, ſed etiam illam ſicut jubar coruſcans, & ſimiliter nunc in noſtris cellis, & tamen audivimus ex ſociis noſtris, qui apud vos fuerunt, quod lux illa non eſſet lux ſed tenebræ, ex cauſa quia non habemus, ut dixiſtis, ullum Verum doctrinale ex Verbo; ſcimus quod omne verum Verbi luceat, & credidimus quod inde ſit coruſcatio noſtra dum arcana noſtra profunde meditati ſumus; quare demonſtrabimus quod Vera ex Verbo nobis ſint in multa copia; & dixerunt, annon hoc Verum nobis eſt, quod ſit Trinitas, Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, & quod in Trinitatem credendum ſit: annon hoc Verum nobis eſt, quod Chriſtus ſit noſ-

noſter Redemptor & Salvator: annon hoc Verum nobis eſt, quod Chriſtus ſolus ſit Juſtitia, & quod Ipſi Soli ſit Meritum, & quod injuſtus & impius ſit, qui ſibi aliquid meriti & juſtitiæ Ipſius vult addicare: annon hoc Verum nobis eſt, quod nemo mortalium aliquod bonum ſpirituale poſſit facere a ſeipſo, & quod omne bonum, quod in ſe bonum eſt, ſit a Deo: annon hoc Verum nobis eſt, quod detur bonum meritorium, & hypocriticum, & quod illa bona ſint mala: annon hoc Verum nobis eſt, quod uſque bona opera facienda ſint: annon hoc Verum nobis eſt, quod fides ſit, & quod in Deum credendum ſit, & quod quiſque ſicut credit, vitam habeat, præter plura alia ex Verbo; quis veſtrum poteſt negare unum ex illis, & tamen dixiſtis, quod nobis in noſtris palæſtris non ſit aliquod Verum, ne quidem unum, annon nobis ingratiis talia objeciſtis. Sed tunc reſponſum tulerunt, omnia illa, quæ attuliſtis, in ſe ſunt vera, ſed apud vos falſificata, quæ ex principio falſo trahunt, quod ſint falſa. Quod ita ſit, etiam demonſtrabimus ad oculum; eſt non procul ab hinc locus, in quem lux e Cælo directe influit; eſt in Medio ibi Menſa, dum ſuper illa aliqua charta, cui Verum ex Verbo inſcriptum eſt, ponitur, charta illa ex Vero inſcripto lucet ſicut Stella; inſcribite ergo veſtra Vera chartæ, & ponatur illa ſuper Menſa, & videbitis: fecerunt ita, & dederunt illam cuſtodi, qui poſuit illam ſuper Menſa, qui tunc dixit illis, removete vos, & ſpectate ad menſam, & removerunt ſe & ſpectabant, & ecce Charta illa lucebat ſicut ſtella; & tunc dixit cuſtos, videtis quod Vera ſint, quæ vos chartæ inſcripſiſtis; ſed accedite propius & intuitum veſtrum figite in charta, & fecerunt ita, & ſubito tunc lux diſparata eſt, & charta facta eſt nigra, ſicut fuligine fornacis ſuperrinducta: & porro dixit cuſtos, tangite chartam manibus veſtris, ſed cavete, ne tangatis ſcripturam; & cum fecerunt ita, flamma erupit & conſumſit: poſtquam hæc viſa ſunt, dicebatur illis, ſi tetigiſſetis ſcripturam, audiviſſetis ſtrepitus, & combuſſiſſetis digitos veſtros: & tunc dictum eſt illis ab adſtantibus a tergo, vidiſtis nunc, quod veritates, quibus abuſi eſtis ad confirmandum Juſtificationis veſtræ Arcana, ſint Veritates in ſe, ſed quod ſint Veritates falſificatæ in vobis: illi tunc ſuſpexerunt, & apparuit illis Cælum ſicut ſanguis, & poſtea ſicut caligo; & illi viſi ſunt coram oculis Spirituum angelicorum, quidam ſicut veſpertitiones, quidam ſicut noctuæ, & aliqui ſicut bubones, ac aufugerunt in tenebras ſuas, quæ coram oculis illorum fatue lucebant.

Spiritus Angelici, qui aderant, mirati ſunt, quia de loco illo & de menſa ibi non aliquid prius ſciverunt: & tunc vox ad illos e meridionali Plaga venit, dicens, accedite huc, & videbitis adhuc mirabilius; & acceſſerunt, & intraverunt in Cameram, cujus parietes fulgebant ſicut ex auro, & viderunt ibi quoque Menſam, ſuper qua repoſitum jacuit Verbum, circum cinctum lapidibus pretioſis in forma cæleſti: & dixit Angelus cuſtos, dum aperitur Verbum, emicat inde lux candoris ineffabilis, & tunc ſimul ex lapidibus pretioſis apparet ſicut Iris ſupra & circum Verbum: quando aliquis Angelus e Cælo tertio illuc venit, apparet ſupra & circum Verbum Iris in plano rubro; dum Angelus e Cælo ſecundo illuc venit, & ſpectat, apparet Iris in plano cæruleo; dum Angelus ex ultimo cælo illuc venit & ſpectat, apparet Iris in plano candido; dum aliquis ſpiritus bonus illuc venit & ſpectat, apparet variegatio lucis ſicut marmoris; quod ita ſit, etiam ad oculum illis oſtenſum eſt. Porro dixit Angelus cuſtos, ſi quis accedit qui falſificaverat Verbum, tunc primum diſſipatur ſplendor; & ſi appropinquat, & figit oculos in Verbo, fit ſicut ſanguis circum, & tunc monetur ut diſcedat, quia periculum eſt. At quidam, qui in Mundo fuerat Auctor anteſignanus doctrinæ de Sola Fide juſtificante, audacter acceſſit, & dixit, ego, dum fui in Mundo, non falſificavi Verbum, exaltavi una cum fide etiam Charitatem, & docui quod homo in ſtatu fidei, in quo facit charitatem & ejus opera, a ſpiritu Sancto renovetur, regeneretur & ſanctificetur, tum quod Fides tunc non detur ſolitaria, hoc eſt, abſque bo-

bonis operibus, ſicut non arbor bona abſque fructu, ſol abſque luce, & ignis abſque calore; & quoque culpavi illos, qui dixerunt, quod bona opera non eſſent neceſſaria; ac inſuper quod præcepta Decalogi, & quoque pœnitentiam magnifecerim, & quod ſic mirabili modo omnia Verbi inapplicuerim Articulo de Fide, quam uſque ſolam ſalvificam eſſe detexi & demonſtravi. Ille in fiducia aſſertionis ſuæ, quod non falſificaverit Verbum, acceſſit ad Menſam, & contra monitum Angeli tetigit Verbum; at tunc ſubito effluxit ignis cum fumo ex Verbo, & facta eſt exploſio cum fragore, ex quo ille conjectus ad angulum Cameræ, & ibi jacuit per horulam ſicut mortuus. Hoc mirati ſunt Spiritus Angelici, ſed dictum eſt illis, quod hic Præſul præ reliquis exaltaverit bona charitatis ſicut procedentia ex Fide, ſed quod uſque non intellexerit alia Opera quam politica, quæ etiam vocantur moralia & civilia, quæ propter Mundum & proſperitatem ibi facienda ſunt, & minime propter ſalutem; tum etiam quod ſuppoſuerit opera inconſpicua a Spiritu Sancto, de quibus homo nihil ſcit, quæ ingenerantur Fidei in ſtatu ejus.

Tunc loquuti ſunt Spiritus Angelici inter ſe de falſificatione Verbi, & in eo convenerunt, quod falſificare Verbum, ſit deſumere ex illo Vera, & applicare illa ad confirmandum falſa, quod eſt extrahere illa ex Verbo extra illud, & occidere; ut pro exemplo, omnia illa Vera, quæ ſupra ab illis ex Abyſſo allata ſunt, applicare ad Fidem hodiernam, & explicare ex illa; quæ quod imprægnata ſit falſis, in ſequentibus demonſtrabitur. Tum deſumere ex Verbo hoc Verum, quod Charitas excercenda ſit, & quod bonum proximo faciendum ſit, ſi tunc quis confirmat quod faciendum ſit, ſed non ſalutis cauſa, quoniam omne bonum ab homine non eſt bonum quia meritorium, ille trahit id Verum ex Verbo extra Verbum, & trucidat illud, quoniam Dominus in Verbo ſuo injungit cuivis homini, qui ſalvari vult, amare proximum & ex amore illi facere bonum. Similiter in reliquis.

DE DIVINA TRINITATE

163. Actum eſt de Deo Creatore, & tunc ſimul de Creatione, & poſtea de Domino Redemptore & ſimul tunc de Redemptione, & demum de Spiritu Sancto, & ſimul de Divina Operatione, & quia ſic de Deo Triuno actum eſt, neceſſum eſt ut etiam de Divina Trinitate, quæ in Orbe Chriſtiano nota eſt, & tamen ignota, agatur; per hanc enim ſolam comparatur juſta idea de Deo, ac juſta idea de Deo, eſt in Eccleſia ſicut adytum & ara in Templo; ac ſicut Corona ſuper capite, & ſceptrum in manu Regis ſedentis ſuper Throno, inde enim pendet, ſicut catena a ſuo capite, univerſum corpus Theologicum, & ſi credere vultis, quiſque ſortitur ſuum locum in Cælis ſecundum ideam Dei, eſt enim illa ſicut Lapis lydius, per quem exploratur aurum & argentum, hoc eſt, bonum & verum, qualia hæc ſunt apud hominem; non enim datur apud illum aliquod bonum ſalviſicum niſi a Deo, nec aliquod verum, quod non quale ſuum trahit ex ſinu boni. Sed ut ambobus oculis videatur, quid Divina Trinitatis, Expoſitio ejus in Articulos diſpeſcenda eſt, qui ſequentes erunt, I. *Quod Divina Trinitas ſit, quæ eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* II. *Quod tres illi, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſint tria Eſſentialia unius Dei, quæ faciunt unum, quemadmodum Anima, Corpus & Operatio apud hominem.* III. *Quod ante Mundum Creatum non fuerit hæc Trinitas, ſed quod poſt Mundum creatum, quando Deus incarnatus eſt, proviſa & facta ſit, & tunc in Domino Deo Redemptore & Salvatore Jeſu Chriſto.*

Chriſto. IV. *Quod Trinitas Divinarum Perſonarum ab æterno, ſeu ante Mundum creatum, ſit in ideis cogitationis Trinitas Deorum, & quod hæc non aboleri poſſit per confeſſionem oralem unius Dei.* V. *Quod Trinitas Perſonarum ignota fuerit in Eccleſia Apoſtolica, ſed quod excluſa ſit a Concilio Nicæno, & inde introducta in Eccleſiam Romano Catholicam, & ab hac in Eccleſias ſeparatas ab illa.* VI. *Quod ex Trinitate Nicæna & ſimul Athanaſiana, exorta ſit Fides, quæ totam Eccleſiam Chriſtianam perverterat.* VII. *Quod inde ſit illa abominatio deſolationis, & afflictio qualis non fuit nec futura eſt, quas Dominus apud Danielem & Evangeliſtas & in Apocalypſi prædixerat.* VIII. *Tum hoc, quod niſi Novum Cœlum, & Nova Eccleſia a Domino conderentur, non conſervaretur ulla caro.* IX. *Quod ex Trinitate Perſonarum, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus, ſecundum Symbolum Athanaſianum, plures abſonæ ac heterogeneæ ideæ de Deo exſtiterint, quæ ſunt phantaſiæ & abortus.* Hæc nunc ſingulatim explicabuntur.

164. I. QUOD DIVINA TRINITAS SIT, QUÆ EST, PATER FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS. Quod Divina Trinitas ſit, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, conſtat manifeſte ex Verbo, & ex his ibi „ *Angelus Gabriel dixit ad Mariam,* SPIRITUS SANCTUS *veniet ſuper te, &* VIRTUS ALTISSIMI *obumbrabit te, unde quod naſcitur ex te Sanctum, vocabitur* FILIUS DEI, Luc. I: 35; hic tres, Altiſſimus, qui eſt Deus Pater, Spiritus Sanctus, & Filius Dei, nominantur. *Cum baptizatus eſt Jeſus, ecce aperti ſunt Cœli, & Johannes vidit* SPIRITUM SANCTUM, *deſcendentem ſicut Columbam, venientem ſuper Ipſum, & vox e Cœlo dicens, Hic eſt* FILIUS MEUS *dilectus, in Quo complacuit Mihi,* Matth. III: 16. 17. Marc. I: 10. 11. Joh. I: 32. Adhuc apertius ex his Domini verbis ad Diſcipulos „ *Euntes diſcipulos facite omnes gentes, baptizantes illos in nomine* PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, Matth. XXVIII: 19; & inſuper ex his apud Johannem, *Tres ſunt qui teſtificantur in Cœlo,* PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS, Epiſt. I: Cap. V: 7. Et præter hæc, quod Dominus oraverit ad Patrem ſuum, & quod loquutus de Ipſo, & cum Ipſo, & quod dixerit, quod Spiritum Sanctum miſſururus ſit, & quoque quod miſerit. Ac inſuper, quod Apoſtoli in Epiſtolis ſuis frequenter nominaverint & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Ex his patet, quod Divina Trinitas ſit, quæ eſt, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

165. Sed quomodo illa intelligenda ſunt, ſive quod tres Dii ſint, qui eſſentia & inde nomine unus Deus ſunt, ſive quod tria objecta unius ſubjecti, ita quod ſint modo qualitates aut attributa unius Dei, quæ ita nominantur, ſive aliter, Ratio ſibi relicta nullatenus poteſt videre; ſed quid conſilii, non datur aliud, quam ut homo adeat Dominum Deum Salvatorem, & ſub Ipſius auſpicio legat Verbum, eſt enim ille Deus Verbi, & illuſtrabitur, & videbit Veritates, quas Ratio etiam agnoſcet. At vero, ſi non adis Dominum, ſi millies legeris Verbum, & videris ibi Divinam Trinitatem, & quoque Unitatem, nequicquam aliud intellecturus es, quam quod tres Divinæ Perſonæ ſint, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus, & ſic tres Dii; at quia hoc repugnat communi perceptioni omnium hominum in Univerſo Mundo, ideo ad evitandum contumelias, invenerunt, quod tametſi tres ſunt in veritate, uſque fides efflagitet, ut non tres Dii nominentur, ſed Uuus; ac inſuper, ne vituperiis circumfundantur, quoad hoc imprimis incarcerabitur intellectus, & ſub obedientia fidei vinctus tenebitur; & hoc erit ſanctum ex Chriſtiano Ordine in Eccleſia Chriſtiana poſthac. Talis fætus paralyticus natus eſt ex eo, quod non ſub auſpicio Domini legerint Verbum, & omnis qui non ſub Ipſius auſpicio legit Verbum, ille legit illud ſub auſpicio propriæ intelligentiæ, & hæc eſt ſicut noctua in talibus quæ in ſpirituali luce ſunt, qualia ſunt omnia eſſentialia Eccleſiæ; & hic dum legit illa quæ Trinitatis ſunt in Verbo, & ex illis cogitat, quod tametſi tres, uſque unum ſint, apparet hoc illi ſimile reſponſo ex tripode, quod quia non intelligit, volvit illud inter dentes, nam ſi poneret illud

lud ante oculos, foret ænigma, quod quo plus fatagit evolvere, eo plus se intricat tenebris, usque dum incipit de illo absque intellectu cogitare, quod simile est sicut videre absque oculo; in summa, legere Verbum sub auspicio propriæ intelligentiæ, quod fit omnibus, qui non agnoscunt Dominum pro Deo Cæli & Terræ, & inde Ipsum unice adeunt & colunt, assimilari possunt pueris ludentibus, qui panniculetum ligant ante oculos, & volunt recta gradiri, & quoque credunt quod recta gradiantur, & tamen pede a pede declinant ad latus, & tandem in oppositum pergunt, & impingunt in lapidem, & cadunt. Et quoque sunt similes naucleris, qui absque pyxide magnetica navigant, & dirigunt navem in scopulos, & pereunt: & quoque sunt sicut ille, qui perlatum campum in opaco nimbo ambulat, & videt scorpium & credit esse avem, & hanc vult palma arripere & elevare, & tunc vulnere lethali icitur: similis etiam est mergo aut milvo, qui videt paucum tergi a pisci magno super aquas, ac involat ac infigit ei rostrum, ac a pisce subtrahitur & suffocatur: & quoque est sicut, qui labyrinthum absque duce aut filo intrat, & quo interius penetrat, eo plus sibi obliterat vias exitus. Homo qui non sub auspicio Domini legit Verbum, sed sub auspicio propriæ intelligentiæ, credit se lynceum, & plus ocularem quam Argus, cum tamen intus ne hilum veri videt, sed modo falsum, quod cum sibi persuasit, apparet hoc illi sicut cynosura, ad quam omnia vela cogitationis suæ dirigit, & tunc non videt vera plus quam talpa, & si videt, inflectit illa ad favorem phantasiæ suæ, & sic pervertit & falsificat sancta Verbi.

166. II. Quod Tres illi, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, sint tria Essentialia unius Dei, quæ faciunt unum, quemadmodum Anima, Corpus et Operatio apud hominem. Dantur Essentialia unius rei communia, & quoque particularia, & hæc cum illis faciunt unam Essentiam; Essentialia communia unius hominis, sunt ejus anima, corpus & operatio; quod hæc faciant unam Essentiam, videri potest ab hoc, quod unum sit ab altero, & propter alterum, in continua serie, inchoat enim homo ab anima, quæ est ipsa essentia seminis, hæc non modo initiat, sed etiam producit in suo ordine illa quæ corporis sunt, & postea, quæ ex duobus illis, anima & corpore simul procedunt, quæ vocantur operationes, quare ex productione unius ab altero, & inde insitione & conjunctione, patet quod tria hæc sint unius essentiæ, quare vocantur tria essentialia.

167. Quod in Domino Deo Salvatore illa tria Essentialia fuerint & sint, videlicet Anima, Corpus & Operatio, quisque agnoscit; quod Anima Ipsius fuerit a Jehovah Patre, non potest nisi ab Antichristo negari, nam in Verbo utriusque Testamenti vocatur Filius Jehovæ, Filius Dei Altissimi, Unigenitus; est itaque Divinum Patris, ut Anima in homine, primum Essentiale Ipsius; quod Filius, quem Maria peperit, sit Corpus Divinæ Illius Animæ, inde sequitur, non aliud enim quam Corpus ab anima conceptum & derivatum in utero matris paratur, hoc itaque est alterum Essentiale; quod Operationes faciant tertium Essentiale, est quia illæ procedunt ex anima & corpore simul, & quæ procedunt sunt ejusdem essentiæ cum illis quæ producunt. Quod tria Essentialia, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus Sanctus, in Domino unum sint, sicut anima, corpus & operatio in homine, constat manifeste ex Domini verbis, quod Pater & Ipse unum sint, & quod Pater in Ipso & Ipse in Patre; similiter quod Ipse & Spiritus Sanctus, quoniam Spiritus Sanctus est Divinum procedens ex Domino a Patre, ut supra n. 153. 154. plene ex Verbo demonstratum est; quare hoc iterum demonstrare, foret rumen superfluum, & sicut onerare mensam cibis post satietatem.

168. Quando dicitur, quod Pater, Filius & Spiritus Sanctus, sint tria Essentialia unius Dei, quemadmodum anima, corpus & operatio apud hominem, coram Mente humana apparet sicut tres Personæ sint tria illa Essentialia, quod non dabile est; sed dum intelligitur, quod Divinum Patris, quod facit Animam, & Divinum Filii, quod facit Corpus, & Divinum Spiritus Sancti seu Divinum pro-

cedens, quod facit Operationem, ſint tria Eſſentialia unius Dei, tunc cadit id in intellectum: eſt enim Deus Pater ſuum Divinum, Filius ex Patre ſuum, & Spiritus Sanctus ex utroque ſuum, quæ quia unius eſſentiæ ac unanima ſunt, faciunt unum Deum. Si autem tria illa Divina dicuntur Perſonæ, & unicuique attribuitur ſua proprietas, ut Patri imputatio, Filio mediatio, & Spiritui Sancto operatio, tunc fit Eſſentia Divina diviſa, quæ tamen eſt una & individua, ita non aliquis ex tribus in plenitudine eſt Deus, ſed quiſque in potentia ſubtriplicata, quod intellectus ſanus non poteſt non rejicere.

169. Quis itaque non poteſt percipere Trinitatem in Domino, ex Trinitate in unoquovis homine, in unoquovis homine eſt anima, corpus & operatio, ſimiliter in Domino, *in Domino enim habitat omnis plenitudo Divitatis corporaliter*, ſecundum Paulum, ad Coloſſ. II: 9, quare Trinitas in Domino eſt Divina, in homine autem humana. Quis non videt, quod in hoc myſtico, quod tres Perſonæ Divinæ ſint, & tamen unus Deus & quod hic Deus, licet unus eſt, uſque non ſit una Perſona, Ratio non aliquam partem habeat, ſed quod inſopita uſque adigat os loqui ſicut, pſittacus; quando Ratio inſopita eſt, quid tunc loquela oris niſi inanimata; dum os eloquitur, a quo Ratio abit in diverſum & diſſentit, quid tunc loquela niſi fatua. Hodie eſt Ratio humana quoad Divinam Trinitatem vincta, ſicut vinctus manicis & pedicis in carcere, & poteſt comparari virgini Veſtæ infoſſæ terræ, quia ſacrum ignem exſtinxit; cum tamen Divina Trinitas in mentibus hominum Eccleſiæ ſicut lampas lucere debet, quoniam Deus in Trinitate ſua & in hujus unitate eſt omne in omnibus ſanctitatibus Cæli & Eccleſiæ. Quid enim foret ex Anima facere unum Deum, ex Corpore alterum, & ex Operatione tertium, aliter quam ex tribus illis Eſſentialibus unius hominis facere tres partes in ſe diſtinctas, & quid hoc niſi eum truncare & occidere.

170. III. Quod ante Mundum creatum non fuerit hæc Trinitas, sed quod post Mundum creatum, quando Deus incarnatus est, provisa et facta sit, et tunc in Domino Deo Redemptore et Salvatore Jesu Christo. In Eccleſia Chriſtiana hodie agnoſcitur Divina Trinitas ante Mundum creatum, quæ eſt, quod Jehovah Deus ab æterno genuerit Filium, & quod ex utroque tunc exiverit Spiritus Sanctus, & quod quiſque ex Tribus illis per ſe aut ſingulatim ſit Deus, quia quiſque eſt una Perſona ſubſiſtens ex ſe; ſed hoc, quia non cadit in ullam rationem, vocatur myſterium, in quod ſolum intrari poteſt per hoc, quod Tribus illis una Divina Eſſentia ſit, per quam intelligitur Æternitas, Immenſitas, Omnipotentia, & inde æqualis Divinitas, Gloria & Majeſtas; ſed quod hæc Trinitas ſit trium Deorum, & ſic non aliqua Trinitas Divina, in ſequentibus demonſtrabitur; at vero quod Trinitas, quæ etiam eſt Patris, Filii & Spiritus Sancti, quæ poſtquam Deus incarnatus eſt, ita poſt Mundum creatum, proviſa & facta eſt, ſit Divina Trinitas, quia eſt unius Dei, ex cunctis quæ præcedunt, evidens eſt. Quod Divina hæc Trinitas ſit in Domino Deo Redemptore & Salvatore Jeſu Chriſto, eſt quia tria Eſſentialia unius Dei, quæ unam Eſſentiam faciunt, in Ipſo ſunt: quod in Ipſo omnis plenitudo Divinitatis ſit, ſecundum Paulum, conſtat etiam ex Ipſius Domini verbis, quod omnia Patris ſint Ipſius, & quod Spiritus Sanctus non loquatur ex ſe ſed ex Ipſo; ac inſuper, quod ex ſepulchro, cum reſurrexit, deſumſerit totum Humanum ſuum Corpus tam quoad Carnem quam quoad Oſſa, Matth. XXVIII: 1 ad 8. Marc. XVI: 5. 6. Luc. XXIV: 1. 2. 3. Joh. XX: 11 ad 15, ſecus ac omnis alius homo; quod etiam ad vivum teſtatus eſt Diſcipulis, dicens „ *Videte manus meas & pedes meos, quod Ipſe Ego ſim, palpate Me & videte, nam Spiritus non carnem & oſſa habet, ſicut Me videtis habere*, Luc. XXIV: 39: ex hoc omnis homo poteſt convinci, ſi vult, quod Humanum Domini ſit Divinum, proinde quod in Ipſo Deus ſit Homo & Homo Deus.

171. Trinitas, quam Eccleſia Chriſtiana hodierna amplexa eſt, & quam in fi-

dem

dem ſuam intulit, eſt quod Deus Pater genuerit Filium ab æterno, & quod Spiritus ſanctus ab utroque tunc exiverit, & quod quiſque fit Deus per ſe: hæc Trinitas non aliter a mentibus humanis concipi poteſt, quam ut Triarchia, ac ſicut Regimen trium Regum in uno Regno, aut trium Ducum ſuper uno Excercitu, aut trium Dominorum in una domo, quorum cuique ſit æqualis poteſtas, quid inde niſi deſtructio: & ſi quis hanc Triarchiam vult figurare aut adumbrare coram viſu mentis, & ſimul tunc illorum unitatem, non aliter poteſt illam ſuæ contemplationi ſiſtere, quam ſicut hominem trium capitum ſuper uno corpore, aut trium corporum ſub uno capite; talis monſtrorſa imago Trinitatis apparitura eſt coram illis, qui credunt tres Perſonas Divinas, & quamlibet Deum per ſe, & illas conjungunt in unum Deum, & negant quod Deus quia eſt unus ſit una Perſona. Quod Filius Dei ab æterno genitus deſcenderit & aſſumſerit Humanum, comparari poteſt cum fabulis Veterum, quod Animæ humanæ ab initio Mundi creatæ ſint, & quod intrent in corpora & fiant homines; tum etiam abſonis illis, quod unius anima tranſeat in alterum, ſicut plures in Eccleſia Judaica crediderunt, ut quod anima Eliæ in corpus Johannis Baptiſtæ, & quod David rediturus ſit in ſuum aut alterius corpus, & regnaturus ſuper Iſraelem & Judam, quia dicitur apud Ezechielem *Excitabo ſuper illos Paſtorem unum, qui paſcet illos, ſervum meum Davidem, hic erit illis in Paſtorem, & Ego Jehovah ero illis in Deum, & David princeps in medio eorum*, Cap. XXXIV: 23. 24. 25, præter alibi; non ſcientes, quod per Davidem ibi intelligatur Dominus.

172. IV. QUOD TRINITAS DIVINARUM PERSONARUM AB ÆTERNO, SEU ANTE MUNDUM CREATUM, SIT IN IDEIS COGITATIONIS TRINITAS DEORUM, ET QUOD HÆC NON ABOLERI POSSIT PER CONFESSIONEM ORALEM UNIUS DEI. Quod Trinitas Divinarum Perſonarum ab æterno ſit Trinitas Deorum, manifeſte conſtat ex his in Symbolo Athanaſiano; *Alia eſt Perſona Patris, alia Filii, & alia Spiritus ſancti: Deus & Dominus eſt Pater, Deus & Dominus eſt Filius, ac Deus & Dominus eſt Spiritus Sanctus; ſed tamen non tres Dii & Domini ſunt, ſed unus Deus & Dominus: quia ſicut ſingulatim unamquamque Perſonam Deum & Dominum confiteri, Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos aut tres Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur:* hoc Symbolum ut Æcumenicum ſeu univerſale a tota Eccleſia Chriſtiana receptum eſt, & omne quod hodie ſcitur de Deo & agnoſcitur, inde eſt; quod ab illis, qui fuerunt in Concilio Nicæno, a quo ſymbolum, quod vocatur Athanaſianum, ut fœtus poſthumus, prodiit, non alia Trinitas, quam Trinitas Deorum, intellecta fuerit, quiſque qui modo apertis oculis illud legit, videre poteſt: quod Trinitas Deorum non modo ab illis intellecta fuerit, ſed etiam quod non alia Trinitas in Chriſtiano Orbe intelligatur, ſequitur, quia inde eſt omnis cognitio de Deo, & quiſque manet in fide verborum ibi. Quod non alia Trinitas quam Trinitas Deorum hodie in Chriſtiano Orbe intelligatur, provoco ad quemcunque, tam Laicum quam Clericum, tam ad laureatos Magiſtros & Doctores, quam ad conſecratos Epiſcopos & Archiepiſcopos, & quoque ad purpuratos Cardinales, imo ad ipſum Pontificem Romanum; conſulat ſe quiſque, & tunc eloquatur ex ideis mentis ſuæ; ex verbis hujus univerſaliter receptæ Doctrinæ de Deo, hoc tam manifeſtum & diaphanum eſt, ſicut aqua per Chryſtallinum Schyphum; ut quod ſint tres Perſonæ, & unaquævis illarum ſit Deus & Dominus; tum quod ex Veritate Chriſtiana ſingulatim unamquamque Perſonam Deum & Dominum debeant confiteri ſeu agnoſcere, ſed quod Religio ſeu Fides Catholica aut Chriſtiana prohibeat tres Deos & Dominos dicere ſeu nominare; & ſic quod Veritas & Religio, ſeu veritas & fides, non res una ſint, ſed res duæ ſibi contrariantes. Quod autem adjectum ſit, quod non tres Dii & Domini ſint, ſed unus Deus & Dominus, factum eſt, ne coram Univerſo Mundo exponerentur riſui, nam quis non cachinnaret ad tres Deos; ſed quis non videt contradictionem in adjecto. Si autem dixiſſent,

ſent, quod Divina Eſſentia ſit Patri, Divina Eſſentia Filio, & Divina Eſſentia Spiritus Sancto, ſed quod non tres Eſſentiæ Divinæ ſint, ſed una & individua, tunc myſterium illud explicabile eſſet, videlicet dum per Patrem intelligitur Divinum a quo, per Filium Divinum Humanum inde, & per Spiritum Sanctum Divinum procedens, quæ tria Unius Dei ſunt; aut ſi per Divinum Patris ſimile intelligitur quod apud hominem per Animam, per Divinum Humanum ſimile quod per Corpus illius animæ, & per Spiritum Sanctum ſimile quod per Operationem, quæ ab utroque procedit, tunc intelliguntur tres eſſentiæ, quæ unius ejuſdemque Perſonæ ſunt, & ſic ſimul unam & individuam Eſſentiam faciunt.

173. Quod idea trium Deorum non aboleri poſſit per Confeſſionem oralem unius Dei, eſt quia illa a pueritia inſeminata eſt memoriæ, & omnis homo ex illis quæ ibi ſunt, cogitat; Memoria apud homines eſt ſicut Ventriculus ruminatorius apud aves & beſtias, hæ in illum ingerunt cibos, quibus ſucceſſive alantur, & per vices illos inde depromunt, & demittunt in ipſum Ventriculum, in quo cibi illi digeruntur, & ad omnes uſus corporis diſpenſantur; Intellectus humanus eſt hic Ventriculus, ſicut Memoria eſt prior. Quiſque videre poteſt, quod idea trium Perſonarum Divinarum ab æterno, quæ eadem eſt cum idea trium Deorum, per oralem confeſſionem unius Dei non aboleri poſſit, ſolum ex eo, quod nondum abolita ſit, & quod ſint inter Celebres, qui non volunt ut aboleatur, nam inſtant quod tres Perſonæ Divinæ Deus unus ſint, ſed refractarie negant, quod Deus, quia unus eſt, etiam ſit una Perſona; ſed quis Sapiens non ſecum cogitat, quod omnino per Perſonam non intelligatur perſona, ſed prædicatio alicujus qualitatis, at quænam non ſcitur, & quia non ſcitur, manet inſeminatum memoriæ a pueritia, ſicut radix arboris in terra, e qua, ſi exſcinditur, uſque enaſcitur ſurculus: ſed mi amice, non modo abſcinde illam arborem, ſed etiam exſtirpa radicem ejus, & tunc horto tuo implanta arbores boni fructus; cave itaque ne menti tuæ inſideat idea trium Deorum, & os, cui nulla idea ineſt, ſonet unum Deum, quid tunc Intellectus ſupra memoriam, qui cogitat tres Deos, ac Intellectus infra illam, ex quo os eloquitur unum Deum, ſimul, quam ſicut hariolus ſuper theatro, qui poteſt duas perſonas agere, tranſcurrendo ab una parte in alteram, & ab una parte aliquid dicere, & ab altera contradicere, & ſic altercando ſe vocare hic ſapientem & ſe illic dementem, quid inde reſultat aliud, quam ut dum ſtat in medio, & ſpectat utrinque, cogitet, quod unum & alterum non ſit aliquid, & ſic forſitan, quod non ſit unus Deus, nec quod ſint tres, ita nullus; naturaliſmus hodie regnans non ex alia origine eſt. In Cælo nemo poteſt edicere Trinitatem Perſonarum quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus, ipſa enim aura cæleſtis, in qua cogitationes illorum, ſicut ſoni in noſtro aere, volant & undulant, contranititur; ſed ſolus hypocrita ibi id poteſt, verum ſonus loquelæ ejus in aura cæleſti ſtridet ſicut dens colliſus denti, aut ſtrepit ſicut corvus volens canere ſicut oſcinis. Audivi etiam e Cælo, quod abolere fidem per confirmationes menti inſatam pro Trinitate deorum per confeſſionem oralem unius Dei, tam impoſſibile ſit, ſicut eſt traducere arborem per ſemen ejus, aut mentum hominis per capillum barbæ ejus.

174. V. Quod Trinitas Personarum ignota fuerit in Ecclesia Apostolica, sed quod exorta sit a Concilio Nicæno, et inde introducta in Ecclesiam Romano-Catholicam, et ab hac in Ecclesias separatas ab illa. Per Eccleſiam Apoſtolicam intelligitur non modo Eccleſia, quæ variis in locis fuit tempore Apoſtolorum, ſed etiam binis & trinis ſæculis poſt illorum tempora: ſed tandem inceperunt e cardine ſuo evellere januam Templi, & ſicut fures irrumpere in adytum ejus; per Templum intelligitur Eccleſia, per Januam Dominus Deus Redemptor, & per Adytum Ipſius Divinitas; dicit enim Jeſus, amen dico *vobis, qui non ingreditur per Januam in Ovile, ſed* ascendit aliunde, *fur & latro eſt: Ego*

ſum

fum Janua, per Me ſi quis introiverit, ſalvabitur. Hoc facinus factum eſt ab Ario & ejus aſſeclis; quapropter a Conſtantino Magno convocatum eſt Concilium in Nicæam Urbem in Bethynia, & a convocatis ibi, ad ejiciendum damnoſam Arii hæreſin, inventum, concluſum & ſancitum eſt, quod Tres Perſonæ Divinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ab æterno fuerint, quarum cuique perſonalitas, exiſtentia & ſubſiſtentia per ſe & in ſe eſſet; tum, quod Secunda Perſona, ſeu Filius, deſcenderit & aſſumſerit Humanum, & Redemptionem fecerit, & quod inde Humano Ipſius per Unionem hypoſtaticam Divinitas, & quod per hanc unionem Ipſi eſſet arcta affinitas cum Deo Patre; ex illo tempore cæperunt glomeres nefandarum hæreſium de Deo, & de Perſona Chriſti, e terra evolvi, & Antichriſti extollere caput, ac dividere Deum in tres, & Dominum Salvatorem in duos, & ſic deſtruere Templum a Domino per Apoſtolos erectum, & hoc eouſque, dum non lapis ſuper lapide, qui non diſſolutus, relinqueretur, ſecundum Ipſius verba, Matth. XXIV: 2, ubi per Templum non modo intelligitur Templum Hieroſolymitanum, ſed etiam Eccleſia, de cujus conſummatione ſeu fine in toto illo Capite agitur. Sed quid aliud a Concilio illo, & a Sequentibus, quæ Divinitatem ſimiliter tripartita ſunt, & Deum incarnatum ſub illis ſuper ſcabello pedum eorum poſuerunt, exſpectari potuit; removerunt enim Caput Eccleſiæ a ſuo Corpore per id, quod *aſcenderint aliunde*, hoc eſt, præteriverint Ipſum, & tranſcenderint ad Deum Patrem ut ad alium, ſolum cum vocabulo Meriti Chriſti in ore, ut miſeratur propter illud, & quod ſic immediate influeret Juſtificatio cum toto comitio ejus, quod eſt remiſſio peccatorum, renovatio, ſanctificatio, regeneratio, & ſalvatio, & hæc abſque omni mediato ab homine.

175. Quod Eccleſia Apoſtolica ne hilum ſciverit de Trinitate Perſonarum, ſeu de tribus Perſonis ab æterno, conſtat manifeſte a Symbolo iſtius Eccleſiæ, quod vocatur Apostolicum, ubi hæc ſunt, *Credo in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ: & in Jeſum Chriſtum, Filium Ejus unicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus a Maria Virgine: & in Spiritum ſanctum:* ibi nulla mentio fit alicujus Filii ab æterno, ſed Filii concepti a Spiritu Sancto, & nati a Maria Virgine; ſcientes ex Apoſtolis, quod Jeſus Chriſtus eſſet verus Deus 1 Joh. V: 21; & quod in Ipſo omnis plenitudo Divinitatis habitaret corporaliter, Coloſſ. II: 9; & quod Apoſtoli fidem in Ipſum prædicaverint, Act. Apoſt. XX: 21: & quod Ipſi eſſet omnis poteſtas in Cælo & in Terra, Matth. XXVIII: 18.

176. Quid fidendum eſt Conciliis, dum non immediate adeunt Deum Eccleſiæ, eſtne Eccleſia Corpus Domini, & Ipſe ejus Caput, quid Corpus abſque Capite, & quale eſt Corpus cui impoſita ſunt tria Capita, ſub quorum auſpicio conſulta ineunt, & decreta faciunt; annon tunc Illuſtratio, quæ a Solo Domino, qui eſt Deus Cæli & Eccleſiæ, & ſimul Deus Verbi, eſt ſpiritualis, fit plus & plus naturalis, & tandem ſenſualis, & tunc non odoratur aliquod genuinum verum Theologicum in ejus forma interna, quin illico e cogitatione intellectus rationalis ejiciatur, & ſicut palea e ventilabro in aerem disjiciatur; in quo ſtatu tunc loco veritatum ſubeunt fallaciæ, & loco radiorum lucis tenebræ, & tunc ſtant ſicut in caverna, cum perſpicillis ſuper naribus, & cum candela in manu, & occludunt palpebras ad Vera ſpiritualia. quæ in luce Cæli ſunt, at aperiunt illas ad ſenſualia, quæ in luce fatua ſenſuum Corporis ſunt; ſimiliter poſtea fit dum legitur Verbum, tunc Mens obdormit ad vera, ac evigilat ad falſa, & fit ſicut deſcribitur Beſtia a mari, quoad os ſicut leo, quoad corpus ſicut pardus, & quoad pedes ſicut urſus, Apoc. XIII: 2: In Cælo dicitur, quod dum Concilium Nicænum peractum eſt, coinciderint hæc, quæ Dominus prædixit Diſcipulis, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & Virtutes cælorum commovebuntur*, Matth. XXIV: 29; & actualiter Eccleſia Apoſtolica fuit ſicut Stella nova apparens in Cælo aſtrifero, at Eccleſia poſt duo Concilia Nicæna, facta eſt ſicut eadem Stella poſtea opacata

& diſparata, quemadmodum etiam in Mundo naturali ſecundum obſervationes Aſtronomorum aliquoties evenerat. In Verbo legitur, quod Jehovah Deus habiret in Luce inacceſſibili, quis ergo poteſt Ipſum adire, niſi habitaret in luce acceſſibili, hoc eſt, niſi deſcenderit, & aſſumſerit Humanum, & in hoc Lux Mundi factus ſit, Joh. I: 9. Cap. XII: 46; quis non videre poteſt, quod adire Jehovam Patrem in ſua Luce, tam impoſſibile ſit, ſicut eſt ſumere ſibi alas ex Aurora, & per illas volare ad Solem, aut paſcere ſe ex radiis Solis & non ex cibo elementari, aut eſt Avi volare in æthere, ac Cervo currere in aere.

177. VI. QUOD EX TRINITATE NICÆNA ET SIMUL ATHANASIANA EXORTA SIT FIDES, QUÆ TOTAM ECCLESIAM CHRISTIANAM PERVERTERAT. Quod Trinitas Nicæna & ſimul Athanaſiana ſit Trinitas Deorum, ex Symbolis illorum ſupra n. 172, oſtenſum videatur; inde exorta eſt Fides hodiernæ Eccleſiæ, quæ eſt in Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum; in Deum Patrem, ut imputet juſtitiam Salvatoris Filii ſui, ac illam adſcribat homini, in Deum Filium ut intercedat & conſtipuletur, in Spiritum Sanctum, ut actualiter juſtitiam Filii imputatam inſcribat, & conſtabilitam ſigillet, hominem juſtificando, ſanctificando & regenerando; hæc eſt Fides hodierna, quæ ſola teſtari poteſt, qnod Trinitas Deorum ſit, quæ agnoſcitur & colitur. Ex Fide cujuſvis Eccleſiæ redundat non modo omnis Cultus ejus, ſed etiam omne dogmaticum ejus, quare dici poteſt, quod qualis fides eſt, talis ſit doctrina ejus; quod illa Fides, quia eſt fides in tres Deos, perverterit omnia Eccleſiæ, inde ſequitur, nam Fides eſt principium, & doſtrinalia ſunt principiata, & principiata a principio trahunt ſuam eſſentiam. Si quis ſub examen mittit ſingula doctrinalia, ſicut id quod de Deo, de Perſona Chriſti, de Charitate, de Pœnitentia, de Regeneratione, de Liberio Arbitrio, de Electione, de uſu Sacramentorum, Baptiſmi & Sanctæ Cœnæ, manifeſte videbit, quod Trinitas Deorum ſingulis inſit, & ſi non actualiter apparet ineſſe, uſque ex illa ſicut ex ſuo fonte ſcaturiat: ſed quia tale examen hic non fieri poteſt, & tamen operæ pretium eſt ad aperiendum oculos ut fiat, ideo huic operi adjungetur Appendix, in qua hoc demonſtrabitur. Fides Eccleſiæ de Deo, eſt ſicut Anima corporis, & doctrinalia ſunt ſicut membra hujus; & inſuper Fides in Deum eſt ſicut Regina, & dogmatica ſunt ſicut officiciarii aulæ ejus, & ſicut hi pendent ex ore Reginæ, ita dogmatica ab effato fidei; ex illa fide duntaxat videri poteſt, quomodo intelligitur Verbum in ejus Eccleſia, fides enim inapplicat ſibi, & trahit ſicut per funes ad ſe quæcunque poteſt, ſi fides falſa eſt, meretricatur illa cum omni vero ibi, ac trahit ad ſiniſtrum & falſificat illud, & facit hominem in ſpiritualibus inſanire; ſi autem Fides vera eſt, tunc favet totum Verbum, & Deus Verbi, qui eſt Dominus Deus Salvator, infundit lucem, & aſpirat Divino ſuo aſſenſu, & facit hominem ſapere. Quod hodierna Fides, quæ in interna forma eſt trium Deorum, in externa autem unius Dei, exſtinxerit lucem in Verbo, & removerit Dominum ab Eccleſia, & ſic mane ejus præcipitaverit in noctem, in Appendice etiam videbitur; hoc factum eſt ab hæreticis ante Concilium Nicænum, ac deinde ab hæreticis ex illo & poſt illud: ſed quid fidendum eſt Conciliis, quæ non per Januam intrant in Ovile, ſed ASCENDUNT ALIUNDE, ſecundum Domini verba apud Johannem Cap. X: 1. 9; eſt illorum deliberatio non abſimilis ambulationi cæci in die, aut oculati in nocte, quorum uterque non videt foveam, priuſquam in illam illapſi ſunt. Quid pro exemplo fidendum eſt Conciliis, quæ conſtabiliverunt Vicariatum Papæ, Apotheoſin mortuorum, & horum ſicut Numinum invocationem, eorundem imaginum venerationem, indulgentiarum auctoritatem, & Euchariſtiæ diviſionem, præter plura. Tum quid fidendum eſt Concilio, quod conſtabilivit infandam Prædeſtinationem, & hanc ut Palladium religionis ante templa Eccleſiæ ſuæ appenderunt. Sed, mi amice! adi Deum Verbi, & ſic Verbum, ac ta intra per Januam in Ovile, hoc eſt, in Eccleſiam, & illuſtraberis, & tunc ipſe viſu-

viſurus es ſicut e monte, non modo plurium, ſed etiam priores tuos greſſus & errores in ſylva opaca ſub monte.

178. Fides cujuſvis Eccleſiæ eſt ſicut ſemen, ex quo omnia dogmata ejus exoriuntur, & comparari poteſt ſemini arboris ex quo omnia ejus uſque ad fructus enaſcuntur, & quoque ſemini hominis, ex quo proles & familiæ in ſucceſſiva ſerie progignuntur; quare dum ſcitur Fides primaria, quæ ex prædominio ſalvifica vocatur, cognoſcitur Eccleſia qualis eſt: hoc illuſtrari poteſt per hoc exemplum; ſit Fides, quod Natura ſit creatrix Univerſi, ex hac ſequuntur hæc, quod Univerſum ſit quod vocatur Deus; quod Natura ſit ejus Eſſentia; quod Æther ſit Deus ſupremus, quem antiqui vocaverunt Jovem, quod Aer ſi Dea, quam antiqui vocaverunt Junonem, & fecerunt Jovis conjugem, quod Oceanus ſit Deus infra illos, qui cum antiquis vocari poteſt Neptunus, & quia Divinitas Naturæ pertingit etiam ad Centrum Terræ, quod ibi etiam ſit Deus, qui cum Antiquis vocari poteſt Pluto; quod Sol ſit omnium deorum Curia, in qua conveniunt, dum Jupiter Concilium convocat; ac inſuper quod Ignis ſit vita a Deo; & quod ſic Aves volent in Deo, Beſtiæ gradiantur in Deo, & Piſces natent in Deo: & porro, quod cogitationes ſint ſolum modificationes ætheris, ſicut loquelæ ex illis ſunt modulationes aeris; & quod Affectiones amoris ſint mutationes ſtatus occaſionales ex influxu radiorum ſolis in illas; inter hæc, quod Vita poſt mortem, una cum Cælo & Inferno, ſit fabula a Clero ad aucupandum honores & lucra, efficta, ſed tametſi eſt fabula quod uſque utilis ſit, & palam non ſubſannanda, quia inſervit Publico ad continendum animos ſimplicium in vinculo obedientiæ erga Magiſtratus; ſed quod uſque illi, qui ineſcati ſunt religioni, ſint homines abſtracti, cogitationes illorum phantaſmata, & actiones illorum ludicræ, & quod ſint mediaſtini ſacerdotum, qui credunt quæ non vident, & vident quæ excedunt ſphæram mentis eorum. Hæc conſectaria, & plura alia ſimilia, continentur in Fide illa, quod Natura ſit creatrix univerſi, ac procedunt ex illa dum aperitur. Hæc allata ſunt, ut ſciatur, quod in Fide hodiernæ Eccleſiæ, quæ in Interna ſua forma eſt in Tres Deos, in Externa in unum, inſint falſitates in turmis, & quod inde protrahi poſſint totidem, quot araniolæ ſunt in glomere ab una arachnipara; quis, cui Mens e luce a Domino vere rationalis facta eſt, hoc non videt; ſed qnomodo alius id viſurus eſt, dum janua ad illam fidem & ejus propagines, obice occluſa eſt, per ſtatutum, quod illicitum ſit rationi in myſteria ejus introſpicere.

179. VII. QUOD INDE SIT ILLA ABOMINATIO DESOLATIONIS, ET AFFLICTIO QUALIS NON FUIT NEC FUTURA EST, QUAS DOMINUS APUD DANIELEM ET EVANGELISTAS, ET IN APOCALYPSI, PRÆDIXERAT. Apud DANIELEM leguntur hæc, *Tandem ſuper avem abominationum deſolatio, & uſque ad conſummationem & deciſum, ſtillabit ſuper devaſtationem*, Cap. IX: 2. Apud EVANGELISTAM MATTHÆUM, dicit Dominus hæc, *Tunc multi Pſeudoprophetæ exſurgent, & ſeducent multos: cum itaque videritis Abominationem deſolationis prædictam a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, probe notet*, Cap. XXIV: 15, & poſtea in eodem Capite, *Erit tunc Afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi, uſque nunc, nec fiet*, Verſ. 21. De hac afflictione & illa abominatione actum eſt in Septem Capitibus in APOCALYPSI, illæ ſunt quæ intelliguntur per *Equum nigrum*, & per *Equum pallidum*, *exeuntes e Libro, cujus ſigilla Agnus aperuit*, Apoc. Cap. VI: 5 ad 8. Tum *per Beſtiam aſcendentem ex abyſſo, quæ fecit bellum cum binis teſtibus, & occidit illos*, Cap. XI: 7 ſeq. Ut & per *Draconem, qui ſtetit coram Muliere paritura, ut fœtum ejus devoraret, & perſequutus illam in deſertum, & ibi ex ore ſuo ejecit aquam ut flumen, ut abſorberet illam*: Cap. XII: Et quoque *per Beſtias draconis, unam ex Mari, & alteram ex terra*, Cap. XIII: Tum per *tres Spiritus ſimiles ranis, qui ex ore draconis, ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ exiverunt*, Cap. XVI: 13. Ac inſuper per hæc, *quod poſtquam ſeptem Angeli effuderunt phialas iræ Dei, in quibus erant ſeptem plagæ ultimæ,*

in

in terram, in mare, in fontes & fluvios, in ſolem, in thronum beſtiæ, in Euphratem, & tandem in aerem, factus ſit terræ motus magnus, qualis non fuerat, ex quo homines facti ſunt, Cap. XVI: terræ motus ſignificat Eccleſiæ inverſionem, quæ ſit per falſa & falſificationes veri, ſimile quod ſignificat afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi, Matth. XXIV: 21. Similia intelliguntur per hæc, *Angelus miſit falcem, & vindemiavit vineam terræ, & conjecit in torcular iræ Dei magnum, & calcatum eſt torcular, & exivit ſanguis uſque ad frœna equorum a ſtadiis mille ſexcentis*, Cap. XIV: 19. 20. ſanguis ſignificat falſificatum verum: præter plura in Septem illis Capitibus.

180. Apud Evangeliſtas, Matth. XXIV. Marc. XIII: & Luc. XXI: deſcriptæ ſunt ſucceſſivæ declinationes & corruptiones Eccleſiæ Chriſtianæ, & ibi per afflictionem magnam, qualis non fuit ab initio Mundi, nec fiet, intelligitur, ut paſſim alibi in Verbo, infeſtatio veri a falſis, uſque dum non ſuperſit aliquod verum, quod non falſificatum & conſummatum eſt; hoc etiam intelligitur per abominationem deſolationis ibi, & hoc quoque intelligitur per deſolationem ſuper avem abominationum, & per conſummationem & deciſum, apud Danielem; & hoc idem deſcribitur in Apocalypſi, per illa, quæ mox ſupra inde adducta ſunt. Hoc effectum eſt, per quod Eccleſia Unitatem Dei in Trinitate, & Trinitatem Ipſius in Unitate, non agnoverint in una Perſona, ſed in Tribus, ac inde fundaverint Eccleſiam in Mente ſuper Idea trium Deorum, & in Ore ſuper Confeſſione unius Dei, ſic etenim ſeparaverunt ſe a Domino, & tandem eouſque, ut nullam ideam Divinitatis in Humana Ipſius Natura reſiduam habuerint, cum tamen eſt Ipſe Deus Pater in Humano, quare etiam vocatur Pater æternitatis, Eſaj. IX: 5; & dicit ad Philippum, Qui videt Me, videt Patrem, Joh. XIV: 7. 9.

181. Sed quæritur, unde eſt ipſa vena fontis, ex qua talis abominatio deſolationis, qualis deſcribitur apud Danielem, Cap. IX: 27, & talis afflictio qualis non fuit, nec fiet Matth. XXIV: 21, ſcaturivit; & reſpondetur quod ex ipſa Fide univerſali in Chriſtiano Orbe, & ex ejus influxu, operatione & imputatione, ſecundum traditiones. Mirabile eſt, quod doctrina juſtificationis per ſolam illam fidem, tametſi non eſt fides, ſed chimera, in Eccleſiis Chriſtianis omne punctum ferat, hoc eſt, illa ibi pæne ut unicum Theologicum in Ordine Sacro regnet; illa eſt, quam omnes Novitii e Clero in Lyceis avide addiſcunt, hauriunt & inſorbent; & poſtea ſicut inſpirati cæleſti ſapientia in Templis docent, in Libris vulgant, & per quam ſuperioris eruditionis nomen, famam, & gloriam ſectantur & fœnerantur, ut & propter quam diplomata, auctoramenta, & præmia, donantur; & hæc fiunt, tametſi per illam ſolam fidem hodie obſcuratus eſt Sol, lumine ſuo orbata eſt Luna, Stellæ cælorum ceciderunt, & Virtutes cælorum commotæ ſunt, ſecundum verba prædictionis a Domino apud Matthæum, Cap. XXIV: 29; quod doctrina iſtius fidei hodie occæcaverit mentes in tantum, ut non velint, & inde ſicut non poſſint, videre aliquod Divinum Verum intus in luce ſolis, nec in luce lunæ, ſed modo extus in quadam ſcabra ſuperficie in luce foci noctu, teſtatum mihi factum eſt; quare poſſum vaticinari, quod ſi Divina Vera de genuina conjunctione charitatis & fidei, de Cælo & Inferno, de Domino, de Vita poſt mortem, deque Felicitate æterna, argenteis literis exarata, e Cælo demitterentur, a Juſtificatoribus & Sanctificatoribus per ſolam fidem, non lectu digna cenſerentur; at prorſus aliter, ſi Charta de Juſtificatione per ſolam fidem, ab inferis ſubmitteretur, hanc exſumerent, oſcularentur, & in ſinu domum deportarent.

182. VIII. TUM HOC, QUOD NISI NOVUM CÆLUM ET NOVA ECCLESIA A DOMINO CONDUNTUR, NON CONSERVARETUR ULLA CARO. Legitur apud Matthæum, *Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi uſque nunc, nec fiet; imo niſi abbreviarentur dies illi, non conſervaretur ulla caro*, Cap. XXIV: 21. 22; agitur in illo Capite de Conſummatione ſæculi, per quam intelligitur finis Eccleſiæ hodier-

diernæ; quare per abbreviare dies illos, intelligitur finire illam, & inſtaurare novam. Quis non ſcit, quod niſi Dominus in Mundum veniſſet, & Redemptionem feciſſet, nulla caro ſalvari potuerit; per Redemptionem facere, intelligitur novum Cælum & novam Eccleſiam condere. Quod Dominus denuo in Mundum venturus ſit, prædixit apud Evangeliſtas, Matth. XXIV: 30. 31. Marc. XIII: 26. Luc. XII: 40. Cap. XXI: 27; inque Apocalypſi, imprimis in Capite ultimo: quod etiam hodie Redemptionem faciat, condendo novum Cælum & inſtaurando novam Eccleſiam, propter finem ut homo ſalvari poſſit, in Lemmate de Redemptione, ſupra oſtenſum eſt. Magnum Arcanum, quod niſi Nova Eccleſia a Domino inſtauratur, non conſervari poſſit ulla caro, eſt hoc; quod quamdiu Draco cum ſua turba in Mundo ſpirituum, in quem conjectus eſt, commoratur, tamdiu non poſſit aliquod Divinum Verum unitum Divino bono pertranſire ad homines telluris, quin pervertatur & falſificetur, aut pereat; id eſt quod intelligitur in Apocalypſi per hoc, *Draco projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo projecti ſunt; væ habitantibus Terram & Mare, quia deſcendit Diabolus ad illos habens iram magnam*, Cap. XII: 9. 12. 13. at poſtquam Draco projectus eſt in Infernum, Cap. XX: 10, tunc Johannes vidit Cælum novum & Terram novam, ac vidit novam Hieroſolymam deſcendentem a Deo e Cælo, Cap. XXI: 1. 2. Per Draconem intelliguntur, qui in fide hodiernæ Eccleſiæ ſunt.

Aliquoties in Mundo ſpirituali loquutus ſum cum Juſtificatoribus hominum per ſolam fidem, & dixi, quod Doctrina illorum ſit erronea, & quoque abſona, quodque inducat ſecuritatem, cæcitatem, ſomnum & noctem in rebus ſpiritualibus, & inde lethum animæ; exhortans ut ab illa deſiſtant; ſed reſponſum tuli, quid deſiſtere, nonne excellentia eruditionis Clericorum præ Laicis ab illa ſola dependet; ſed retuli, quod ſic non pro aliquo fine ſpectent ſalutem animarum, ſed excellentiam ſuæ famæ, & quod quia falſis ſuis principiis applicuerunt vera Ver. bi, & ſic adulteraverunt illa, ſint Angeli abyſſi, vocati Abbadones & Apollyones, Apoc. IX: 11, per quos ſignificantur Perditores Eccleſiæ per totalem falſificationem Verbi; ſed reſponderunt, quid hoc, ſumus per ſcientiam myſteriorum illius fidei Oracula, & ex illa ut ex adyto reddimus reſponſa, quare non ſumus Apollyones ſed Apollines; ex his indignatus dixi, ſi eſtis Apollines, eſtis etiam Leviathanes, primi veſtrum Leviathanes tortuoſi, & ſecundi veſtrum Leviathanes oblongi, quos Deus gladio ſuo duro & magno viſitabit, Eſaj. XXVII: 1; ſed ad hæc riſerunt.

183. IX. Quod ex Trinitate Personarum, quarum unaquævis singulatim est Deus, secundum Symbolum Athanasianum, plures absonæ et heterogeneæ ideæ de Deo exstiterint, quæ sunt phantasiæ et abortus. Ex Doctrina Trium Perſonarum Divinarum ab æterno, quæ in ſe eſt Caput omnium doctrinalium in Eccleſiis Chriſtianis, exortæ ſunt plures indecoræ ideæ de Deo, indignæ Chriſtiano Orbi, qui tamen & debet eſſe & poteſt eſſe Luminare omnibus populis & gentibus in quatuor Telluris partibus de Deo & ejus Unitate; omnes qui extra Eccleſiam Chriſtianam habitant, tam Mahumedani quam Judæi, & præter hos Gentiles, cujuſvis cultus, averſantur Chriſtianiſmum unice propter fidem trium Deorum ibi; propagatores ejus hoc ſciunt; quare cavent ſibi ſummopere Trinitatem Perſonarum, qualis eſt in Symbolis, Nicæno & Athanaſiano, propalare, quoniam tunc aufugerent & ſubſannarent. Ideæ abſonæ, ludicræ & frivolæ, quæ ex Doctrina trium Perſonarum Divinarum ab æterno, exortæ ſunt, & apud unumquemvis, qui manet in fide verborum iſtius Doctrinæ, exoriuntur, & ex auribus & oculis in viſum cogitationis, exfurgunt, ſunt hæ. Quod Deus Pater ſupra caput in alto ſedeat, ac Filius ad dextram Ejus, ac Spiritus ſanctus ante illos auſcultans, & actutum percurrens terrarum Orbem, & ſecundum deciſum diſpenſet dona juſtificationis, ac inſcribat illa, ac faciat illos a filiis iræ filios

gratiæ, & a damnatis electos; provoco ad doctos e Clericis & ad eruditos e Laicis, num alium visum, quam hunc idealem, in mentibus suis foveant, influit enim ille sua sponte ex ipsa Doctrina, vide MEMORABILE supra n. 16. Influit etiam curiositas conjecturandi, quid ante Mundum creatum inter se colloquuti sunt, numne de Mundo creando, numne etiam de prædestinandis ac justificandis secundum Supralapsarios, numne etiam de Redemptione: pariter quid colloquuntur inter se post Mundum creatum, Pater ex auctoritate & potentia imputandi, & Filius ex potestate mediandi, & quod imputatio, quæ est electio, sit ex misericordia Filii intercedentis pro omnibus, & singulatim pro aliquibus, & quod pro illis gratia sit Patri commoto ex amore in Filium, & ex miseria visa in illo super ligno crucis. Sed quis non potest videre, quod talia sint deliria mentis de Deo, & tamen illa in Ecclesiis Christianis sunt ipsa Sancta, quæ ore osculanda sunt, sed non lustranda aliquo visu mentis, quia suprarationalia sunt, quæ si ex memoria elevantur in intellectum, insanit homo; sed usque hoc non tollit ideam trium Deorum, sed inducit fidem stupidam, ex qua homo cogitat de Deo, sicut dormiens in somnio, ambulans in caligine noctis, aut sicut cæcus a nativitate in luce diei.

184. Quod Trinitas Deorum insideat Christianorum Mentibus, tametsi ex pudore contradicunt, constat clare ex ingeniositate plurium demonstrandi, quod tria sint unum ac unum tria, per varia in Geometricis, Stereometricis, Arithmetricis, & Physicis, & quoque per plicaturas vestium & chartarum; ita cum Trinitate Divina ludunt sicut harioli inter se. Horum hariolatio de illa comparari potest visui oculi febricitantium, qui unum objectum, sive sit homo, sive mensa, sive candela, vident ut tria, aut tria ut unum. Comparari etiam potest cum ludibrio illorum, qui ceram mollem versant inter digitos, & compingunt illam in varias formas, nunc in triangularem ut ostendant Trinitatem, nunc in sphæricam ut ostendant unitatem, dicentes estne usque substantia una & eadem. Cum tamen Trinitas Divina, est sicut Unio maximi pretii, at illa divisa in Personas, est sicut unio divisa in tres partes, ex quo illa porsus & plane perit.

✿ ✿ ✿ ✿ ✿ ✿

185. His adjungentur hæc MEMORABILIA. PRIMUM hoc: In Mundo spirituali sunt æque Climata & Zonæ sicut in Mundo naturali, non datur quicquam in hoc quod non etiam In illo; sed differunt origine; in Mundo naturali sunt varietates Climatum secundum distantias Solis ab Æquatore, in Mundo spirituali sunt illæ secundum distantias affectionum voluntatis & inde cogitationum intellectus a vero amore & vera fide; horum correspondentiæ sunt omnia ibi. In Zonis frigidis in Mundo Spirituali apparent similia quæ in Zonis frigidis in Mundo naturali; apparent ibi Terræ constrictæ gelu, similiter aquæ, & quoque nives super illis. Veniunt illuc & habitant ibi, qui in Mundo obsopiverunt intellectum ex inertia cogitandi de spiritualibus, & simul inde in inertia faciendi aliquos usus, fuerunt: vocantur Spiritus boreales. Quondam me incessit cupido videndi aliquam Regionem in Zona frigida, ubi boreales illi erant; & ideo in spiritu perductus sum in Septentrionem, usque ad tractum, ubi omnis terra apparnit nive obtecta, & omnis aqua glacie obstricta, erat dies Sabbathi, & vidi homines, hoc est, spiritus similis staturæ in qua sunt homines Mundi; sed propter frigus induti erant quoad Caput pelle leonis, cujus os applicatum erat ori illorum, quoad Corpus autem ab antica & postica parte usque super lumbos tecti erant pellibus pardorum, & quoad Pedes pelle ex ursis; & quoque vidi plures vectos curribus, ac quosdam in curribus exsculptis in forma draconis, cujus cornua protensa erant antrorsum; trahebantur currus illi a parvis equis, a quibus caudæ abscissæ erant, currebant sicut terribiles feræ,

ræ, ac vector tenens lora palmis illos jugiter impellebat & urgebat in curſum: vidi denique quod turbæ confluerent ad Templum, quod quia nive obtectum non viſum erat, at Templi cuſtodes emoliebantur nivem, & per effoſſionem parabant introitum advenis cultoribus; qui deſcenderunt & intraverunt. Datum mihi etiam eſt videre Templum ab intra; erat illuminatum lampadibus & lucernis in copia; Altare ibi ex lapide ſecto erat, poſt quod appenſa erat Tabula, ſuper qua ſcriptum erat, TRINITAS DIVINA, PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS, QUI ESSENTIALITER UNUS DEUS SUNT, SED PERSONALITER TRES. Tandem Sacerdos ad Altare ſtans, poſtquam ter ad Tabulam Altaris flexerat genua, cum Libro in manu aſcendit ſuggeſtum, & inchoavit ſermonem a Divina Trinitate, & exlamavit, O quantum Myſterium, quod Deus in Altiſſimo genuerit Filium ab æterno, & per Illum eduxerit Spiritum Sanctum, qui Tres conjunxerunt ſe per Eſſentiam, at ſejunxerunt ſe per proprietates, quæ ſunt Imputatio, Redemptio & Operatio; ſed ſi hæc intuemur ratione, caligat viſus, & ante illum fit macula, ſicut ante oculum ejus qui intuitum figit in nudo Sole; quare, mi Auditores, quoad hoc captemus intellectum ſub obedientia fidei. Poſt hæc, iterum exclamavit, dicens, O quantum Myſterium eſt Sancta Fides noſtra, quæ hæc eſt, quod Deus Pater imputet juſtitiam Filii, & mittat Spiritum Sanctum, qui ex illa imputata operatur auctoramenta Juſtificationis, quæ in ſumma ſunt remiſſio peccatorum, innovatio, regeneratio, & ſalvatio, de cujus influxu ſeu actu homo non ſcit plus quam ſtatua ſalis in quam verſa eſt uxor Lothi, & de cujus inhabitatione ſeu ſtatu non plus ſcit quam piſcis in mari; ſed mi amici, latet theſaurus in illa, ita circumſeptus & reconditus, ut non pateat mica ejus; quare quoad illam etiam captemus intellectum ſub obedientia fidei. Poſt aliqua ſuſpiria iterum exclamavit, dicens, O quantum myſterium eſt Electio, Electus fit cui Deus imputat fidem illam, quam ex libero placito & ex pura gratia infundit cuicunque vult & quando vult, & homo eſt ſicut truncus cum infunditur, ſed fit ſicut arbor cum infuſa eſt; verum fructus, qui ſunt bona opera, quidem pendent ex arbore illa, quæ in ſenſu repræſentativo eſt fides noſtra, ſed non uſque cohærent, quare arboris iſtius pretium non eſt ex fructu; ſed quia hoc ſonat ſicut heterodoxon, & tamen eſt veritas myſtica, mi Fratres, captemus intellectum ſub obedientia fidei hujus. Et porro poſt aliquam intercapedinem, ſtans ſicut adhuc aliquid ex memoria extraheret, continuavit dicens; ex acervo Myſteriorum depromam adhuc unum, quod eſt, quod homini in ſpiritualibus non ſit granum Liberi arbitrii; dicunt enim Primates & Antiſtites Reguli noſtri, in Theologicis ſuis Canonibus, quod homo in illis quæ fidei & ſalutis ſunt, quæ in ſpecie vocantur ſpiritualia, non poſſit quicquam velle, cogitare, intelligere, & ne quidem ad illa haurienda ſe accommodare & applicare, quare ego dico ex me, quod homo ex ſe de illis non aliter poſſit ex ratione cogitare, & ex cogitatione garrire, quam ſicut pſittacus, pica aut corvus, ita quod homo in ſpiritualibus ſit vere aſinus, & in naturalibus ſolum homo; ſed mi Conſocii, in hoc, ne infeſtet rationem veſtram, ut in cæteris, captemus intellectum ſub obedientia fidei; eſt enim Theologia noſtra abyſſus abſque fundo, in quam ſi immittis intellectus viſum, immergeris & peribis naufragus; at uſque audite, ſumus nihilominus in ipſa luce Evangelii, quæ alte ſupra capita noſtra fulget; ſed proh dolor, capillitia noſtra, & oſſa calvariæ noſtræ, inhibent & arcent, ne illa penetret in conclave intellectus noſtri. His dictis deſcendit, & poſtquam ad Altare votiva precatus eſt, & finitus eſt Cultus, acceſſi ad aliquos loquentes inter ſe, ubi etiam Sacerdos, cui circumſtantes dixerunt, gratias tibi immortales agimus propter tam magnificum ac uberem ſapientia ſermonem; ſed tunc dixi illis, num aliquid intellexiſtis, & reſponderunt, captavimus omnia plenis auribus, ſed cur quæris num intellexerimus, ſtupetne intellectus in talibus; & Sacerdos illis dictis addidit hoc, quia audiviſtis & non intellexiſtis, beati eſtis, quoniam inde vobis ſalus.

Poſtea loquutus ſum cum Sacerdote, & quæſivi, num illi eſſet laurea, reſpondit, ſum laureatus Magiſter, & tunc dixi, Magiſter, audivi te concionantem Myſteria, ſi illa ſcis & non aliquid quod continent, nihil ſcis; ſunt enim illa modo ſicut ſcrinia tribus ſeris occluſa, quæ niſi aperis & introſpicis, quod fiet per intellectum, neſcis num inibi ſint pretioſa, vel num vilipenſa, vel num noxia, poſſunt eſſe ova aſpidis, & telæ araneæ, ſecundum deſcriptionem apud Eſajam Cap. LIX: 5; his dictis Sacerdos torvo vultu me aſpexit; & Cultores receſſerunt, & aſcenderunt ſuos currus, inebriati paradoxis, infatuati inanitatibus, & circumfuſi caligine in omnibus rebus fidei & mediis ſalutis.

186. SECUNDUM MEMORABILE. Quondam cogitatione verſavi in quanam Regione Mentis reſident Theologica apud hominem, quæ quia ſpiritualia & cæleſtia, credidi primum quod in ſuprema; Mens enim humana diſtincta eſt in tres Regiones, ſicut domus in tres manſiones, ſimiliter ſicut habitationes Angelorum in tres Cælos: & tunc adſtitit Angelus, & dixit, Theologica apud illos qui amant Verum quia eſt verum, emergunt uſque in ſupremam Regionem, quia ibi eſt Cælum illorum, & in luce ſunt in qua Angeli; Moralia autem theoretice luſtrata & percepta ſe locant ſub illis in ſecunda Regione, quia communicant eum ſpiritualibus; & Politica ſub his in prima; Scientifica autem, quæ multiplicia ſunt, ac in genera & in ſpecies referri poſſunt, faciunt januam ad ſuperiora illa. Illi, apud quos ſpiritualia, moralia, politica, & ſcientifica, ita ſubordinata ſunt, ex juſtitia & judicio cogitant quæ cogitant, & faciunt quæ faciunt; cauſa eſt, quia Lux veri, quæ etiam eſt Lux Cæli, e ſuprema Regione illuminat conſequentia, ſicut Lux Solis tranſiens ætheres, & progreſſive aerem illuminat viſus hominum, beſtiarum & piſcium. Aliter vero Theologica apud illos, qui non amant verum quia eſt verum, ſed ſolum propter gloriam famæ ſuæ; apud hos reſident Theologica in ultima Regione ubi Scientifica, cum quibus apud quoſdam ſe commiſcent, & apud quoſdam ſe non poſſunt commiſcere; ſub his in eadem regione ſunt Politica, & ſub his moralia, quoniam apud hos binæ Regiones ſuperiores non apertæ ſunt a parte dextra, quare illis non eſt aliqua interior ratio judicii, nec affectio juſtitiæ, ſed modo ingenioſitas, ex qua de omni re poſſunt loqui ſicut ex intelligentia, & confirmare quicquid obvenit ſicut ex ratione; ſed objecta rationis, quæ principaliter amant, ſunt falſa, quia hæc cum fallaciis ſenſuum cohærent. Inde eſt, quod dentur tot in Mundo, qui vera Doctrinæ ex Verbo non plus vident quam cæci nati, & cum audiunt illa, comprimunt nares, ne odor illorum infeſtet & nauſeam moveat; at vero ad falſa aperiunt omnes ſenſus, & hauriunt illa ſicut balænæ aquas.

187. TERTIUM MEMORABILE. Quondam cum meditabar de Dracone, Beſtia & Pſeudopropheta, de quibus in Apocalypſi, apparuit mihi Spiritus Angelicus, & quæſivit, quid meditaris, & dixi, quod de Pſeudopropheta; tunc ille dixit, deducam te ad locum, ubi ſunt, qui per Pſeudoprophetam intelliguntur, & inquiit, quod iidem ſint, qui in Capite XIII Apocalypſeos intelliguntur per Beſtiam ex terra, quæ habebat duo cornua ſimilia Agno, & loquuta eſt ſicut Draco. Sequutus ſum illum, & ecce vidi turbam, in cujus medio erant Antiſtites Eccleſiæ, qui docuerunt, quod nihil hominem ſalvet, quam Fides in meritum Chriſti, & quod Opera ſint bona, ſed non ad ſalutem, & quod uſque docenda ſint ex Verbo, ut Laici, imprimis ſimplices, ſtrictius in vinculis obedientiæ erga Magiſtratus teneantur, ac ſicut ex Religione, ita interius, ad Charitatem moralem exercendam adigantur. Et tunc unus ex illis me videns dixit, vis videre noſtrum Fanum, in quo eſt imago repræſentativa noſtræ Fidei; acceſſi & vidi, & ecce erat magnificum, & in medio ejus imago Mulieris, indutæ veſte coccinea, tenentis in dextra Nummum aureum, & in ſiniſtra Catenam ex Unionibus: ſed erant & Imago & Fanum inducta per phantaſiam; poſſunt enim Spiritus infernales per phantaſias repræſentare

tare magnifica, occludendo interiora mentis, & aperiendo ſolum exteriora ejus. Sed cum animadverti, quod tales præſtigiæ eſſent, oravi ad Dominum, & ſubito aperta ſunt interiora mentis meæ, & tunc vidi loco magnifici Fani Domum rimoſam a tecto uſque ad imum, in qua nihil cohæſit; & vidi loco Mulieris in Domo illa pendens Simulachrum, cujus Caput erat ſimile Draconi, Corpus ſimile Pardo, Pedes ſicut Urſi, & Os ſicut Leonis, ita prorſus ſicut deſcribitur Beſtia e mari, Apoc. XIII: 2; & loco Soli erat Palus, in qua multitudo ranarum: & dictum eſt mihi, quod ſub Palude eſſet Lapis magnus cæſus, ſub quo jaceret Verbum penitus reconditum. His viſis dixi ad Præſtigiatorem, eſt hoc Fanum veſtrum, & dixit, quod ſit; at ſubito tunc aperiebatur etiam illi viſus interior, ex quo vidit ſimilia quæ ego; quibus viſis clamavit clamore magno, quid hoc, & unde hoc; & dixi, quod ſit ex luce e Cælo, quæ detegit qualitatem cujuſvis formæ, & ſic qualitatem veſtræ Fidei ſeparatæ a Charitate ſpirituali: & illico flavit Ventus orientalis, & ſuſtulit Fanum cum Imagine, & quoque exſiccabat Paludem, & ſic nudabat Lapidem, ſub quo jacuit Verbum: & poſt hæc ſpiravit Calor ſicut vernalis e Cælo, & ecce tunc in eodem loco viſum eſt Tabernaculum, quoad formam externam ſimplex; & dicebant Angeli qui apud me erant, ecce Tabernaculum Abrahami, quale id fuit, quando tres Angeli ad illum venerunt, & annuntiarunt de Iſaco naſcituro; hoc apparet coram oculis ſimplex, ſed uſque fit ſecundum influxum lucis e Cælo plus & plus magnificum; & datum eſt illis aperire Cælum, in quo erant Angeli ſpirituales, qui in ſapientia ſunt, & tunc ex Luce inde influente apparebat Tabernaculum illud ſicut Templum ſimile Hieroſolymitano; quod cum introſpexi, vidi Lapidem fundi, ſub quo Verbum erat repoſitum, circum obſitum lapidibus pretioſis, e quibus ſicut fulgur emicuit in parietes, ſuper quibus erant formæ cheruborum, & pulchre variegavit illos coloribus. Cum hæc admiratus ſum, dixerunt Angeli, videbis adhuc mirabilius, & datum eſt illis aperire Cælum Tertium, in quo erant Angeli cæleſtes, qui in amore ſunt, & tunc ex Luce flammea inde influente, totum illud Templum evanuit, & loco ejus viſus eſt Dominus Solus, ſtans ſuper Lapide fundi, qui erat Verbum, in ſimili effigie, in qua viſus eſt Johanni Cap. I. Apoc. At quia ſanctitas tunc implevit interiora mentis Angelorum, ex qua illis fuit niſus procidendi ſuper facies, ſubito obſtruebatur a Domino via Lucis e Cælo tertio, & aperiebatur via Lucis e Cælo ſecundo, ex quo rediit aſpectus prior Templi, & quoque Tabernaculi, ſed hoc in medio Templi. Ex his illuſtratum eſt, quid intelligitur in Apoc. Cap. XXI: per hoc, *Ecce Tabernaculum Deï cum hominibus, & habitabit cum illis*, Verſ. 3; & per hoc, *Templum non vidi in Nova Hieroſolyma, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus, & Agnus*, Verſ. 22.

188. QUARTUM MEMORABILE. Quoniam a Domino datum eſt mihi videre Mirabilia, quæ in Cælis & ſub Cælis ſunt, ex mandato me oportet memorare quod viſum eſt. Viſum eſt Palatium magnificum, & in ejus intimo Templum; in medio ejus erat Menſa ex auro, ſuper qua erat Verbum, cui adſtabant bini Angeli. Circum illam erant Solia in triplici ordine; Solia primi ordinis erant obtecta panno holoſerico purpurei coloris; Solia ſecundi ordinis panno holoſerico cærulei coloris; & Solia tertii ordinis panno albo. Sub tecto alte ſupra Menſam apparuit Aulæum expanſum, fulgens ex lapidibus pretioſis, e quoram ſplendore effulſit ſicut Iris cum ſerenatur Cælum poſt pluviam. Subito tunc viſi ſunt totidem ex Clero ſedentes ſuper ſoliis, omnes induti veſtibus Miniſterii ſacerdotalis. Ad unum latus erat Cimeliarchium, ubi ſtetit Angelus cuſtos, & inibi in pulchro ordine jacebant Veſtes ſplendidæ. Erat CONCILIUM CONVOCATUM A DOMINO, & audivi vocem e Cælo dicentem, DELIBERATE, ſed dicebant, de qua re, dictum eſt, de DOMINO SALVATORE, & de SPIRITU SANCTO; at cum de illis cogitabant, non erant in illuſtratione, quare ſupplicabant, & tunc Lux defluxit e Cælo, quæ primum illumina-

bat Occipitia illorum, & poſtea Tempora, & demum Facies illorum; & tunc inchoabant, ac ut mandatum eſt, PRIMUM, DE DOMINO SALVATORE; ac Propoſitio & Ventilatio Prima fuit, QUIS ASSUMSIT HUMANUM IN MARIA VIRGINE; & Angelus ſtans ad Menſam, ſuper qua erat Verbum, legit coram illis hæc apud Lucam „*Angelus dixit ad Mariam, ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus* JESUM, *Hic erit Magnus, &* FILIUS ALTISSIMI *vocabitur. Et Maria dixit ad Angelum, quomodo hoc fiet, quoniam virum non cognoſco, & reſpondens Angelus dixit,* SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, *unde quod naſcitur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Cap. I: Verſ. 31. 32. 34. 35. Tum etiam legit hæc apud Matthæum „*Angelus dixit Joſepho in ſomnio, Joſeph, fili Davidis, ne timeas accipere Mariam ſponſam tuam,* NAM QUOD IN ILLA NATUM EST, EX SPIRITU SANCTO EST. *Et* JOSEPH NON COGNOVIT ILLAM, *uſque dum peperit Filium ſuum Primogenitum; & vocavit nomen Ejus* JESUM, Cap. I: 20. 25; & præter hæc legit plura ex Evangeliſtis, ut Matth. III: 17. Cap. XVII: 5. Joh. I: 18. Cap. III: 16, Cap. XX: 31, & multoties alibi, ubi Dominus quoad Humanum ſuum vocatur FILIUS DEI, & ubi Ipſe ex Humano ſuo Jehovam vocat PATREM SUUM; ut & ex Prophetis, ubi prædicitur, quod Ipſe Jehovah in Mundum venturus eſſet; inter quæ etiam hæc duo, apud Eſajam „*Dicetur in die illo,* ECCE DEUS NOSTER HIC, *quem exſpectavimus ut liberet nos, Hic* JEHOVAH, QUEM EXSPECTAVIMUS, *exultemus & lætemur in Salute Ipſius,* Cap. XXV: 9. *Vox clamantis in deſerto, parate viam* JEHOVÆ, *complanate in ſolitudine ſemitam* DEO NOSTRO, *revelabitur enim* GLORIA JEHOVÆ; *& videbunt omnis caro ſimul:* ECCE DOMINUS JEHOVIH IN FORTI VENIT, *ſicut* PASTOR *gregem ſuum paſcet,* Eſaj. XL: 3. 5. 10. 11. Et Angelus dixit, quoniam Ipſe Jehovah in Mundum venit, & aſſumſit Humanum, ideo Ipſe apud Prophetas vocatur SALVATOR & REDEMPTOR; & tunc coram illis legit hæc ſequentia „*Tantummodo inter te* DEUS, *& præterea non Deus, profecto Tu* DEUS *occultus,* DEUS ISRAELIS SALVATOR, Eſaj. XLV: 14. 15. *Nonne Ego* JEHOVAH, *& non amplius Deus præter Me,* DEUS JUSTUS ET SALVATOR PRÆTER ME, Eſaj. XLV: 21. 22. ECO JEHOVAH, ET NON PRÆTER ME SALVATOR, Eſaj. XLIII: 11. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnoſces,* ET SALVATOR NON PRÆTER ME, Hoſch. XIII: 4. *Ut ſciat omnis caro, quod* EGO JEHOVAH SALVATOR TUUS ET REDEMPTOR TUUS, Eſaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. QUOAD REDEMPTOREM NOSTRUM, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Eſaj. XLVII: 4. REDEMPTOR EORUM, FORTIS JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Jerem. L: 24. JEHOVAH *Petra mea &* REDEMPTOR MEUS, Pſalm XIX: 15. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Iſraelis, Ego Jehovah Deus tuus,* Eſaj. XLVIII: 17. Cap. XLIII: 24. Cap. XLIX: 7. Cap. LIV: 8. *Tu* JEHOVAH *Pater noſter,* REDEMPTOR NOSTER *a ſæculo nomen tuum,* Eſaj. LXIII: 16. *Sic dixit* JEHOVAH, REDEMPTOR TUUS, *Ego Jehovah faciens omnia, & Solus a Me Ipſo,* Eſaj. XLIV: 24. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraelis, &* REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus, &* præter Me non Deus, Eſaj. XLIV: 6. JEHOVAH ZEBAOTH *nomen Ipſius, &* REDEMPTOR TUUS *Sanctus Iſraelis,* DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Eſaj. LIV: 5. *Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi Germen juſtum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipſius,* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16, *In die illo erit Jehovah in Regem ſuper totam Terram,* IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM, Sach. XIV: 9. Ex his & illis Sedentes ſuper ſoliis confirmati unanimiter dixerunt, quod Ipſe Jehovah aſſumſerit Humanum, ad redimendum & ſalvandum homines. Sed tunc audita eſt vox ex Romano-Catholicis, qui occultaverant ſe poſt Altare, dicens, quomodo poteſt Jehovah Deus Homo fieri, eſtne Creator Univerſi; & convertit ſe unus ex Sedentibus ſuper ſoliis ſecundi ordinis, & dixit, Quis tunc, & ille poſt Altare tunc ſtans juxta Altare reſpondit, FILIUS AB ÆTERNO; ſed reſponſum tulit, eſtne Filius ab æterno ſecundum

dum veſtram Confeſſionem etiam Creator univerſi; & quid Filius ac Deus natus ab æterno; & quomodo poteſt Divina Eſſentia, quæ eſt una & individua, ſeparari, ac unum ejus deſcendere, & non ſimul totum. ALTERA VENTILATIO DE DOMINO ERAT, Annon ſic Pater & Ipſe unum ſunt, ſicut Anima & Corpus unum ſunt, dixerunt, quod hoc conſequens ſit, quia a Patre eſt Anima. Tunc unus ex illis qui ſedebant ſuper ſoliis in tertio ordine, legebat ex Symbolica Fide, quæ Athanaſiana vocatur, hæc; *Tametſi noſter Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei eſt Deus & Homo, uſque non ſunt duo, ſed unus Chriſtus, imo eſt prorſus Unus*, EST UNA PERSONA, QUONIAM SICUT ANIMA ET CORPUS FACIUNT UNUM HOMINEM, ITA DEUS ET HOMO EST UNUS CHRISTUS; dixit Legens, quod Symbolum illud, ubi iſta verba ſunt, receptum ſit in Univerſo Chriſtiano orbe, etiam a Romano Catholicis; & dixerunt, quid pluribus opus eſt, ſunt Deus Pater & Ipſe unum, ſicut Anima & Corpus unum ſunt: & dixerunt, quia ita eſt, videmus, quod Humanum Domini ſit Divinum, quia eſt Humanum Jehovæ; tum quod Dominus quoad Divinum Humanum adeundus ſit, & quod ſic & non aliter adiri poſſit Divinum quod Pater vocatur. Hoc illorum concluſum confirmavit Angelus per plura ex Verbo, inter quæ fuerunt hæc, *Puer natus eſt nobis*, *Filius datus eſt nobis*, *Cujus Nomen, Mirabilis*, *Conſiliarius*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, IX: 5. apud Eundem, *Abraham non cognoſcit nos, & Iſrael non agnoſcit nos, Tu* JEHOVAH PATER NOSTER, REDEMPTOR NOSTER A SÆCULO NOMEN TUUM, LXIII: 16. Et apud Johannem, *Jeſus dixit qui credit in Me, credit in Ipſum qui miſit, Me, & qui videt Me*, VIDET IPSUM QUI MISIT ME, Joh. XII: 44. 45. *Dixit Philippus ad Jeſum, monſtra nobis Patrem, dicit illi Jeſus*, QUI VIDET ME, VIDET PATREM, *quomodo ergo tu dicis, monſtra nobis Patrem, nonne credis, quod* EGO IN PATRE ET PATER *in Me, credite Mihi*, QUOD EGO IN PATRE ET PATER IN ME, Joh. XIV: 8. 9. *Jeſus dixit*, EGO ET PATER UNUM SUMUS, Joh. X: 30. Tum, *omnia quæ Pater habet Mea ſuæ, & omnia Mea Patris*, Joh. XVI: 15. Cap. XVII: 10. Demum, *Jeſus dixit, Ego ſum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem, niſi per Me*, Joh. XIV: 6, his Legens addidit, quod ſimilia quæ a Domino de Se & Suo Patre hic dicta ſunt, etiam ab homine de ſe & ſua anima dici poſſint. His auditis dixerunt omnes uno ore & corde, quod Humanum Domini ſit Divinum, & quod hoc adeundum ſit ut adeatur Pater; quoniam Jehovah Deus, per illud ſe miſit in Mundum, & ſe fecit viſibilem oculis hominum, & ſic acceſſibilem: pariter fecit ſe viſibilem, & ſic acceſſibilem in Forma Humana Antiquis, ſed tunc per Angelum; ſed quia Hæc Forma fuit repræſentativa Domini Venturi, ideo omnia Eccleſiæ apud Antiquos fuerunt repræſentativa.

Poſt hac ſequebatur Deliberatio de SPIRITU SANCTO, & primum detecta eſt plurium Idea de DEO PATRE, FILIO, & SPIRITU SANCTO, quæ erat, quod Deus Pater ſederet in alto, & Filius ad dextram Ipſius, & a Se emitterent Spiritum Sanctum, ad illuſtrandum, docendum, juſtificandum & ſanctificandum homines. At tunc audita eſt vox e Cælo, dicens, non ſuſtinemus illam cogitationis ideam, quis non ſcit, quod Jehovah Deus ſit Omnipræſens; qui hoc ſcit & agnoſcit, etiam agnoſcet, quod Ipſe illuſtret, doceat, juſtificet & ſanctificet, & quod non ſit Deus medians, diſtinctus ab Ipſo, minus a duobus, ut perſona a perſona, quare removeatur prior idea, quæ eſt vana, & recipiatur hæc, quæ eſt juſta, & videbitis hoc clare. Sed tunc audita eſt vox a Romano-Catholicis, qui juxta Altare Templi ſtabant, dicens, quid tunc eſt SPIRITUS SANCTUS, qui in Verbo nominatur apud Evangeliſtas, & apud Paulum, a Quo tot docti e Clero, imprimis a noſtro, ſe dicunt duci; quis hodie in Chriſtiano Orbe Spiritum Sanctum, & ejus operationes, negat; ad hæc convertit ſe unus ex illis, qui ſuper ſoliis ſecundi ordinis ſedebant; & dixit, vos dicitis, quod Spiritus Sanctus ſit Perſona per ſe, & Deus per ſe, ſed quid eſt Perſona exiens & procedens a Perſona, niſi Operatio exiens & pro-

procedens, non poteſt una perſona ex altera exire & procedere, ſed operatio poteſt; aut quid eſt Deus exiens & procedens a Deo, niſi Divinum exiens & procedens, non poteſt Deus unus ab altero per alterum exire & procedere, ſed Divinum poteſt ex Deo Uno. His auditis Sedentes ſuper ſoliis unanimiter concluſerunt, quod Spiritus Sanctus non ſit Perſona per ſe, ita nec Deus per ſe, ſed quod ſit Sanctum Divinum exiens & procedens ex Unico Deo Omnipræſente, qui eſt Dominus. Ad hæc dixerunt Angeli ſtantes ad Menſam auream, ſuper qua erat Verbum, BENE, non legitur ullibi in Vetere Fœdere, quod Prophetæ loquuti ſint Verbum ex Spiritu Sancto, ſed ex Jehovah; & ubi in Novo Fœdere dicitur Spiritus Sanctus, intelligitur Divinum procedens, quod eſt Divinum illuſtrans, docens, vivificans, reformans & regenerans. Poſt hæc ſucceſſit altera Ventilatio de Spiritu Sancto, quæ erat, a Quo procedit Divinum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, num ex Patre vel num ex Domino; & cum hoc ventilabant, affulſit lux e Cælo, ex qua viderunt, quod Sanctum Divinum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, non procedat ex Patre per Dominum, ſed ex Domino a Patre, comparative ſicut apud hominem, ejus activum non procedit ab anima per corpus, ſed ex corpore ab anima. Hoc Angelus ſtans ad Menſam confirmavit per hæc e Verbo, *Ille, quem miſit Pater, verba Dei loquitur, non ex menſura dedit Illi Spiritum; Pater amat Filium, & omnia dedit in manum Ipſius*, Joh. III: 34. 35. *Exibit Virga de trunco Iſchaſi, quieſcet ſuper Ipſo Spiritus Jehovæ, Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, ſpiritus conſilii & virtutis*, Eſaj. XI: 1. *Quod Spiritus Jehovæ datus ſit ſuper Illum, & quod eſſet in Illo*, Eſaj. XLII: 1. Cap. LIX: 19. 20. Cap. LXI: 1. Luc. IV: 18. *Quando venerit Spiritus Sanctus*, QUEM EGO MISSURUS SUM VOBIS A PATRE, Joh. XV: 26, *Ille Me glorificabit*, QUIA EX MEO ACCIPIET, *& annuntiabit vobis;* OMNIA, QUÆCUNQUE PATER HABET, MEA SUNT, PROPTER HOC DIXI, QUOD EX MEO ACCEPTURUS SIT, ET ANNUNTIATURUS VOBIS, Joh. XVI: 14. 15. *Si abivero*, MITTAM PARACTETUM AD VOS, Joh. XVI: 7. *Quod Paracletus ſit* SPIRITUS SANCTUS, Joh. XIV: 26. NONDUM ERAT SPIRITUS SANCTUS, QUIA JESUS NONDUM GLORIFICATUS ERAT, Joh. VII: 39. Poſt Glorificationem autem, JESUS INSPIRAVIT ET DIXIT DISCIPULIS, ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, Joh. XX: 22. Et in Apocalypſi „*Quis non glorificet Nomen tuum, Domine, quia* SOLUS SANCTUS ES, Cap. XV: 4. Quoniam Divina Operatio Domini ex Divina Omnipræſentia Ipſius per Spiritum Sanctum intelligitur, ideo cum ad Diſcipulos loquutus eſt de Spiritu Sancto, Quem Ipſe a Patre miſſurus eſt, etiam dixit, *Non relinquam vos orphanos*, ABEO ET VENIO AD VOS; *& in die illo cognoſcetis, quod* EGO IN PATRE MEO, ET VOS IN ME, ET EGO IN VOBIS, Joh. XIV: 18. 20. 28. Et mox antequam abivit e Mundo, dixit, *Ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad Conſummationem ſæculi*, Matth. XXVIII: 20. His coram illis lectis, dixit Angelus, ex illis & pluribus aliis ex Verbo patet, quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ex Domino a Patre. Ad hæc Sedentes ſuper ſoliis, dicebant, HOC EST DIVINA VERITAS.

Demum factum eſt decretum, hoc, Quod ex deliberatis in hoc Concilio clare viderimus, & inde pro Sancta Veritate agnoſcamus, quod in Domino Deo Salvatore Jeſu Chriſto, ſit Divina Trinitas, quæ eſt, Divinum a Quo Quod vocatur Pater, Divinum Humanum quod vocatur Filius, & Divinum procedens quod vocatur Spiritus Sanctus; conclamantes, QUOD IN CHRISTO OMNIS PLENITUDO DIVINITATIS HABITET CORPORALITER, Coloſſ. II: 9. Ita eſt unus Deus in Eccleſia.

Poſtquam hæc in magnifico illo Concilio concluſa ſunt, ſurrexerunt; & venit Angelus cuſtos ex Cimeliarchio, & apportabat cuivis ex illis, qui ſuper Soliis conſederunt, Veſtes ſplendidas, hic & ibi intertextas filis aureis, & dixit, accipite VESTES NUPTIALES. Et deducti ſunt in gloria in Novum Cælum Chriſtianum, cum quo Eccleſia Domini in Terris, quæ eſt Nova Hieroſolyma, conjuncta erit.

CA-

CAPUT QUARTUM

DE

SCRIPTURA SACRA

SEU

VERBO DOMINI.

I.

Quod Scriptura Sacra ſeu Verbum ſit ipſum Divinum Verum.

189. In omnium ore eſt, quod Verbum ſit a Deo, Divinitus inſpiratum, & inde Sanctum; ſed uſque hactenus neſcitum eſt, ubinam in illo Divinum eſt, nam Verbum in litera apparet ſicut Scriptum vulgare, ſtylo peregrino, non ſublimi nec lucente, ſicut ad apparentiam ſunt Scripta ſæculi. Ex eo eſt, quod homo, qui Naturam pro Deo, aut qui illam præ Deo colit, & inde ex ſe & ſuo proprio, & non e Cælo a Domino, cogitat, facile in errorem de Verbo, & in contemtum ejus poſſit cadere, & ſecum dicere, cum id legit, quid hoc, quid illud, an hoc eſt Divinum, an Deus, Cui infinita Sapientia eſt, ita loqui poteſt; ubi & unde Sanctum ejus, niſi ex Religioſo, & inde perſuaſione.

190. Sed qui ita cogitat, ille non conſiderat, quod Jehovah Dominus, qui eſt Deus Cæli & Terræ, loquutus ſit Verbum per Moſen & Prophetas, & quod inde non poſſit eſſe quam Divinum Verum, nam quod Ipſe Jehovah Dominus loquitur, hoc illud eſt: nec conſiderat, quod Dominus Salvator, qui eſt idem cum Jehovah, loquutus ſit Verbum apud Evangeliſtas, multa ex ſuo ore, & reliqua ex Spiritu oris ſui, qui eſt Spiritus Sanctus, per duodecim ſuos Apoſtolos: inde eſt, ut Ipſe dicit, quod in Verbis ſuis ſit Spiritus & Vita, & quod Ipſe ſit Lux quæ illuſtrat, & quod ſit Veritas; quod patet a ſequentibus his locis, *Jeſus dixit, verba quæ Ego loquor vobis, Spiritus ſunt, & Vita ſunt*, Joh. VI: 63. *Jeſus dixit mulieri ad fontem Jacobi; ſi ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu peteres ab Illo; & daret tibi Aquam viventem: qui bibit ex Aqua, quam Ego dabo, non ſitiet in æternum, ſed Aqua, quam Ego dabo, fiet in illo fons Aquæ ſalientis in vitam æternam*, Joh. IV: 6. 10. 11. per Fontem Jacobi ſignificatur Verbum, ut quoque Deutr. XXXIII: 28, quare etiam Dominus, quia eſt Verbum, ibi ſedit, & loquutus eſt cum muliere; & per Aquam viventem ſignificatur verum Verbi. *Jeſus dixit, ſi quis ſitiverit, venito ad Me, & bibito; quiſquis credit in Me, ſicut dicit Scriptura, flu-*

flumina ex ventre illius fluent Aquæ viventis, Joh. VII: 37. 38. *Petrus dixit ad Jesum, verba Vitæ æternæ habes*, Joh: VI: 63. *Jesus dixit, Cælum & Terra transibunt, verba mea non transibunt*, Marc. XIII: 31. Quod verba Domini sint Veritas & Vita, est quia Ipse est Veritas & Vita, ut docet apud Johannem, *Ego sum Via, Veritas, & Vita*, Cap. XIV: 6. Et apud Eundem, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; in Illo Vita erat, & Vita erat Lux hominum*, Joh. I: 1. 2. 3. Per Verbum intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, in quo Solo Vita est, & Lux est. Inde est, quod Verbum, quod est a Domino, & quod est Dominus, dicatur FONS AQUARUM VIVARUM, Jerem. II: 13. Cap. XVII: 13. Cap. XXXI: 9. FONS SALUTIS, Esaj. XI: 1. 3. FONS, Sach. XIII: 1. ac FLUVIUS AQUÆ VITÆ, Apoc. XXII: 1; ac dicitur, *Quod Agnus, qui in medio Throni, pascet illos ad vivos Fontes aquarum*, Apoc. VII: 17. Præter aliis in locis, ubi Verbum etiam vocatur SANCTUARIUM & TABERNACULUM, in quo Dominus habitat cum homine.

191. Sed homo naturalis ex his usque non persuaderi potest, quod Verbum sit ipsum Divinum Verum, in quo Divina Sapientia est & Divina Vita, spectat enim illud a Stylo, in quo non videt illa. Sed stylus Verbi est ipse Stylus Divinus, cum quo omnis alius Stylus, utcunque sublimis & excellens apparet, non comparari potest. Stylus Verbi talis est, ut Sanctum sit in omni sensu, inque omni voce, imo alicubi in ipsis literis; inde Verbum conjungit hominem Domino, & aperit Cælum. Sunt duo, quæ procedunt a Domino, Divinus Amor & Divina Sapientia, seu quod idem, Divinum Bonum & Divinum Verum, Verbum in sua Essentia est utrumque hoc; & quia illud conjungit hominem Domino, & aperit Cælum, ut dictum est, ideo Verbum implet hominem Bonis Amoris & Veris sapientiæ, Voluntatem ejus bonis amoris, ac Intellectum ejus veris sapientiæ, inde homini est vita per Verbum. At probe sciendum est, quod illis solis sit vita ex Verbo, qui illud legunt propter finem, ut Divina Vera ex illo ut ex suo Fonte hauriant, & simul propter finem, ut Divina Vera inde hausta applicent vitæ: & quod contrarium fiat illis, qui Verbum legunt duntaxat propter finem, ut aucupent honores, & lucrentur Mundum.

192. Omnis homo, qui nescit, quod Sensus quidam Spiritualis insit Verbo, sicut Anima corpori, non potest aliunde judicare de Verbo, quam ex Sensu literæ ejus, cum tamen hic est sicut Theca continens pretiosa, quæ sunt Sensus spiritualis ejus; cum itaque Internus hic Sensus nescitur, non potest de Divina Sanctitate Verbi aliter judicari, quam sicut de lapide pretioso ex matrice quæ involvit & quandoque apparet sicut lapis vulgaris, aut sicut ex Arca confecta ex jaspide, lapide lazuli, amiantho seu lapide speculari, aut Achate, in qua in suo ordine jacent adamantes, rubini, sardonyces, topazii orientales, &c: hoc dum nescitur, non mirum est si arca illa non plus æstimatur quam secundum pretium materiæ ejus, quæ ad oculum apparet: simile est cum Veroo quoad Sensum literæ ejus. Ne itaque homo in dubio esset, quin Verbum sit Divinum & Sanctissimum, revelatus mihi est a Domino Sensus internus ejus, qui in sua essentia est Spiritualis, qui Sensui externo, qui est naturalis, inest, sicut anima corpori; ille sensus est spiritus, qui vivificat literam; quare ille Sensus potest de Verbi Divinitate & Sanctitate testari, & convincere etiam naturalem hominem, si vult convinci.

II.

Quod in Verbo Senſus Spiritualis ſit, hactenus ignotus.

193. Quis non agnoſcit & annuit quando dicitur, quod Verbum, quia eſt Divinum, in ſinu ſuo ſpirituale ſit; ſed quis huc uſque ſcivit, quid Spirituale, & ubinam illud in Verbo reconditum eſt; ſed quid Spirituale, in MEMORABILI poſt hoc Caput manifeſtabitur, & ubinam illud in Verbo latet, in nunc ſequentibus. Quod Verbum in ſinu ſpirituale ſit, eſt quia deſcendit a Jehovah Domino, ac pertranſiit Cælos Angelicos, & ipſum Divinum, quod in ſe eſt ineffabile & imperceptibile, in deſcenſu factum eſt adæquatum perceptioni Angelorum, & demum perceptioni hominum, inde eſt Senſus ſpiritualis qui eſt intus in Naturali, quemadmodum anima in homine, cogitatio intellectus in loquela, & affectio voluntatis in actione; & ſi comparare licet cum talibus, quæ ante oculos in Mundo naturali apparent, eſt Senſus ſpiritualis in Senſu naturali, ſicut Univerſum Cerebrum intra Meninges aut Matres ſuas; aut ſicut palmites arboris intra libros & philyras ſuas, imo ſicut omnia generationis pulli intra teſtam ovi, & ſic porro. Sed quod talis ſit Senſus ſpiritualis Verbi in Senſu naturali ejus, a nemine huc uſque divinatum eſt, quare neceſſum eſt, ut hoc Arcanum, quod in ſe eminens eſt præ omnibus Arcanis hactenus detectis, pateat coram intellectu, quod fiet, dum in hoc ordine illud exponitur, I. *Quid Senſus ſpiritualis.* II. *Quod ille Senſus in omnibus & ſingulis Verbi ſit.* III. *Quod ex illo ſit, quod Verbum Divinitus inſpiratum ſit, ac in omni voce ſanctum.* IV. *Quod ille Senſus hactenus ignotus fuerit.* V. *Quod non alicui poſthac detur, niſi qui in genuinis veris a Domino eſt.* VI. *Mirabilia de Verbo ex Senſu ſpirituali ejus.* Hæc nunc ſingulatim evolventur.

194. I. QUID SENSUS SPIRITUALIS. Senſus ſpiritualis non eſt ille, qui e ſenſu literæ Verbi elucet, quando quis ſcrutatur & explicat Verbum ad confirmandum Eccleſiæ quoddam dogma, hic ſenſus poteſt vocari ſenſus Verbi literalis & Eccleſiaſticus; ſed Senſus ſpiritualis non apparet in ſenſu literæ, eſt intus in illo, ſicut anima in corpore, ſicut cogitatio intellectus in oculis, ac ſicut affectio amoris in facie. Ille ſenſus principaliter facit, ut Verbum ſit ſpirituale, non modo pro hominibus, ſed etiam pro angelis; quare Verbum per illum Senſum communicat cum Cælis. Quoniam Verbum interius eſt Spirituale, ideo per meras Correſpondentias conſcriptum eſt, & quod ſcriptum eſt per Correſpondentias, hoc in ſenſu ultimo ſcriptum eſt tali ſtylo, quali apud Prophetas, Evangeliſtas, & in Apocalypſi, qui tametſi apparet vulgaris, uſque ille Sapientiam Divinam, & omnem Angelicam in ſe recondit. Quid Correſpontia, videri poteſt in Opere de CÆLO & INFERNO Londini 1753 edito, ubi actum eſt *de Correſpondentia omnium Cæli cum omnibus hominis*, n: 87 ad 102. Et *de Correſpondentia omnium Cæli cum omnibus Telluris*, n: 103 ad 115; & amplius videbitur ab Exemplis e Verbo infra adducendis.

195. A Domino procedit DIVINUM CÆLESTE, DIVINUM SPIRITUALE, & DIVINUM NATURALE, unum poſt alterum. DIVINUM CÆLESTE vocatur quicquid procedit a Divino Amore Ipſius, & omne id eſt Bonum: DIVINUM SPIRITUALE vocatur quicquid procedit a Divina Sapientia Ipſius, & omne id eſt Verum. DIVINUM NATURALE eſt ex utroque, eſt illorum complexus in ultimo. Angeli Regni Cæleſtis, ex quibus eſt Tertium ſeu Supremum Cælum, ſunt in Divino quod procedit a Domino, quod Cæleſte vocatur, nam ſunt in Bono amoris a Domino. Angeli Regni ſpiritualis Domini, ex quibus eſt Secundum ſeu Medium Cælum, ſunt in Divino quod procedit a Domino, quod Spirituale vocatur, nam ſunt in Divina ſa-

ſapientia a Domino: Angeli Regni Naturalis Domini, ex quibus eſt Primum ſeu infimum Cælum, ſunt in Divino quod procedit a Domino, quod Divinum Naturale vocatur, & ſunt in fide charitatis a Domino. Homines autem Eccleſiæ, ſunt ſecundum amorem, ſapientiam, ac fidem eorum, in uno ex illis Regnis, & in quo ſunt, in illud etiam poſt mortem veniunt. Quale eſt Cælum, tale etiam eſt Verbum Domini, in ultimo ſuo ſenſu eſt Naturale, in interiori eſt Spirituale, ac in intimo Cæleſte, & in ſingulis Divinum; quare accommodatum eſt Angelis Trium Cælorum, & quoque Hominibus.

196. II. QUOD SENSUS SPIRITUALIS IN OMNIBUS ET SINGULIS VERBI SIT, non melius videri poteſt, quam ab Exemplis; quæ ſint hæc ſequentia. Dicit Johannes in Apocalypſi, *Vidi Cælum apertum, cum ecce Equus Albus, & qui Sedens ſuper eo vocabatur Fidelis & Verus, qui in Juſtitia judicat & pugnat: & Oculi ejus ſlamma ignis; ac ſuper Capite Ejus diademata multa, habens Nomen ſcriptum, quod nemo ſcit niſi Ipſe: & indutus erat veſtimento tincto ſanguine; & vocatur Nomen Ipſius* VERBUM DEI. *Exercitus Ejus in Cælo ſequebantur Ipſum ſuper Equis albis, induti byſſinum album & mundum. Habet ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum* REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM. *Vidi porro unum Angelum ſtantem in Sole, qui clamavit voce magna, venite & congregamini ad Cænam magnam, ut comedatis carnes regum, & carnes chiliarchorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium ſuper illis, & carnes omnium liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum*, Cap. XIX: 11 ad 18. Quid hæc ſignificant nemo videre poteſt niſi ex Senſu ſpirituali Verbi, & nemo Senſum ſpiritualem niſi ex ſcientia Correſpondentiarum; nam omnes voces ſunt correſpondentiæ, & nulla vox eſt vana. Scientia Correſpondentiarum docet, quid ſignificat Equus albus, quid Sedens ſuper illo, quid Oculi qui ſicut flamma ignis, quid Diademata quæ ſuper capite, quid Veſtimentum tinctum ſanguine, quid Byſſinum album, quo induti qui ab excercitu Ipſius in Cælo, quid Angelus ſtans in Sole, quid Cæna magna ad quam venirent & congregarentur, tum quid Carnes regum & chiliarchorum, & plurium aliorum, quas comederent. Quid autem ſingula illa in Senſu ſpirituali ſignificant, in APOCALYPSI REVELATA a n. 820 ad 838, & quoque in Opuſculo de EQUO ALBO, explicatum videatur, quare illa ulterius explicare ſuperſedetur: ibi oſtenſum eſt, quod Dominus quoad Verbum ibi deſcribatur, & quod per Oculos Ipſius qui ſicut flamma ignis, intelligatur Divina Sapientia Divini Amoris Ipſius; & per Diademata quæ ſuper Capite, & quod per Nomen, quod nemo ſcit niſi Ipſe, intelligantur Divina Vera Verbi ab Ipſo, & quod quale eſt Verbum in ſenſu ſpirituali nemo videat quam Dominus, & cui Ipſe revelat; tum, quod per Veſtimentum tinctum ſanguine, intelligatur ſenſus naturalis Verbi, qui eſt ſenſus literæ ejus, cui violentia illata eſt; quod ſit Verbum, quod ita deſcribitur, manifeſte patet, nam dicitur, VOCATUR NOMEN EJUS VERBUM DEI; quod ſit Dominus, qui intelligitur, etiam manifeſte patet, nam dicitur quod Nomen Sedentis ſuper Equo Albo eſſet, REX REGUM ET DOMINUS DOMINORUM, ſimiliter ut in Apocalypſi XVII: 14, ubi dicitur, *Et Agnus vincet illos, quia* EST DOMINUS DOMINORUM ET REX REGUM. Quod Senſus ſpiritualis Verbi aperiendus ſit in fine Eccleſiæ, ſignificatur non modo per illa quæ de Equo Albo & de Sedente ſuper illo dicta ſunt, ſed etiam per Cænam magnam, ad quam per Angelum in Sole ſtantem, omnes invitati ſunt ut venirent, & ederent carnes regum, & chiliarchorum, &c, per quæ ſignificatur appropriatio omnium bonorum a Domino. Omnes ibi expreſſiones forent voces vanæ, & abſque vita & ſpiritu, niſi Senſus ſpiritualis intus in illis eſſet, ſicut anima in corpore.

197. In Apocalypſi Cap. XXI, deſcribitur ita Nova Hieroſolyma ,, *Quod in illa eſſet Luminare ſimile Lapidi pretioſiſſimo, ſicut Lapidi jaſpidi, inſtar Chryſtalli ſplendenti. Quod haberet Murum magnum & altum, habentem Portas duodecim, &*

ſu-

uper portis Angelos duodecim, & Nomina ſcripta duodecim Tribuum filiorum Iſraelis. Quod Murus eſſet 144 *cubitorum, quæ eſt menſura hominis, hoc eſt, Angeli; & quod ſtructura Muri eſſet Jaſpis, & fundamenta ejus ex omni Lapide pretioſo, ex jaſpide, ſapphiro, chalcedonio, ſmaragdo, ſardonyche. ſardio, chryſolitho, beryllo, topazio, chryſopraſo, hyacintho, & amethiſto. Quod Portæ eſſent duodecim Margaritæ. Quod ipſa Urbs eſſet aurum purum, ſimile vitro puro; & quod eſſet quadrangularis; Longitudo, Latitudo & Altitudo æqualia,* 1200 *ſtadiorum*, præter plura. Quod omnia hæc ſpiritualiter intelligenda ſint, conſtare poteſt ex eo, quod per Novam Hieroſolymam intelligatur Nova Eccleſia, quæ a Domino inſtauranda eſt, ut in APOCALYPSI REVELATA, n: 880, oſtenſum eſt; & quia per Hieroſolymam ibi ſignificatur Eccleſia, ſequitur, quod omnia quæ dicuntur de illa ut Urbe, de Portis ejus, de Muro ejus, de Fundamentis muri, tum quæ de menſuris eorum, ſenſum ſpiritualem contineant, quoniam illa quæ Eccleſiæ ſunt, ſpiritualia ſunt; quid autem ſignificant, in APOCALYPSI REVELATA, a n: 896 ad 925, demonſtratum eſt, quare ulterius illa demonſtrare, ſuperfluum foret. Satis eſt, ut inde ſciatur, quod Senſus ſpiritualis inſit ſingulis deſcriptionis ejus, ut Anima corpori, & quod abſque illo ſenſu nihil Eccleſiæ intelligeretur in illis quæ ibi ſcripta ſunt, ut quod Urbs illa eſſet ex puro auro, portæ ejus ex margaritis, murus ex jaſpide, fundamenta muri ex lapidibus pretioſis, quod murus eſſet 144 cubitorum, quæ menſura hominis, hoc eſt, Angeli, & quod Urbs eſſet longitudine, latitudine, & altitudine 12000 ſtadiorum, præter plura; qui autem ex Scientia Correſpondentiarum Senſum ſpiritualem novit, is intelligit illa, ut quod Murus & Fundamenta ejus ſignificent doctrinalia illius Eccleſiæ ex Senſu literæ Verbi; & quod Numeri 12. 144. 12000, omnia ejus ſignificent, ſeu vera & bona ejus in uno complexu.

198. Ubi Dominus de Conſummatione ſæculi, quæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ, coram Diſcipulis ſuis loquitur, ad finem prædictionum de ſucceſſivis ſtatus mutationibus ejus, dicit, *Statim poſt afflictionem dierum illorum Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & Potentiæ cælorum commovebuntur. Et tunc apparebit Signum Filii hominis in Cælo, & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum potentia & gloria multa; & emittet Angelos cum tubæ voce magna, & congregabunt electos Ipſius a quatuor ventis ab extremo Cælorum uſque ad extremum illorum*, Matth. XXIV: 29. 30. 31. Per hæc in ſenſu ſpirituali non intelligitur, quod Sol & Luna obſcurarentur, quod Stellæ caderent de Cælo, quodque appariturum ſit ſignum Domini in Cælis, & quod viſuri Ipſum in nubibus, & ſimul Angelos cum tubis; ſed per ſingula verba ibi intelliguntur ſpiritualia, quæ Eccleſiæ ſunt, de cujus ſtatu in fine, illa dicta ſunt; in Senſu enim ſpirituali per Solem qui obſcurabitur, intelligitur amor in Dominum, per Lunam, quæ non dabit lumen ſuum, intelligitur fides in Ipſum, per Stellas quæ cadent de Cælo, intelliguntur cognitiones veri & boni; per ſignum Filii hominis in Cælo, intelligitur apparitio Divini Veri in Verbo ab Ipſo; per Tribus terræ quæ plangent, intelligitur defectus omnis veri quod fidei eſt, & omnis boni quod amoris; per adventum Filii hominis in nubibus Cæli cum potentia & gloria, intelligitur præſentia Domini in Verbo & revelatio, per nubes cæli ſignificatur Verbi ſenſus literæ, & per gloriam Verbi ſenſus ſpiritualis; per Angelos cum tubæ voce magna, intelligitur Cælum unde Divinum Verum; per congregare electos a quatuor ventis ab extremo Cælorum ad extremum illorum, intelligitur novum Cælum & nova Eccleſia ex illis, qui fidem in Dominum habent, & vivunt ſecundum præcepta Ipſius. Quod non intelligatur obſcuratio ſolis & lunæ, ac delapſus ſtellarum in terram, conſtat manifeſte ex Prophetis, apud quos ſimilia dicuntur de Eccleſiæ ſtatu, quando Dominus in Mundum venturus eſt, ut apud Eſajam, *Ecce dies Jehovæ veniet ſævus, & excandeſcendiæ iræ; Stellæ cælorum, & Sidera illorum non lucebunt luce ſua, obtenebrabitur Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplen-*

dere faciet lumen ſuum; viſitabo ſuper Orbem malitiam, XXIV: 21. 23. Apud Joelem „ *Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum & caliginis, Sol & Luna atrati erunt, & Stellæ contrahent ſplendorem ſuum*, III: 4. Cap. IV: 15. Apud Ezechielem „ *Obtegam Cælos, & atrabo Stellas, Solem nube obtegam, & Luna non lucere faciet lumen ſuum; omnia Luminaria lucis obtegam, & dabo tenebras ſuper terra*, XXII: 7. 8: per Diem Jehovæ intelligitur adventus Domini, qui fuit, quando non amplius erat aliquod bonum amoris & verum fidei in Eccleſia reſiduum, & non aliqua cognitio Domini, ideo vocatur Dies tenebrarum & caliginis.

199. Quod Dominus, cum in Mundo fuit, loquutus ſit per Correſpondentias, ita etiam ſpiritualiter cum naturaliter, conſtare poteſt a Parabolis Ipſius, quarum ſingulis verbis ineſt ſenſus ſpiritualis; exemplo ſit Parabola de decem Virginibus: dixit „ *Simile eſt Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ accipientes Lampades ſuas exiverunt in occurſum Sponſi: quinque ex illis erant Prudentes, quinque vero Stultæ: quæ erant Stultæ, accipientes Lampades ſuas non acceperunt oleum, Prudentes vero acceperunt oleum in lampadibus ſuis. Tardante vero Sponſo, dormitarunt omnes & obdormierunt: media autem nocte clamor factus eſt, ecce Sponſus venit, exite in occurſum Ejus; tunc expergefactæ omnes Virgines iſtæ, & adornabant Lampades ſuas, verum Stultæ Prudentibus dicebant, date nobis de Oleo veſtro, quia Lampades noſtræ exſtinguuntur: ſed reſpondebant Prudentes, dicentes, ne forte ſufficiat nobis & vobis; abite potius ad Vendentes, & emite vobis ipſis. At abeuntibus illis ad emendum, venit Sponſus, & paratæ ingreſſæ ſunt cum Ipſo ad nuptias; & oſtium clauſum eſt. Et tandem veniunt etiam reliquæ Virgines, dicentes, Domine, Domine, aperi nobis; Ille vero reſpondens dixit, amen dico vobis, non novi vos*, Matth. XXV: 1 ad 12. Quod in ſingulis his ſit Senſus ſpiritualis, & inde Sanctum Divinum, non videt, niſi qui novit, quod Senſus ſpiritualis ſit, & qualis ille. In Senſu ſpirituali per Regnum cælorum, intelligitur Cælum & Eccleſia; per Sponſum Dominus; per Nuptias Conjugium Domini cum illis per bonum amoris & verum fidei; per Virgines illi qui ab Eccleſia ſunt; per Decem omnes; per Quinque aliqua pars; per Lampades illa quæ fidei ſunt; per Oleum illa quæ boni amoris; per Dormire & Expergiſci, vita hominis in Mundo quæ naturalis, & vita ejus poſt mortem quæ ſpiritualis; per Emere, comparare ſibi; per ire ad Vendentes & Emere Oleum, comparare ſibi bonum amoris ab aliis poſt mortem; & quia tunc non amplius comparatur, ideo tametſi cum lampadibus & empto Oleo ad oſtium, ubi nuptiæ erant, venerunt, uſque illis dictum eſt a Sponſo, non novi vos; cauſa eſt, quia homo poſt vitam in Mundo, manet qualis in Mundo vixerat. Ex his patet quod Dominus per meras Correſpondentias loquutus ſit, & hoc quia ex Divino, quod in Ipſo & Ipſius erat. Quia Virgines ſignificant illos qui ab Eccleſia ſunt, ideo toties in Verbo Prophetico dicitur Virgo & Filia Sionis, Hieroſolymæ, Jehudæ, Iſraelis: & quia Oleum ſignificat bonum amoris, ideo omnia Sancta Eccleſiæ oleo ungebantur. Simile eſt in reliquis Parabolis, & in omnibus verbis, quæ Dominus loquutus eſt; inde eſt quod Dominus dicat, quod verba Ipſius ſpiritus & vita ſint, Joh. VI: 63.

200. III. Quod ex Senſu ſpirituali sit, quod Verbum Divinitus inſpiratum sit, ac in omni voce ſanctum. Dicitur in Eccleſia, quod Verbum ſit Sanctum, & hoc quia Jehovah Dominus illud loquutus eſt, ſed quia Sanctum ejus in ſolo Senſu literæ non apparet, ideo qui propterea de Sanctitate ejus ſemel dubitat, ille poſtea cum legit Verbum, ſe per multa ibi confirmat, dicit enim ſecum, num hoc Sanctum, num hoc Divinum. Ne itaque talis Cogitatio apud multos influat, & poſtea invaleſcat, & inde Verbum ſicut Scriptum vile reſiciatur, & per id conjunctio Domini cum homine illo pereat, placuit Domino nunc Senſum ſpiritualem ejus revelare, propter finem, ut ſciatur, ubinam Sanctum Divinum in illo latet. Sed Exempla hoc illuſtrent: in Verbo nunc agitur de Ægypto, nunc de Aſſchure, nunc de Edomo, de Moabo, de filiis Ammonis, de Philiſthæis, de Tyro & Zidone,

de Gogo; qui non ſcit, quod per Nomina illorum ſignificentur res Cæli & Eccleſiæ, in errorem abduci poteſt, quod Verbum multum de Populis & Gentibus agat, & modo parum de Cælo & Eccleſia, ita multum de Mundanis, & parum de Cæleſtibus; ſed cum ille ſcit, quid per illos ſeu per Nomina illorum ſignificatur, ab errore in veritatem poteſt reduci. Similiter dum in Verbo videt, quod ibi toties nominentur Horti, Luci, Sylvæ, tum Arbores illorum, ut Olea, Vitis, Cedrus, Populus, Quercus; & quod toties Agnus, Ovis, Hircus, Vitulus, Bos; & quoque Montes, Colles, Valles, & ibi Fontes, Fluvii, Aquæ, & plura ſimilia; ille, qui nihil ſcit de Senſu ſpirituali Verbi, non poteſt aliter credere, quam quod ſolum illa ſint, quæ intelliguntur; non ſcit enim quod per Hortum, Lucum, Sylvam, intelligantur Sapientia, Intelligentia, & Scientia; quod per Oleam, Vitem, Cedrum, Populum, & Quercum, intelligantur Eccleſiæ bonum & verum cæleſte, ſpirituale, rationale, naturale & ſenſuale; quod per Agnum, Ovem, Hircum, Vitulum, Bovem, intelligantur innocentia, charitas, & affectio naturalis; quod per Montes, Colles & Valles, intelligantur ſuperiora, inferiora & infima Eccleſiæ. Tum quod per Ægyptum ſignificetur ſcientificum, per Aſchurem rationale, per Edomum naturale, per Moabum adulteratio boni, per filios Ammonis adulteratio veri, per Philiſthæos fides abſque charitate, per Tyrum & Zidonem cognitiones boni & veri, per Gogum cultus externus abſque interno: in genere per JACOBUM in Verbo intelligitur Eccleſia naturalis, per ISRAELEM Eccleſia ſpiritualis, & per JEHUDAM, Eccleſia cæleſtis. Quando homo hæc & illa ſcit, tunc ille poteſt cogitare, quod Verbum non agat niſi quam de Cæleſtibus, & quod Mundana illa modo ſint ſubjecta in quibus illa ſunt. Sed Exemplum ex Verbo hoc quoque illuſtret; legitur apud Eſajam „*In die illo erit ſemita ex Ægypto in Aſchurem, ut veniat Aſchur in Ægyptum, & Ægyptus in Aſchurem, ſerviantque Ægyptii cum Aſchure: in die illo erit Iſrael trina Ægypto & Aſchuri, benedictio in medio terræ: Cui benedicet Jehovah Zebaoth, dicendo, benedictus populus meus Ægyptus, & opus manuum mearum Aſchur; & benedictio mea Iſrael*, Cap. XIX: 23. 24. 25. Per hæc in ſenſu ſpirituali intelligitur, quod tempore Adventus Domini, Scientificum, Rationale, & Spirituale, unum factura ſint, & quod tunc Scientificum inſerviturum ſit Rationali, ac utrumque Spirituali; nam, ut dictum eſt, per Ægyptum ſignificatur ſcientificum, per Aſchurem rationale, & per Iſraelem ſpirituale: per diem bis nominatum intelligitur Primus & Secundus adventus Domini.

201. IV. QUOD SENSUS SPIRITUALIS VERBI HACTENUS IGNOTUS FUERIT. Quod omnia & ſingula quæ in Natura ſunt, correſpondeant Spiritualibus, ſimiliter omnia & ſingula quæ in Corpore humano, in Opere de CÆLO ET INFERNO, n: 87 ad 105, oſtenſum eſt. Sed quid CORRESPONDENTIA, hactenus neſcitum eſt; verum in Antiquiſſimis temporibus notiſſima fuit; illis enim, qui tunc vixerunt, fuit Scientia correſpondentiarum ſcientia ſcientiarum, & tam univerſalis, ut omnes illorum Codices & Libri per Correſpondentias ſcripti ſint: Liber Hiobi, qui eſt Liber Antiquæ Eccleſiæ, Correſpondentiis plenus eſt. Hieroglyphica Ægyptiorum, & quoque Fabuloſa Vetuſtiſſimorum non alia fuerunt; omnes Eccleſiæ Antiquæ fuerunt Eccleſiæ repræſentativæ ſpiritualium; Ritus illarum, & quoque Statuta, ſecundum quæ inſtitutus fuit Cultus illarum, conſtabant ex meris Correſpondentiis; ſimiliter omnia Eccleſiæ apud filios Iſraelis; Holocauſta, Sacrificia, Minchæ & Libamina cum ſingulis illorum Correſpondentiæ fuerunt; ſimiliter Tabernaculum cum omnibus inibi; tum etiam Feſta illorum, ut Feſtum azymorum, Feſtum tabernaculorum, & Feſtum primitiarum; etiam Sacerdotium Aharonis & Levitarum, ut & Veſtes ſanctitatis illorum; quænam autem Spiritualia eſſent, quibus hæc & illa correſpondebant, in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, oſtenſum eſt; præter hæc, etiam omnia Statuta & Judicia, quæ cultum & vitam illorum concernebant, correſpondentiæ erant. Nunc quia Divina in Mundo ſe ſiſtunt in Correſpon-

den-

dentiis, ideo Verbum per meras Correſpondentias ſcriptum eſt; quare Dominus, quia loquutus eſt ex Divino, loquutus eſt per Correſpondentias, nam quod a Divino eſt, hoc in Natura cadit in talia quæ Divinis correſpondent, & quæ tunc Divina, quæ vocantur Cæleſtia & Spiritualia, in ſinu ſuo recondunt.

202. Inſtructus ſum, quod homines Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ fuit ante Diluvium, tam cæleſti genio fuerint, ut loquuti ſint cum Angelis Cæli, & quod loqui potuerint cum illis per Correſpondentias; inde ſtatus ſapientiæ illorum factus eſt talis, ut quicquid viderent in Tellure, non modo cogitarent de illo naturaliter, ſed etiam ſimul ſpiritualiter, ita quoque conjunctim cum Angelis Cæli. Inſuper inſtructus ſum, quod CANOCH, de quo memoratur in Geneſi Cap. V: 21 ad 24. cum conſociis ejus, ex ore illorum collegerit Correſpondentias, ac Scientiam illarum propagaverit ad poſteros; ex quo factum eſt, quod Scientia Correſpondentiarum in multis Regnis Aſiæ non modo nota fuerit, ſed etiam exculta, imprimis in Terra Canaane, Ægypto, Aſſyria, Chaldæa, Syria, Arabia, in Tyro, Zidone, Ninive, & quod inde tranſlata ſit in Græciam, ſed ibi verſa in Fabuloſa, ut conſtare poteſt a Vetuſtiſſimorum ſcriptis ibi.

203. Ut videri poſſit, quod Scientia Correſpondentiarum diu conſervata fuerit apud Gentes in Aſia, ſed apud illos qui vocabantur Divinatores & Sapientes, & a quibuſdam Magi, adducere volo Unum Exemplum ex 1 Sam. Cap. V & VI. Ibi memoratur, quod Arca, in qua binæ Tabulæ, quibus inſcriptus erat Decalogus, fuerunt, a Philiſthæis capta ſit, & poſita in Fano Dagonis in Aſchdodo, & quod Dagon coram illa in terram deciderit, & poſtea Caput ejus cum volis manuum a corpore divulſum ſuper limine Fani jaceret, & quod Aſchdodæi & Ekronitæ propter Arcam percuſſi ſint hæmorrhoidibus ad plura millia, & quod Terra illorum devaſtata ſit a muribus: & quod Philiſthæi propterea convocaverint Satrapas & Divinatores, & quod ad obviam eundum interitui illorum, concluſerint quod facerent quinque Hæmorrhoides, & quinque Mures ex auro, ac Plauſtrum novum, & ſuper hoc ponerent Arcam, & juxta illam hæmorrhoides & mures ex auro, & per binas Vaccas, quæ boabant in via ante Plauſtrum, Arcam ad Filios Iſraelis remitterent, a quibus Vaccæ & Plauſtrum ſacrificabantur, & ſic Deus Iſraelis propitiatus eſt. Quod omnia hæc a Divinatoribus Philiſthæorum excogitata fuerint Correſpondentiæ, conſtat ex ſignificatione illorum, quæ hæc eſt; ipſi Philiſthæi ſignificabant illos qui in fide ſeparata a charitate ſunt; Dagon repræſentabat Religioſum illud; Hæmorrhoides, quibus percuſſi ſunt, ſignificabant amores naturales, qui ſeparati ab amore ſpirituali immundi ſunt; ac Mures ſignificabant devaſtationem Eccleſiæ per falſificationes veri; Plauſtrum novum ſignificabat Doctrinam Eccleſiæ naturalem; nam Currus in Verbo doctrinam ex veris ſpiritualibus; Vaccæ ſignificabant Affectiones bonas naturales; hæmorrhoides ex auro ſignificabant amores naturales purificatos & factos bonos; Mures ex auro, ſignificabant vaſtationem Eccleſiæ per bonum ſublatam; Aurum enim in Verbo ſignificat bonum; Vaccarum boatio in via ſignificabat difficilem converſionem concupiſcentiarum mali naturalis hominis in affectiones bonas; quod Vaccæ cum Plauſtro in holocauſtum oblatæ ſint, ſignificabat quod ſic Deus Iſraelis propitiatus ſit. Hæc omnia, quæ Philiſthæi ex Suaſu Divinatorum ſuorum fecerunt, fuerunt Correſpondentiæ; ex quibus patet, quod Scientia illa apud gentes diu conſervata fuerit.

204. Quoniam Repræſentativi Ritus Eccleſiæ, qui erant Correſpondentiæ, temporis tractu cæperunt verti in Idololatrica, & quoque in Magica, tunc illa Scientia, ex Divina Domini Providentia ſucceſſive deperdita eſt, & apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam prorſus obliterata. Cultus quidem hujus Gentis conſtabat ex meris Correſpondentiis, & inde erat repræſentativus Cæleſtium, ſed uſque neſciebant, quid aliquid ſignificabat; erant enim prorſus Naturales homines, & inde non ſcire volebant nec poterant aliquid de Spiritualibus & Cæleſtibus, proin-

proinde nec aliquid de Correſpontiis, nam Correſpondentiæ ſunt Repræſentationes Spiritualium & Cæleſtium in Naturalibus.

205. Quod Idololatriæ Gentium Antiquis temporibus ex ſcientia Correſpondentiarum traxerint originem, erat ex cauſa, quia omnia, quæ apparent ſuper Tellure, correſpondent, ita non modo Arbores, ſed etiam Beſtiæ & Aves omnis generis, tum Piſces & reliqua. Antiqui, qui in ſcientia Correſpondentiarum fuerunt, fecerunt ſibi Imagines, quæ Cæleſtibus correſpondebant, & illis delectabantur quia ſignificabant talia, quæ Cæli & Eccleſiæ erant, & ideo illa non modo in ſuis Templis, ſed etiam in ſuis Domibus poſuerunt, non adorationis cauſa, ſed recordationis rerum cæleſtium, quas ſignificabant: inde in Ægypto & alibi fuerunt in imagine Vituli, Boves, Serpentes, tum Pueri, Senes, Virgines, quia Vituli & Boves ſignificabant affectiones & vires Naturalis hominis, Serpentes prudentiam & quoque aſtutiam ſenſualis hominis; Pueri innocentiam & charitatem, Senes ſapientiam, ac Virgines affectiones veri; & ſic porro. Poſteri, quando ſcientia Correſpondentiarum obliterata eſt, cæperunt Imagines & Simulachra ab Antiquis poſita, quia in Templis, & juxta illa, colere ut Sancta, & tandem ut Numina. Inde erat Antiquis etiam Cultus in Hortis & in Lucis ſecundum Arborum ſpecies; tum etiam ſuper Montibus & Collibus; Horti enim & Luci ſignificabant ſapientiam & intelligentiam, & unaquævis Arbor aliquid illarum, ſicut Olea bonum amoris, Vitis verum ex illo bono; Cedrus bonum & verum rationale; Mons Cælum ſupremum, & Collis Cælum ſub illo. Quod ſcientia Correſpondentiarum permanſerit apud plures Orientales uſque ad Adventum Domini, conſtare etiam poteſt ex Sapientibus ab Oriente, qui venerunt ad Dominum cum natus eſt, quare illis præivit Stella, & illi ſecum tulerunt dona, Aurum, Thus & Myrrham, Matth. II: 1. 2. 9. 10. 11; Stella enim, quæ præivit, ſignificabat cognitionem e Cælo, Aurum ſignificabat bonum cæleſte, Thus bonum ſpirituale, & Myrrha bonum naturale, ex quibus tribus eſt omnis Cultus. Sed uſque Scientia Correſpondentiarum prorſus nulla fuit apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam, tametſi omnia Cultus eorum & omnia Statuta & Judicia illis per Moſen data, & omnia Verbi, erant meræ Correſpondentiæ; cauſa fuit, quia illi corde Idololatræ erant, & inde tales, ut ne quidem ſcire vellent, quod aliquid Cultus illorum ſignificaret Cæleſte & Spirituale, credebant enim quod illa omnia eſſent Sancta ex ſe; quare ſi illis Cæleſtia & Spiritualia detecta fuiſſent, non modo rejeciſſent illa, ſed etiam prophanaviſſent; quapropter Cælum illis ita clauſum fuit, ut vix ſcirent, quod Vita æterna daretur; quod ita ſit, manifeſte patet ex eo, quod non agnoverint Dominum, tametſi univerſa Scriptura Sacra de Ipſo prophetavit, & Adventum Ipſius prædixit; rejecerunt Ipſum propter illam ſolam cauſam, quia illos de Regno cæleſti, & non de Regno terreſtri docuit, voluerunt enim Meſſiam, qui illos ſuper omnes Gentes in univerſo Mundo exaltaret, & non aliquem Meſſiam, qui ſaluti æternæ eorum conſuleret.

206. Quod Scientia Correſpondentiarum, per quam datur Senſus ſpiritualis Verbi, poſt illa tempora non detecta fuerit, fuit cauſa, quia Chriſtiani in Primitiva Eccleſia perquam ſimplices fuerunt, ut coram illis non detegi potuerit, nam ſi detecta, illis nullius uſus fuiſſet, nec intelligeretur. Poſt illorum tempora obortæ ſunt tenebræ ſuper univerſum Chriſtianum Orbem, primum per Hæretica plurium circumſparſa, & mox poſtea per conſulta & decreta Concilii Nicæni de tribus Perſonis Divinis ab æterno, & de Perſona Chriſti ut Filio Mariæ, & non ut Filio Jehovæ Dei; inde ſcaturivit Fides juſtificationis hodierna, in qua adeuntur tres Dii in ſuo ordine, ex qua fide pendent omnia & ſingula hodiernæ Eccleſiæ, ſicut membra corporis a ſuo Capite: & quia omnia Verbi ad confirmandum erroneam hanc Fidem applicuerunt, non potuit Senſus ſpiritualis detegi, nam ſi detecta fuiſſet, ad illam etiam Senſum eum applicuiſſent, & per id ipſum Sanctum

Verbi prophanaviſſent, & ſic ſibi Cælum prorſus occluſiſſent, & Dominum ab Eccleſia removiſſent.

207. Quod Scientia Correſpondentiarum, per quam datur Senſus ſpiritualis, hodie revelata ſit, eſt cauſa, quia nunc Divina Vera Eccleſiæ in lucem prodeunt, & hæc ſunt, ex quibus Senſus ſpiritualis Verbi conſiſtit; & dum hæc in homine ſunt, ſenſus literæ Verbi non perverti poteſt: Senſus enim literæ Verbi poteſt flecti huc illuc, ſed ſi flectitur ad Falſum, tunc perit ejus Sanctitas interna & cum hac externa, at ſi flectitur ad Verum manet illa; ſed de his in ſequentibus plura dicentur. Quod Senſus ſpiritualis hodie aperiretur, intelligitur per quod Johannes viderit Cælum apertum, & tunc Equum album, tum quod viderit & audiverit, quod Angelus ſtans in Sole omnes ad Cænam magnum convocaverit, de quibus in Apocalypſi Cap. XIX: 11 ad 18. Quod autem diu non agnoſceretur, intelligitur per Beſtiam & per Reges terræ, qui facturi bellum cum Sedente ſuper Equo albo, Apoc. XIX: 19; ut & per Draconem, quod perſequutus ſit Mulierem, quæ peperit Filium, uſque in deſertum, & ibi ex ore ſuo ejecerit aquas ſicut flumen, ut illam ſubmergeret, Apoc. XII: 13 ad 17.

208. V. Quod Sensus spiritualis Verbi non alicui posthac detur, nisi qui in genuinis veris a Domino est: Cauſa eſt, quia nemo poteſt Senſum ſpiritualem videre, niſi a ſolo Domino, & niſi in Divinis veris a Domino ſit; Senſus enim ſpiritualis Verbi agit de Solo Domino & de Ipſius Regno, & ille Senſus eſt in quibus ſunt Angeli Ipſius in Cælo, eſt enim Divinum Ipſius Verum ibi; hoc homo violare poteſt, ſi in Scientia Correſpondentiarum eſt, & per illam vult Senſum ſpiritualem Verbi ex propria intelligentia explorare, nam ex aliquibus Correſpondentiis ſibi notis poteſt Senſum illum pervertere, & illum ad confirmandum etiam Falſum trahere, & hoc foret violentiam inferre Divino Vero, & ſic quoque Cælo, in quo illud habitat; quare ſi quis a ſe, & non a Domino, Senſum illum aperire vult, clauditur Cælum, quo clauſo, homo aut nihil veri videt, aut ſpiritualiter inſanit. Cauſa etiam eſt, quia Dominus per Verbum unumquemvis docet, & docet ex illis cognitionibus quæ apud hominem ſunt, & non immediate novas infundit, quare niſi homo in Divinis veris ſit, aut ſi modo in paucis veris & ſimul in falſis, poteſt ex his falſificare vera; ut quoque fit ab unoquovis Hæretico quoad ipſum Senſum literæ Verbi. Ne itaque aliquis in Senſum ſpiritualem intret, ac genuinum Verum, quod illius Senſus eſt, pervertat, Cuſtodiæ a Domino poſitæ ſunt, quæ in Verbo per Cherubos intelliguntur.

209. VI. Mirabilia de Verbo ex Sensu spirituali ejus. In Mundo naturali non exiſtunt aliqua Mirabilia ex Verbo, quia Senſus ſpiritualis ibi non apparet; nec intus ab homine recipitur, qualis ille in ſe eſt; at in Mundo ſpirituali apparent Mirabilia ex Verbo, quia omnes ibi ſpirituales ſunt, ac ſpiritualia afficiunt hominem ſpiritualem, ſicut naturalia naturalem. Mirabilia, quæ in Mundo ſpirituali ex Verbo exiſtunt, ſunt plura, ex quibus pauca hic memorabo. Ipſum Verbum in adytis Templorum ibi lucet coram oculis Angelorum ſicut magna Stella, quandoque ſicut Sol, & quoque ex jubare circum circa apparent ſicut Irides pulcherrimæ; hoc fit ut primum aperitur adytum. Quod omnia & ſingula Vera Verbi luceant, hoc mihi conſtare potuit ex hoc, quod quando aliquis verſiculus ex Verbo ſuper Charta exſcribitur, & Charta projicitur in aerem, ipſa Charta luceat in tali forma, in quam ſecta eſt, quare poſſunt Spiritus per Verbum producere varias formas lucentes, & quoque avium & piſcium. Tum, quod adhuc mirabilius eſt, quod dum aliquis fricat faciem, aut manus, aut veſtes, quibus indutus eſt, Verbo aperto, applicando ejus ſcripturam illis, ipſa facies, manus & veſtes, luceant, ſicut ſtaret in Stella luce ejus circumfuſus; hoc perſæpe vidi & miratus ſum; inde conſtabat mihi, unde erat, quod facies Moſis luceret, quum Tabulas fœderis e Monte Sinai deportaret.

Præ-

Præter illa dantur plura alia Mirabilia ibi, quæ ex Verbo ſunt, ut, quod ſi quis in falſis eſt, ſpectat ad Verbum in loco ſancto jacens, oboriatur Caligo oculis ejus, & inde Verbum illi apparet nigrum, & quandoque ſicut fuligine obſitum; ſi autem idem tangit Verbum, fit exploſio cum fragore, & ille projicitur ad Angulum conclavis, & per horulam ibi jacet ſicut mortuus. Si aliquid ex Verbo ſuper charta a quodam qui in falſis eſt, exſcribitur, & Charta projicitur verſus Cælum, tunc in aere inter oculum ejus & Cælum fit ſimilis exploſio, & Charta diſcerpitur in floccos & evaneſcit: ſimile fit, ſi charta illa projicitur ad angulum, qui in propinquo ſtat; hoc ſæpius vidi. Exinde patuit mihi, quod nulla communicatio cum Cælo per Verbum ſit illis, qui in falſis doctrinæ ſunt, ſed quod lectio illorum diffluat in via, & pereat ſicut pulvis pyrius Chartæ incluſus, dum accenditur & ejicitur in aerem. Contrarium fit apud illos, qui in veris doctrinæ per Verbum a Domino ſunt; lectio Verbi ab illis penetrat uſque in Cælum, & facit conjunctionem cum Angelis ibi. Ipſi Angeli, cum deſcendunt de Cælo ad aliquod munus obeundum infra, apparent circumobſiti ſtellis parvis, imprimis circum caput, quod ſignum eſt, quod Divina vera ex Verbo in illis ſint.

Præterea in Mundo ſpirituali dantur ſimilia quæ in terris, ſed omnia & ſingula ibi ex origine ſpirituali, ita quoque datur aurum & argentum, & dantur Lapides pretioſi omnis generis, & horum origo ſpiritualis eſt Senſus literæ Verbi; inde eſt, quod in Apocalypſi fundamenta muri Novæ Hieroſolymæ deſcribantur per duodecim Lapides pretioſos, cauſa eſt, quia per Fundamenta muri ejus ſignificantur doctrinalia Novæ Eccleſiæ ex ſenſu literæ Verbi; inde etiam eſt, quod in Ephodo Aharonis etiam fuerint duodecim Lapides pretioſi, Urim & Thumim vocati, & quod per illos reſponſa e Cælo data ſint. Præter hæc, ſunt adhuc plura Mirabilia ex Verbo, quæ concernunt potentiam Veri ibi, quæ tam immenſa eſt, ut ſi deſcriberetur, excederet omnem fidem; potentia enim talis eſt, ut evertat montes & colles ibi, illos transferat in longinquum, & projiciat in mare, præter plura; in ſumma, Potentia Domini ex Verbo eſt infinita.

III.

Quod Senſus literæ Verbi ſit Baſis, Continens, & Firmamentum Senſus ſpiritualis & cæleſtis ejus.

210. In omni Divino eſt Primum, Medium & Ultimum, ac Primum vadit per Medium ad Ultimum, & ſic exiſtit & ſubſiſtit; inde Ultimum eſt Basis. Tum Primum eſt in Medio, & per Medium in Ultimo, ita Ultimum eſt Continens; & quia Ultimum eſt Continens & Baſis, eſt etiam Firmamentum. Ab Erudito comprehenditur, quod illa Tria nominari poſſint Finis, Cauſa & Effectus; tum Eſſe, Fieri & Exiſtere, & quod Finis ſit Eſſe, Cauſa ſit Fieri, & Effectus ſit Exiſtere; conſequenter quod in omni re completa, ſit Trinum, quod vocatur Primum, Medium, & Ultimum, tum Finis, Cauſa & Effectus. Cum hæc comprehenduntur, etiam comprehenditur, quod omne Divinum Opus in Ultimo ſit Completum & Perfectum; & quoque quod in Ultimo, ſit Omne, quia in illo Priora ſimul.

211. Ex eo eſt, quod per Tria in Verbo in Senſu ſpirituali intelligatur completum & perfectum, tum omne ſimul; & quia hæc per illum Numerum ſignificantur, ideo toties in Verbo adhibetur, quoties tale deſignatur; ut in his, *Quod Eſajas iret Nudus & diſcalceatus* Tres Annos, Eſaj. XX: 3. *Quod Jehovah* Ter *vocaverit Samuelem, & quod Samuel* Ter *cucurrerit ad Eli, & quod Eli* Tertia vice *intellexerit*, 1 Sam. III: 1 ad 8. *Quod Jonathan diceret ad Davidem, quod occultaret ſe*

in agro TRIBUS DIEBUS, *quod Jonathan poſtea ad latus lapidis jacularetur* TRES SAGITTAS; *& quod deinde David ſe incurvaret* TRIBUS VICIBUS, *coram Jonathane*, 1 Sam. XX: 5, 12 ad 42. *Quod Elias ſe menſus ſit ſuper filium Viduæ* TRIBUS VICIBUS, 1 Reg. XVII: 21. *Quod Elias juſſerit ut funderent aquam ſuper Holocauſtum* TRIBUS VICIBUS, 1 Reg. XVIII: 34. *Quod Jeſus dixerit, quod Regnum Cælorum ſit ſimile fermento, quod accipiens mulier abſcondidit in* TRIBUS SATIS, *donec fermentaretur totum*, Matth. XIII: 33. *Quod Jeſus dixerit ad Petrum, quod* TER *abnegaturus ſit Ipſum*, Matth. XXVI: 34. *Quod Jeſus* TER *dixerit Petro, amaſne Me*, Joh. XXI: 15. 16. 17. *Quod Jonas fuerit in ventre Ceti* TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS, Jon. II: 2. *Quod Jeſus dixerit, quod Templum diſſolveret, & Ipſe illud per* TRES DIES *reædificaret*, Matth. XXVI: 31. *Quod Jeſus in Gethſemane* TRIBUS VICIBUS *oraverit*, Matth. XXVI: 39 ad 44. *Quod Jeſus* TERTIO DIE *refurrexerit*, Matth. XXVIII: 1: præter multis aliis in locis, ubi Tria nominantur; & nominantur, ubi agitur de Opere finito & perfecto, quia hoc per illum Numerum ſignificatur.

212. Sunt Tres Cæli, Supremum, Medium, & Infimum; Supremum Cælum facit Regnum Cæleſte Domini, Medium Cælum facit Regnum Spirituale Ipſius, & Infimum Cælum facit Regnum Ipſius Naturale: quemadmodum Tres Cæli ſunt, ita quoque Tres Senſus Verbi ſunt, Cæleſtis, Spiritualis, & Naturalis; cum quibus etiam coincidunt illa, quæ ſupra n: 210 dicta ſunt, videlicet quod Primum ſit in Medio, & per Medium in Ultimo, prorſus ſicut finis in cauſa, & per cauſam in effectu. Inde patet, quale eſt Verbum, quod nempe in Senſu literæ ejus, qui eſt Naturalis, ſit interior Senſus qui eſt Spiritualis, & in hoc intimus qui eſt Cæleſtis; & ſic quod Ultimus Senſus, qui eſt Naturalis & vocatur Senſus literæ, ſit binorum Senſuum interiorum Continens, ita Baſis & Firmamentum.

213. Ex his ſequitur, quod Verbum abſque Senſu literæ ejus, foret ſicut Palatium abſque fundamento, ita ſicut Palatium in aere, & non ſuper Terra, quod modo foret umbra ejus, quæ evaneſceret. Tum quod Verbum abſque Senſu literæ ejus, foret ſicut Templum, in quo plura Sancta ſunt, & in medio ejus Adytum, abſque tecto & pariete, quæ ſunt Continentia ejus; quæ ſi abeſſent, vel ſi auferrentur, Sancta ejus a furibus diriperentur, & a beſtiis terræ, & a volucribus Cæli violarentur, & ſic diſſiparentur. Similiter foret ſicut Tabernaculum filiorum Iſraelis in deſerto, in cujus intimo fuit Arca fœderis, ac in medio ejus Candelabrum aureum, Altare aureum ſuper quo ſuffimenta, tum Menſa ſuper qua panes facierum, abſque ultimis ſuis, quæ erant aulæa, vela & columnæ. Imo foret Verbum abſque Senſu literæ ejus, ſicut Corpus humanum, abſque integumentis ejus, quæ vocantur Cutes, & abſque ſuſtentaculis, quæ vocantur Oſſa, abſque his & illis diffluerent omnia interiora ejus. Ac foret ſicut Cor & Pulmo in Thorace, abſque integumento ſuo quod vocatur Pleura, & ſuſtentaculis ſuis, quæ vocantur Coſtæ. Aut ſicut Cerebrum, abſque integumentis ſuis, quæ vocantur dura & pia Mater, & abſque communi Tegumento, Continente & Firmamento ſuo, quod vocatur Cranium. Simile foret cum Verbo abſque Senſu literæ ejus; quare dicitur apud Eſajam, *Quod Jehovah creet ſuper omni gloria obtegumentum*, Cap. IV: 5.

IV.

Quod Divinum Verum in Senſu literæ Verbi, ſit in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia.

214. Quod Verbum in Senſu literæ ſit in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia, eſt quia bini Senſus priores ſeu interiores, qui vocantur Spiritualis & Cæleſtis, in Senſu na-

naturali, qui eſt Senſus literæ, ſunt ſimul, ut ſupra n: 210 & 212, dictum eſt; ſed quomodo ſunt ſimul, porro dicetur. Datur in Cælo & in Mundo Ordo ſucceſſivus, & Ordo ſimultaneus, in Ordine ſucceſſivo ſuccedit & ſequitur unum poſt alterum, a ſupremis uſque ad infimum; in Ordine autem ſimultaneo eſt unum juxta alterum, ab intimis uſque ad extima. Ordo ſucceſſivus eſt ſicut Columna cum gradibus a ſummo ad imum; at Ordo ſimultaneus eſt ſicut opus cohærens cum peripheriis a Centro uſque ad ultimam ſuperficiem. Nunc dicetur, quomodo Ordo ſucceſſivus fit in Ultimo Ordo ſimultaneus; fit hoc modo; ſuprema Ordinis ſucceſſivi fiunt intima Ordinis ſimultanei, & infima Ordinis ſucceſſivi fiunt extima Ordinis ſimultanei; eſt comparative ſicut Columna graduum ſubſidens fit Corpus cohærens in plano. Ita formatur Simultaneum a Succeſſivo, & hoc in omnibus & ſingulis Mundi naturalis, & in omnibus & ſingulis Mundi ſpiritualis, nam ubivis eſt Primum, Medium & Ultimum, ac Primum per Medium tendit & vadit ad ſuum Ultimum: ſed probe intelligendum eſt, quod ſint puritatis gradus, ſecundum quos fit uterque Ordo. Nunc ad Verbum; Cæleſte, Spirituale & Naturale, procedunt a Domino in Ordine ſucceſſivo, & in Ultimo ſunt in Ordine ſimultaneo; ita nunc Senſus cæleſtis & ſpiritualis Verbi ſunt in Senſu ejus naturali ſimul. Dum hoc comprehenditur, videri poteſt, quomodo Senſus naturalis Verbi eſt continens, baſis & firmamentum Senſus ſpiritualis & cæleſtis ejus; tum quomodo Divinum bonum & Divinum verum in Senſu literæ Verbi eſt in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia. Ex his conſtare poteſt, quod Verbum ſit ipſum Verbum in ſuo Senſu literæ, in hoc enim intus eſt ſpiritus & vita: hoc eſt, quod Dominus dicit, *Verba, quæ Ego loquor vobis, Spiritus & Vita ſunt*, Joh. VI: 63, Dominus enim verba ſua in Senſu naturali loquutus eſt. Senſus cæleſtis & ſpiritualis non ſunt Verbum abſque Senſu naturali, ſunt enim ſicut ſpiritus & vita abſque corpore; & ſunt, ut prius n: 213, dictum eſt, ſicut Palatium cui non fundamentum.

215. Vera Senſus literæ Verbi quoad partem non ſunt nuda vera, ſed ſunt apparentiæ veri, ac ſicut ſimilitudines & comparationes, deſumptæ ex talibus quæ in natura ſunt, ita quæ accommodata & adæquata ſunt captui ſimplicium & quoque puerorum; ſed quia ſi nul ſunt Correſpondentiæ, ſunt gemini veri receptacula & habitacula; & ſunt vaſa quæ continent, quemadmodum Poculum chryſtallinum continet nobile Vinum, Patina argentea edules cibos, & quemadmodum Veſtes quæ amiciunt, ut faſciæ infantem, & decori amictus virginem; ſunt etiam ſicut ſcientifica naturalis hominis, quæ in ſe comprehendunt perceptiones & affectiones veri ſpiritualis. Ipſa nuda vera, quæ includuntur, continentur, inveſtiuntur & comprehenduntur, ſunt in Verbi Senſu ſpirituali, & nuda bona ſunt in ejus Senſu cæleſti. Sed hoc e Verbo illuſtretur „*Jeſus dixit, væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero ſunt plena rapina & intemperantia; Phariſæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut ſit etiam exterius mundum*, Matth. XXIII: 25. 26: hic loquutus eſt Dominus per ſimilitudines & comparationes, quæ ſimul ſunt correſpondentiæ, & dixit poculum & patinam, & per Poculum non modo intelligitur ſed etiam ſignificatur Verum Verbi, per poculum enim intelligitur Vinum, & per vinum ſignificatur verum; per Patinam autem intelligitur cibus, & per cibum ſignificatur bonum; quare per purgare interius poculi & patinæ, ſignificatur purificare interiora mentis, quæ ſunt voluntatis & cogitationis, per Verbum; per ut ſic exterius mundum ſit, ſignificatur quod ſic exteriora purificata ſint, quæ ſunt opera & ſermones, nam hæc ab illis trahunt ſuam eſſentiam. Adhuc; *Jeſus dixit, homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, & oblectabat ſe quotidie ſplendide: & pauper quidam erat nomine Lazarus, qui projectus ad veſtibulum ejus ulceroſus*, Luc. XVI: 19. 20; hic etiam Dominus loquutus eſt per ſimilitudines & comparationes, quæ erant correſpondentiæ, & con-

tinebant ſpiritualia; per hominem divitem intelligitur Gens Judaica, qui dives vocatur, quia habebat Verbum, in quo ſunt divitiæ ſpirituales; per purpuram & byſſum, quibus indutus erat, ſignificatur bonum & verum Verbi, per purpuram bonum ejus, & per byſſum verum ejus; per oblectare ſe quotidie ſplendide, ſignificatur oblectatio quod illud haberent, & ex illo audirent plura in Templis & Synagogis; per Lazarum pauperem intelliguntur Gentes, quia non habebant Verbum; quod illæ contemtæ & rejectæ a Judæis eſſent, intelligitur per quod Lazarus ad veſtibulum divitis eſſet projectus; per ulceroſum ſignificatur, quod gentes ex ignorantia veri in multis falſis eſſent. Quod Gentes per Lazarum intelligantur, fuit, quia Gentes amabantur a Domino; ſicut Lazarus, qui a mortuis reſuſcitatus eſt, amabatur a Domino, Joh. XI: 3. 5. 36, & vocatur Ipſius amicus, Joh. XI: 11; & accumbebat ad menſam cum Domino, Joh. XII: 2. Ex his binis locis patet, quod vera & bona Senſus literæ Verbi, ſint ſicut vaſa, & ſicut veſtes nudi boni & veri, quæ duo in Senſu ſpirituali & cæleſti Verbi latent. Quoniam Verbum in Senſu literæ tale eſt, ſequitur, quod illi, qui in Divinis veris ſunt, & in fide, quod Verbum intus in ſuo ſinu Sanctum Divinum ſit, & magis illi, qui in fide ſunt quod Verbum tale ſit ex Senſu Spirituali & Cæleſti ejus, dum in illuſtratione a Domino legunt Verbum, videant Divina vera in luce naturali; nam Lux Cæli, in qua eſt Senſus ſpiritualis Verbi, influit in Lucem naturalem, in qua eſt Senſus literæ Verbi, ac hominis Intellectuale, quod vocatur Rationale, illuminat, & facit ut videat & agnoſcat Divina vera ubi exſtant & ubi latent: hæc cum Luce Cæli influunt apud quoſdam, quandoque etiam cum neſciunt.

216. Quoniam Verbum in intimo ſuo ſinu ex Senſu cæleſti ejus, eſt ſicut mitis flamma quæ incendit, & in medio ſuo ſinu ex Senſu ſpirituali ejus, eſt ſicut lux quæ illuſtrat, inde Verbum in ultimo ſuo ex Senſu ejus naturali, eſt ſicut Objectum diaphanum recipiens utrumque, quod ex flamma rubet ſicut purpura, & ex luce candet ſicut nix; ita eſt reſpective ſicut Rubinus & ſicut Adamas, ex flamma cæleſti ſicut Rubinus, & ex luce ſpirituali ſicut Adamas. Quia tale eſt Verbum in Senſu literæ, ideo Verbum in hoc Senſu intelligitur, I. per *Lapides pretioſos, ex quibus conſtabant fundamenta Novæ Hieroſolymæ.* II. *Tum per Urim & Thumim ſuper Ephodo Atharonis;* III. *Et quoque per Lapides pretioſos in Horto Edenis, in quo Rex Tyti dicitur fuiſſe.* IV. *Ut & per Aulæa, Vela & Columnas Tabernaculi.* V. *Pariter per Externa Templi Hieroſolymitani.* VI. *Quod Verbum in ſua gloria repræſentatum ſit in Domino, cum transformatus.* VII. *Quod Potentia Verbi in ultimis repræſentata ſit per Naziræos.* VIII. *De ineffabili Potentia Verbi.* Sed hæc ſingulatim illuſtranda ſunt.

217. I. QUOD VERA SENSUS LITERÆ VERBI INTELLIGANTUR PER LAPIDES PRETIOSOS, EX QUIBUS CONSTABANT FUNDAMENTA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, IN APOCALYPSI Cap. XXI: 17 ad 21. Supra n: 209 memoratum eſt, quod in Mundo Spirituali, æque dentur Lapides pretioſi ſicut in Mundo naturali, & quod origo Spiritualis illorum ſit ex Veris in Senſu literæ Verbi: hoc apparet incredibile, at uſque eſt Veritas: inde eſt, quod ubicunque in Verbo nominantur Lapides pretioſi, per illos in Senſu ſpirituali intelligantur vera. Quod per Lapides pretioſos, ex quibus fundamenta muri circum Urbem Novam Hieroſolymam dicuntur conſtructa, ſignificentur Vera Doctrinæ novæ Eccleſiæ, inde ſequitur, quia per Novam Hieroſolymam intelligitur Nova Eccleſia quoad Doctrinam ex Verbo, quare per Murum ejus, & per muri Fundamenta non aliud poteſt intelligi, quam Verbi Externum, quod eſt Senſus literæ ejus; nam hic eſt, ex quo Doctrina eſt, & per Doctrinam Eccleſia, & ille eſt ſicut Murus cum fundamentis, qui Urbem concludit & tutatur. De Nova Hieroſolyma & de ejus fundamentis, leguntur hæc in Apocalypſi „ *Angelus menſus eſt Murum Urbis Hieroſolymæ* 144 *Cubitorum, quæ erat menſura hominis, hoc eſt, Angeli: & Murus habebat Fundamenta duodecim, omni Lapide pretioſo*

tiosa exornata: Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum beryllus, novum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethistus. Cap. XXI: 17 ad 20: quod fundamenta muri duodecim, ex totidem Lapidibus pretiosis, fuerint, est causa, quia numerus duodecim significat omnia veri ex bono, hic itaque omnia doctrinæ. Sed hæc, ut & quæ præcedunt & sequuntur in illo Capite, particulariter explicata, & ex paralelis locis ex Verbo Prophetico confirmata, videantur in APOCALYPSI NOSTRA REVELATA.

218. II. QUOD BONA ET VERA VERBI IN SENSU LITERÆ EJUS INTELLIGANTUR PER URIM ET THUMIM SUPER EPHODO AHARONIS. Urim & Thumim erant super Ephodo Aharonis, per cujus Sacerdotium repræsentatus est Dominus quoad Divinum Bonum, & quoad Opus salvationis; per Vestes Sacerdotii seu sanctitatis ejus repræsentata sunt Divina Vera a Domino; per Ephodum repræsentatum est Divinum Verum in suo Ultimo, ita Verbum in Sensu literæ, nam hoc est Divinum Verum in suo ultimo; inde per duodecim Lapides pretiosos, cum Nominibus duodecim Tribuum Israelis, quæ fuerunt Urim & Thumin, repræsentata sunt Divina Vera ex Divino Bono in omni complexu. De his ita legitur apud Mosen „ *Facient Ephodum ex Hyacinthino & Purpura, coccineo Dibapho & Xylino intertexto, Postea facient Pectorale judicii, secundum opus Ephodi, & opplebis illud oppleturis lapidis; quatuor ordines lapis, Pyropus, Topazius, Smaragdus, primus ordo: Chrysoprasus, Sapphirus & Adamas, secundus ordo: Cyanus, Achates, & Amethystus, tertius ordo: Thalassius, Sardius & Jaspis, quartus ordo. Lapides hi erunt juxta Nomina filiorum Israelis; sculpturæ sigilli juxta Nomen suum erunt pro duodecim Tribubus; & portabit Aharon super Pectorali judicii Urim & Thumim; sintque super corde Aharonis, cum ingredietur ante Jehovam,* Exod. XXXVIII: 6. 15 ad 21. 30. Quid per Vestes Aharonis, ejus Ephodum, Pallium, Tunicam, Cidarim, Baltheum, repræsentatum est, in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis super illo Capite, explicatum est, ubi ostensum, quod per Ephodum repræsentatum sit Divinum Verum in suo ultimo; quod per Lapides pretiosos ibi repræsentata sint Vera pellucentia ex bono; per duodecim in quaterno ordine, omnia illa a primis ad ultima; per duodecim Tribus, omnia Ecclesiæ; per Pectorale, Divinum Verum ex Divino Bono in Sensu universali; per Urim & Thumim, exsplendescentia Divini Veri ex Divino Bono in ultimis; Urim enim est ignis lucens, & Thumim exsplendescentia in Lingua Angelica, & integritas in Lingua Hebræa; tum, quod Responsa data sint per Lucis variegationes, & simul per tacitam perceptionem, vel per vivam vocem, præter plura. Ex his constare potest, quod per hos Lapides etiam significata sint vera ex bono in Sensu ultimo Verbi; nec per alia dantur responsa e Cælo, quia in illo Sensu est Divinum procedens in suo Pleno.

219. III. QUOD SIMILIA INTELLIGANTUR PER LAPIDES PRETIOSOS IN HORTO EDENIS, IN QUO REX TYRI DICITUR FUISSE. Legitur apud Ezechielem, *Rex Tyri, tu obsignans demensum tuum, plenus sapientia, & perfectus pulchritudine; in Eden Horto Dei fuisti; omnis Lapis pretiosus tegumentum tuum, Rubinus, Topazius & Adamas, Tharsish. Sardonyx & Jaspis, Sapphirus, Chrysoprasus & Smaragdus, & Aurum,* Cap. XXVIII: 12. 13. Per Tyrum in Verbo significatur Ecclesia quoad cognitiones boni & veri; per Regem significatur Verum Ecclesiæ; per Hortum Edenis significatur sapientia & intelligentia ex Verbo; per Lapides pretiosos significantur vera pellucentia ex bono, qualia sunt in Sensu literæ Verbi, & quia hæc per illos Lapides significantur, ideo vocantur Tegumentum ejus; quod Sensus literæ tegat interiora Verbi, videantur supra n: 213.

220. IV. QUOD VERA ET BONA IN ULTIMIS, QUALIA SUNT IN SENSU LITERÆ VERBI, REPRÆSENTATA SINT PER AULÆA, VELA, ET COLUMNAS TABERNACULI. Per Tabernaculum per Mosen in deserto exstructum repræsentatum est Cælum & Ecclesia,

cleſia, quare forma ejus a Jehovah ſuper monte Sinai oſtenſa eſt; inde per omnia, quæ in Tabernaculo illo erant, quæ erant Candelabrum, Altare aureum pro ſuffitu, & Menſa ſuper qua Panes facierum, repræſentata & ſignificata ſunt Sancta Cæli & Eccleſiæ; & per Sanctum ſanctorum, ubi erat Arca fœderis, repræſentatum & inde ſignificatum eſt intimum Cæli & Eccleſiæ; & per ipſam Legem inſcriptam binis Tabulis, ſignificatum eſt Verbum, perque Cherubos ſupra illam ſignificatæ ſunt cuſtodiæ ne ſancta Verbi violentur. Nunc quia Externa ſuam eſſentiam trahunt ab Internis, & hæc & illa ab Intimo, quod ibi erat Lex, ideo Sancta Verbi per omnia Tabernaculi repræſentata & ſignificata ſunt; inde ſequitur, quod per ultima Tabernaculi, quæ erant Aulæa, Vela & Columnæ, quæ erant tegumenta, continentia, & firmamenta, ſignificata ſint ultima Verbi, quæ ſunt Vera & Bona Senſus literæ ejus: quia illa ſignificata ſunt, ideo *omnia Aulæa & Vela facta ſunt ex xylino intertexto, & hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, cum Cherubis*, Exod. XXVI: 1. 31. 36. Quid per Tabernaculum, & per omnia, quæ in illo erant, in genere & in ſpecie repræſentatum & ſignificatum eſt, in ARCANIS GÆLESTIBUS ſuper illo Capite Exodi, explicatum eſt, & ibi oſtenſum, quod per Aulæa & Vela repræſentata ſint Externa Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Externa Verbi; tum quod per xylinum ſeu byſſinum ſignificatum ſit Verum ex origine ſpirituali, per hyacinthinum Verum ex origine cæleſti, per purpuram Bonum cæleſte, per coccineum dibaphum Bonum ſpirituale; & per Cherubos cuſtodiæ interiorum Verbi.

221. V. QUOD PARITER PER EXTERNA TEMPLI HIEROSOLYMITANI, eſt cauſa, quia per Templum æque ac per Tabernaculum repræſentatum eſt Cælum & Eccleſia, ſed per Templum Cælum in quo ſunt Angeli ſpirituales, at per Tabernaculum Cælum ubi ſunt Angeli cæleſtes; Angeli ſpirituales ſunt qui in Sapientia ex Verbo ſunt, Angeli cæleſtes autem qui in Amore ex Verbo ſunt. Quod per Templum Hieroſolymitanum in ſupremo Senſu ſignificatum ſit Divinum Humanum Domini, docet Ipſe apud Johannem, *Solvite Templum hoc, & in Tribus diebus exſuſcitabo illud*; *Ipſe loquebatur de* TEMPLO CORPORIS SUI, II: 19. 21; & ubi intelligitur Dominus, etiam intelligitur Verbum, quia Ipſe eſt Verbum. Nunc quia per Interiora Templi repræſentata ſunt Interiora Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Verbi, ideo per Exteriora ejus etiam repræſentata & ſignificata ſunt Exteriora Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Verbi, quæ Senſus literæ ejus ſunt. De Exterioribus Templi legitur, *Quod ædificata ſint ex Lapide integro non Cæſo, & ex Cedro intus; & quod omnes Parietes ejus intus ſculpti eſſent Cherubis, Palmis, & Aperturis florum; & quod Solum obductum eſſet auro*, 1 Reg. VI: 7. 29. 30; per quæ omnia etiam ſignificantur Externa Verbi, quæ Sancta Senſus literæ ejus ſunt.

222. VI. QUOD VERBUM IN SUA GLORIA REPRÆSENTATUM SIT IN DOMINO, CUM TRANSFORMATUS EST. De Domino coram Petro, Jacobo & Johanne, transformato legitur, *Quod Facies Ipſius fulſerit ſicut Sol*; *Veſtimenta Ipſius facta ſint ſicut Lux: & quod viſi ſint Moſes & Elias cum Ipſo loquentes: & quod Nubes lucida Diſcipulos obtexerit: & quod ex Nube audita ſit vox, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, Ipſum audite*, Matth. XVII: 1 ad 5. Inſtructus ſum, quod Dominus tunc repræſentaverit Verbum; per Faciem, quæ fulſit ſicut Sol, repræſentatum eſt Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius; per Veſtimenta, quæ facta ſicut Lux, Divinum Verum Divinæ Sapientiæ Ipſius; per Moſen & Eliam, Verbum Hiſtoricum & Propheticum, per Moſen Verbum quod per illum ſcriptum eſt, & in genere Verbum Hiſtoricum, & per Eliam omne Verbum Propheticum; per Nubem lucidam, quæ obtexit Diſcipulos, Verbum in Senſu literæ; quare ex hac Vox audita eſt, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, Ipſum audite: omnia enim Enuntiata & Reſponſa e Cælo, nuſquam fiunt niſi per Ultima, qualia ſunt in Senſu literæ Verbi; fiunt enim in pleno a Domino.

223.

223. VII. QUOD POTENTIA VERBI IN ULTIMIS, REPRÆSENTATA SIT PER NAZIRÆOS. Legitur in Libro Judicum, de Simſone, quod Naziræus eſſet ab utero matris, & quod Potentia ejus conſtaret in Crinibus; per Naziræum & Nazireatum etiam ſignificatur Crinis; quod Potentia ejus in Crinibus conſiſteret, manifeſtavit ipſe, dicens, *Novacula non aſcendit ſuper Caput meum, quia Naziræus ego ab utero matris meæ; ſi rador, tunc recedet a me robur meum, & reddar infirmus, & ero ſicut quivis homo*, Jud. XVI: 17. Nemo ſcire poteſt, cur Naziræatus, per quem ſignificatur Crinis, inſtitutus eſt, & unde eſt, quod Simſoni fuerit robur ex Crinibus, niſi ſciat quid per Caput in Verbo ſignificatur; per Caput ſignificatur Intelligentia, quæ eſt Angelis & Hominibus a Domino per Divinum Verum, inde per Crines ſignificatur intelligentia in ultimis ſeu extremis ex Divino Vero. Quia hoc per Crines ſignificabatur, ideo ſtatutum pro Naziræis erat, *Quod non raderent comam Capitis ſui, quia illa eſt Naziræatus Dei ſuper Capite eorum*, Num. VI: 1 ad 21; & quoque ideo ſtatutum eſt, *Quod Summus Sacerdos, ac Filii ejus, non raderent Caput ſuum, ne morerentur, ac univerſa Domus Iſraelis iraſceretur*, Levit. X: 6. Quoniam Crines propter illam ſignificationem, quæ eſt ex correſpondentia, tam ſancti erant, ideo FILIUS HOMINIS, qui eſt Dominus quoad Verbum, deſcribitur etiam quoad Crines, *Quod eſſent tanquam Lana candida, tanquam nix*, Apoc. I: 14: ſimiliter ANTIQUUS DIERUM, Dan. VII: 9. Quoniam Crines ſignificant Verum in ultimis, ita Senſum literæ Verbi, ideo illi qui contemnunt Verbum in Mundo ſpirituali fiunt Calvi, & viciſſim illi, qui Verbum magnipenderunt & Sanctum habuerunt, apparent in Comis decentibus: propter hanc correſpondentiam factum eſt, quod 42 pueri, quia Eliſæum vocabant Calvum, a duabus Urſis diſcerpti ſint, II Reg. II: 23. 24; nam Eliſæus repræſentabat Eccleſiam quoad Doctrinam e Verbo, & Urſæ ſignificant potentiam veri in ultimis. Quod Potentia Divini Veri, ſeu Verbi ſit in Senſu literæ ejus, eſt quia Verbum ibi eſt in ſuo Pleno, & quia in illo ſunt Angeli utriuſque Regni Domini & Homines ſimul.

224. VIII. DE INEFFABILI POTENTIA VERBI. Vix aliquis hodie novit, quod aliqua Potentia inſit Veris, putatur enim, quod modo ſit verbum dictum a quodam qui in Potentia eſt, quod ideo faciendum ſit, proinde quod Verum ſit modo ſicut halitus ex ore, & Sonus in aure; cum tamen Verum & Bonum ſunt Principia omnium in utroque Mundo, Spirituali & Naturali, & quod ſint, per quæ Univerſum creatum eſt, & per quæ Univerſum conſervatur; & quoque per quæ Homo factus eſt; quare duo illa ſunt omne in omnibus. Quod Univerſum per Divinum Verum creatum ſit, aperte dicitur apud Johannem „*In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, omnia per Illud facta ſunt quæ facta. Et Mundus per Illud factus eſt*, Cap. I: 1. 3. 10; & apud Davidem „*Per Verbum Jehovæ Cæli facti ſunt*, Pſalm XXXIII: 6, per Verbum utrinque intelligitur Divinum Verum. Quoniam Univerſum per Illud creatum eſt, ideo etiam Univerſum per Illud conſervatur, nam ſicut Subſiſtentia eſt perpetua Exiſtentia, ita Conſervatio eſt perpetua Creatio. Quod Homo per Divinum Verum factus ſit, eſt quia omnia hominis ſe referunt ad Intellectum & Voluntatem, ac Intellectus eſt Receptaculum Divini Veri, & Voluntas Divini Boni; proinde Mens humana, quæ ex duobus illis principiis conſiſtit, non aliud eſt, quam Forma Divini Veri & Divini Boni ſpiritualiter & naturaliter organizata, Cerebrum humanum eſt illa Forma; & quia totus Homo a ſua Mente pendet, ſunt omnia, quæ in corpore ejus ſunt, appendentiæ, quæ a duobus illis principiis actuantur & vivunt. Ex his nunc conſtare poteſt, quam ob cauſam Deus ut Verbum in Mundum venit, & Homo factus eſt; quod hoc fuerit propter Redemptionem; tunc enim Deus per Humanum, quod erat Divinum Verum, induit omnem Potentiam, & Inferna, quæ uſque ad Cælos, ubi erant Angeli, ſuccreverant, dejecit, ſubjugavit & ſub ſuam obedientiam redegit, & hoc non per Verbum orale, ſed per Verbum Divinum, quod eſt Divi-

num Verum; ac poſtea magnum Hiatum inter Inferna & Cælos aperuit, quem nion quiſquam ab Inferno tranſcendere poteſt; ſi conatur, in primo veſtigio crucatur, ſicut ſerpens ſuper lamina ferri igniti, aut ſuper acervo formicarum poſitus; diaboli & ſatanæ enim, ut primum odorant Divinum Verum, actutum ſe in profundum præcipitant, & ſe in cavernas injiciunt, & obturant illas tam exacte ut ne pateat rima: cauſa eſt, quia voluntas eorum eſt in malis ac Intellectus in falſis, ita in oppoſitis Divino Bono & Divino Vero, & quia totus homo a duobus illis vitæ principiis conſiſtit, ut dictum eſt, ideo toti a capite ad calcem ad ſenſum oppoſiti tam graviter percelluntur. Ex his conſtare poteſt, quod Potentia Divini Veri ſit ineffabilis; & quia Verbum, quod in Eccleſia Chriſtiana eſt, eſt continens Divini Veri in tribus gradibus, patet, quod illud ſit, quod apud Johannem Cap. I: 3, 10, intelligitur: quod hujus Potentia ineffabilis ſit, poſſum ex multis experientiæ documentis in Mundo ſpirituali, confirmare, ſed quia excedunt fidem, ſeu apparent incredibilia, illa adducere ſuperſedeo, aliqua tamen videas ſupra n: 209 memorata. Ex his hoc MEMORIALE dabitur, quod Eccleſia, quæ in Divinis Veris a Domino eſt, valeat ſuper Inferna, & quod ſit illa, de qua Dominus dixit ad Petrum, *Super hac Petra ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferni non prævalebunt illi*, Matth. XVI: 18; hæc dixit Dominus, poſtquam Petrus confeſſus eſt, *Quod Chriſtus eſſet Filius Dei viventis*, Verſ. 16; hæc Veritas intelligitur ibi per Petram; per Petram enim ubivis in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum.

V.

Quod Doctrina Eccleſiæ ex Senſu literæ Verbi haurienda ſit, & per illum confirmanda.

225. In præcedente Articulo oſtenſum eſt, quod Verbum in Senſu literæ ſit in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia, & quia Dominus eſt Verbum, ac Primus & Ultimus, ut Ipſe dicit in Apocalypſi Cap. I: 17, ſequitur, quod Dominus in illo Senſu ſit maxime præſens, & quod ex illo doceat & illuſtret hominem; ſed hæc demonſtranda ſunt in hoc ordine, I: *Quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur.* II. *Quod Doctrina e Verbi Senſu literæ haurienda ſit.* III. *At quod Divinum Verum, quod Doctrinæ eſt, non appareat aliis, quam qui in illuſtratione a Domino ſunt.*

226. I. QUOD VERBUM ABSQUE DOCTRINA NON INTELLIGATUR, cauſa eſt, quia Verbum in Senſu literæ ex meris Correſpondentiis conſiſtit, ob finem ut Spiritualia & Cæleſtia inibi ſimul ſint, ac unaquævis vox illorum continens & fulerum ſit; idcirco Divina Vera in Senſu literæ raro ſunt nuda, ſed veſtita, quæ vocantur Apparentiæ veri, & ſunt plura accommodata captui ſimplicium, qui cogitationes non ſupra talia quæ vident ante oculos, elevant; & aliqua, quæ apparent ſicut contradictiones, cum tamen in Verbo in ſpirituali ſua luce ſpectato nulla contradictio datur; & quoque in quibuſdam locis apud Prophetas ſunt Nomina locorum & perſonarum collata, ex quibus non aliquis Senſus poteſt elici. Cum itaque Verbum in Senſu literæ tale eſt, conſtare poteſt, quod non poſſit abſque Doctrina intelligi. Sed Exempla illuſtrent; dicitur, *Quod Jehovam pæniteat*, Exod. XXXII: 12. 14. Jon. III: 9, Cap. IV: 2; & quoque dicitur, *Quod Jehovam non pæniteat*, Num. XXIII: 19. I Sam. XV: 29; hæc abſque Doctrina non conformantur. Dicitur, quod *Jehovah viſitet iniquitatem Patrum ſuper filios ad tertiam & quartam generationem*, Num. XIV: 18; & quoque dicitur, *Quod non morietur pater propter ſi-*

filium, nec filius propter patrem, ſed quiſque in peccato ſuo, Deut. XXIV: 16; hæc non diſcordant ſed concordant per Doctrinam. Dicit Jeſus, *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, & pulſanti aperietur*, Matth. VII: 7. 8. Cap. XXI: 21. 22; abſque Doctrina crederetur, quod quiſque accepturus ſit, quod petit; ſed ex Doctrina ſcitur, quod quicquid homo petit ex Domino, hoc detur; hoc etiam Dominus docet, *Si manſeritis in Me, & verba mea in vobis manſerint, quicquid volueritis petite, & fiet vobis*, Joh. XV: 7. Dicit Dominus, *Beati pauperes, quia illorum eſt Regnum Dei*, Luc. VI: 20; abſque Doctrina cogitari poteſt, quod Pauperibus ſit Cælum, & non Divitibus; ſed Doctrina docet, quod Pauperes ſpiritu intelligantur, nam dicit Dominus, *Beati pauperes ſpiritu, quia eorum eſt Regnum cælorum*, Matth. V: 5. Porro dicit Dominus, *Ne judicate ne judicemini, cum quo judicio judicatis, judicabimini*, Matth. VII: 1. 2. Luc. VI: 37; abſque Doctrina poteſt quis adduci ad confirmandum, quod non judicandum ſit de malo quod ſit malus; ſed ex Doctrina licet judicare, at juſte, dicit enim Dominus, *Juſtum judicium judicate*, Joh. VII: 24. Jeſus dicit „*Nolite vocari Doctor, quia unus eſt Doctor veſter, Chriſtus: ne vocetis patrem veſtrum in terra; unus namque eſt Pater veſter in Cælis: nec vocemini Magiſtri, unus enim eſt veſter Magiſter, Chriſtus*, Matth. XXIII: 8. 9. 10, abſque Doctrina foret, quod non liceat vocare aliquem Doctorem, Patrem, & Magiſtrum, ſed ex Doctrina ſcitur, quod liceat in naturali Senſu, ſed non in ſpirituali. Jeſus dixit ad Diſcipulos, *Quando ſedebit Filius hominis ſuper Throno gloriæ ſuæ, ſedebitis etiam vos ſuper duodecim Throuis judicantes duodecim Tribus Iſraelis*, Matth. XIX: 28, ex his verbis concludi poteſt, quod etiam Diſcipuli Domini judicaturi ſint, cum tamen neminem judicare poſſunt; Doctrina itaque revelabit hoc arcanum per hoc, quod Solus Dominus, qui eſt Omniſcius, & novit omnium corda, judicaturus ſit, & judicare poſſit; & quod per duodecim Diſcipulos Ipſius, intelligatur Eccleſia quoad omnia vera & bona, quæ ei ſunt a Domino per Verbum; ex quo Doctrina concludit, quod illa judicatura ſint unumquemvis, ſecundum Domini verba apud Johannem Cap. III: 17. 18. Cap. XII: 47. 48. His ſimilia ſunt plura alia in Verbo, ex quibus manifeſte patet, quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur.

227. Verbum per Doctrinam non modo intelligitur, ſed etiam in intellectu lucet, eſt enim ſicut Candelabrum cum accenſis lucernis; homo tunc videt plura quam prius viderat, & quoque intelligit illa, quæ non prius intellexerat; obſcura & diſcordantia vel non videt & præterit, vel videt & explicat ut cum Doctrina concordent. Quod Verbum ex Doctrina videatur, & quoque ſecundum illam explicetur, teſtatur Experientia in Chriſtiano Orbe; Omnes Reformati vident Verbum ex ſua Doctrina, & Verbum ſecundum illam explicant; ſimiliter Pontificii ex ſua, & ſecundum illam; imo Judæi ex ſua, & ſecundum illam; conſequenter falſa ex Doctrina falſa, & vera ex Doctrina vera. Ex his patet, quod Doctrina vera ſit inſtar lucernæ in tenebris, ac inſtar indicis in viis.

228. Ex his conſtare poteſt, quod qui Verbum abſque Doctrina legunt, ſint in obſcuro de omni veritate, & quod Mens eorum ſit vaga & incerta, prona in errores, & quoque facilis ad hæreſes, quas etiam amplectuntur, ſi favor aut auctoritas aſpirat, & fama non pereclitatur: eſt enim Verbum illis tanquam Candelabrum abſque lumine, ac vident in umbra ſicut multa, & tamen vix aliquid vident, nam ſola Doctrina eſt lucerna: vidi tales exploratos ab Angelis, ac inventos, quod confirmare poſſent ex Verbo quodcunque volunt, & quod confirment, imprimis illa quæ ſunt amoris ſui, & amoris illorum, quibus favent: at vidi illos nudatos veſtibus, ſignum quod eſſent abſque veris; veſtes ibi ſunt vera.

229. II. QUOD DOCTRINA EX SENSU LITERÆ VERBI HAURIENDA SIT, ET PER ILLUM CONFIRMANDA; cauſa eſt, quia Dominus ibi eſt præſens, ac docet & illuſtrat, nam Dominus nuſquam operatur aliquid niſi in pleno, & Verbum in Senſu literæ eſt

in ſuo pleno, ut ſupra oſtenſum eſt; inde eſt, quod Doctrina e Senſu literæ haurienda ſit. Doctrina genuini Veri ex Senſu liserali Verbi etiam plene poteſt hauriri, nam Verbum in illo Senſu eſt tanquam homo veſtitus, cui facies eſt nuda, & quoque manus ſunt nudæ, omnia quæ ad fidem & vitam hominis, ita quæ ad ſalutem ejus, pertinent, ſunt ibi nuda; reliqua autem veſtita; & in multis locis, ubi veſtita ſunt, tranſparent, ſicut obvia mulieri per tenue ſericum ante faciem: etiam vera Verbi, ſicut multiplicantur ex amore illorum, & ſicut per hunc ordinantur, ita clarius & clarius pellucent & apparent.

230. Credi poteſt, quod Doctrina genuini veri comparari poſſit per Senſum ſpiritualem Verbi, qui datur per ſcientiam correſpondentiarum; at Doctrina per illum non comparatur, ſed modo illuſtratur & corroboratur, nam ut prius n: 208 dictum eſt, poteſt homo Verbum per aliquot Correſpondentias notas falſificare, conjungendo & applicando illas ad confirmandum id quod Menti ejus ex principio capto inhæret. Præterea Senſus ſpiritualis non datur alicui niſi a Solo Domino, & cuſtoditur ab Ipſo, ſicut cuſtoditur Cælum angelicum, nam hoc in illo eſt.

231. III. Quod genuinum Verum, quod Doctrinæ erit, in Senſu literæ Verbi, non appareat aliis, quam qui in illustratione sunt a Domino. Illuſtratio eſt a Solo Domino, & apud illos, qui amant vera quia vera ſunt, & faciunt illa uſus vitæ; apud alios non datur illuſtratio in Verbo. Quod illuſtratio ſit a Solo Domino, eſt quia Verbum eſt ab Ipſo, & inde Ipſe in illo; quod illuſtratio ſit illis, qui amant vera quia vera ſunt, & faciunt illa uſus vitæ, eſt quia illi in Domino ſunt & Dominus in illis, eſt enim Dominus ipſa Veritas, ut in Capite de Domino oſtenſum eſt; & tunc Dominus amatur, quando vivitur ſecundum Divina Ipſius vera, ita quando fiunt uſus ex illis, ſecundum hæc apud Johannem „ *In die illo cognoſcetis, quod vos in Me, & Ego in vobis; qui habet præcepta mea & facit illa, ille amat Me, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Me Ipſum, & ad illum veniam, & manſionem apud illum faciam*, Cap. XIV: 20. 21. 23. Hi ſunt, qui in illuſtratione ſunt, cum legunt Verbum, & apud quos Verbum lucet & translucet. Quod Verbum apud illos luceat & transluceat, eſt quia ſingulis Verbi Senſus ſpiritualis & Cæleſtis ineſt, & hi Senſus ſunt in luce Cæli, quare Dominus per illos & illorum lucem, influit in Senſum naturalem Verbi, & in hujus lucem apud hominem; inde homo ex interiore perceptione agnoſcit Verum, & dein in cogitatione ſua videt illud, & hoc quoties in affectione veri propter Verum eſt; ex affectione enim venit perceptio, ex perceptione cogitatio, & ſic fit agnitio, quæ fides vocatur.

232. Contrarium fit illis, qui ex Doctrina Religionis falſæ legunt Verbum; & plus illis, qui Doctrinam illam ex Verbo confirmant, & tunc ſpectant ad ſui gloriam & ad Mundi opes; apud hos Vera Verbi ſunt ſicut in Umbra noctis, & falſa ſicut in luce diei; legunt Vera, ſed non vident illa, & ſi umbram illorum vident, falſificant illa; ſunt hi, de quibus Dominus dicit, *Quod oculos habeant, & non videant, & quod aures, & non intelligant*, Matth. XIII: 14. 15. Inde fit lux eorum in rebus ſpiritualibus, quæ Eccleſiæ ſunt, mere naturalis, & viſus mentis illorum ſicut videntis larvas in lecto dum expergiſcitur, aut ſicut noctambuli, qui credit ſe vigilem cum dormit.

233. Datum eſt loqui cum multis poſt mortem, qui crediderunt ſe ſicut Stellas lucituros in Cælo, quia, ut dixerunt, ſanctum habuerunt Verbum, ſæpius perlegerunt illud, plura inde collegerunt, per quæ fidei ſuæ dogmata confirmaverunt, & propter id ut Docti celebrati ſunt, ex quo crediderunt ſe Michaeles & Raphaeles futuros; ſed plures ex illis explorati ſunt, ex quo amore ſtuduerunt Verbo, ac inventi, quod aliqui ex amore ſui, ut ſicut Primates Eccleſiæ colerentur, & aliqui ex amore Mundi, ut lucrarentur opes; hi dum etiam explorati ſunt, quid ſcirent ex Verbo, compertum eſt, quod inde nihil genuini veri ſcirent, ſed modo ta-

tale, quod vocatur Verum falsificatum, quod in se est putre falsum, in Cælo enim putet; & dictum est illis, quod hoc illis esset ex causa, quia Ipsi & Mundus essent fines, dum legerunt Verbum, & non verum fidei & bonum vitæ; & cum ipsi & mundus sunt fines, tunc Mens in legendo Verbum hæret in seipsis & in mundo, & inde cogitant jugiter ex suo proprio, & Proprium hominis in caligine quoad omnia, quæ Cæli & Ecclesiæ sunt, est; in quo statu non potest homo a Domino subduci, & elevari in lucem Cæli, proinde nec aliquem influxum a Domino per Cælum recipere. Vidi etiam hos in Cælum admissos, & cum ibi inventi sunt quod absque veris essent, dejecti sunt; sed usque apud illos remansit fastus quod meruerint. Aliter factum est cum illis, qui studuerunt Verbo ex affectione sciendi Verum quia est verum, & inservit usibus vitæ, non modo suæ, sed etiam proximi; illos vidi elevatos in Cælum, & sic in lucem, in qua est Divinum Verum ibi, & simul tunc exaltatos in Sapientiam Angelicam, & in felicitatem ejus, in qua sunt Angeli Cæli.

VI.

Quod per Sensum literæ Verbi sit conjunctio cum Domino, & consociatio cum Angelis.

234. Quod per Verbum sit conjunctio cum Domino, est quia Ipse est Verbum, hoc est, ipsum Divinum Verum & Divinum Bonum inibi: quod per Sensum literæ sit conjunctio, est quia Verbum in illo Sensu est in suo pleno, in suo sancto, & in sua potentia, ut supra in suo Articulo ostensum est: Conjunctio illa non apparet homini, sed est in affectione veri, & in perceptione ejus. Quod per Sensum literæ sit consociatio cum Angelis cæli, est quia illi Sensui inest Sensus spiritualis & Sensus cælestis; & in his Sensibus sunt Angeli, Angeli Regni Spiritualis Domini in Sensu spirituali Verbi, & Angeli Regni cælestis Ipsius in Sensu cælesti ejus; hi bini Sensus evolvuntur ex Sensu naturali Verbi, dum homo, qui sanctum habet Verbum, legit illud. Evolutio est instantanea, proinde etiam consociatio.

235. Quod Angeli spirituales in Sensu spirituali Verbi sint, ac Angeli cælestes in Sensu cælesti ejus, manifestatum est mihi per multam experientiam: datum est percipere, quod cum legi Verbum in Sensu literæ ejus, communicatio facta sit cum Cælis, nunc cum hac Societate ibi, nunc cum illa; quæ ego secundum Sensum naturalem intellexi, Angeli spirituales secundum Sensum spiritualem, & Angeli cælestes secundum Sensum cælestem, intellexerunt; & hoc in instanti; quia hæc communicatio, per aliquot millenas vices percepta est, de illa non relicta est mihi ulla dubitatio. Sunt etiam Spiritus, qui infra Cælos sunt, & hac communicatione abutuntur, recitant enim aliquot dicta ex Sensu literæ Verbi, & illico animadvertunt & notant Societatem, cum qua communicatio fit; hoc etiam sæpe vidi & audivi. Ex his per vivam experientiam datum est scire, quod Verbum quoad Sensum literæ ejus, sit Divinum medium conjunctionis cum Domino, & consociationis cum Angelis Cæli.

236. Sed illustrabitur per Exempla, quomodo Angeli spirituales percipiunt suum Sensum, & Angeli Cælestes suum, ex Sensu naturali, quando homo legit Verbum; Exemplis sint quatuor præcepta decalogi; ut QUINTUM PRÆCEPTUM, *Non occides*; homo per hoc non modo intelligit occidere, sed etiam odio habere, & vindictam spirare usque ad necem: Angelus spiritualis pro occidere intelligit diabolum agere, & necare animam hominis: Angelus autem cælestis pro occidere intelligit Dominum odio habere, & Verbum. SEXTUM PRÆCEPTUM, *Non adulteraberis*;

homo per adulterari intelligit ſcortari, obſcæna facere, laſciva loqui, & ſpurca cogitare: Angelus ſpiritualis pro adulterari intelligit adulterare bona Verbi, & falſificare vera ejus: Angelus autem cæleſtis pro adulterari intelligit negare Divinum Domini, & prophanare Verbum. SEPTIMUM PRÆCEPTUM, *Non furaberis*; homo per furari intelligit furari, defraudare, & ſub aliqua ſpecie proximo auferre ſua bona: Angelus ſpiritualis pro furari intelligit deprivare alios ſuæ fidei veris & bonis per falſa & mala; Angelus autem cæleſtis pro furari intelligit attribuere ſibi illa quæ Domini ſunt, ac vindicare ſibi juſtitiam & meritum ipſius. OCTAVUM PRÆCEPTUM, *Non falſe teſtaberis*; homo per falſe teſtari etiam intelligit mentiri, & aliquem diffamare: Angelus pro falſe teſtari intelligit dicere & perſuadere, quod falſum ſit verum, ac malum ſit bonum, & viciſſim: Angelus autem cæleſtis pro falſe teſtari intelligit blaſphemare Dominum, & Verbum. Ex his videri poteſt, quomodo evolvitur & extrahitur ſpirituale & cæleſte ex Senſu naturali Verbi, cui inſunt; & quod mirabile eſt, Angeli extrahunt ſua, præter quod ſciant, quid homo cogitat; at uſque cogitationes Angelorum & hominum unum faciunt per Correſpondentias, ſicut finis, cauſa, & effectus; fines etiam actualiter ſunt in Regno cæleſti, cauſæ in Regno ſpirituali, & effectus in Regno naturali: inde nunc eſt conſociatio hominum cum Angelis per Verbum.

237. Quod Angelus ſpiritualis ex Senſu literæ Verbi extrahat & evocet ſpiritualia, & Angelus Cæleſtis cæleſtia, eſt quia illa naturæ illorum concordant, & homogenea ſunt; quod ita fiat, illuſtrari poteſt per ſimilia in Tribus naturæ Regnis, Animali, Vegetabili & Minerali. In REGNO ANIMALI; ex Cibo, cum factus eſt Chylus, hauriunt & evocant Vaſa ſuum ſanguinem, fibræ nerveæ ſuum ſuccum, ac ſubſtantiæ, quæ ſunt origines fibrarum, ſuum ſpiritum. In REGNO VEGETABILI; Arbor cum trunco, ramis, foliis, & fructibus ſtat ſuper Radice ſua, & ex humo per radicem extrahit & evocat ſuccum craſſiorem pro trunco, ramis & foliis, puriorem pro carne fructuum, & puriſſimum pro ſeminibus intra fructus. In REGNO MINERALI; in gremio terræ in quibuſdam locis ſunt Mineræ impræ gnatæ auro, argento, cupro & ferro; ex halitibus & effluviis e petris, trahit aurum ſuum elementum, argentum ſuum, & ferrum ſuum, & aqueum vehit illa circum circa.

238. Verbum in litera eſt ſicut Theca, in qua in ordine jacent lapides pretioſi, uniones, & diademata; homo, qui ſanctum habet Verbum, & propter uſus vitæ legit illad, ejus mentis cogitationes ſunt comparative, ſicut qui thecam talem in manu tenet, & mittit illam ad Cælum, & hæc in aſcenſu aperitur, & pretioſa inibi ad Angelos veniunt, qui ex illis viſis & luſtratis penitus delectantur; hæc illorum delectatio communicatur cum homine, & facit conſociationem, & quoque communicationem perceptionum. Propter hanc conſociationem cum Angelis, & ſimul conjunctionem cum Domino, inſtituta eſt SANCTA CÆNA, in qua PANIS fit in Cælo Divinum Bonum & VINUM fit Divinum Verum, utrumque a Domino: talis Correſpondentia eſt ex Creatione, propter finem, ut Cælum Angelicum & Eccleſia in terris, & in genere Mundus ſpiritualis cum Mundo naturali, unum faciat, & Dominus ſe cum utroque ſimul conjungat.

239. Quod Conſociatio hominis cum Angelis fiat per Senſum naturalem ſeu literalem Verbi, eſt quoque cauſa, quia in unoquovis homine ex creatione ſunt tres Gradus vitæ, cæleſtis, ſpiritualis, & naturalis; ſed homo in naturali eſt, quamdiu in Mundo, & tunc tantum in ſpirituali angelico, quantum in genuinis veris eſt, & tantum in cæleſti, quantum in vita ſecundum illa eſt; at uſque non venit in ipſum ſpirituale & cæleſte, quam poſt mortem, quia hæc duo incluſa & recondita ſunt in ideis naturalibus ejus; quare cum naturale per mortem abit, remanet ſpirituale & cæleſte, ex quibus tunc fiunt ideæ cogitationis ejus. Ex his conſtare poteſt, quod in Solo Verbo ſit ſpiritus & vita, ſicut Dominus dicit,

Ver-

Verba, quæ Ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt, Joh. VI: 63. *Aqua, quam Ego dabo vobis, fiet fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, Joh. IV: 14. *Homo non ex ſolo pane vivit, ſed ex omni Verbo egrediente ex ore Dei*, Matth. IV: 4. *Operamini cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit*, Joh. VI: 27.

VII.

Quod Verbum in omnibus Cælis ſit, & quod inde ſapientia angelica.

240. Quod Verbum in Cælis ſit, non eſt hactenus notum, nec potuit notum fieri, quamdiu Eccleſia ignoravit, quod Angeli & Spiritus ſint homines, prorſus ſimiles facie & corpore hominibus in noſtro Mundo, & quod apud illos ſimilia ſint quæ apud homines in omnibus, cum ſola differentia, quod illi Spirituales ſint, & quod omnia quæ apud illos ſunt, ex origine ſpirituali ſint, & quod homines in Mundo naturales, & quod omnia apud eos, ex origine naturali ſint. Quamdiu hoc latuit, non potuit ſciri, quod Verbum etiam in Cælis ſit, & quod legatur ab Angelis ibi, & quoque a Spiritibus qui ſub Cælis ſunt. Sed ne hoc lateret in perpetuum, datum eſt mihi in conſortio eſſe cum Angelis & Spiritibus, & loqui cum illis, & videre quæ apud illos, & poſtea referre plura quæ vidi & audivi; hoc factum eſt in Opere de Cælo & Inferno, Londini Anno 1758 edito; ex quo videri poteſt, quod Angeli & Spiritus ſint homines, & quod omnia in copia apud illos ſint, quæ apud homines in Mundo: Quod Angeli & Spiritus homines ſint, videatur in illo Opere, n: 73 ad 77. & n: 453 ad 456. Quod ſimilia ſint apud illos, quæ apud homines in Mundo, n: 170 ad 190: tum etiam, quod Cultus Divinus, & quod Prædicationes in Templis, apud illos ſint, n: 221 ad 227. Et quod Scripturæ & quoque Libri, n: 253 ad 264; & quod Scriptura ſacra ſeu Verbum n: 259.

241. Quod Verbum in Cælo attinet, hoc ſcriptum eſt ſtylo ſpirituali, qui prorſus differt a ſtylo naturali; ſtylus ſpiritualis conſiſtit ex meris literis, quarum unaquævis involvit quendam Senſum, & ſunt lineolæ, ſtrophæ & punctationes ſupra & inter literas, & in illis, quæ exaltant Senſum. Literæ apud Angelos Regni ſpiritualis ſunt ſimiles literis typographicis in noſtro Mundo; & literæ apud Angelos Regni Cæleſtis ſunt apud quoſdam ſimiles literis Arabicis, apud quoſdam literis vetuſtis Hebraicis, ſed inflexis ſupra & infra, cum ſignaturis ſupra, inter, & intra, harum etiam quælibet involvit integrum Senſum. Quia talis eſt ſcriptura illorum, ideo Nomina perſonarum & locorum in Verbo apud illos ſignata ſunt, inde a ſapientibus intelligitur quid ſpirituale & cæleſte per quodlibet ſignificatur, ſicut per Moſen Verbum Dei per illum ſcriptum, & in communi ſenſu Verbum Hiſtoricum, per Eliam Propheticum, per Abrahamum, Iſacum & Jacobum Dominus quoad Divinum cæleſte, Divinum ſpirituale, & Divinum naturale; per Aharonem Sacerdotium, per Davidem Regium, utrumque Domini; per Nomina filiorum Jacobi, ſeu duodecim Tribuum Iſraelis, varia Cæli & Eccleſiæ; ſimilia per Nomina duodecim Diſcipulorum Domini; per Zionem & Hieroſolymam Eccleſia quoad doctrinam e Verbo; per terram Canaanem ipſa Eccleſia; per Loca & Urbes ibi cis & trans Jordanem, varia quæ Eccleſiæ & ejus doctrinæ ſunt. Simile eſt cum Numeris, hi nec in Verbis quæ in Cælo, ſunt, ſed pro illis res, quibus numeri correſpondent. Ex his conſtare poteſt, quod Verbum in Cælo ſit quoad Senſum literalem ſimile, & ſimul correſpondens noſtro Verbo, & ſic quod unum ſint. Hoc mirabile eſt, quod Verbum in Cælis ita ſcriptum ſit, ut

ſim-

ſimplices illud ſimpliciter intelligant, ac ut ſapientes ſapienter; ſunt enim plures ſtrophæ & ſignaturæ ſupra lineras, quæ, ut dictum eſt, exaltant Senſum; ſimplices ad illas non attendunt, nec illas norunt; at ſapientes attendunt, quiſque ſecundum ſuam Sapientiam, uſque ad ſummam. Exemplar Verbi ab Angelis a Domino inſpiratis ſcriptum, apud unamquamque Societatem majorem, in Sacrario ejus, repoſitum eſt, ne Verbum quoad aliquod punctum alibi immutetur. Verbum, quod in noſtro Mundo eſt, ſimile eſt Verbo Cæli in eo, quod ſimplices illud ſimpliciter intelligant, & ſapientes ſapienter; ſed hoc fit alio modo.

242. Quod omnis ſapientia ſit Angelis per Verbum, hoc fatentur ipſi, nam quantum in Verbi intellectu ſunt, tantum in luce ſunt; Lux Cæli eſt Divina Sapientia, quæ coram oculis eorum eſt Lux. In Sacrario, in pro Exemplar repoſitum eſt, eſt Lux flammea & candida, excedens omnem gradum lucis, quæ extra illud in Cælo eſt. Sapientia Angelorum Cæleſtium excedit Sapientiam Angelorum ſpiritualium, pæne ſicut ſapientia horum Angelorum excedit ſapientiam hominum; & hoc ex cauſa, quia Angeli cæleſtes in bono amoris a Domino ſunt, & Angeli ſpirituales in veris ſapientiæ a Domino ſunt; & ubi bonum amoris eſt, ibi reſidet ſapientia ſimul; at ubi vera ſunt, ibi non reſidet plus ſapientiæ, quam quantum ſimul bonum amoris. Hæc cauſa eſt, quod Verbum in Regno Cæleſti Domini aliter ſcriptum ſit quam in Regno Spirituali Ipſius; nam in Verbo Regni cæleſtis ſunt expreſſa bona amoris, & ſigna ſunt affectiones amoris, at in Verbo Regni ſpiritualis ſunt expreſſa vera ſapientiæ, & ſigna ſunt perceptiones interiores veri. Ex his concludi poteſt, qualis Sapientia in Verbo, quod in Mundo eſt, recondita latet; in illo enim latet omnis Sapientia angelica, quæ ineffabilis eſt; & in illam venit homo poſt mortem, qui a Domino per Verbum angelus fit.

VIII.

Quod Eccleſia ſit ex Verbo, & quod talis ſit apud hominem, qualis ei eſt intellectus Verbi.

243. Quod Eccleſia ſit ex Verbo, hoc non cadit in dubium, nam ſupra oſtenſum eſt, quod Verbum ſit Divinum Verum, n: 189 ad 192; Quod ex Verbo ſit Doctrina Eccleſiæ, n: 225 ad 233, & quod per Verbum ſit conjunctio cum Domino, n: 234 ad 239; ſed quod intellectus Verbi faciat Eccleſiam, hoc in dubium vocari poteſt, quoniam ſunt qui credunt, quod ab Eccleſia ſint quia Verbum habent, id legunt, vel a Prædicatore audiunt, & aliquid ex ſenſu literæ ejus ſciunt; ſed quomodo hoc & illud in Verbo intelligendum eſt, non ſciunt, & quidam non tanti æſtimant: quare hic confirmabitur, quod non Verbum faciat Eccleſiam, ſed intellectus ejus, & quod Eccleſia talis ſit, qualis eſt intellectus Verbi apud illos, qui in Eccleſia ſunt.

244. Quod Eccleſia ſit ſecundum intellectum Verbi, eſt quia Eccleſia eſt ſecundum vera fidei & bona charitatis, & hæc duo ſunt univerſalia, quæ non modo circumſparſa ſunt per totum ſenſum literalem Verbi, ſed etiam intus latent ſicut pretioſa in theſauris: coram omni homine apparent illa quæ in Senſu literali ejus ſunt, quia influunt directe in oculos, at quæ in Senſu ſpirituali latent, illa non apparent niſi eis, qui amant vera quia vera ſunt, & faciunt bona quia bona; coram his manifeſtatur theſaurus, quem Senſus literalis tegit & cuſtodit; & hæc ſunt, quæ eſſentialiter faciunt Eccleſiam.

245. Quod Eccleſia ſit ſecundum Doctrinam ejus, & quod Doctrina ſit ex Verbo,

bo, notum eſt; ſed uſque Doctrina non inſtaurat Eccleſiam, ſed integritas & puritas Doctrinæ, conſequenter intellectus Verbi; ſed ſpecialem Eccleſiam, quæ eſt apud hominem in ſingulari, non inſtaurat & facit Doctrina, ſed fides & vita ſecundum illam; ſimiliter Verbum non inſtaurat & facit Eccleſiam in ſpecie apud hominem, ſed fides ſecundum vera, & vita ſecundum bona, quæ inde haurit & ſibi applicat. Verbum eſt ſicut Fodina, in qua aurum & argentum in profundo in omni copia ſunt, ac ſicut Fodina, in qua interius & interius lapides plus & plus pretioſi latent, hæ fodinæ aperiuntur ſecundum intellectum Verbi; abſque intellectu Verbi, qualis eſt in ſe, in ſuo ſinu, & in ſua profunditate, illud non plus faceret Eccleſiam apud hominem, quam Fodinæ illæ in Aſiatico orbe facerent Europæum divitem; aliter ſi foret inter illarum poſſeſſores & operarios. Verbum apud illos, qui ſcrutantur vera fidei & bona vitæ inde, eſt ſicut ſunt Gazæ apud Regem Perſiæ, aut apud Imperatores Mogolis & Chinæ, & homines Eccleſiæ ſicut præfecti illarum, quibus data eſt venia ad ſuos uſus deſumere quantum libet; at illi qui Verbum modo poſſident, ac legunt illud, & tamen non inquirunt genuina vera pro fide, & genuina bona pro vita, ſunt ſicut illi qui ex novellis ſciunt, quod tantæ gazæ ibi ſint, ſed ex illis ne quidem nummum accipiunt. Illi, qui Verbum poſſident, & non aliquem intellectum genuini veri & voluntatem genuini boni inde hauriunt, ſunt ſicut qui credunt ſe divites ex opibus mutuo acceptis ab aliis, aut poſſeſſionatos ab aliorum prædiis, domibus & mercibus, quod hoc ſit phantaſticum, quiſque videt. Similes etiam ſunt illis, qui incedunt in magnificis veſtibus, vehuntur in auratis curribus cum ſatellitiis a tergo & ad latera, & præcurſoribus, & tamen non quicquam ex illis ſuæ proprietatis ſunt.

246. Talis fuit Gens Judaica, quare illa, quia poſſidebat Verbum, a Domino aſſimilabatur Diviti, qui indutus erat purpura & byſſo, & ſplendide vivebat quotidie, & uſque ex Verbo ne quidem tantum veri & boni hauſerat, ut miſereretur pauperis Lazari, ante oſtium ejus ulceroſus jacentis; illa Gens non ſolum non aliqua vera ex Verbo appropriavit ſibi, ſed falſa in tali copia, ut tandem illis non appareret aliquod verum; nam vera per falſa non modo obteguntur, ſed etiam obliterantur & rejiciuntur; inde erat, quod nec agnoverint Meſſiam, tametſi omnes Prophetæ Ipſius Adventum annuntiaverant.

247. Multis in locis apud Prophetas deſcribitur Eccleſia apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam, quod prorſus deſtructa & nulla facta ſit per id, quod Senſum ſeu Intellectum Verbi falſificaverint; nam aliud non deſtruit Eccleſiam. Intellectus Verbi, tam verus quam falſus, deſcribitur apud Prophetas per EPHRAIMUM, imprimis apud Hoſcheam, nam per Ephraimum in Verbo ſignificatur intellectus Verbi in Eccleſia. Quoniam intellectus Verbi facit Eccleſiam, ideo Ephraim vocatur FILIUS PRETIOSUS, & NATUS DELICIARUM, Jerem. XXXI: 21. PRIMOGENITUS, Jerem. XXXI: 20. ROBUR CAPITIS JEHOVÆ, Pſalm LX: 9. Pſalm CVIII: 9. POTENS, Sach. X: 7. IMPLETUS ARCU, Sach. IX: 13; & filii Ephraimi vocantur ARMATI ET JACULATORES ARCUS, Pſalm LXXVIII: 9; per Arcum enim ſignificatur Doctrina ex Verbo pugnans contra falſa. Ideo etiam *Ephraim ad dextram Iſraelis tranſlatus eſt, & benedictus; tum loco Rubenis occeptatus eſt*, Geneſ. XLVIII: 5. 11; ſeq. Et ideo, *Ephraim cum fratre ſuo Menaſſe a Moſe in Benedictione filiorum Iſraelis ſub nomine Joſephi patris illorum ſupra omnes exaltatus eſt*, Deut. XXXIII: ad 17. Qualis autem Eccleſia eſt, quando intellectus Verbi eſt deperditus, per Ephraimum apud Prophetas etiam deſcribitur, imprimis apud Hoſcheam; ut in his, *Iſrael & Ephraim corruent. Ephraim in ſolitudinem erit. Ephraim oppreſſus & concuſſus judicii*, Hoſch. V: 5. 9. 11. 12. 13. 14. *Quid faciam tibi Ephraim, quia ſanctitas tua ſicut nubes auroræ, & ſicut ros mane cadens, abit*, Hoſch. VI: 4. *Non habitabunt in terra Jehovæ, revertetur Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyria immundum comedet*, Hoſch. IX: 3; terra Jehovæ eſt Eccleſia, Ægyptus eſt ſcientificum na-

turalis hominis; Aſſyria eſt ratiocinatio inde, ex quibus duobus ſimul Verbum quoad intellectum ejus interiorem falſificatur; ideo dicitur quod Ephraim in Ægyptum revertetur, & in Aſſyria immundum comedet. *Ephraim paſcens ventum, & perſequitur eurum; omni die mendacium & vaſtationem multiplicat; fœdus cum Aſſyria pangit, & oleum in Ægyptum defertur*, Hoſch. XII: 2, paſcere ventum, perſequi eurum, ac multiplicare mendacium & vaſtationem, eſt falſificare vera, & ſic deſtruere Eccleſiam. Simile etiam ſignificatur per ſcortationem Ephraimi, nam ſcortatio ſignificat falſificationem intellectus Verbi, hoc eſt, genuini veri ejus; in his „ *Ego novi Ephraimum, quod omnino ſcortatus ſit, & pollutus ſit Iſrael*, Hoſch. V: 3. *In domo Iſraelis vidi rem fœdam, ibi ſcortatus eſt Ephraim, & pollutus eſt Iſrael*, Hoſch. VI: 10, Iſrael eſt ipſa Eccleſia, & Ephraim eſt intellectus Verbi, ex quo & ſecundum quem eſt Eccleſia; quare dicitur, ſcortatus eſt Ephraim, & pollutus eſt Iſrael. Quoniam Eccleſia apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam per falſificationes Verbi plane deſtructa fuit, ideo de Ephraimo dicitur, *Dabo te Ephraim, tradam te Iſrael, ſicut Adamam, & ponam te ſicut Zeboim*, Hoſch. XI: 8. Nunc quia apud Prophetam Hoſcheam a Primo Capite ad Ultimum de Falſificatione genuini intellectus Verbi, & de deſtructione Eccleſiæ per illam, & quia per ſcortationem ſignificatur falſificatio veri ibi, ideo mandatum eſt illi Prophetæ, ut repræſentaret illum ſtatum Eccleſiæ, per *quod acciperet ſibi Scortum in Uxorem, & ex illa gigneret filios*, Cap. I: ac iterum, *ut acciperet Mulierem adulteram*, Cap. III. Hæc allata ſunt, ut ex Verbo ſciatur & confirmetur, quod Eccleſia talis ſit, qualis eſt intellectus Verbi in illa, præſtans & pretioſa, ſi intellectus ſit ex genuinis veris ex Verbo, at deſtructa, imo fœda, ſi ex falſificatis.

IX.

Quod in ſingulis Verbi ſit Conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde Conjugium boni & veri.

248. Quod in ſingulis Verbi ſit Conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde Conjugium boni & veri, hactenus non viſum eſt, nec videri potuit, quia Senſus ſpiritualis Verbi non prius detectus eſt, & id conjugium non videri poteſt niſi per illum: ſunt enim bini Senſus in Verbo, latentes in Senſu literæ ejus, qui vocantur Spiritualis & Cæleſtis; in Spirituali Senſu in Verbo ſe referunt illa quæ ejus ſunt, maxime ad Eccleſiam, & in Cæleſti maxime ad Dominum; tum in Spirituali ſenſu ſe referunt illa quæ ejus ſunt ad Divinum Verum, & in Cæleſti ad Divinum Bonum; inde eſt in Verbo illud Conjugium. Sed hoc non apparet alicui, niſi qui ex Senſu ſpirituali & cæleſti Verbi ſcit vocum & nominum ſignificationes, nam quædam voces & nomina prædicantur de Bono, & quædam de Vero, & quædam includunt utrumque; quare abſque illa cognitione Conjugium illud in ſingulis Verbi non videri potuit: hæc cauſa eſt, quod hoc Arcanum non prius detectum fuerit. Quoniam tale conjugium in ſingulis Verbi eſt, ideo multoties in Verbo ſunt binæ Expreſſiones, quæ apparent ſicut Repetitiones unius rei; attamen non ſunt Repetitiones, ſed una ſe refert ad bonum, & altera ad verum, ac utraque ſimul ſumta facit conjunctionem illorum, ita unam rem. Inde etiam eſt Divina ſanctitas Verbi; nam in omni Opere Divino eſt Bonum conjunctum Vero, ac Verum conjunctum Bono.

249. Dicitur quod in ſingulis Verbi ſit conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde conjugium boni & veri; quia ubi conjugium Domini & Eccleſiæ eſt, ibi etiam conjugium boni & veri eſt, eſt enim hoc conjugium ab illo; nam dum Eccleſia ſeu ho-

homo Eccleſiæ in veris eſt, tunc Dominus in vera ejus influit cum bono, & illa vivificat; ſeu quod idem, dum homo Eccleſiæ in intellectu veri eſt, tunc Dominus per bonum charitatis in intellectum ejus influit, & ſic ei infundit vitam. Sunt binæ Facultates vitæ apud unumquemvis hominem, quæ Vocantur Intellectus & Voluntas; Intellectus eſt receptaculum veri, & inde ſapientiæ, ac voluntas eſt receptaculum boni, & inde charitatis; hæ duæ Facultates unum facient, ut homo ſit homo Eccleſiæ, ac unum faciunt, dum homo Intellectum format ex genuinis veris, & hoc fit ad apparentiam ſicut ab illo, & dum Voluntas ejus impletur bono amoris, hoc fit a Domino; inde homini vita veri & vita boni eſt, vita veri in Intellectu, & vita boni in Voluntate, quæ dum unitæ ſunt, non duas ſed unam vitam faciunt. Hoc eſt Conjugium Domini & Eccleſiæ, tum Conjugium boni & veri apud hominem.

250. Quod in Verbo ſint binæ Expreſſiones, quæ apparent ſicut Repetitiones ejuſdem rei, a legentibus, qui ad id attendunt, poteſt videri, ut frater & ſocius, pauper & egenus, vaſtitas & ſolitudo, vacuitas & inanitas, hoſtis & inimicus, peccatum & iniquitas, ira & excandeſcentia, gens & populus, gaudium & lætitia, luctus & lachrymatio, juſtitia & judicium, &c; quæ apparent ſicut ſynonyma, cum tamen uſque non ſunt, nam frater, pauper, vaſtitas, hoſtis, peccatum, ira, gens, gaudium, luctus, juſtitia, prædicantur de bono, & in oppoſito ſenſu de malo; at ſocius, egenus, ſolitudo, inanitas, inimicus, iniquitas, excandeſcentia, populus, lætitia, lachrymatio, judicium, prædicantur de vero, & in oppoſito ſenſu de falſo; & tamen apparet legenti, qui hoc arcanum non novit, quod pauper & egenus, vaſtitas & ſolitudo, vacuitas & inanitas, &c, una res ſint, & tamen non ſunt, verum una res fiunt per conjunctionem. In Verbo etiam conjunguntnr plura, ut ignis & flamma, aurum & argentum, æs & ferrum, lignum & lapis, panis & vinum, purpura & byſſus, &c: quia ignis, aurum, æs, lignum, panis, purpura, prædicantur de bono, at flamma, argentum, ferrum, lapis, aqua, vinum & byſſus, prædicantur de vero. Similiter quod dicatur, quod amaturi ſint Deum ex toto corde & ex tota anima, tum quod Deus creaturus ſit in homine novum cor & novum ſpiritum, cor enim prædicatur de bono amoris, ac anima & ſpiritus de veris fidei. Dantur etiam voces, quæ quia de utroque tam bono quam vero participant, ſolitarie abſque adjunctis aliis dicuntur; ſed hæc & plura alia non exſtant niſi coram Angelis & coram illis, qui dum in Senſu naturali, etiam in Senſu ſpirituali, ſunt.

251. Quod binæ tales Expreſſiones in Verbo ſint, quæ apparent ſicut Repetitiones ejuſdem rei, prolixum foret ex Verbo oſtendere, nam chartas impleret; ſed ut tollatur dubium, volo loca afferre, ubi GENS & POPULUS, & ubi GAUDIUM & LÆTITIA, ſimul dicuntur. Loca, ubi Gens & Populus nominantur, ſunt hæc: *Væ* GENTI *peccatrici*, POPULO *gravi iniquitate*, Eſaj. I: 4. POPULI *ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam, multiplicaſti* GENTEM, Eſaj. IX: 1. 2. *Aſchur virga iræ meæ, contra* GENTEM *hypocritam mittam illum, contra* POPULUM *excandeſcentiæ meæ mandabo illum*, Eſaj. X: 5. 6. *Fiet in die illo Radicem Iſſchaji, qui ſtans in ſignum* POPULORUM, GENTES *quærent*, Eſaj. XI: 10. *Jehovah percutiens* POPULOS *plaga non curabili, Dominans cum ira* GENTIBUS, Eſaj. XVI: 6. *In die illo adducetur munus Jehovæ Zebaoth* POPULUS *diſtractus & expilatus, & GENS delineata & conculcata*, Eſaj. XVI: 2. *Honorabunt Te* POPULUS *validus, urbs* GENTIUM *potentium timebunt Te*, Eſaj. XXV: 3. *Jehovah abſorbebit obvelationem ſuper omnes* POPULOS, *velamen ſuper omnes* GENTES, Eſaj. XXV: 8. *Appropinquate* GENTES, *&* POPULI *auſcultate*, Eſaj. XXXIV: 1. *Vocavi Te in fœdus* POPULI, *in lucem* GENTIUM, Eſaj. XLII: 6. *Omnes* GENTES *congregentur una, & conveniant* POPULI, Eſaj. XLIII: 9. *Ecce tollam erga* GENTES *manum meam, & erga* POPULOS *ſignum meum*, Eſaj. XLIX: 22. *In Teſtem* POPULIS *dedi Ipſum, Principem & Legiſlatorem*

Gentibus, Eſaj. LIV: 4. 5. *Ecce* Populus *veniens e terra ſeptentrionis*, *&* Gens *magna e lateribus terræ*, Jerem. VI: 22. 23. *Non audire te faciam amplius calumniam* Gentium, *& opprobrium* Populorum *non portabis amplius*, Ezech. XXXVI: 15. *Omnes* Populi *&* Gentes *Ipſum colent*, Dan. VII: 14. *Ne dicterium de illis faciant* Gentes, *& dixerint in* Populis *ubi Deus eorum*, Joel II: 7. *Reliquiæ* Populi *mei deprædabuntur illos*, *& reſidui* Gentis *meæ hæreditabunt illos*, Zeph. II: 9. *Venient* Populi *multi*, *&* Gentes *numeroſæ ad quærendum Jehovam in Hieroſolyma*, Sach. VIII: 22. *Viderunt oculi mei Salutare tuum*, *quod præparaſti ante faciem omnium* Populorum, *lumen in revelationem* Gentium, Luc. II: 30. 31. 32. *Redemiſti nos ſanguine tuo ex omni* Populo *&* Gente, Apoc. V: 9. *Oportet te rurſus prophetare ſuper* Populos *&* Gentes, Apoc. X: 11. *Pones me in caput* Gentium, Populus, *quem non noveram*, *ſervient mihi*, Pſalm XVIII: 44. *Jehovah irritum reddit conſilium* Gentium, *ſubvertit cogitationes* Populorum, Pſalm XXXIII: 10. *Ponis nos proverbium inter* Gentes, *motionem capitis inter* Populos, Pſalm XLIV: 15. *Jehovah ſubjiciet* Populos *ſub nos*, *&* Gentes *ſub pedes noſtros*; *regnat Jehovah ſuper* Gentes, *ſpontanei* Populorum *congregati ſunt*, Pſalm XLVII: 4. 9. 10. *Confitebuntur Te* Populi, *& jubilabunt* Gentes; *eo quod judicaturus ſis* Populos *in rectitudine*, *&* Gentes *in Terra ducturus ſis*, Pſalm LXVII: 3. 4. 5. *Memento mei Jehovah in beneplacito* Populi *tui*, *ut læter in gaudio* Gentium tuarum, Pſalm CXI: 4. 5; præter alibi. Quod Gentes & ſimul Populi dicantur, eſt quia per Gentes intelliguntur qui in bono ſunt, & in oppoſito ſenſu qui in malo; & per Populos qui in veris, & in oppoſito ſenſu qui in falſis: quare illi qui e Spirituali Regno Domini ſunt, vocantur Populi, & illi qui e Cæleſti Regno Domini ſunt, vocantur Gentes, nam in ſpirituali Regno ſunt omnes in Veris & inde Intelligentia, in Cæleſti autem Regno ſunt omnes in Bonis & inde Sapientia.

252. Simile eſt cum multis aliis; ſicut quod ubi dicitur Gaudium etiam dicatur Lætitia, ut in his; *Ecce* Gaudium *&* Lætitia *occidere bovem*, Eſaj. XXII: 13. Gaudium *&* Lætitia *aſſequentur*, *fugient* tristitia *&* *gemitus*, Eſaj. XXXV: 10. Cap. LI: 11. *Exciſum eſt e Domo Dei noſtri* Lætitia *&* Gaudium, Joel I: 16. *Abrogabitur vox* Gaudii *&* *vox* Lætitiæ, Jerem. VII: 34. Cap. XXV: 10. *Jejunium decimi erit domui Jehudæ in* Gaudium *&* Lætitiam, Sach. VIII: 19. Lætemini in Hieroſolyma, Gaudete in ea, Eſaj. LXVI: 10. Gaude *&* Lætare *filia Edomi*, Thren. IV: 21. Lætabuntur *Cœli*, *&* Gaudebit *Terra*, Pſalm LXVIII: 4. *Audire me facient* Gaudium *&* Lætitiam, Pſalm LI: 10. Gaudium *&* Lætitia *invenietur in Zione*, *Confeſſio & vox cantus*, Eſaj. LI: 3. Erit Lætitia, *& multi ſuper nativitate Ipſius* Gaudebunt, Luc. I: 14. *Ceſſare faciam vocem* Gaudii *& vocem* Lætitiæ, *vocem ſponſi & vocem ſponſæ*, Jerem. VII: 34. Cap. XVI: 9. Cap. XXV: 10. *Adhuc audietur in loco hoc vox* Gaudii *& vox* Lætitiæ, *ac vox ſponſi & vox ſponſæ*, Jerem. XXXIII: 10. 11; & alibi. Quod utrumque tam Gaudium quam Lætitia dicatur, eſt quia Gaudium prædicatur de Bono, & Lætitia de Vero, ſeu Gaudium de Amore, & Lætitia de Sapientia; eſt enim Gaudium Cordis & Lætitia Spiritus, ſeu Gaudium eſt Voluntatis, & Lætitia eſt Intellectus. Quod Conjugium Domini & Eccleſiæ etiam in his ſit, patet ex eo, quod dicatur, *Vox Gaudii & vox Lætitiæ*, *vox Sponſi & vox Sponſæ*, Jer. VII: 34. Cap. XVI: 9. Cap. XXV: 10. Cap. XXXIII: 10. 11; & Dominus eſt Sponſus & Eccleſia eſt Sponſa; quod Dominus ſit Sponſus, videatur Matth. IX: 15. Marc. II: 19. 20. Luc. V: 3, & quod Eccleſia ſit Sponſa, Apoc. XXI: 2. 9. Cap. XXII: 17; quare Johannes Baptiſta dixit de Jeſu, *Qui habet Sponſam Sponſus eſt*, Joh. III: 29.

253. Propter Conjugium Divini Boni & Divini Veri in ſingulis Verbi, permultis in locis dicitur Jehovah Deus, tum Jehovah & Sanctus Iſraelis, ſicut forent duo, cum tamen unum ſunt; per Jehovam enim intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, & per Deum & per Sanctum Iſraelis intelligitur Dominus

quoad

quoad Divinum Verum Divinæ Sapientiæ. Quod Jehovah & Deus, ac Jehovah & Sanctus Iſralis in permultis locis in Verbo dicantur, & tamen intelligatur Unus, in DOCTRINA DE DOMINO REDEMPTORE videatur.

X.

Quod Hæreſes ex Senſu literæ Verbi captari poſſint, ſed quod confirmare illas damnoſum ſit.

254. Supra oſtenſum eſt, quod Verbum non poſſit intelligi abſque Doctrina, & quod Doctrina ſit ſicut Lucerna, ut genuina Vera videantur; & hoc ex cauſa, quia Verbum per meras Correſpondentias conſcriptum eſt; inde eſt, quod plura ibi Apparentiæ veri ſint, & non nuda vera; & plura ad captum mere naturalis hominis ſcripta, & tamen ita, ut ſimplices illud ſimpliciter poſſint intelligere, & intelligentes intelligenter, ac ſapientes ſapienter. Nunc quia Verbum tale eſt, poſſunt Apparentiæ veri, quæ ſunt veſtita vera, pro nudis veris captari, quæ dum confirmantur, fiunt fallaciæ, quæ in ſe ſunt falſa. Ex eo, quod Apparentiæ veri, pro genuinis veris captæ & confirmatæ ſint, enatæ ſunt omnes Hæreſes, quæ in Chriſtiano Orbe fuerunt, & adhuc ſunt. Ipſæ Hæreſes non damnant homines, ſed confirmationes falſitatum, quæ in Hæreſi ſunt, ex Verbo, & per ratiocinia ex naturali homine, & vita mala damnant. Quiſque enim naſcitur in Religionem Patriæ ſuæ aut Parentum ſuorum, ab infantia initiatur in illam, & poſtea retinet illam, nec poteſt ſemet ipſum educere ex falſis ejus, tam propter negotia in Mundo, quam propter imbecillitatem intellectus in perſpiciendis veris illius proſapiæ; ſed vivere male, & confirmare falſa uſque ad deſtructionem genuini veri, hoc damnat: nam qui manet in ſua Religione, & credit in Deum, ac intra Chriſtianiſmum credit in Dominum, & Verbum ſanctum habet, & ſecundum præcepta Decalogi ex religione vivit, is non jurat in falſa, quare dum audit vera, & ſuo modo percipit illa, poteſt illa amplecti, & ſic a falſis educi; non autem ille, qui falſa Religionis ſuæ confirmaverat, nam falſum confirmatum manet, & non poteſt exſtirpari; eſt enim falſum poſt confirmationem, ſicut quis juraverit in illud, imprimis ſi cohæret cum amore ſui, aut cum faſtu propriæ intelligentiæ.

255. Loquutus ſum cum quibuſdam in Mundo ſpirituali, qui ante plura Sæcula vixerunt, & ſe confirmaverunt in falſis Religionis ſuæ, & compertus ſum, quod in iiſdem adhuc conſtanter manerent: & quoque loquutus ſum cum quibuſdam ibi, qui in eadem Religione fuerunt, & cogitaverunt ſicut illi, ſed non confirmaverunt falſa ejus apud ſe, & compertus ſum, quod inſtructi ab Angelis falſa rejecerint, & vera receperint, & quod hi ſalvati ſint, non autem illi. Unusquiſque homo poſt mortem inſtruitur ab Angelis, & recipiuntur illi qui vera vident, & ex veris falſa; ſed modo illi vident vera, qui ſe non confirmaverunt in falſis, ſed qui ſe confirmaverunt, illi non volunt videre vera, & ſi vident, ſe retro vertunt, & tunc vel ad illa rident, vel illa falſificant; genuina cauſa eſt, quod Confirmatio intret voluntatem, ac voluntas eſt ipſe homo, & diſponit intellectum ad nutum; at nuda cognitio modo intrat intellectum, & hic non aliquod jus in voluntatem habet, ita non eſt in homine, aliter quam ſicut qui ſtat in atrio aut in porta, & non adhuc in domo.

256. Sed hoc illuſtretur per Exemplum: in Verbo multis in locis tribuitur Deo ira, excandeſcentia, vindicta, & quod puniat, dejiciat in Infernum, tentet, & plura ſimilia; qui hoc ſimpliciter & ſicut infans credit, & propterea timet Deum, & ſibi cavet a peccare contra Ipſum, ille propter ſimplicem illam fidem, non dam-

damnatur. Sed qui apud ſe confirmat illa eo uſque, ut credat, quod ira, excandeſcentia, vindicta, & ſic talia quæ mali ſunt, apud Deum ſint, & quod ex ira, excandeſcentia & vindicta hominem puniat, ac in infernum dejiciat, ille damnatur, quia genuinum verum deſtruxit; quod eſt, quod Deus ſit ipſe Amor, ipſa Miſericordia, & ipſum Bonum, & Qui eſt illa, non poteſt iraſci, excandeſcere, & vindicare; quod illa in Verbo tribuantur Deo, eſt quia ita apparet; talia ſunt apparentiæ veri.

257. Quod plura in Senſu literæ Verbi ſint Apparentiæ veri, in quibus vera genuina latent, & quod non damnoſum ſit ſecundum apparentias veri ſimpliciter cogitare, & quoque loqui, ſed quod damnoſum ſit illas confirmare, quoniam per confirmationem deſtruitur Divinum Verum quod intus latet, illuſtrari etiam poteſt per Exemplum in natura, quod adfertur, quia Naturale clarius illuſtrat & docet, quam Spirituale. Coram oculis apparet, ſicut quod Sol quovis die circum Tellurem feratur, & quoque ſemel quotannis; inde dicitur, quod Sol oriatur & occidat, quod faciat mane, meridiem, veſperam, & noctem, & quoque tempora veris, æſtatis, autumni, & hyemis, & ſic dies & annos; cum tamen Sol immotus ſtat, eſt enim Oceanus igneus, & Tellus circumvolvitur quotidie, & circumfertur quotannis: homo, qui ex ſimplicitate & ex ignorantia cogitat, quod Sol circumferatur, non deſtruit veritatem naturalem, quæ eſt, quod Tellus rotetur circum axem, & quotannis feratur ſecundum Ecclipticam: at qui confirmat apparentem Solis motum, per ratiocinia ex naturali homine, & plus qui per Verbum quia ibi dicitur quod Sol oriatur & occidat, ille infirmat veritatem, & diſtruit illam; & poſtea vix poteſt videre illam, tametſi ad oculum oſtenderetur, quod univerſum Cælum aſtriferum ſimiliter quotidie & quotannis ad apparentiam circumferatur, & tamen ne quidem una Stella e loco ſuo fixo ab altera removeatur. Quod Sol moveatur, eſt apparens verum, at quod non moveatur, eſt genuinum verum; attamen quiſque loquitur ſecundum apparens verum, dicendo quod Sol oriatur & occidat, & hoc licet, quia non poteſt aliter, ſed cogitare ſecundum illud ex confirmatione, hoc intellectum rationalem hebetat & opacat.

258. Quod damnoſum ſit confirmare apparentias veri, quæ in Verbo ſunt, quoniam per id fit fallacia, & ſic Divinum Verum, quod intus latet, deſtruitur, ipſa cauſa eſt, quia omnia & ſingula Senſus literæ Verbi communicant cum Cælo, nam ut ſupra oſtenſum eſt, omnibus & ſingulis ſenſus literæ ejus ineſt ſenſus ſpiritualis, & hic aperitur dum tranſit ab homine ad cælum; ac omnia Senſus ſpiritualis ſunt genuina vera; quare dum homo in falſis eſt, & applicat ſenſum literæ ad illa, tunc inibi falſa ſunt, & dum intrant falſa, diſſipantur vera; quod fit in via ab homine ad cælum; & hoc fit comparative ſicut veſica nitida felle repleta, projicitur ad alterum, quæ antequam ad illum venit, in aere frangitur, & fel circumſpargitur, ad quod, dum alter aerem felle infectum ſentit, ſe avertit, & quoque occludit os, ne tingat linguam ejus; & eſt ſicut Uter cinctus termitibus cedri, in quo acetum vermiculis plenum eſt, ac uter in via rumpitur, ac nidor ejus ſentitur ab altero, qui tunc illico ex nauſea, nidorem ejus, ne influat in nares ejus, quodam ventilabro diſſipat. Eſt quoque ſicut amygdatum in cruſta, intra quam loco amygdali eſt coluber recens natus, & cruſta illa evellitur, & colubellus ille apparet vento ferri in oculos alterius, quod hic ſe avertat, ne id fiat, ex ſe patet. Simile eſt cum lectione Verbi ab homine, qui in falſis eſt, & ad falſa ſua applicat aliqua ſenſus literæ Verbi, quod tunc rejiciatur in via ad Cælum, ne tale quid influat, ac Angelos infeſtet; falſum enim dum tangit verum, eſt ſicut acumen acus dum tangit fibrillam nervi, aut pupillam oculi; quod fibrilla nervi ſe illico revolvat in ſpiram & ſe in ſe recipiat, notum eſt, ſimiliter quod oculus ad primum tactum ejus palpebris ſe obvolvat. Ex his patet quod verum falſificatum auferat com-

communicationem cum Cælo, & claudat illud. Hæc cauſa eſt, quod confirmare aliquod falſum hæreticum, damnoſum ſit.

259. Verbum eſt ſicut Hortus, qui Paradiſus Cæleſtis vocandus eſt, in quo cupediæ & deliciæ omnis generis ſunt, cupediæ ex fructibus & deliciæ ex floribus, in cujus medio ſunt Arbores vitæ, juxta quas fontes aquæ vivæ: & circum Hortum ſunt arbores ſylvæ. Homo qui ex Doctrina in Divinis veris eſt, in medio eſt, ubi ſunt Arbores vitæ, & actualiter cupediis & deliciis ejus fruitur; homo autem qui non ex Doctrina in veris eſt, ſed ex ſolo Senſu literæ, is in circuitu eſt, & videt modo ſylveſtria: at qui in Doctrina Religionis falſæ eſt, & falſum ejus apud ſe confirmavit, ne quidem in Sylva eſt, ſed extra illam in Campo areноſo, ubi nec gramen. Quod etiam talis ſtatus illorum poſt mortem ſit, in Opere DE CÆLO ET INFERNO, oſtenſum eſt.

260. Inſuper ſciendum eſt, quod Senſus literæ ſit cuſtodia pro genuinis veris, quæ intus latent, ne lædantur; & in eo eſt cuſtodia, quod ille Senſus poſſit huc illuc verti, & explicari ſecundum captum, & tamen Internum ejus non lædi & violari; non enim nocet, quod Senſus literæ aliter ab uno quam ab altero intelligatur, ſed id nocet, ſi homo falſa infert, quæ contra Divina vera ſunt, quod unice fit ab illis, qui ſe in falſis confirmaverunt; per hoc infertur Verbo violentia: ne hoc fiat, cuſtodit Senſus literæ, & cuſtodit apud illos, qui in falſis ſunt ex Religione, & falſa ejus non confirmant. Senſus literæ Verbi ut Cuſtodia, ſignificatur per Cherubos in Verbo, & quoque per illos deſcribitur ibi. Hæc Cuſtodia ſignificatur per Cherubos, qui, poſtquam Adamus cum Uxore ejectus eſt ex Horto Edenis, ad introitum ejus poſiti ſunt, de quibus hæc leguntur, *Cum Jehovah Deus expulerat hominem, habitare fecit ab Oriente horti Edenis* CHERUBOS, *& flammam gladii hinc inde vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam Arboris vitæ*, Geneſ. III: 23. 24. Quid hæc ſignificant nemo videre poteſt, niſi ſciat, quid per Cherubos ſignificatur, & quid per Hortum Edenis, & per Arborem vitæ ibi, & dein quid per Flammam gladii hinc inde vertentis ſe; hæc ſingula in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis ad hoc Caput explicata ſunt; videlicet, quod per Cherubos ſignificetur Cuſtodia; per viam Arboris vitæ ſignificatur introitus ad Dominum, qui hominibus eſt per Vera Senſus Spiritualis Verbi; per flammam gladii vertentis ſe, ſignificatur Divinum Verum in ultimis, quod eſt ſicut Verbum in Senſu literæ, qui ita verti poteſt. *Simile intelligitur per* CHERUBOS EX AURO POSITOS *ſuper duabus extremitatibus Propitiatorii, quod erat ſuper Arca, in Tabernaculo*, Exod. XXV: 18 ad 21; per Arcam ſignificabatur Verbum, quia Decalogus in illa erat primitivum ejus, per Cherubos ibi ſignificabatur cuſtodia, quare Dominus cum Moſe inter illos loquutus eſt, Exod. XXV: 22. Cap. XXXVI: 9. Num. VII: 89. & loquutus eſt in Senſu naturali, nam cum homine non loquitur niſi in pleno, & in Senſu literæ eſt Divinum Verum in ſuo pleno, videatur ſupra n: 214 ad 224. Nec aliud ſignificatum eſt *per* CHERUBOS *ſuper Aulæis Tabernaculi, & ſuper Velo*, Exod. XXVI: 31.; nam Aulæa & Vela Tabernaculi ſignificabant ultima Cæli & Eccleſiæ, ita quoque Verbi, videatur ſupra, n: 220. Similiter *per* CHERUBOS *ſculptos ſuper parietibus & ſuper foribus Templi Hieroſolymitani*, I Reg. VI: 29. 32. 35, videatur ſupra n: 221. pariter per CHERUBOS *in Novo Templo*, Ezech. XLI: 18. 19. 20. Quoniam per Cherubos ſignificabatur Cuſtodia ne Dominus, Cælum, & Divinum Verum, quale eſt intus in Verbo, immediate adeantur, ſed mediate per ultima, ideo de Rege Tyri ita dicitur, *Tu obſignans demenſum, plenus ſapientia & perfectus pulchritudine, in Eden Horto fuiſti, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum, tu* CHERUBE *expanſio contegentis: perdidi te*, CHERUBE CONTEGENS, *in medio lapidum ignis*, Ezech. XXVIII: 12. 13. 14. 16. per Tyrum ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri & boni, & inde pe Regem Tyri Verbum ubi & unde cognitiones illæ ſunt; quod Verbum hic in ſuo ultimo per illum, & per Cherubum Cuſtodia ſignificetur, patet, nam di-

dicitur, tu obſignans demenſum, omnis lapis pretioſus tegumentum tuam, tu Cherube expanſio contegentis, ut & Cherube contegens; quod per Lapides pretioſos, qui etiam ibi nominantur, intelligantur illa quæ Senſus literæ ſunt, videatur ſupra n: 217. 218. Quoniam per Cherubos ſignificatur Verbum in ultimis, & quoque Cuſtodia, ideo dicitur apud Davidem, *Jehovah inclinavit Cælos, & deſcendit, & equitavit ſupor Cherubo*, Pſalm XVIII: 10. 11. *Paſtor Iſraelis, qui ſedet ſuper Cherubis, effulge*, Pſalm LXXX: 2. *Jehovah inſidens Cherubis*, Pſalm XCIX: 1. equitare ſuper Cherubis, ſedere ſuper illis, eſt ſuper ſenſu ultimo Verbi. Divinum Verum in Verbo, & ejus quale, deſcribitur per quatuor Animalia, quæ etiam vocantur Cherubi, apud Ezechielem Cap. I: IX & X:; & quoque per quatuor Animalia in medio Throni, & juxta Thronum, Apoc. IV: 6. ſeq. Videatur APOCALYPSIS REVELATA a me Amſtelodami edita, n: 239. 275. 314.

XI.

Quod Dominus in Mundo impleverit omnia Verbi, & per id factus ſit Verbum, hoc eſt, Divinum Verum, etiam in ultimis.

261. Quod Dominus in Mundo impleverit omnia Verbi, & quod per id factus ſit Divinum Verum, ſeu Verbum, etiam in ultimis, intelligitur per hæc apud Johannem, *& Verbum Caro factum eſt, & habitavit inter nos, & vidimus Gloriam Ipſius, Gloriam ſicut Unigeniti a Patre, plenus gratia & veritate*, I: 14. fieri Caro eſt fieri Verbum in ultimis: Qualis Dominus fuit ut Verbum in ultimis, oſtendit Diſcipulis cum transformatus eſt, Matth. XVII: 2. ſeq. Marc. IX: 2. ſeq. Luc. IX: 28. ſeq. & ibi dicitur, quod Moſes & Elias viſi ſint in gloria, per Moſen intelligitur Verbum quod per illum ſcriptum eſt, & in genere Verbum Hiſtoricum, & per Eliam Verbum Propheticum. Dominus ut Verbum in ultimis, etiam repræſentatus eſt coram Johanne, in Apocalypſi Cap. I: 13 ad 16., ubi omnia deſcriptionis Ipſius ſignificant ultima Divini Veri, ſeu Verbi. Dominus prius quidem fuerat Verbum ſeu Divinum Verum, ſed in Primis, nam dicitur, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &* DEUS ERAT VERBUM, Joh. I: 1. 2.; ſed quando Verbum Caro factum eſt, tunc Dominus factus eſt Verbum etiam in ultimis; ex eo eſt, quod dicatur PRIMUS & ULTIMUS, Apoc. I: 8. 11. 17. Cap. II. 8. Cap. XXI: 6. Cap. XXII: 12. 13. Eſaj. XLIV: 6.

262. Quod Dominus impleverit omnia Verbi, patet ex locis, ubi dicitur, quod ab Ipſo impleta ſit Lex & Scriptura, & quod omnia conſummata ſint, ut ex his, dixit Jeſus, *nolite putare, quod venerim ad ſolvendum* LEGEM & PROPHETAM, *non veni ad ſolvendum*, SED AD IMPLENDUM, Matth. V: 17. 18. *Jeſus intravit in Synagogam, & ſurrexit ad legendum, tunc traditus eſt Ipſi Liber Eſajæ Prophetæ, & evolvit Librum, & invenit Locum ſcriptum: Spiritus Jehovæ ſuper me, propter quod unxit me, ad evangelizandum pauperibus miſit me, ad ſanandum contritos corde, ad evangelizandum vinctis remiſſionem, & cæcis viſum, ad prædicandum Annum Domini acceptum: Poſtea convolvens Librum, dixit,* HODIE IMPLETA EST SCRIPTURA HÆC IN AURIBUS VESTRIS, Luc. IV: 16 ad 21. *Ut* SCRIPTURA IMPLERETUR, *qui comedit Mœcum panem, ſuſtulit ſuper Me calcaneum*, Joh. XIII: 18. *Nemo ex illis periit, niſi filius perditionis, ut* SCRIPTURA IMPLERETUR, Joh. XVII: 12. *Ut* IMPLERETUR VERBUM, *quod dixit, quos dediſti Mihi, non perdidi ex illis unum*, Joh. XVIII: 19. *Jeſus dixit Petro, abſconde tuum gladium in loco ſuo,* QUOMODO ERGO IMPLERETUR SCRIPTURA, *quod ſic oporteat fieri: hoc autem factum eſt ut* IMPLERETUR SCRIPTURA, Matth. XXVI: 54. 56. *Filius hominis abit ſicut* SCRIPTUM EST *de Ipſo, ut* IMPLE-

REN-

RENTUR SCRIPTURÆ, Marc. XIV: 21. 24. Sic IMPLETA EST SCRIPTURA, *quæ dixit, cum impiis reputatus eſt*, Marc. XV: 28. Luc. XXII: 37. *Ut* SCRIPTURA IMPLERETUR, *diviſerunt veſtimenta ſua ſibi, & ſuper tunicam meam jecerunt ſortem*, Joh. XIX: 24. *Poſt hoc ſciens Jeſus, quod omnia jam Conſummata eſſent, ut* IMPLERETUR SCRIPTURA, Joh. XIX: 28. *Cum Jeſus accepiſſet acetum, dixit* CONSUMMATUM *eſt, hoc eſt*, IMPLETUM, Joh. XIX: 30. *Facta hæc ſunt, ut* SCRIPTURA IMPLERETUR, *os non confringetis in eo; & rurſus alia* SCRIPTURA DICIT, *videbunt, quem transfoderunt*, Joh. XIX: 36. 37. Quod omne Verbum de Ipſo ſcriptum ſit, & quod in Mundum venerit ut illud impleret, docuit etiam Diſcipulis antequam abivit, his verbis, *Dixit ad illos, ſtulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ loquuti ſunt Prophetæ, nonne hoc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam: incipiens porro a* MOSE ET AB OMNIBUS PROPHETIS, *& interpretatus eſt in illis* IN OMNIBUS SCRIPTURIS DE IPSO, Luc. XXIV: 25. 26. 27. Porro, Jeſus dixit, QUOD OPORTERET IMPLERI OMNIA, QUÆ SCRIPTA SUNT IN LEGE MOSIS, ET PROPHETIS, ET PSALMIS DE ME, Luc. XXIV: 44. 45. Quod Dominus in Mundo impleverit omnia Verbi, uſque ad ſingulariſſima ejus, patet ab his Ipſius verbis, *Amen dico vobis, uſque dum prætereat Cælum & Terra*, JOTHA UNA, AUT UNUM CORNICULUM NON PRÆTERIBIT DE LEGE, DONEC OMNIA FIANT, Matth. V: 18. Ex his nunc clare videri poteſt, quod per id quod Dominus impleverit omnia Legis, non intelligatur, quod impleverit omnia præcepta Decalogi, ſed quod omnia Verbi. Quod omnia Verbi per Legem etiam intelligantur, conſtare poteſt ex his, *Jeſus dixit, nonne ſcriptum eſt in* LEGE VESTRA, *Ego dixi, dii eſtis*, Joh. X: 34. hoc ſcriptum eſt, Pſalm: LXXI: 6. *Reſpondit turba, nos audivimus ex* LEGE, *quod Chriſtus maneat in æternum*, Joh. XII: 34. hoc ſcriptum eſt Pſalm: LXXXIX: 30. Pſalm CX: 4. Dan. VII: 14. *Ut impleretur Verbum ſcriptum in* LEGE ILLORUM, *odio habuerunt Me ſine cauſa*, Joh. XV: 25. hoc ſcriptum eſt Pſalm: XXXV: 19. *Facilius eſt Cælum & Terram tranſire, quam Legis unum apicem cadere*, Luc. XVI: 17. per Legem ibi, ut quoque paſſim alibi, intelligitur tota Scriptura Sacra.

263. Quomodo Dominus eſt Verbum, a paucis intelligitur; cogitant enim quod Dominus per Verbum poſſit homines illuſtrare & docere, & tamen non inde poteſt vocari Verbum; at ſciant, quod unusquiſque homo ſit ſua Voluntas & ſuus Intellectus, & ſic unus diſtinctus ab altero; & quia Voluntas eſt receptaculum Amoris, & ſic omnium bonorum quæ illius Amoris ſunt, ac Intellectus eſt receptaculum Sapientiæ, & ſic omnium veri quæ illius ſapientiæ ſunt, ſequitur quod unusquiſque homo ſit ſuus amor & ſua ſapientia, ſeu quod idem eſt, ſuum bonum & ſuum verum; homo non aliunde eſt homo, & non aliud apud illum eſt homo. Quod Dominum attinet, eſt Ille ipſe Amor & ipſa Sapientia, ita ipſum Bonum & ipſum Verum, quæ factus eſt per quod impleverit omne bonum & omne verum quod in Verbo eſt; nam qui non cogitat & loquitur niſi quam Verum, fit illud verum, & qui non vult & facit niſi quam bonum, fit illud bonum; & Dominus, quia implevit omne Divinum Verum & Divinum Bonum, quæ ſunt in Verbo, tam quæ ſunt in Senſu ejus naturali, quam quæ ſunt in Senſu ejus ſpirituali, factus eſt ipſum Bonum & ipſum Verum, ita Verbum.

XII.

Quod ante hoc Verbum, quod hodie eſt in Mundo, fuerit Verbum, quod deperditum eſt.

264. Quod ante Verbum per Moſen & Prophetas apud Gentem Iſraeliticam datum, Cultus per Sacrificia notus fuerit, & quod ex ore Jehovæ prophetaverint, ex memoratis in Libris Moſis, conſtare poteſt: Quod Cultus per Sacrificia notus Fuerit, ex his; Mandatum eſt, ut filii Iſraelis Gentium Altaria everterent, illarum Statuas confringerent, & illarum Lucos exſcinderent, Exod. XXXIV: 13. Deutr. VII: 5. Cap. XII: 3. Quod Iſrael in Schittim cæperit ſcortari cum filiabus Moabi, vocaverint populum ad Sacrificia deorum ſuorum, & quod populus comederit, Num. XXV: 1. 2. 3. Quod Bileamus, qui fuit ex Syria, fecerit exſtruere Altaria, & Sacrificaverit boves & pecudes, Num. XXII: 40. Cap. XXIII. 1. 2. 14. 29. 30. Quod etiam Prophetaverit de Domino, dicendo, Quod oriretur Stella ex Jacobo, & Sceptrum ex Iſraele, Num. XXIII: 17. Quodque prophetaverit ex ore Jehovæ, Num: XXII: 13. 18. Cap. XXIII: 3. 5. 8. 16. 26. Cap. XXIV. 1. 13. Ex quibus patet, quod Cultus Divinus pæne ſimilis Cultui apud Gentem Iſraeliticam per Moſen inſtituto, apud Gentes fuerit. Quod etiam ante Abrahami tempus, elucet ex verbis apud Moſen Deutr. XXXII: 7. 8. ſed evidentius ex Malchizedecho Rege Schalemi, quod eduxerit Panem et Vinum, & benedixerit Abramo, & quod Abram illi dederit Decimas de omnibus, Gen. XIV: 18 ad 20; & quod Malchizedech repræſentaverit Dominum, nam vocatur Sacerdos Deo Altiſſimo, Gen. XIV: 18; & de Domino Dicitur apud Davidem, *Tu Sacerdos in æternum, juxta modum Malchizedechi*, Psalm: CX: 4.; inde erat, quod Melchizedech eduxerit Panem & Vinum, ut Sanctiſſima Eccleſiæ, ſicut in Sacra Cæna Sancta ſunt. Hæc præter plura ſunt indicia exſtantia, quod ante Verbum Iſraeliticum fuerit Verbum, ex quo tales Revelationes.

265. Quod Verbum apud Antiquos fuerit, conſtat apud Moſen, a quo nominatur, & aliquod deſumptum eſt, Num. XXI: 14. 15. 27 ad 30; & quod Hiſtorica illius Verbi vocata ſint Bella Jehovæ, ac Prophetica Enuntiata. Ex Hiſtoricis iſtius Verbi a Moſe deſumptum eſt hoc, *Propterea dicitur in* Libro Bellorum Jehovæ: *vadebam in Supha, & fluvios Arnonem, & aquæ ductum fluviorum, qui declinavit ubi habitatur Ar, & fiſtit ſe ad terminum Moabi*, Num. XXI: 14. 15. per Bella Jehovæ in illo Verbo, ſicut in noſtro, intellectæ & deſcriptæ ſunt Pugnæ Domini cum Infernis, & Victoriæ ſuper illa, quando in Mundum venturus eſt: eædem etiam pugnæ multis in locis intelliguntur & deſcribuntur in Hiſtoricis noſtri Verbi, ut in Bellis Joſuæ cum Gentibus terræ Canaanis, & in Bellis Judicum & Regum Iſraelis. Ex Propheticis iſtius Verbi hæc deſumta ſunt. *Propterea dicunt* Enuntiatores: *ingredimini Chesbonem; ædificabitur & confirmabitur Urbs Sichonis; nam ignis exivit ex Chesbone, flamma ex urbe Sichonis; comedit Ar Moabi, poſſeſſores excelſorum Arnonis: Væ tibi Moabe, periiſti populo Kemoshi, dedit filios ſuos evaſores, & filias ſuas in captivitatem Regi Emorræi Sichoni; cum telis confecimus eos: periit Chesbon uſque ad Dibonem, & devaſtavimus uſque ad Nophach, quod uſque ad Medebam*, Num. XXI. 27 ad 30. Tranſlatores vertunt Proverbiorum compositores, ſed vocandi ſunt Enuntiatores ſeu Enuntiata Prophetica, ut conſtare poteſt ex ſignificatione vocis Moschalim in Lingua Hebræa, quod non modo ſint Proverbia, ſed etiam Enuntiata Prophetica, ut Num. XXIII: 7. 18.

Cap

Cap. XXIV: 3. 15, ubi dicitur, quod Bileamus ediderit ENUNTIATUM SUUM, quod fuit Propheticum, etiam de Domino, Enuntiatum ejus vocatur MASCHAL in singulari; accedit, quod illa a Moſe inde deſumpta non ſint Proverbia, ſed Prophetica. Quod illud Verbum ſimiliter Divinitus inſpiratum fuerit, patet apud Jeremiam, ubi pæne ſimilia dicuntur „ *Ignis exivit ex Chesbone, & flamma ab inter Sichonem, quæ comedit angulum Moabi, & verticem filiorum Schaon: væ tibi Moabe, periit populus Kemoſchi, nam rapti ſunt filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in captivitatem*, Cap. XLVIII: 45. 46. Præter illa nominatur Liber Propheticus Verbi vetuſti, vocatus LIBER JASCHAR ſeu Liber Recti, a Davide & a Joſchua: a Davide, *Lamentatus eſt David ſuper Schaule & ſuper Jonathane, & inſcripſit ad docendum filios Jehudæ arcum, ecce ſcripta in* LIBRO JASCHAR, II Sam. I: 17. 18. Et a Joſua „ *Dixit Joſchua, Sol in Gibeone quieſce, & Luna in valle Ajalonis; nonne hoc ſcriptum in* LIBRO JASCHAR, Cap. X: 12.

266. Ex his conſtare poteſt, quod Verbum Antiquum in Orbe, imprimis Aſiatico, fuerit, ante Verbum Iſraeliticum. Quod hoc Verbum conſervetur in Cælo apud Angelos qui in illis Sæculis vixerunt; et quoque quod hodie adhuc ſit apud Gentes in TARTARIA MAGNA, in TERTIO MEMORABILI, poſt hanc de Scriptura Sacra Tranſactionem, videatur.

XIII.

Quod per Verbum etiam ſit Lux illis, qui extra Eccleſiam ſunt, & non habent Verbum.

267. Non poteſt dari conjunctio cum Cælo, niſi alicubi in Tellure ſit Eccleſia, ubi eſt Verbum, & per id Dominus notus, quia Dominus eſt Deus Cæli & Terræ, & abſque Domino nulla ſalus: quod per Verbum ſit conjunctio cum Domino, & conſociatio cum Angelis, videatur ſupra n: 234. ad 240. Satis eſt, ut Eccleſia ſit ubi Verbum, tametſi illa ſit ex paucis reſpective, per id uſque Dominus præſens eſt in univerſo terrarum Orbe, nam per id Cælum conjunctum eſt Humano Generi.

268. Quomodo autem præſentia & conjunctio Domini & Cæli datur in omnibus Terris per Verbum, dicetur. Univerſum Cælum Angelicum coram Domino eſt ſicut unus Homo, ſimiliter Eccleſia in terris, quod etiam actualiter appareant ut Homo, videatur in Opere de CÆLO & INFERNO, n: 59 ad 87. In illo Homine eſt Eccleſia, ubi Verbum legitur, & per id Dominus notus eſt, ſicut COR & ſicut PULMO, Regnum Cæleſte Domini ut Cor, & Regnum Spirituale Ipſius ut Pulmo: ſicut ex his binis Fontibus vitæ in Humano corpore omnia reliqua Membra, Viſcera & Organa, ſubſiſtunt & vivunt, ita quoque omnes illi in Terrarum Orbe, apud quos Religio eſt, & Deus unus colitur, & bene vivitur, & per id in illo Homine ſunt, & referunt Membra & Viſcera extra Thoracem, in qua ſunt Cor & Pulmo; ex conjunctione Domini & Cæli per Verbum cum Eccleſia, ſubſiſtunt & vivunt, nam Verbum in Eccleſia Chriſtiana, eſt vita reliquis a Domino per Cælum, ſicut membrorum & viſcerum totius Corporis eſt vita ex Corde & Pulmone; eſt quoque communicatio ſimilis: quæ etiam cauſa eſt, quod Chriſtiani, apud quos Verbum legitur, conſtituant Pectus illius Hominis: ſunt etiam in medio omnium, & circum illos ſunt Pontificii, circum hos ſunt Mahumedami, qui agnoſcunt Dominum ut maximum Prophetam, ac ut Filium Dei; poſt hos ſunt Africani; & ultimam Circumferentiam faciunt Populi & Gentes in Aſia & Indiis.

269. Quod ita ſit in univerſo Cælo, concludi poteſt a ſimili in unaquavis Socie-

cietate cæli, nam unaquævis Societas eſt Cælum in minore forma, quæ quoque eſt ſicut Homo; quod ita fit, videatur in Opere de CÆLO & INFERNO, n: 41 ad 87. In omni Societate Cæli, illi qui in medio ejus ſunt, ſimiliter referunt Cor & Pulmonem, & apud illos eſt maxima lux; ipſa Lux & inde Perceptio veri, a medio illo ſe propagat verſus peripherias quaquaverſum, ita ad omnes qui in Societate ſunt, & facit vitam illorum ſpiritualem: oſtenſum eſt, quod quando illi qui in medio erant, & provinciam Cordis & Pulmonis conſtituebant, & apud quos maxima lux erat, auferrentur, illi qui circum erant, in umbra intellectus eſſent, & tunc in tam exili perceptione veri, ut lamentarentur; ſed mox ut redierunt, viſa eſt lux, & fuit illis perceptio veri ſicut prius. Comparatio fieri poteſt cum calore & luce ex Sole Mundi, quæ vegetationem dant arboribus & virgultis, etiam illis quæ ad latera, & ſub nube ſtant, modo Sol ortus ſit. Ita Lux & Calor Cæli a Domino ut Sole ibi, quæ Lux in eſſentia ſua eſt Divinum Verum, ex quo omnis intelligentia & ſapientia eſt angelis & hominibus; quare dicitur de *Verbo quod erat apud Deum & erat Deus, quod illuminet omnem hominem venientem in Mundum; & quod Lux illa etiam in tenebris appareat*, Joh. I: 1. 5. 9: per Verbum ibi intelligitur Dominus quoad Divinum Verum.

270. Ex his conſtare poteſt, quod Verbum, quod eſt apud Proteſtantes & Reformatos, illuſtret omnes Gentes & Populos per communicationem ſpiritualem; tum quod provideatur a Domino, ut in Tellure ſemper ſit Eccleſia ubi Verbum legitur, & per id Dominus notus fiat; Quare cum Verbum a Pontificiis pæne rejectum eſt, ex Divina Domini Providentia Reformatio facta eſt, & inde Verbum ſicut e latebris extractum eſt, & miſſum in uſum. Quando etiam Verbum apud Gentem Judaicam prorſus falſificatum & adulteratum erat, & quaſi nullum factum eſt, tunc placuit Domino e Cælo deſcendere, ac ut Verbum venire, ac implere illud, & per id redintegrare & reſtituere illud, ac iterum dare lucem Incolis telluris, ſecundum hæc Domini verba, *Populus ſedens in tenebris vidit Lucem magnam; ſedentibus in regione & umbra mortis, Lux exorta illis eſt*, Eſaj. IX: 1. & Matth. IV: 16.

271. Quoniam prædictum eſt, quod in fine hujus Eccleſiæ etiam oborirentur tenebræ ex non cognitione Domini, quod ſit Deus Cæli & Terræ, & ex Fidei ſeparatione a Charitate, ne per id genuinus intellectus Verbi periret, & ſic Eccleſia, ideo placuit Domino nunc revelare SENSUM SPIRITUALEM VERBI, & manifeſtare quod Verbum in illo Senſu, & ex illo in Senſu naturali, contineat innumerabilia, per quæ Lux veri ex Verbo pæne exſtincta, reſtituatur. Quod Lux veri in fine hujus Eccleſiæ pæne exſtingueretur, prædicitur multis in locis in Apocalypſi; & quoque intelligitur per hæc Domini verba, *Statim poſt afflictionem dierum iſtorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent e Cælo; & Virtutes Cælorum commovebuntur: & tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli cum gloria & virtute*, Matth. XXIV: 29. 30; per Solem ibi intelligitur Dominus quoad amorem; per Lunam Dominus quoad fidem; per Stellas quoad cognitiones veri & boni; per Filium hominis Dominus quoad Verbum; per Nubem Senſus literæ Verbi; per Gloriam Senſus ſpiritualis Verbi, ac tranſparentia ejus per Senſum literæ ejus; & per Virtutes potentia ejus.

272. Per multam experientiam mihi ſcire datum eſt, quod per Verbum ſit homini communicatio cum Cælo: dum perlegi Verbum a Primo Capite Eſajæ uſque ad Ultimum Malachiæ, & Pſalmos Davidis, & tenui cogitationem in Senſu ſpirituali illorum, datum eſt clare percipere, quod unuſquiſque Verſus communicaret cum aliqua Societate Cæli, & quod ſic totum Verbum cum Univerſo Cælo: ex quo patuit, quod ſicut Dominus eſt Verbum, etiam Cælum ſit Verbum, quoniam Cælum eſt Cælum a Domino, & Dominus per Verbum eſt omne in omnibus Cæli.

XIV.

XIV.

Quod niſi Verbum foret, nemo ſciret Deum, Cælum & Infernum, & Vitam poſt mortem, & minus Dominum.

273. Quoniam illi, qui ſtatuunt, & apud ſe confirmaverunt, quod homo abſque Verbo ſcire poſſet exiſtentiam Dei, & quoque Cæli & Inferni, tum reliqua, quæ Verbum docet, ideo non licet cum illis ex Verbo agere, ſed ex naturali rationis lumine; nam non credunt Verbo, ſed ſibi. Ex lumine rationis inquire & & invenies, quod duæ Facultates vitæ ſint apud hominem, quæ vocantur Intellectus & Voluntas, & quod Intellectus ſubjectus ſit Voluntati, & non Voluntas Intellectui, Intellectus enim modo docet & monſtrat quid ex Voluntate faciendum eſt: inde eſt, quod multi qui acuto ingenio ſunt, & præ aliis intelligunt vitæ moralia, & tamen non vivunt ſecundum illa; aliter foret, ſi vellent illa. Inquire etiam, & invenies, quod Voluntas hominis ſit ejus proprium, & quod hoc a nativitate ſit malum, & quod inde ſit falſum in intellectu. Quum hæc inveneris, videbis, quod homo ex ſe non velit aliud intelligere, quam quod eſt ex proprio voluntatis ejus, & quod niſi alibi ſit, unde id ſciat, homo ex proprio voluntatis ſuæ non velit aliud intelligere, quam quod ſui & mundi eſt; quicquid ſupra eſt, in caligine eſt; ut dum videt Solem, Lunam, & Stellas, ſi tunc forte cogitaret de ortu illorum, non aliter poſſet cogitare, quam quod a ſe ſint; num altius quam plures Docti in Mundo, qui tametſi ſciunt ex Verbo Creationem omnium a Deo, uſque agnoſcunt Naturam; quid tunc iidem, ſi *nihil* ex Verbo ſciviſſent. Num credis, quod Veteres Sophi, ut Ariſtoteles, Cicero, Seneca, & alii, qui de Deo, & de Immortalitate animæ ſcripſerunt, id primum ex proprio intellectu ſumſerint; non, ſed ex aliis per traducem ex illis, qui id primum ſciverunt ex Verbo Vetuſto, de quo ſupra. Scriptores Theologiæ naturalis, nec hauriunt quicquam tale ex ſe, ſed modo confirmant illa, quæ ſciunt ab Eccleſia, in qua eſt Verbum, per rationalia; & poſſunt dari inter illos, qui confirmant, & tamen non credunt.

274. Datum eſt videre Populos in Inſulis natos, quoad civilia rationales, qui ne hilum ſciverunt de Deo; illi in Mundo ſpirituali apparent ſicut Sphinges, at quia homines nati ſunt, & inde in facultate recipiendi vitam ſpiritualem, inſtruuntur ab Angelis, & per cognitiones de Domino ut Homine vivificantur. Qualis eſt homo ex ſe, apparet evidenter ex iis, qui in Inferno ſunt, inter quos etiam aliqui Antiſtites & Eruditi ſunt, qui ne quidem volunt audire de Deo, & propterea nec poſſunt nominare Deum; hos vidi, & cum illis loquutus ſum; & quoque loquutus ſum cum illis, qui in ignem iræ & excandeſcentiæ venerunt, cum audiverunt aliquem loquentem de Domino: expende itaque, qualis homo foret, qui nihil audivit de Deo, cum quidam tales ſunt, qui loquuti ſunt de Deo, ſcripſerunt de Deo, & prædicaverunt de Deo. Quod tales ſint, eſt ex voluntate, quæ mala eſt, & hæc, ut prius dictum eſt, ducit Intellectum, & aufert verum, quod ibi eſt ex Verbo. Si homo ex ſe potuiſſet ſcire, quod Deus ſit, & quod Vita poſt mortem, cur non ſciverat, quod homo ſit homo poſt mortem, cur credit quod anima ſeu ſpiritus ejus ſit ſicut ventus aut æther, qui non videt oculis, & audit auribus, & loquitur ore, priuſquum conjungitur & coaleſcit cum ſuo cadavere & cum ſuo ſceleto. Pone itaque Doctrinam ex ſolo Lumine rationali excluſam, annon foret ut ipſe coleretur, ut factum eſt a ſæculis, & quoque hodie fit ab *illis*, qui ſciunt ex Verbo, quod Solus Deus colendus ſit: cultus alius ex proprio hominis non dari poteſt; ne quidem cultus ſolis & lunæ.

275. Quod ab antiquiſſimis temporibus fuerit Religio, & Incolæ Orbis ubivis noverint de Deo, & aliquid de vita poſt mortem, non fuit ex ipſis, aut ex propria illorum intelligentia, ſed ex Verbo Vetuſto, de quo ſupra n: 264 ad 266, & poſtea ex Verbo Iſraelitico: ex duobus Verbis his Religioſa emanaverunt in Indias & illarum Inſulas, perque Ægyptum ac Æthiopiam in Regna Africæ, & ex Maritimis Aſiæ in Græciam, & inde in Italiam: ſed quia Verbum non potuit aliter quam per Repræſentativa eſſe conſcriptum, quæ ſunt talia in Mundo quæ correſpondent Cæleſtibus, & inde ſignificant illa, ideo Religioſa Gentium verſa ſunt in Idololatrica, & in Græcia in Fabuloſa, ac Attributa & Prædicata Divina in totidem Deos, quibus præfecerunt Supremum, quem vocaverunt Jovem, forte a Jehovah; quod illis cognitio fuerit de Paradiſo, de Diluvio, de Igne ſacro, de quatuor Ætatibus, a Prima aurea ad Ultimam ferream, ut apud Danielem Caput II: 31 ad 35, notum eſt.

276. Illi qui credunt poſſe ex propria intelligentia comparare ſibi cognitiones de Deo, de Cælo & Inferno, & de Spiritualibus quæ Eccleſiæ ſunt, non ſciunt quod Naturalis homo in ſe ſpectatus ſit contra Spiritualem, & quod ideo ſpiritualia quæ intrant, velit exſtirpare, aut involvere fallaciis, quæ ſunt ſicut vermes, qui radices olerum & ſegetum conſumunt. Aſſimilari poſſunt illis, qui ſomniant quod ſedeant ſuper Aquilis & ferantur in altum; aut ſuper Pegaſis & volant ſuper collem Parnaſſum ad Heliconem: & ſunt actualiter ſicut Luciferi in Inferno, qui ibi adhuc ſe vocant filios auroræ, Eſaj. XIII: 12. Et ſunt ſicut illi in Valle terræ Schinear, qui aggreſſi ſunt ædificare turrim, cujus caput in Cælo, Gen. XI: 2.4; & confidunt ſibi ſicut Goliath, non prævidentes quod poſſint ſicut ille a lapide fundæ fronti impacto proſterni. Dicam qualis ſors illos poſt mortem manet, primum fiunt ſicut ebrii, poſtea ſicut fatui, & demum ſtupidi, & ſedent in tenebris: Caveant itaque ſibi a tali delirio.

277. His adjiciam ſequentia MEMORABILIA: PRIMUM hoc; Quodam die in ſpiritu pervagatus ſum varia loca in Mundo ſpirituali, propter finem ut obſervarem Repræſentationes cæleſtium, quæ in multis locis ibi exhibentur; & in quadam Domo, ubi angeli erant, vidi magnas Crumenas, in quibus reconditum fuit argentum in multa copia; & quia apertæ erant, perceptum eſt, ſicut unuſquiſque poſſet argentum ibi repoſitum depromere, imo diripere: ſed juxta Crumenas illas ſedebant duo Juvenes, qui cuſtodes: locus ubi repoſitæ erant, apparebat ſicut præſepe in ſtabulo: in Camera proxima viſæ ſunt Virgines modeſtæ, cum Uxore caſta; & prope illam Cameram ſtabant bini Infantes, & dictum eſt, quod cum illis non infantiliter ludendum ſit, ſed ſapienter agendum. Poſtea apparebat Scortum, tum Equus jacens mortuus. Poſtquam hæc viſa ſunt, inſtructus ſum, quod per illa repræſentatus ſit Senſus naturalis Verbi, in quo Senſus ſpiritualis: magnæ illæ Crumenæ argento plenæ ſignificabant cognitiones veri in multa copia; quod apertæ eſſent, & tamen a juvenibus cuſtoditæ, ſignificabat quod quiſque poſſet inde cognitiones veri deſumere, ſed quod caveatur, ne aliquis Senſum ſpiritualem, in quo meræ veritates ſunt, violet; Præſepe ſicut in ſtabulo, ſignificabat nutritionem ſpiritualem pro intellectu; hoc ſignificat præſepe, quia equus, qui inde edit, intellectum: Virgines modeſtæ, quæ in Camera proxima viſæ ſunt, ſignificabant affectiones veri, & Uxor caſta conjunctionem boni & veri; Infantes ſignificabant innocentiam ſapientiæ, nam Angeli ſupremi Cæli, qui ſapientiſſimi ſunt, ex innocentia apparent e longinquo ſicut infantes: Scortum cum Equo mortuo, ſignificabat falſificationem veri a multis hodie, per quam omnis intellectus veri pe-

perit, ſcortum ſignificat falſificationem, & equus mortuus intellectum veri nullum.

278. SECUNDUM MEMORABILE. Quondam ad me e Cælo demiſſa eſt chartula exarata literis Hebraicis, ſed ſcriptis ſicut apud Antiquos, apud quos illæ literæ, quæ hodie quoad aliquam partem lineares ſunt, fuerunt inflexæ cum corniculis ſurſum vergentibus; & dicebant Angeli, qui tunc apud me erant, quod ſcirent integros Senſus ex ipſis literis, & quod illos ſcirent imprimis ex flexuris linearum & apicum literæ, & explicabant, quid ſignificarent ſeorſim & quid conjunctim, dicentes quod H, quod additum eſt nominibus Abrami & Sarai, ſignificaret Infinitum ac Æternum; explicabant etiam coram me Senſum Verbi Pſalm XXXII: 2, ex ſolis literis ſeu ſyllabis, quod Senſus illarum in ſumma eſſet, QUOD DOMINUS ETIAM MISERICORS SIT ILLIS, QUI MALEFACIUNT: informabant me, quod Scriptura in Tertio Cælo ex literis inflexis & varie incurvatis, quarum unaquævis contineret quendam Senſum, conſtaret; & quod Vocales ibi eſſent pro ſono, qui correſpondet affectioni, & quod in illo Cælo non poſſent enuntiare vocales i & e, ſed pro illis y & eu, & quod vocales a, o, & u, illis in uſu eſſent, quia dant ſonum plenum; tum quod non exprimerent aliquas Literas conſonantes aſpere, ſed molliter, & quod inde ſit, quod literæ quædam Hebraicæ intus punctatæ ſint, in ſignum ut molliter enuntientur, dicentes quod aſperitas in literis eſſet in uſu in ſpirituali Cælo, ex cauſa quia ibi in veris ſint, ac verum admittit aſperum, non autem bonum, in quo ſunt Angeli Regni cæleſtis Domini ſeu Tertii Cæli: dicebant etiam quod Verbum apud ſe conſcriptum haberent literis inflexis cum corniculis & apicibus ſignificativis; ex quo patuit, quid etiam ſignificant hæc Domini verba, *Non Jotha & Corniculum præteribit de Lege, donec omnia fiunt*, Matth. V: 18. Tum, *Facilius eſt Cælum & Terram tranſire, quam Legis unum Apicem cadere*, Luc. XVI: 17.

279. TERTIUM MEMORABILE. Ante ſeptennium, quando recollegi illa, quæ Moſes ex binis illis Libris, BELLA JEHOVÆ & ENUNTIATA, vocatis, Num. XXI, ſcripſit, aderant quidam Angeli, & mihi dixerunt, quod illi Libri eſſent Verbum vetuſtum, cujus HISTORICA vocata ſunt BELLA JEHOVÆ, & PROPHETICA vocata ſunt ENUNTIATA, & dixerunt, quod id Verbum adhuc in Cælo conſervatum ſit, & in uſu apud Antiquos ibi, apud quos, cum in Mundo fuerunt, id Verbum fuit. Antiqui illi, apud quos illud Verbum in Cælo adhuc in uſu eſt, fuerunt quoad partem ex terra Canaane, & ex confiniis ejus, ut ex Syria, Meſopotamia, Arabia, Chaldæa, Aſſyria, ex Ægypto, ex Zidone, Tyro, Ninive, quorum omnium Regnorum incolæ fuerunt in Cultu repræſentativo, & inde in Scientia correſpondentiarum; Sapientia illius temporis fuit ex illa Scientia, & per illam fuit illis perceptio interior, & communicatio cum Cælis: illi qui correſpondentias illius Verbi noverunt, vocati ſunt Sapientes & Intelligentes, ac poſtea Divinatores & Magi. Sed quia id Verbum erat plenum talibus Correſpondentiis, quæ remote ſignificabant Cæleſtia & Spiritualia, & inde a multis incepit falſificari, ideo ex Divina Domini Providentia id ſucceſſu temporis evanuit, & aliud Verbum per Correſpondentias non ita remotas conſcriptum, datum eſt, & hoc, per Prophetas apud filios Iſraelis. In hoc Verbo retenta ſunt plura Nomina locorum, non modo quæ in terra Canaane, ſed etiam quæ circum circa in Aſia fuerunt, quæ omnia ſignificabant res & ſtatus Eccleſiæ; at ſignificationes ex Verbo vetuſto illo erant. Propter illam cauſam Abram in illam Terram ire juſſus eſt, & ejus poſteri ex Jacobo in illam introducti ſunt.

De Verbo illo vetuſto, quod in Aſia ante Verbum Iſraeliticum fuerat, referre licet hoc Novum, quod illud ibi adhuc reſervatum ſit apud Populos qui in Magna Tartaria habitant; loquutus ſum cum Spiritibus & Angelis, qui in Mundo ſpirituali inde erant, qui dixerunt, quod poſſideant Verbum, & quod id ab antiquis

tem

temporibus poſſederint, & quod ſecundum hoc Verbum Divinum ſuum cultum obeant, & quod id ex meris Correſpondentiis conſiſtat: dixerunt, quod in illo etiam Liber JASCHAR ſit, qui memoratur apud Joſchuam Cap. X: 12. 13, & in Libro II Samuelis Cap. I: 17. 18: tum etiam, quod apud illos ſint Libri, BELLA JEHOVÆ ac ENUNTIATA, qui memorantur a Moſe, Num. XXI: 14. 15 & 27 ad 30; & cum legi coram illis verba, quæ Moſes inde deſumſerat, inquiſiverunt num illa ubi exſtent, & invenerunt: ex his patuit mihi, quod Verbum vetuſtum adhuc apud illos ſit. Inter loquendum cum illis dixerunt, quod Jehovam colant, quidam ut Deum inviſibilem, quidam ut viſibilem. Porro retulerunt, quod non patiantur, ut Extranei ad illos intrent, præter Chinenſes, cum quibus pacem colunt, quia Imperator Chinenſis inde eſt: tum etiam, quod tam populoſi ſint, ut non credant aliquam Regionem in Univerſo Mundo populoſiorem eſſe; quod etiam credibile eſt ex Muro tot milliarium, quem Chinenſes pro tutela ſua contra invaſionem ab illis olim exſtruxerant. Præterea audivi ab Angelis, quod Prima Capita Geneſeos, in quibus de Creatione, de Adamo & Chaiva, de Horto Edenis, deque Filiis & poſteris illorum uſque ad Diluvium, & quoque de Noacho & ejus Filiis, agitur, in illo Verbo etiam ſint, & ſic quod a Moſe inde exſcripta ſint. Angeli & Spiritus e Magna Tartaria apparent in Plaga meridionali a latere Orientis, & a reliquis ſeparati ſunt, per quod in Expanſo eminentiori habitent: & quod non aliquem e Chriſtiano Orbe ad ſe admittant, & quod ſi aliqui aſcendunt, illos cuſtodiant, ne exeant. Cauſa ſeparationis iſtius eſt, quia aliud Verbum poſſident.

280. QUARTUM MEMORABILE. Quondam e longinquo vidi Ambulacra inter ordines arborum, & ibi Juvenes congregatos in turmis, totidem Conſortia de rebus ſapientiæ confabulantium, hoc erat in Mundo ſpirituali: acceſſi, & cum prope eram, vidi unum, quem reliqui venerabantur ut ſuum Primatem, propter cauſam, quia præ reliquis ſapientia excelluit; hic cum me vidit, dixit, miratus ſum, cum vidi te in via accedentem, quod nunc incideris in conſpectum meum, nunc excideris ex illo, ſeu nunc mihi viſus ſis, & ſubito non viſus, certe non es in ſtatu vitæ noſtratium; ad hæc ſubridens reſpondi, non ſum ludio, nec vertumnus, ſed ſum alternus, nunc in luce veſtra, & nunc in umbra veſtra, ita hic peregrinus & quoque indigena; ad hæc Sapiens ille aſpexit me, & dixit, loqueris aliena & mira; dic mihi quis es, & dixi, ſum in Mundo, in quo vos fuiſtis, & e quo vos exiviſtis, qui vocatur MUNDUS NATURALIS, & quoque ſum in Mundo, in quo vos eſtis, qui vocatur MUNDUS SPIRITUALIS; inde eſt, quod ſim in ſtatu Naturali, & ſimul in ſtatu Spirituali; in ſtatu Naturali cum hominibus telluris, & in ſtatu Spirituali cum vobis, & quando in Statu naturali ſum, non videor vobis, at quando in Statu ſpirituali, videor: quod talis ſim, datum eſt a Domino: Tibi, Vir illuſtrate, notum eſt, quod homo Mundi naturalis non videat hominem Mundi ſpiritualis, nec viciſſim, quare cum immiſi Spiritum meum in Corpus, non tibi viſus ſum, ſed cum emiſi illum e corpore, viſus ſum: & hoc exiſtit ex diſcrimine inter Spirituale & Naturale. Ille cum audivit diſcrimen inter Spirituale & Naturale, dixit, quid diſcrimen, eſtne id ſicut inter purum magis & minus, ita quid Spirituale niſi purius Naturale; & reſpondi, diſcrimen non tale eſt, Naturale nuſquam per ſubtiliſationem poteſt approximare ad Spirituale ita ut fiat illud, eſt enim diſcrimen quale inter prius & poſterius, inter quæ ratio finita non datur; eſt enim prius in poſteriori, ſicut cauſa in ſuo effectu, ac poſterius eſt ex priori, ut effectus ex ſua cauſa; inde eſt, quod unum non appareat alteri. Ad hæc dixit ille Sapiens, meditatus ſum de hoc diſcrimine, ſed huc uſque in vanum, utinam id percepero; & dixi, non modo diſcrimen inter Spirituale & Naturale percipies, ſed etiam videbis; & tunc dixi hæc, Tu es in Statu ſpirituali dum apud tuos, at in Statu naturali apud me, loqueris enim cum tuis Lingua ſpirituali, quæ eſt communis omni ſpi-

ſpiritui & angelo, at cum me loqueris Lingua mea vernacula, nam omnis Spiritus & Angelus loquens cum homine loquitur ejus Linguam propriam, ita cum Gallo gallicam, cum Græco græcam, cum Arabe arabicam, & ſic porro. Ut itaque ſcias diſcrimen inter Spirituale & Naturale quoad Linguas, fac ita, intra ad tuos, & loquere aliquid ibi, ac retine voces, & cum his in memoria redi, & coram me enuntia illas; ac fecit ita, & rediit ad me cum vocibus illis in ore, & effatus eſt illas, & erant voces prorſus alienæ & peregrinæ, quæ non dantur in aliqua Lingua Mundi naturalis; per hanc experientiam aliquoties iteratam clare patuit, quod omnibus in Mundo ſpirituali ſit Lingua ſpiritualis, quæ nihil commune cum aliqua Lingua naturali obtinet, & quod omnis homo in illam Linguam poſt obitum ex ſe veniat: ſemel etiam expertus ſum, quod ipſe Sonus Linguæ ſpiritualis a Sono Linguæ naturalis differret in tantum, ut Sonus ſpiritualis etiam altus ne hilum audiretur ab homine naturali, nec Sonus naturalis ab homine ſpirituali. Poſtea rogavi illum & circumſtantes, ut intrarent ad ſuos, & ſcriberent aliquam ſententiam ſuper Charta, & cum charta illa exirent ad me, & legerent; fecerunt ita, & redierunt cum Charta in manu, at cum legerent, non potuerunt, quoniam Scriptura illa conſtabat modo ex aliquibus Literis alphabeticis cum ſtrophis ſupra, quarum unaquævis aliquem ſenſum rei ſignificabat: quia unaquævis Litera in Alphabeto ſignificat ibi aliquem Senſum, patet unde eſt, quod Dominus dicatur Alpha & Omega: cum illi iterum & iterum intrarent, ſcriberent, & redirent, comperti ſunt, quod Scriptura illa involveret & comprehenderet innumera, quæ nuſquam aliqua Scriptura naturalis poſſet exprimere; & dictum eſt, quod hoc ſit, quia ſpiritualis homo cogitat incomprehenſibilia & ineffabilia Naturali homini, & quod hæc in aliam Scripturam &; in aliam Linguam inferri nequeant. Tunc quia adſtantes non voluerunt comprehendere, quod Spiritualis cogitatio in tantum excederet cogitationem naturalem, ut ſit reſpective ineffabilis, dixi illis, facite experientiam, intrate in Societatem veſtram ſpiritualem, & cogitate aliquam rem, ac retinete illam, & redite, & coram me expromite illam; ac intraverunt, cogitaverunt, retinuerunt, exiverunt, & cum exprimerent rem cogitatam, non potuerunt, non enim invenerunt ullam ideam cogitationis naturalis adæquatam alicui ideæ cogitationis pure ſpiritualis, ita non aliquas voces exprimentes illam, nam ideæ cogitationis fiunt voces loquelæ; & poſtea reintrabant, & redibant, & confirmabant ſe, quod ideæ ſpirituales eſſent ſupranaturales, inexpreſſibiles, ineffabiles, & incomprehenſibiles Naturali homini; & quia tam ſupereminentes ſunt, dicebant, quod Spirituales ideæ ſeu cogitationes reſpective ad Naturales eſſent ideæ idearum, & cogitationes cogitationum, & quod ideo per illas exprimerentur qualitates qualitatum, & affectiones affectionum; conſequenter quod Cogitationes ſpirituales eſſent initia ac origines cogitationum naturalium: inde etiam patuit, quod Sapientia ſpiritualis eſſet Sapientia ſapientiæ, ita inexpreſſibilis alicui Sapienti in Naturali Mundo. Tunc dictum eſt e Cælo ſuperiori, quod adhuc ſit Sapientia interior ſeu ſuperior, quæ vocatur Cæleſtis, cujus reſpectus ad Sapientiam ſpiritualem, ſimilis eſt reſpectui hujus ad naturalem, & quod hæ in ordine ſecundum Cælos influant ex Divina Domini Sapientia, quæ eſt Infinita. Ad hæc dixit Vir loquens mecum, hoc video, quia percepi, quod una idea naturalis ſit continens plurium idearum ſpiritualium; & quoque quod una idea ſpiritualis ſit continens plurium idearum cæleſtium; ex his ſit etiam hoc conſequens, quod diviſum non fiat plus & plus ſimplex, ſed plus & plus multiplex, quia propius & propius accedit ad Infinitum, in quo infinite omnia ſunt. His peractis dixi ad adſtantes; ex his tribus experientiæ documentis videtis quale eſt diſcrimen inter Spirituale & Naturale, & quoque cauſam, cur Naturalis homo non apparet Spirituali, & Spiritualis homo non Naturali, tametſi uterque in perfecta forma humana eſt, & ex hac forma videtur ipſi ſicut unus videret alterum, ſed ſunt interiora, quæ Mentis ſunt, quæ faciunt

illam formam, ac Mens ſpirituum & Angelorum formata eſt ex ſpiritualibus, & Mens hominum, quamdiu in Mundo vivunt, ex naturalibus. Poſt hæc, audita eſt vox e ſuperiori Cælo ad quendam, qui adſtitit, dicens, aſcende huc, & aſcendit, & rediit, & dixit, quod Angeli non prius noverint differentias inter Spirituale & Naturale, propter cauſam, quia non prius apud quendam hominem, qui in utroque Mundo ſimul fuit, aliqua copia collationis data eſt, & differentiæ illæ abſque collatione & relatione non noſcibiles ſunt.

Antequam ſeceſſimus, iterum loquuti ſumus de hac re, & dixi, quod diſcrimina illa non aliunde exiſtant, quam quia vos in Mundo ſpirituali, eſtis ſubſtantiales, & non materiales, ac ſubſtantialia ſunt initia materialium, quid materia niſi congregatio ſubſtantiarum; vos itaque eſtis in principiis, & ſic in ſingularibus, nos autem in principiatis & compoſitis; vos eſtis in particularibus, nos autem in communibus, & ſicut communia non poſſunt intrare in particularia, ita nec poſſunt naturalia, quæ ſunt materialia, intrare in ſpiritualia, quæ ſunt ſubſtantialia; prorſus ſicut funis nauticus non poteſt intrare ſeu traduci per foramen acus netorii, aut ſicut nervus non poteſt induci in unam ex fibris, ex quibus ille eſt. Hæc nunc cauſa eſt, quod Naturalis homo non poſſit cogitare illa quæ Spiritualis homo, & inde nec loqui illa; quare Paulus illa quæ audivit e Tertio Cælo vocat ineffabilia. Accedit, quod Spiritualiter cogitare ſit abſque tempore & ſpatio cogitare, & quod Naturaliter ſit cum tempore & ſpatio; adhæret enim omni ideæ cogitationis naturalis aliquid e tempore & ſpatio, non autem alicui ideæ ſpirituali; cauſa eſt, quia Spiritualis Mundus non eſt in ſpatio & tempore, ſicut Mundus naturalis, ſed eſt in duorum iſtorum apparentia; in hoc differunt etiam cogitationes & perceptiones: quapropter vos poteſtis cogitare de Dei Eſſentia & Omnipræſentia ab æterno, hoc eſt, de Deo ante creationem Mundi, quia cogitatis de Dei Eſſentia abſque tempore, & de Ipſius Omnipræſentia abſque ſpatio, & ſic comprehenditis talia, quæ ideas naturales hominis tranſcendunt: & tunc narravi, quod ſemel cogitaverim de Dei Eſſentia & Omnipræſentia ab æterno, hoc eſt, de Deo ante Creationem Mundi, & quod quia nondum potui removere ſpatia & tempora ab ideis cogitationis meæ, anxius factus ſum, quoniam intravit idea Naturæ pro Deo; ſed dictum mihi eſt, remove ideas ſpatii & temporis, & videbis; & datum eſt removere, & vidi; & ab illo tempore potui cogitare Deum ab æterno, & prorſus non Naturam ab æterno, quia Deus in omni tempore eſt abſque tempore, & in omni ſpatio eſt abſque ſpatio, Natura autem in omni tempore eſt in tempore, & in omni ſpatio eſt in ſpatio, & Natura cum ſuo tempore & ſpatio non potuit non inchoare, non autem Deus, qui eſt abſque tempore & ſpatio; quare Natura a Deo eſt, non ab æterno, ſed in tempore una cum ſuo tempore & ſpatio.

281. QUINTUM MEMORABILE. Quoniam a Domino mihi datum eſt ſimul in Mundo ſpirituali & in Mundo naturali eſſe, & inde loqui cum Angelis ſicut cum hominibus, & per id cognoſcere Status illorum, qui poſt mortem alluunt in hactenus ignotum illum Mundum, loquutus enim ſum cum omnibus meis affinibus & amicis, & quoque cum Regibus & Ducibus, ut & cum Eruditis, qui fata ſua obiverunt, & hoc nunc continue per viginti ſeptem Annos; quapropter ab Experientia viva poſſum deſcribere Status hominum poſt mortem, quales ſunt illorum qui bene vixerunt, & illorum qui male; ſed hic modo aliqua memorabo de Statu illorum, qui in falſis Doctrinæ ſe confirmaverunt ex Verbo, qui ſunt in ſpecie illi qui pro Juſtificatione per ſolam fidem id fecerunt; ſtatus horum ſucceſſivi ſunt ſicut nunc ſequitur, I. Quando defuncti ſunt, & quoad ſpiritum revivunt, quod fit communiter tertio die poſtquam Cor ceſſavit pulſare, apparent ſibi in ſimili Corpore, in quo prius in Mundo, uſque adeo, ut non ſciant aliter, quam quod adhuc in priori Mundo vivant, verum non in Corpore materiali, ſed in Corpore

ſub-

ſubſtantiali, quod coram ſenſibus illorum apparet ſicut materiale, tametſi non eſt. II. Poſt aliquot dies vident, quod in Mundo ſint, ubi ſunt variæ Societates inſtitutæ, qui Mundus vocatur MUNDUS SPIRITUUM, & eſt medius inter Cælum & Infernum; omnes Societates ibi, quæ innumeræ ſunt, mirabiliter ordinatæ ſunt ſecundum affectiones naturales bonas & malas; Societates ordinatæ ſecundum affectiones naturales bonas, communicant cum Cælo, & Societates ordinatæ ſecundum affectiones malas, communicant cum Inferno. III. Novitius ſpiritus, ſeu Spiritualis homo, deducitur & transfertur in varias Societates, tam bonas quam malas, & exploratur num afficitur bonis & veris, & quomodo, vel num afficitur malis & falſis, & quomodo. IV. Si afficitur bonis & veris, abducitur a Societatibus malis, & inducitur in Societates bonas, & quoque in varias, uſque dum venit in Societatem ſuæ affectioni naturali correſpondentem, & ibi fruitur bono iſti affectioni correſpondente, & hoc uſque dum naturalem affectionem exuit, & ſpiritualem induit, & tunc elevatur in Cælum; ſed hoc fit illis, qui in Mundo vixerunt vitam charitatis, & ſic quoque vitam fidei, quæ eſt, quod crediderint in Dominum, & fugerint mala ut peccata. V. At illi qui ſe in falſis confirmaverunt per rationalia, imprimis per Verbum, & ſic non aliam vitam quam mere naturalem ita malam vixerunt, nam mala comitantur falſa, & falſis adhærent mala, hi quia non afficiuntur bonis & veris, ſed malis & falſis, abducuntur a Societatibus bonis, ac inducuntur in Societates malas, & quoque in varias, uſque dum veniunt in aliquam ſui amoris concupiſcentiis correſpondentem. VI. Sed quia in Mundo ſimulaverunt affectiones bonas in externis, tametſi in internis illorum non eſſent niſi affectiones malæ ſeu concupiſcentiæ, tenentur per vices in externis; & illi qui in Mundo præfuerunt Cætibus, præficiuntur hic & ibi in Mundo Spirituum Societatibus, in communi aut in parte ſecundum amplitudinem officiorum quibus prius functi fuerant: ſed quia non amant verum, nec amant juſtum, nec illuſtrari poſſunt uſque ut ſciant quid verum & juſtum, ideo poſt aliquot dies abrogantur; vidi tales tranſlatos ab una Societate in alteram, & ubivis datam illis adminiſtrationem, ſed poſt breve tempus toties abrogatos. VII. Poſt frequentes abdicationes quidam ex tædio non volunt, quidam ex timore jacturæ famæ non audent amplius ambire functiones, quare recedunt, & ſedent triſtes, & tunc abducuntur in ſolitudinem, ubi ſunt caſæ, quas intrant, & ibi datur illis aliquod opus ad faciendum, & ſicut faciunt, recipiunt cibum, & ſi non faciunt, eſuriunt, & non recipiunt, quare neceſſitas cogit. Cibi ibi ſunt ſimiles cibis in noſtro Mundo, ſed ſunt ex origine ſpirituali, & dantur e Cælo a Domino omnibus ſecundum uſus quos faciunt, otioſis, quia inutiles ſunt, non dantur. VIII. Poſt aliquod tempus faſtidiunt opus; & tunc exeunt e caſis; & ſi fuerunt Sacerdotes, volunt ædificare; & illico tunc apparent ſtrues lapidum cæſorum, laterum, aſſerum, tabularum, tum acervi ex cannis & juncis, ex argilla, calce, & bitumine; quæ cum vident, incenditur libido ædificandi, & incipiunt ſtruere domum, ſumendo nunc lapidem, nunc lignum, nunc cannam, nunc lutum, & ponunt unum ſupra alterum inordinate, at in illorum viſu ordinate; ſed quod interdiu ædificant, noctu dilabitur, at ſequente die colligunt ex rudere lapſa, ac iterum ædificant, & hoc tamdiu, uſque dum illos tædet ædificare: hoc fit ex correſpondentia, quæ eſt, quod congeſſerint loca ex Verbo, ad confirmandum falſa fidei, & falſa illorum non aliter ædificant Eccleſiam. IX. Poſtea abeunt ex tædio, ac ſedent ſolitarii & otioſi, & quia otioſis non datur cibus e Cælo, ut dictum eſt, incipiunt eſurire, & non aliud cogitare, quam quomodo accepturi ſunt cibum, & ſedaturi famem: cum in hoc ſtatu ſunt, veniunt ad illos aliqui, a quibus petunt ſtipem, & dicunt, cur ita otioſi ſedetis, venite nobiſcum in noſtras domus, & dabimus vobis opera ad faciendum, & cibabimus vos; & tunc læti ſurgunt, & abeunt cum illis in domus illorum, & ibi cuilibet datur ſuum opus, & propter opus datur cibus; ſed quia omnes, qui ſe

confirmaverunt in falsis fidei, non facere possunt opera boni usus, sed opera mali usus, nec faciunt fideliter, sed fraudulenter, ut & invito, quare relinquunt sua opera, & modo amant conversari, loqui, ambulare, & dormire; & quia tunc ab heris non possunt adduci amplius ad opera, ideo sicut inutiles amandantur. X. Quando amandati sunt, aperitur illis oculus, & vident viam tendentem ad quandam Cavernam; quo cum veniunt, aperitur ostium, ac intrant, & quærunt num ibi cibus; & cum respondetur quod ibi cibus, petunt ut ibi liceat manere, & dicitur quod liceat, ac introducuntur, & post illos clauditur ostium; & tunc venit Præsul illius Cavernæ, & dicit illis, non potestis amplius exire; videte Sodales vestros, omnes laborant, & sicut laborant victus e Cælo illis datur, hoc dico vobis ut sciatis; & quoque dicunt Sodales, Præsul noster novit ad quod opus quisque idoneus est, & tale cuilibet injungit quotidie, quo die id absolvitis, datur vobis cibus, & si non, non datur cibus nec vestis; & si quis malum facit alteri, conjicitur ad angulum cavernæ, in quendam lectum ex pulvere damnato, ubi misere cruciatur, & hoc usque dum Præsul videt signum pœnitentiæ apud illum, & tunc eximitur, & mandatur ei ut faciat opus suum; & quoque dicitur ei, quod cuique liceat post opus suum ambulare, confabulari, & postea dormire: & deducitur interius in Cavernam, ubi sunt Scorta, ex quibus licet unicuique aliquam sibi sumere, & nominare suam mulierem, at sub pœna interdicitur scortari promiscue. Ex talibus Cavernis, quæ non sunt nisi quam æterna Ergastula, consistit Infernum. Datum mihi est intrare in aliquas, & videre, propter finem ut notum facerem, & visi sunt omnes ut viles; nec unus ex illis scivit, quis & in quo munere fuerat in Mundo; sed Angelus, qui mecum erat, dixit mihi, quod hic fuerit in Mundo famulus, hic miles, hic præfectus, hic sacerdos, hic in dignitate, hic in opulentia, & tamen omnes non sciunt aliter, quam quod Servi & similes Sodales fuerint, hoc ex causa quia interius similes fuerant, tametsi exterius dissimiles, ac interiora confociant omnes in Mundo Spirituali.

Quod Inferna in genere attinet, consistunt illa ex meris talibus Cavernis & Ergastulis, sed ex dissimilibus ubi sunt Satanæ, & ubi sunt Diaboli; Satanæ dicuntur qui in falsis & inde malis fuerunt, & Diaboli qui in malis & inde falsis. Satanæ apparent in luce Cæli lividi sicut cadavera, & quidam nigri sicut mumia; at Diaboli apparent in luce Cæli furve igniti, & quidam atri sicut fuligo; at omnes quoad facies & corpora monstrosi; sed in sua luce, quæ est instar lucis ex carbonibus ignitis, non ut monstra, sed ut homines; hoc illis datum est, ut consociari possint.

CAPUT QUINTUM

CATECHISMUS

SEU

DECALOGUS;

QUOAD SENSUM EJUS EXTERNUM ET INTERNUM EXPLICATUS.

282. Non datur Gens in Univerſo terrarum Orbe, quæ non novit, quod Malum ſit Occidere, Adulteria committere, Furari, falſe Teſtari; tum quod niſi Mala illa per Leges caverentur, actum foret cum Regno, Republica, & cum quavis Societate conſtabilita: quis itaque autumare poteſt, quod Gens Iſraelitica præ aliis tam ſtupida fuerit, ut ignoraverit, quod illa eſſent Mala, quapropter mirari quis poteſt, quod Leges illæ univerſaliter in terris notæ cum tanto Miraculo e Monte Sinai ab Ipſo Jehovah promulgatæ fuerint. Sed audi, cum tanto Miraculo promulgatæ fuerunt, ut ſcirent, quod Leges illæ non modo Leges civiles & morales eſſent, ſed etiam Leges Divinæ, & quod facere contra illas, non modo eſſet malum facere contra proximum, hoc eſt, concivem & ſocietatem, ſed etiam eſſet peccare contra Deum; quare Leges illæ per promulgationem e Monte Sinai a Jehovah, factæ etiam ſunt Leges religionis; evidens eſt, quod quicquid Jehovah præcipit, præcipiat ut Religionis ſit, & ſic quod faciendum ſit ſalutis cauſa. Sed antequam Præcepta explicantur, præmittendum eſt de Sanctatate illorum, ut pateat quod Religio illis inſit.

Quod Decalogus fuerit ipſa Sanctitus in Eccleſia Iſraelitica.

283. Præcepta Decalogi, quia fuerunt Primitiæ Verbi, & inde Primitiæ Eccleſiæ apud Gentem Iſraeliticam inſtaurandæ, & quia erant in brevi ſummario Complexus omnium Religionis, per quæ conjunctio Dei cum homine, & hominis cum Deo datur, ideo tam ſancta fuerunt, ut nihil ſanctius. Quod ſanctiſſima fuerint, evidenter patet a ſequentibus his: Quod Ipſe Jehovah Dominus deſcenderit ſuper Monte Sinai in igne & cum Angelis, & illa viva voce inde promulgaverit, & quod Mons circumſeptus fuerit, ne quis accederet & moreretur; quod nec Sacerdotes neque Seniores appropinquarent, ſed Moſes ſolus. Quod Præcepta illa bini-

Tabulis lapideis digito Dei inſcripta fuerint. Quod cum Moſes, Tabulas illas ſecunda vice deportavit, facie radiaverit. Quod Tabulæ poſtea repoſitæ fuerint in Arca; & hæc intime in Tabernaculo; & ſuper illam datum ſit Propitiatorium, & ſuper hoc poſiti Cherubi ex auro: quod Intimum illud in Tabernaculo, ubi Arca erat, vocaretur Sanctum ſanctorum. Quod extra Velum, intra quod illa Arca fuit, collocata ſint plura, quæ repræſentaverunt ſancta Cæli & Eccleſiæ, quæ erant, Menſa obducta auro ſuper qua Panes facierum, Altare aureum ſuper quo ſuffimenta, & Candelabrum aureum cum ſeptem Lucernis; tum Aulæa circum circa ex byſſo, purpura, & coccino: Sanctitas totius hujus Tabernaculi non aliunde fuit, quam ex Lege quæ fuit in Arca. Propter Sanctitatem Tabernaculi ex Lege in Arca, univerſus Populus Iſraeliticus circum illud in ordine ſecundum Tribus ex mandato caſtramentatus eſt; & in ordine poſt illud profectus; & tunc ſupra illud fuit Nubes interdiu, & Ignis noctu. Propter Sanctitatem Legis illius, & præſentiam Jehovæ in illa, loquebatur Jehovah ſuper Propitiatorio inter Cherubos cum Moſe; & Arca vocabatur Jehovah ibi. Quod non licuerit Aharoni intrare intra Velum, niſi cum ſacrificiis & ſuffitu, ne moreretur. Propter Jehovæ præſentiam in Lege illa & circum illam, etiam Miracula per Arcam, in qua Lex illa fuit, facta ſunt: ut quod Aquæ Jordanis diſciſſæ ſint, & quamdiu Arca in medio ejus quieſcebat, Populus in ſicco tranſiverit. Quod per circumlationem ejus Muri Jerichuntis conciderint. Quod Dagon Deus Philiſthæorum coram illa primum ſuper faciebus ſuis deciderit, & poſtea abſciſſus a capite cum duabus volis manuum ſuper limine fani jacuerit: quod propter illam percuſſi ſint Bethſchemitæ ad plura millia. Quod Uſa, quia tetigit illam, mortuus ſit. Quod Arca illa introducta ſit cum ſacrificio & jubilis in Zionem a Davide: & quod poſtea a Salomone in Templum Hieroſolymitanum, ubi faciebat ejus adytum; præter plura; ex quibus patet, quod Decalogus fuerit ipſa Sanctitas in Eccleſia Iſraelitica.

284. Illa, quæ de Legis iſtius Promulgatione, Sanctitate, & Potentia, ſupra allata ſunt, inveniuntur in his locis in Verbo. *Quod Jehovah deſcenderit ſuper Montem Sinai in igne, & quod tunc Mons fumaverit & contremuerit, & quod fuerint tonitrua, fulgura, nubes gravis, & vox buccinæ*, Exod. XIX: 16 ad 18. Deut. IV: 11. Cap. V: 19 ad 23. *Quod Populus ante deſcenſum Jehovæ ſe præparaverit & ſanctificaverit per tres dies*, Exod. XIX: 10. 11. 15. *Quod Mons circumſeptus fuerit, ne quisquam ad ima ejus appropinquaret & accederet ne moreretur, & quod nec Sacerdotes, ſed Moſes ſolus*, Exod. XIX: 12. 13. 20 ad 23. Cap. XXIV: 1. 2. *Lex promulgata e Monte Sinai*, Exod. XX: 2 ad 14. Deut. V: 6 ad 18. *Quod Lex inſcripta ſit binis Tabulis Lapideis, & quod ſcripta ſit Digito Dei*, Exod. XXXI. 18. Cap. XXXII: 15. 16. Deutr. IX. 10. *Quod Moſes cum illas Tabulas ſecunda vice e Monte deportavit, facie radiaverit ita, ut faciem velo obtegeret dum loquebatur cum populo*, Exod. XXXIV: 29 ad 35. *Quod Tabulæ repoſitæ ſint in Arca*, Exod. XXV: 16. Cap. XL. 20. Deutr. X: 5. I Reg. VIII: 9. *Quod ſuper Arcam datum ſit Propitiatorium, & quod ſuper hoc poſiti ſint Cherubi ex auro*, Exod. XXV: 17 ad 21. *Quod Arca cum Propitiatorio & Cherubis miſſa ſit in Tabernaculum, & quod ejus Primum & ſic Intimum fecerit; & quod Menſa ſuper qua Panes facierum obducta auro, Altare ſuffimenti ex auro, & Candelabrum cum lucernis ex auro, Externum Tabernaculi fecerint, & decem Aulæa ex byſſo, purpura, & coccino, Extimum ejus*, Exod. XXV: 1 ad fin. Cap. XXVI: 1 ad fin. Cap. XL: 17 ad 28. *Quod Locus, ubi erat Arca, vocatus ſit Sanctum Sanctorum*, Exod. XXVI: 33. *Quod Univerſus Populus Iſraeliticus circum Tabernaculum in Ordine ſecundum Tribus caſtrametatus ſit, & in ordine poſt illud profectus*, Num. II: 1 ad fin. *Quod tunc ſuper Tabernaculo fuerit Nubes interdiu, & Ignis noctu*, Exod. XL: 38. Num. IX: 15. 16 ad fin. Cap. XIV: 14. Deutr. I: 33. *Quod Jehovah loquutus ſit cum Moſe ſupra Arcam inter Cherubos*, Exod. XXV: 22. Num. VII: 89. *Quod Arca ex Lege in illa, dicta ſit*

Je-

Jehovah ibi, dixit enim Moſes cum Arca proficiſcebatur, SURGE, JEHOVAH, *& cum quieſcebat,* REDI JEHOVAH, Num. X: 35. 36. & porro, II Sam. XI: 2. Pſalm CXXXII: 7. 8. *Quod propter ſanctitatem illius Legis, non licuerit Aharoni intrare intra velum, niſi cum ſacrificiis & ſuffitu,* Levit. XVI: 2 ad 14. ſeq. *Quod ex præſentia Potentiæ Domini in Lege, quæ in Arca, Aquæ Jordanis diſciſſæ ſint, & quamdiu illa in medio quieſcebat, Populus in ſicco tranſiverit,* Joſ. III: 1 ad 17. Cap. IV: 5 ad 20. *Quod ad circumlationem Arcæ, Muri Jericuntis conciderent,* Joſ. VI: 1 ad 20. *Quod Dagon Deus Philiſthæorum coram Arca in terram deciderit, & poſtea ſuper limine fani jaceret divulſus a Capite, & volis manuum exſciſſis,* I Sam. V: *Quod Bethſchemitæ propter Arcam percuſſi ſint ad plura millia,* I Sam. V & VI: *Quod Uſa, quia tetegit Arcam, mortuus ſit,* II Sam. VI: 7. *Quod Arca introducta ſit in Zionem a Davide cum ſacrificiis & jubilis,* II Sam. VI: 1 ad 19. *Quod Arca a Salomone introducta ſit in Templum Hieſolymitanum, ubi faciebat adytum,* I Reg. VI: 19. ſeq. Cap. VIII: 3 ad 9.

285. Quoniam per Legem illam eſt conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, ideo vocatur illa FÆDUS & TESTIMONIUM, Fædus quia conjungit, & Teſtimonium quia pacta fœderis confirmat, nam Fœdus in Verbo ſignificat conjunctionem, Teſtimonium pactorum ejus confirmationem & teſtificationem. Propterea Tabulæ illæ erant binæ, una pro Deo, & altera pro homine; conjunctio fit a Domino, ſed tunc quando homo facit illa quæ in ejus Tabula ſcripta ſunt; Dominus enim continue præſens eſt, & vult ingredi, ſed homo ex libero, quod illi eſt a Domino, aperiet, nam dicit, *Ecce ſto ad januam & pulſo, ſi quis audiverit vocem meam, & aperuerit januam, ingrediar ad illum, & cœnabo cum illo, & ille Mecum,* Apoc. III: 20. Quod Tabulæ lapideæ, quibus Lex erat inſcripta, dicta ſint TABULÆ FÆDERIS, & Arca ex illis dicta ſit ARCA FÆDERIS, & ipſa Lex FÆDUS, videatur Num. X: 33. Deutr. IV: 13. 23. Cap. V: 2. 3. Cap. IX: 9. Joſ. III: 11. I Reg. VIII: 19. 21. Apoc. XI: 19. & alibi: quoniam Fœdus ſignificat conjunctionem, ideo de Domino dicitur, *Quod erit in* FÆDUS *populo,* Eſaj. XLII: 6. Cap. XLIX: 9. & vocatur ANGELUS FÆDERIS, Malach. III: 1. & Sanguis Ipſius SANGUIS FÆDERIS, Matth. XXVI: 28. Sach. IX: 11. Exod. XXIV: 4 ad 10. & ideo Verbum vocatur FÆDUS VETUS ET FÆDUS NOVUM: Fœdera enim fiunt amoris, amicitiæ, conſociationis & conjunctionis cauſa.

286. Tanta Sanctitas & tanta Potentia inerat illi Legi ex cauſa, quia erat complexus omnium religionis, inſcripta enim fuit binis Tabulis, quarum Una continet in complexu omnia quæ ſpectant Deum, & Altera in complexu omnia quæ ſpectant hominem, ideo Legis iſtius Præcepta vocantur DECEM VERBA, Exod. XXXIV: 28. Deutr. IV: 13. Cap. IX: 4; ita dicta ſunt, quia Decem ſignificant omnia, ac Verba ſignificant Vera; fuerunt enim plura quam decem verba. Quod Decem ſignificent omnia, & quod Decimæ propter illam ſignificationem inſtitutæ ſint, videatur in APOCALYPSI REVELATA, n: 101. & quod Lex illa ſit complexus omnium Religionis, videbitur in Sequentibus.

Quod Decalogus in Senſu literæ contineat communia Præcepta Doctrinæ & Vitæ; in Senſu autem Spirituali & Cæleſti Univerſaliter omnia.

287. Notum eſt, quod Decalogus in Verbo in eminentia dicatur Lex, quia continet omnia quæ Doctrinæ & Vitæ ſunt, nam non modo omnia quæ ſpectant Deum, ſed etiam omnia quæ ſpectant hominem, quare Lex illa inſcripta eſt duabus Tabulis, quarum una agit de Deo, altera de homine. Notum etiam eſt, quod omnia

Doc-

Doctrinæ & Vitæ se referant ad amorem in Deum, & ad amorem erga proximum, horum amorum omnia continentur in Decalogo: quod totum Verbum non aliud doceat, constat ex his Domini verbis, Jesus *dixit, amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; & Proximum sicut teipsum; ex his duobus mandatis Lex & Prophetæ pendent*, Matth. XXII: 35. 36. 37. Lex & Prophetæ significant totum Verbum. Et porro, *Unus Legisperitus tentans* Jesum, *dixit, Magister, quid faciam, ut vitam æternam hæreditem; &* Jesus *ad illum dixit, in Lege quid scriptum est, quomodo legis, & ille respondens dixit, amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex toto robore tuo, & ex tota mente tua, & proximum sicut teipsum; & Jesus dixit,* HOC FAC ET VIVES, Luc. X: 25 ad 28. Nunc quia Amor in Deum, & Amor erga proximum, sunt omnia Verbi, & Decalogus in Prima Tabula in summario continet omnia amoris in Deum, & in Secunda Tabula omnia amoris erga proximum, sequitur quod contineat omnia quæ Doctrinæ & Vitæ sunt. Ex visis binis Tabulis patet, quod ita conjunctæ sint, ut Deus ex sua Tabula spectet hominem, & quod homo ex sua spectet Deum viciſſim, & sic quod sit Aspectus reciprocus, qui talis est, ut a parte Dei nusquam desit, quin spectet hominem, ac operetur talia quæ salutis ejus sunt, & si homo recipit & facit illa quæ in sua Tabula sunt, fiat conjunctio reciproca, & tunc fit secundum Domini verba ad Legisparitum, *Hoc fac & vives.*

288. In Verbo sæpius nominatur Lex, & dicetur quid per illam in stricto Sensu intelligitur, & quid per illam in latiori, & quid in latissimo; in stricto Sensu per Legem intelligitur Decalogus, in latiori intelliguntur Statuta per Mosen filiis Israelis data, & in latissimo intelligitur totum Verbum: QUOD PER LEGEM IN STRICTO SENSU INTELLIGATUR DECALOGUS, notum est: QUOD AUTEM PER LEGEM IN LATIORI SENSU INTELLIGANTUR STATUTA PER MOSEN FILIIS ISRAELIS DATA, constat ex singulis statutis in Exodo, quod dicantur Lex, ut *Hæc Lex sacrificii*, Lev. VII: 1. *Hæc Lex sacrificii pacificorum*, Lev. VII: 7. 11. *Hæc Lex minchæ*, Lev. VI: 7. seq. *Hæc Lex pro Holocausto, pro Mincha, pro Sacrificiis peccati & reatus, pro Impletionibus*, Lev. VII: 32. *Hæc Lex bestiæ & avis*, Lev. XI: 46. seq. *Hæc Lex parientis pro filio & filia*, Lev. XII: 7. *Hæc Lex lepræ*, Lev. XIII: 59. Cap. XIV: 2. 32. 54. 57. *Hæc Lex fluxu affecti*, Levit. XV: 31. *Hæc Lex Zelotypiæ*, Num. V: 29. 30. *Hæc Lex Naziræi*, Num. VI: 13. 21. *Hæc Lex mundationis*, Num. XIX: 14. *Hæc Lex de vacca rufa*, Num. XIX: 2. *Lex pro Rege*, Deutr. XVII: 15. ad 19. Imo *totus Liber Mosis vocatur Lex*, Deut. XXXI: 9. 11. 12. 26. Præter etiam in Novo Testamento, ut Luc. II: 22. Cap. XXIV: 44. Joh. I: 46. Cap. VII: 22. 23. Cap. VIII: 5. & alibi. Quod hæc Statuta per Opera legis intelligantur a Paulo, ubi dicit, *Quod homo Fide justificetur sine Operibus legis*, Rom. III: 28, manifeste patet a sequentibus ibi, tum ex verbis ejus ad Petrum, quem increpavit quod judaizaret, ubi ter in uno Versu dicit, *quod nemo per Opera legis justificetur*, Gal. II: 14. 15. QUOD PER LEGEM IN LATISSIMO SENSU INTELLIGATUR TOTUM VERBUM, patet ex his, *Jesus dixit, nonne scriptum est* IN LEGE VESTRA, dii estis, Joh. X: 34, hoc scriptum est Psalm LXXI: 6. *Respondit turba, nos audivimus ex* LEGE, *quod Christus maneat in æternum*, Joh. XII: 34, hoc scriptum est Psalm LXXXIX: 30. Psalm CX: 4. Dan. VII: 14. *Ut impleretur Verbum scriptum in* LEGE ILLORUM, *odio habuerunt Me sine causa*, Joh. XV: 25; hoc scriptum est Psalm XXXV: 19. *dixerunt Pharisæi, num quis ex Principibus credidit in Ipsum, sed turba quæ non novit* LEGEM, Joh. VII: 48. 49. *Facilius est Cælum & Terram transire, quam* LEGIS UNUM APICEM *cadere*, Luc. XVII: 17; per Legem ibi intelligitur tota Scriptura Sacra: præter in mille locis apud Davidem.

289. Quod Decalogus in Sensu Spirituali & Cælesti contineat Universaliter omnia Præcepta Doctrinæ & Vitæ, ita omnia Fidei & Charitatis, est causa, quia Verbum in Sensu literæ in omnibus & singulis ejus, seu in communi & in omni parte

re-

recondat binos Senſus interiores, unum qui vocatur Spiritualis, alterum qui Cæleſtis, & quod in his Senſibus ſit Divina Veritas in ſua luce, & Divina bonitas in ſuo calore: nunc quia Verbum in communi & in omni parte eſt tale, neceſſum eſt, ut Decalogi decem Præcepta ſecundum tres illos Senſus, qui vocantur Naturalis, Spiritualis, Cæleſtis, explicentur. Quod Verbum tale ſit, conſtare poteſt ex illis, quæ in Capite de SCRIPTURA SACRA ſeu VERBO, ſupra n: 193 ad 208, demonſtrata ſunt.

290. Nemo, niſi ſciat quale eſt Verbum, poteſt aliqua idea aſſequi, quod in ſingulis ejus ſit infinitas, hoc eſt, contineat innumerabilia, quæ ne quidem Angeli poſſunt exhaurire: quodlibet ibi poteſt aſſimilari ſemini, quod ex humo poteſt excreſcere in magnam arborem, & producere copiam ſeminum, ex quibus iterum ſimiles arbores, quæ ſimul faciunt hortum, & ex hujus ſeminibus iterum horti, & ſic in infinitum: tale eſt Verbum Domini in ſingulis, & talis eſt imprimis Decalogus, nam hic quia docet amorem in Deum, & amorem erga proximum, eſt brevis complexus totius Verbi. Quod Verbum tale ſit, Dominus per ſimilitudinem etiam exponit, ita, *Simile eſt Regnum Dei grano ſinapis, quod accipiens ſeminavit in agro ſuo, quod minus eſt omnibus ſeminibus, quando autem excreverit, majus eſt oleribus, & fit arbor, ita ut veniant volatilia Cæli, & nidulentur in ramis ejus*, Matth. XIII: 31. 32. Marc. IV: 31. 32. Luc. XIII: 18. 19. Confer etiam Ezechielem, Cap. XVII: 2 ad 8. Quod talis infinitas ſit ſeminum ſpiritualium ſeu veritatum in Verbo, conſtare poteſt ex Sapientia Angelica, quæ omnis eſt ex Verbo, hæc creſcit apud illos in æternum, & illi, quo ſapientiores fiunt, eo clarius vident, quod Sapientia ſit abſque fine, & percipiunt, quod ipſi modo ſint in atrio ejus, & quod non poſſint quoad minutiſſimum attingere Sapientiam Divinam Domini, quam vocant Abyſſum. Nunc quoniam Verbum eſt ex hac Abyſſo, quia a Domino, patet quod in omnibus ejus ſit quædam Infinitas.

PRIMUM PRÆCEPTUM.

Non erit Deus alius coram faciebus meis.

291. Hæc ſunt verba Primi Præcepti, Exod. XX: 3. Deutr. V: 7; per quæ in SENSU NATURALI, qui eſt Senſus literæ, proxime intelligitur, quod non colenda ſint Idola, nam ſequitur, *Non facies tibi Sculptile aut ullam Figuram, quæ in Cælis deſuper, & quæ in Terra infra, & quæ in Aquis ſub terra: non incurvabis te illis, & non coles illa, quia* EGO JEHOVAH DEUS TUUS, DEUS ZELOTES, Exod. XX: 3. 4. 5. 6. Quod per hoc Præceptum proxime intelligatur, quod non colenda ſint Idola, erat cauſa, quia ante hoc tempus, & poſt illud uſque ad Aventum Domini, in multo Orbe Aſiatico fuit Cultus idololatricus; cauſa illius cultus fuit, quod omnes Eccleſiæ ante Dominum fuerint repræſentativæ & typicæ, ac typi & repræſentationes erant tales, ut Divina ſiſterentur ſub variis Figuris & Sculpturis, quas Vulgus, dum ſignificationes illarum obliteratæ ſunt, inceperunt colere pro diis. Quod Gens Iſraelitica etiam in tali cultu fuerit, quando in Ægypto, conſtare poteſt ex Vitulo Aureo, quem loco Jehovæ colebant in deſerto; & quod poſtea ab illo Cultu non abalienati fuerint, conſtat ex multis locis in Verbo tam Hiſtorico quam Prophetico.

292. Per hoc Præceptum, *Non erit Deus alius coram faciebus meis*, in Senſu naturali etiam intelligitur, quod non aliquis Homo defunctus aut vivus colendus ſit ſicut Deus, quod quoque in Orbe Aſiatico, & circum illum variis in locis factum eſt; multi dii Gentium non fuerunt alii, ſicut Baal, Aſtaroth, Chemos, Milkom, Beelſebub; ac Athenis & Romæ Saturnus, Jupiter, Neptunus, Pluto, Apollo,

Pallas, &c., quorum aliquos primum coluerunt ut Sanctos, poſtea ut Numina, & denique ut Deos. Quod etiam coluerint Homines vivos ut deos, conſtat ex Edicto Darii Medi, quòd nemo intra 30 dies peteret aliquid a Deo, ſed a Rege ſolo, ſi ſecus, conjiceretur in foveam leonum, Dan. VI: 8 ad fin.

293. In Senſu naturali, qui eſt Senſus literæ, per hoc Præceptum etiam intelligitur, quod non quisquam præter Deum, & quod non quicquam præter id quod procedit a Deo, ſuper omnia amandum ſit, quod etiam eſt ſecundum verba Domini, Matth. XXII: 35 ad 37. Luc. X: 25 ad 28, nam qui & quod ſuper omnia amatur, ille & illud amatori eſt Deus & Divinum; ſicut qui ſe ſuper omnia amat, aut quoque Mundum, illi eſt Ipſe aut Mundus ſuus Deus; quæ cauſa eſt quod iidem corde non agnoſcant aliquem Deum; hi ideo conjuncti ſunt conſimilibus in Inferno, ubi collecti ſunt omnes, qui ſe & mundum ſuper omnia amaverunt.

294. SENSUS SPIRITUALIS hujus Præcepti eſt, quod non alius Deus quam DOMINUS JESUS CHRISTUS colendus ſit, quia Ipſe eſt Jehovah, qui in Mundum venit, & Redemptionem fecit, ſine qua non ſalvari potuit ullus homo, nec ullus Angelus. Quod præter Ipſum non alius Deus ſit, conſtat ex his in Verbo „ *Dicetur in die illo, ecce Deus noſter Hic, quem exſpectavimus ut liberet nos: hic Jehovah, quem exſpectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipſius*; Eſaj. XXV: 9. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Jehovæ, complanate in ſolitudine ſemitam Deo noſtro; revelabitur enim Gloria Jehovæ, & videbunt omnis caro ſimul; ecce Dominus Jehovih in forti venit, ſicut Paſtor gregem ſuum paſcet*, Eſaj. XL: 3. 5. 11. *Tantummodo inter te Deus, præterea non Deus, profecto Tu Deus occultus, Deus Iſraelis* SALVATOR, Eſaj. XLV: 14. 15. *Nonne Ego Jehovah, & non amplius Deus præter Me, Deus juſtus & SALVATOR præter Me*, Eſaj. XLV: 21. 22. *Ego Jehovah, & non præter Me* SALVATOR, Eſaj. XLIII: 11. Hoſch. XIII: 4. *Ut ſciat omnis caro, quod Ego Jehovah* SALVATOR TUUS & REDEMPTOR TUUS, Eſaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. *Quod ad* REDEMPTOREM NOSTRUM, *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius*, Eſaj. XLVII: 4. Jer. L: 34. *Jehovah Petra mea, &* REDEMPTOR MEUS, Pſalm XIX: 10. *Sic dixit Jehovah* REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Iſraelis, Ego Jehovah Deus tuus*, Eſaj. XLVIII: 17. Cap. XLIII: 24. Cap. XLIX: 7. Cap. 8. *Sic dixit Jehovah* REDEMPTOR *tuus, Ego Jehovah faciens omnia, & Solus a MeIpſo*, Eſaj. XLIV: 24. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraelis, &* REDEMPTOR *ejus Jehovah Zebaoth, Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus* „ Eſaj. XLIV: 6. *Jehovah Zebaoth nomen Ipſius, &* REDEMPTOR TUUS *Sanctus Iſraelis, Deus totius terræ vocabitur*, Eſaj. LIV: 8. *Abraham non cognoſcit nos, Iſrael non agnoſcit nos, Tu Jehovah Pater noſter*, REDEMPTOR *a ſæculo Nomen tuum*, Eſaj. LXIII: 16. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cujus nomen Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, Eſaj. IX: 5. *Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi Germen juſtum qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipſius*, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXIII: 15. 16. *Dixit Philippus ad Jeſum, monſtra nobis Patrem, dixit illi Jeſus, qui videt Me videt Patrem, nonne credis quod Ego in Patre & Pater in Me*, Joh. XIV: 8. 9. *In Jeſu Chriſto omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter*, Coloſſ. II: 9. *Sumus in Veritate in Jeſu Chriſto: Hic eſt verus Deus & Vita æterna; filioli cavete vobis ab idolis*, I Joh. V: 20. 21. Ex his clare patet, quod Dominus Salvator noſter ſit ipſe Jehovah, qui ſimul eſt Creator, Redemptor, & Regenerator. Hic eſt hujus Præcepti Senſus ſpiritualis.

295. SENSUS CÆLESTIS HUJUS PRÆCEPTI EST; quod Jehovah Dominus ſit Infinitus, Immenſus & Æternus; quod ſit Omnipotens, Omniſcius & Omnipræſens; quod ſit Primus & Ultimus, Principium & Finis, Qui Fuit, Eſt, & Erit; quod ſit ipſe Amor & ipſa Sapientia, ſeu ipſum Bonum & ipſum Verum, proinde ipſa Vita; ita Unicus ex Quo omnia.

296. Omnes, qui alium Deum, quam Dominum Salvatorem Jeſum Chriſtum, qui

qui eſt ipſe Jehovah Deus in Humana forma, agnoſcunt & colunt, contra Primum hoc Præceptum peccant; conſimiliter etiam illi, qui Tres Perſonas Divinas ab æterno actualiter exiſtentes, ſibi perſuadent; hi ſicut ſe confirmant in illo errore, fiunt plus & plus naturales & corporei, & tunc non poſſunt aliquod Divinum Verum interius comprehendere, & ſi audiunt & recipiunt illud, uſque fallaciis inquinant & obvolvunt illud: quapropter hi comparari poſſunt illis, qui in infima aut ſubterranea manſione domus habitant, & ideo non audiunt quicquam quod illi, qui in ſecunda & tertia manſione ſunt, inter ſe loquuntur, quia tecta ſupra caput arcent, ne ſonus penetret: Mens humana eſt ſicut trium manſionum Domus, in cujus infima ſunt illi, qui pro tribus Diis ab æterno ſe confirmaverunt, in ſecunda & tertia ſunt illi, qui Deum unum ſub viſibili Humana forma, & Dominum Deum Salvatorem eſſe Illum, agnoſcunt & credunt: Senſualis & corporeus homo, quia eſt mere naturalis, in ſe ſpectatus eſt prorſus animalis, nec plus differt ab Animali bruto, quam quod loqui & ratiocinari poſſit, quare eſt ſicut degens in Beſtiario, ubi feræ omnis generis, & ibi nunc agit leonem, nunc urſum, nunc tigridem, pardum aut lupum; imo etiam poteſt agere ovem, ſed tunc corde ſuo ridet. Homo mere naturalis de Divinis veris non cogitat niſi ex mundanis, ita ex ſenſuum fallaciis, non enim ſuper illas poteſt elevare mentem, quare ejus fidei Doctrina poteſt comparari pulti ex paleis, quam comedit ut lautitias; aut ſicut mandatum eſt Ezechieli Prophetæ, quod commiſceret tritica, hordea, fabas, lentes, Zeas, cum ſtercore hominis aut bovis, & faceret ſibi panem & placentas, & ſic repræſentaret Eccleſiam, qualis erat apud Gentem Iſraeliticam, Cap. IV: 9. ſeq. ſimile eſt cum Doctrina Eccleſiæ, quæ fundata & ædificata eſt ſuper tres Divinas Perſonas ab æterno, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus: quis non videret enormitatem iſtius fidei, ſi illa ſiſteretur qualis eſt in ſe, in pictura coram oculis, ut ſi tres in ordine juxta ſe ſtarent, Primus inſignitus ſceptro & corona; Secundus tenens dextra manu Librum, qui eſt Verbum, & in ſiniſtra Crucem ex auro ſparſam ſanquine, & Tertius incinctus alis ſtans ſuper uno pede in conatu volandi & operandi, quibus ſuper ſcriptum eſt, HÆ TRES PERSONÆ TOTIDEM DII, SUNT UNUS DEUS; quis ſapiens hanc picturam videns ſecum non diceret, heu quæ phantaſia; aliter vero dicturus eſſet, ſi videret picturam unius Perſonæ Divinæ cum radiis lucis cæleſtis circum caput, cum ſuperſcripto, HIC EST NOSTER DEUS, SIMUL CREATOR, REDEMPTOR ET REGENERATOR, ITA SALVATOR; annon Sapiens ille hanc picturam obſcularetur, & in ſinu portaret domum, & per ejus aſpectum lætificaret animum & ſuum, & uxoris, & liberorum & famulorum.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

Non ſumes Nomen Jehovæ Dei tui in vanum, quia non infontem habebit Jehovah, qui ſumſerit Nomen Ipſius in vanum.

297. Per ſumere Nomen Jehovæ Dei in vanum, in SENSU NATURALI, qui eſt Senſus literæ, intelligitur ipſum Nomen, & Ejus abuſus in variis colloquiis, imprimis in falſiloquiis ſeu mendaciis, inque juramentis abſque cauſa, & propter finem exculpationis in intentionibus malis, quæ ſunt exſecrationes, inque præſtigiis & incantationibus. At vero jurare per Deum & Ejus Sanctitatem, Verbum & Evangelium, in Coronationibus, in Inaugurationibus in Sacerdotium, in Initationibus fidelitatis, non eſt ſumere Nomen Dei in vanum, niſi Jurator ſponſiones ſuas ut vanas poſtea rejicit. Nomen autem Dei, quia eſt ipſum Sanctum, jugiter uſur-

pandum est in rebus Sanctis quæ Ecclesiæ sunt, ut in Orationibus, Psalmis, & in omni Cultu, & quoque in Prædicationibus, & in Scriptis de rebus Ecclesiasticis; causa est, quia Deus est in omnibus Religionis, & cum rite invocatur, per Nomen suum præsens est, & audit; in his Nomen Dei sanctificatur. Quod Nomen Jehovæ Dei in se sanctum sit, constat ex Nomine illo, quod Judæi post primum tempus eorum non ausi sint, nec audeant Jehovam dicere, & quod propter illos nec Evangelistæ & Apostoli voluerint, quare loco Jehovæ dixerunt Dominum, ut constat ex variis locis ex Vereri Testamento translatis in Novum, ubi pro JEHOVAH nominatur DOMINUS, ut Matth. XXII: 35, Luc. X: 27, collatis cum Deutr. VI: 5, & alibi. Quod Nomen Jesus similiter Sanctum sit, notum est ex Apostolo dicente, quod ad Nomen illud flectantur & flectenda sint genua in Cælis & in Terris; & insuper quod a nullo diabolo in Inferno possit nominari. Nomina Dei sunt plura, quæ non in vanum sumenda sunt, sicut Jehovah, Jehovah Deus, Jehovah Zebaoth, Sanctus Israelis, Jesus & Christus, Spiritus Sanctus.

298. In SENSU SPIRITUALI per Nomen Dei intelligitur omne id, quod Ecclesia ex Verbo docet, & per quod Dominus invocatur & colitur, cuncta illa sunt Nomen Dei in complexu; quare per sumere Nomen Dei in vanum, intelligitur sumere aliquid inde in vaniloquiis, falsiloquiis, mendaciis, exsecrationibus, præstigiis, & incantationibus, nam hoc quoque est conviciari & blasphemare Deum, ita Nomen Ejus. Quod Verbum & quod inde est Ecclesiæ, & sic omnis Cultus, sit Nomen Dei, constare potest ex his locis „*Ab ortu solis invocabitur Nomen meum*, Esaj. XXVI: 8. 13. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum Nomen meum inter Gentes: & in omni loco suffitus allatus Nomini meo. Vos profanatis Nomen meum, cum dicitis Mensa Jehovæ polluta est: atque exsufflatis Nomen meum, cum adducitis raptum, claudum & ægrotum*, Malach. I: 11. 12. 13. *Omnes Populi ambulant in Nomine Dei sui, & nos ambulabimus in Nomine Jehovæ Dei nostri*, Mich. IV: 5. *Colent Jehovam in uno loco, ubi ponet Nomen suum*, Deut. XII: 5. 11. 13. 14. 18. Cap. XVI: 2. 6. 11. 15. 16, hoc est, ubi Cultum suum: *Jesus dixit, ubi sunt duo aut tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. XVIII: 20. *Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius*, Joh. I: 12. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 17. *Credentes vitam habebunt in Nomine Ipsius*, Joh. XX: 3. *Jesus dixit, manifestavi Nomen tuum hominibus. & notum feci illis Nomen tuum*, Joh. XVII: 26. *Dominus dixit, habeo pauca Nomina in Sardibus*, Apoc. III: 4, præter in pluribus aliis locis, in quibus sicut in præcedentibus per Nomen Dei intelligitur Divinum quod procedit a Deo, & per quod colitur. Per Nomen autem JESU CHRISTI intelligitur omne Redemptionis, & omne Doctrinæ Ipsius, & sic omne salvationis; per Jesum omne salvationis per Redemptionem; & per Christum omne salvationis per Doctrinam Ipsius.

299. In SENSU CÆLESTI, per sumere Nomen Dei in vanum, intelligitur id quod Dominus dixit ad Pharisæos, *Omne peccatum & blasphemia remittetur homini, spiritus vero blasphemia non remittetur*, Matth. XII: 11. 12; per Spiritus blasphemiam intelligitur blasphemia contra Divinitatem Humani Domini, & contra Sanctitatem Verbi. Quod Divinum Humanum Domini per Nomen Jehovæ Dei in Cælesti seu supremo Sensu intelligatur, constat ex his, *Jesus dixit*, PATER GLORIFICA NOMEN TUUM, *& exivit vox e Cælo dicens, & glorificavi & rursus glorificabo*, Joh. XII: 28. *Quodcunque petieritis in Nomine meo, hoc faciam, ut Pater glorificetur in Filio; si quid petieritis in Nomine meo, hoc faciam*, Joh. XIV: 13. 14. In Oratione Dominica per *Sanctificetur Nomen tuum*, in Cælesti sensu nec aliud significatur; pariter per Nomen, Exod. XXIII: 21. Esaj. LXIII: 16. Quoniam blasphemia Spiritus non remittitur homini secundum verba Matth. XII: 31. 32, & hoc in Sensu

cæ-

cæleſti intelligitur, ideo huic Præcepto adjicitur, *Quia non inſontem habebit Jehovah illum, qui ſumſerit Nomen Ipſius in vanum.*

300. Quod per Nomen alicujus non intelligatur ſolum nomen, ſed etiam omne quale ejus, patet a nominibus in Mundo Spirituali, ibi non aliquis homo retinet nomen, quod tulit in baptiſmate & a patre aut ſtemmate, in Mundo, ſed unusquiſque ibi ſecundum quale ſuum nominatur, ac Angeli vocantur ſecundum moralem & ſpiritualem illorum vitam; hi etiam ſunt qui intelliguntur per hæc Domini, *Jeſus dixit, Ego ſum Paſtor bonus, oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat Nomine, & educit illas*, Joh. X: 3. pariter per hæc, *Habeo pauca Nomina in Sardibus, quæ non polluerunt veſtimenta ſua. Qui vicerit, ſcribam ſuper eum Nomen urbis novæ Hieroſolymæ, & Nomen meum novum*, Apoc. III: 4. 12. Gabriel & Michael non ſunt nomina duarum Perſonarum in Cælo, ſed per illa Nomina intelliguntur omnes in Cælo, qui in ſapientia ſunt de Domino & colunt Ipſum. Per Nomina etiam Perſonarum & locorum in Verbo nec intelliguntur Perſonæ & loca, ſed res Eccleſiæ. In Mundo naturali per Nomen nec intelligitur ſolum Nomen, ſed ſimul quale ejus, quia hoc nomini ejus adhæret, in communi enim ſermone dicitur, hoc facit propter Nomen ſuum, aut propter Nominis famam, hic magnum Nomen habet, per quod ſignificatur, quod ſit celebris ex talibus quæ in illo ſunt, ut ex ingenioſitate, eruditione, meritis, & ſic porro. Quis non novit, quod qui vituperat & calumniatur aliquem quoad Nomen, etiam vituperet & calumnietur acta vitæ ejus, conjuncta ſunt in idea, inde perit fama nominis ejus: conſimiliter qui Nomen Regis, Ducis, Magnatis, ignominioſe enuntiat, ille quoque Majeſtatem & Dignitatem illorum opprobrio afficit; pariter qui Nomen alicujus ſono contemtus profert, ille ejus acta vitæ ſimul vilipendit; ſimile eſt cum omni Perſona, cujus Nomen, hoc eſt, qualitatem & inde famam, ſecundum leges omnium Regnorum, non licet inſufflare & convitiis laceſſere.

TERTIUM PRÆCEPTUM.

Memento Diei Sabbathi, ut ſanctifices eum; ſex dies laborabis, & facies omne opus tuum, at dies ſeptimus Sabbathum Jehovæ Deo tuo.

301. Quod hoc ſit Tertium Præceptum, videatur Exod. XX: 8. 9. 10, & Deut. V: 12. 13, per hoc in SENSU NATURALI, qui eſt Senſus literæ, intelligitur, quod ſex dies ſint pro homine & ejus laboribus, & Septimus pro Domino, & pro quiete hominis ex Ipſo; Sabbathum in Lingua originali ſignificat Quietem. Sabbathum apud filios Iſraelis fuit Sanctitas ſanctitatum, quia repræſentabat Dominum, ſex dies Ipſius labores & pugnas cum Infernis, & Septimus Ipſius victoriam ſuper illa, & ſic Quietem; & quia dies ille erat repræſentativus clauſulæ totius Redemptionis Domini, ideo erat ille ipſa Sanctitas. At vero cum Dominus in Mundum venit, & inde Repræſentationes Ipſius ceſſaverunt, factus eſt Dies ille dies inſtructionis in Divinis rebus, & ſic etiam dies quietis a laboribus, ac meditationis in talibus quæ ſalutis & vitæ æternæ ſunt, ut & dies amoris erga proximum. Quod factus ſit dies inſtructionis in rebus Divinis, patet ex eo, quod Dominus Die illo docuerit in Templo & Synagogis, Marc. VI: 2. Luc. IV: 2. Luc. IV: 16. 31. 32. Cap. XIII: 10; & quod dixerit Sanato, *Tolle lectum & ambula*; & ad Phariſæos, *quod licuerit Diſcipulis die Sabbathi colligere ſpicas & comedere*, Matth. XII: 1 ad 9. Marc. II: 23 ad fin: Luc. VI: 1 ad 6. Joh. V: 9 ad 19; per quæ ſingula

in Sensu spirituali significatur instrui in doctrinalibus; quod Dies ille etiam factus sit Dies amoris erga proximum, constat ex illis, quæ Dominus die Sabbathi fecit & docuit, Matth. XII: 10 ad 14. Marc. III: 1 ad 9. Luc. VI; 6 ad 12. Cap. XIII; 10 ad 18. Cap. XIV: 1 ad 7. Joh. V: 9 ad 19. Cap. VII: 22. 23. Cap. IX: 14. 16. Et his & illis patet, cur Dominus dixit, quod etiam sit Dominus Sabbathi, Matth. XII: 8. Marc. II: 28. Luc. VI: 5; & quia hoc dixit, sequitur, quod dies ille fuerit repræsentativus Ipsius.

302. Per hoc Præceptum in Sensu Spirituali significatur hominis Reformatio & Regeneratio a Domino; per sex dies laboris pugna contra carnem & ejus concupiscentias, & simul tunc contra mala & falsa quæ apud se ab Inferno sunt; & per diem Septimum significatur ejus conjunctio cum Domino, & per id regeneratio; quod quamdiu pugna illa perstat, sit homini Labor Spiritualis, at quod cum regeneratus est, sit illi Quies, constabit ex illis, quæ in Capite de Reformatione & Regeneratione posthac dicentur; imprimis ex his ibi, I. *Quod Regeneratio fiat ad instar sicut homo concipitur, gestatur in utero, nascitur, & educatur.* II. *Quod Primus actus novæ Generationis dicatur Reformatio qui est intellectus, & quod Secundus ejus dicatur Regeneratio, qui est Voluntatis & inde intellectus.* III. *Quod Internus homo primum reformandus sit, & per hunc Externus.* IV. *Quod tunc pugna inter Internum & Externum hominem oriatur, & quod qui vincit, dominetur super alterum.* V. *Quod homini Regenerato sit nova Voluntas & novus Intellectus*, &c. Quod Reformatio & Regeneratio hominis per hoc Præceptum in spirituali sensu significetur, est quia coincidit cum laboribus & pugnis Domini cum Infernis, & cum Victoria super illa, & tunc Quiete; nam modo, quo Dominus glorificavit Humanum suum, & illud Divinum fecit, illo etiam reformat & regenerat hominem, & eum spiritualem reddit; hoc est quod intelligitur per Sequi Ipsum. Quod Pugnæ Domino fuerint & dicantur Labores, patet apud Esaiam Cap. LIII & LXIII; & quod similia dicantur Labores de hominibus, Esaj. LXV: 23. Apoc. II: 2. 3.

303. In Sensu Cælesti per hoc Præceptum intelligitur conjunctio cum Domino, & tunc Pax, quia tutatio ab Inferno; per Sabbathum enim significatur Quies, & in supremo hoc sensu Pax, quare Dominus vocatur Princeps pacis, & quoque se vocat Pacem; ut constat ex his locis, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero Principatus, & vocabitur Nomen Ipsius Mirabilis, Consiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis*, Princeps Pacis; *multiplicanti Principatum &* Pacem *non erit finis*, Esaj. IX: 5. 6. *Jesus dixit*, Pacem *relinquo vobis*, Pacem meam *do vobis*, Joh. XIV: 27. *Jesus dixit, hæc loquutus sum, ut* in Me Pacem habeatis, Joh. XVI: 33. *Quam jucundi sunt super montibus pedes* evangelizantis & *audire facientis* Pacem, *dicentis, regnat Rex tuus*, Esaj. LII: 7. *Jehovah redimet in Pace animam meam*, Psalm LV: 19. Est opus Jehovæ Pax, labor justitiæ Quies, et Securitas in æternum, ut habitent in habtaculo Pacis, et in tentoriis Securitatis, et in Quietibus tranquillis, Esaj. XXXII: 17. 18. *Jesus dixit ad Septuaginta quos emisit, in quam domum intraveritis, primum dicite* Pacem Domini, *& si fuerit* filius Pacis, *requiescet super illo* Pax *vestra*, Luc. X: 5. 6. Matth. X; 12. 13. 14. *Jehovah loquetur* Pacem *ad populum suum*, Justitia et Pax *osculabuntur se*, Psalm LXXXV: 9. 10. Cum Ipse Dominus apparuit Discipulis, dixit, Pax vobiscum, Joh. XX: 19. 21. 26. Præterea de Statu Pacis, in quem venturi sunt a Domino, agitur apud Esajam Cap. LXV & LXVI, & alibi; & in illum venturi sunt, qui in Novam Ecclesiam, quæ hodie a Domino instauratur, recipiuntur. Quid Pax in sua essentia, in qua sunt Angeli Cæli, & illi qui in Domino sunt, videatur in Opere de Cælo et Inferno, n; 284 ad 290. Ex his etiam patet, cur Dominus se vocat Dominum Sabbathi, hoc est, Quietis & Pacis.

304. Pax cælestis, quæ est pro Infernis, ne mala & falsa inde assurgant & invadant, comparari potest cum Pace naturali in multis, sicut cum Pace post bella, quan-

quando quisque in ſecuritate pro hoſtibus, & tutus in ſua urbe, in ſua domo, inque ſuis prædiis & hortis vivit, eſt ſicut dixit Propheta, ubi de Pace cæleſti naturaliter loquitur, *Sedebunt vir ſub Vite ſua & ſub ficu ſua, non terrens*, Mich. IV: 4. Eſaj. LXV: 21. 22. 23. Comparari etiam poteſt cum recreationibus animi, & quietibus poſt graves labores. Cum Solatiis matrum poſt partus, quando amor illarum ſtorge vocatus manifeſtat ſua jucunda. Comparari etiam poteſt cum Serenitate poſt tempeſtates, nubes atras, & tonitrua: & quoquæ cum Vere poſt exactam horridam hyemem, & tunc cum lætificatione ex novellis in agris, & ex efloreſcentiis in hortis, campis & ſylvis. Pariter cum Statu mentium apud illos, qui poſt procellas & pericula in mari attingunt portum, & mittunt pedes in exſpectatam terram.

QUARTUM PRÆCEPTUM.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut prolongentur dies tui, & ut bene tibi ſit ſuper terra.

305. Hoc Præceptum legitur ita Exod. XX: 12, & Deutr. V: 16. Per honorare Patrem tuum & Matrem tuam in SENSU NATURALI, qui eſt Senſu literæ, intelligitur honorare Parentes, obedire illis, applicare ſe illis, & gratias agere illis pro benefactis, quæ ſunt, quod alant & veſtiant illos, ac introducant in Mundum, ut in illo civiles & morales Perſonas agant; & quoque in Cælum per præcepta religionis, ita conſulunt illorum proſperitati temporariæ, & quoque felicitati æternæ; & hæc omnia faciunt ex amore, in quo ſunt a Domino, Cujus vice funguntur. In Senſu reſpectivo intelligitur honor Tutorum a pupillis, ſi parentes mortui ſunt. In latiori Senſu per hoc Præceptum intelligitur honorare Regem & Magiſtratus, quoniam hi proſpiciunt omnibus neceſſitates in communi, quas Parentes in particulari. In latiſſimo ſenſu per hoc præceptum intelligitur amare Patriam, quia hæc nutrit illos, & tutatur illos, quare Patria vocatur a Patre: ſed huic & illis honores præſtandi ſunt a Parentibus, & ab his implantandi liberis.

306. In SENSU SPIRITUALI, per honorare Patrem & Matrem intelligitur venerari & amare Deum & Eccleſiam; in hoc Senſu per Patrem intelligitur Deus, qui eſt Pater omnium, & per Matrem Eccleſia; Infantes & Angeli in Cælis non alium Patrem, nec aliam Matrem ſciunt, quoniam a Domino per Eccleſiam ibi e novo nati ſunt; quare Dominus dicit, *Patrem ne vocetis veſtrum in terra, unus namque eſt Pater veſter, qui in Cælis eſt*, Matth. XXIII: 9; hæc dicta ſunt pro Infantibus & Angelis in Cælo, non autem pro infantibus & hominibus in terra. Simile docet Dominus in Oratione Eccleſiarum Chriſtianarum communi, *Pater noſter, qui eſt in Cælis, ſanctificetur Nomen tuum.* Quod per Matrem in ſenſu ſpirituali, intelligatur Eccleſia, eſt quia ſicut Mater in terra alit ſuos liberos victu naturali, ita Eccleſia illos victu ſpirituali; quare etiam Eccleſia in Verbo paſſim vocatur Mater, ut apud Hoſcheam, *Contendite cum* MATRE VESTRA, *non illa uxor mea, & Ego non Maritus ejus*, Cap. II. 2. 5. Apud Eſajam, *Ubi eſt libellus repudii* MATRIS VESTRÆ, *quam dimiſerim*, Cap. L: 1 & Ezech. XVI: 45. Cap. XIX: 10. Et apud Evangeliſtas, *Jeſus extendens manum ſuam ad Diſcipulos, dixit*, MATER MEA, *& fratres mei ſunt, qui audiunt Verbum Dei, & faciunt illud*, Matth. XII: 48. 49. Marc: III: 33. 34. 35. Luc. VIII: 21. Joh. XIX: 25. 26. 27.

307. In SENSU CÆLESTI, per Patrem intelligitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & per Matrem Communio Sanctorum, per quam intelligitur Eccleſia Ipſius per ami-

universum orbem sparsa. Quod Dominus sit Pater, constat ex his, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, Cujus Nomen Deus, Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis,* Esaj. IX: 15. *Tu* PATER NOSTER, Abraham non cognoscit nos, & Israel non agnoscit nos, TU PATER NOSTER, *Redemptor noster a sæculo Nomen tuum,* Esaj. LXIII: 16. Dixit Philippus, *monstra nobis Patrem, dicit illi Jesus,* QUI VIDET ME VIDET PATREM, *quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem; credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me sit,* Joh. XV: 7 ad 11. Cap. XII. 45. Quod per Matrem in hoc sensu intelligatur Ecclesia Domini, constat ex his, *Vidi Urbem, sanctam Hierosolismam novam, paratam sicut* SPONSAM ORNATAM MARITO, Apoc. XXI: 2. *Angelus dixit ad Johannem, veni, ostendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& ostendit Urbem Sanctam Hierosolymam,* Apoc. XXI: 9. 10. *Venit tempus* NUPTIARUM AGNI, *&* UXOR EJUS *paravit se: beati, qui ad Cænam* NUPTIARUM AGNI *vocati sunt,* Apoc. IX: 7. 9; & præterea, Matth. IX: 15. Marc. II: 19. 20. Luc. V: 34. 35. Joh. III: 29. Cap. 25. 26. 27: quod per Novam Hierosolymam intelligatur Nova Ecclesia, quæ a Domino hodie instauratur, videatur APOCALYPSIS REVELATA n: 880. 881; hæc Ecclesia, & non prior, est Uxor & Mater in hoc sensu. Proles spirituales, quæ ex hoc Conjugio nascuntur, sunt bona charitatis & vera fidei, & illi qui in his a Domino sunt, vocantur filii nuptiarum, filii Dei, & nati ab Ipso.

308. Tenendum est, quod a Domino continue procedat Sphæra Divina cælestis amoris erga omnes, qui Ecclesiæ Ipsius doctrinam amplectuntur, & qui sicut infantes in Mundo patri & matri, obediunt Ipsi, se applicant Ipsi, & volunt nutriri; hoc est, instrui ab Ipso: ex hac cælesti Sphæra oritur Naturalis Sphæra, quæ est amoris erga infantes & liberos, quæ universaliissima est, & non modo afficit homines, sed etiam aves & bestias, usque ad serpentes; nec solum animata, sed etiam inanimata, sed ut Dominus in hæc, sic ut in spiritualia operetur, creavit Solem, qui in Naturali Mundo esset sicut Pater, ac Terra sicut Mater; est enim Sol sicut communis Pater, & Terra sicut communis Mater, ex quorum conjugio existunt omnes germinationes, quæ Telluris superficiem exornant: ex influxu cælestis illius Sphæræ in naturalem Mundum existunt mirabiles illæ progressiones vegetationum a semine ad fructus & ad nova semina: inde quoque est, quod sint plura Virgultorum genera, quæ interdiu vertunt sicut facies suas ad Solem, & avertunt illas cum Sol occidit: inde quoque est, quod sint Flores, qui oriente Sole se aperiunt, & occidente se occludunt: inde quoque est, quod oscines in prima matuta dulciter canant, & similiter postquam a Terra matre sua nutriti sunt; ita hæc & illa honorant patrem suum & matrem suam; hæc omnia sunt testimonia, quod Dominus per Solem & Terram in Mundo naturali prospiciat vivis & non vivis omnes necessitates; quare dicitur apud Davidem, *Laudate Jehovam e Cælis, laudate Ipsum Sol & Luna; laudate Ipsum e terra, balænæ & abyssi, laudate Ipsum arbor fructus, omnes cedri; fera & omnis bestia, reptile, & avis alæ; Reges terræ, & omnes populi, juvenes & virgines,* Psalm CXLVII: 7 ad 12. & apud Hiobum, *Quære quæso bestias, & docebunt te, aut aves cæli & annuntiabunt tibi, aut virgultum terræ & instruet te, & narrabunt tibi pisces maris; quis non novit ex his omnibus, quod manus Jehovæ fecerit illud,* Cap. XII: 7. 8. 9; quære & docebunt, significat specta, attende, & judica ex illis, quod Dominus Jehovih creaverit illa.

QUIN-

QUINTUM PRÆCEPTUM.

Non Occides.

309. Per hoc Præceptum, *Non occides*; in SENSU NATURALI intelligitur non Occidere hominem, & non aliquam plagam, ex qua mori poteſt, ei infligere, & quoque non mutilare ejus corpus; & inſuper non aliquod malum internecinum ejus nomini & famæ inferre, quoniam fama & vita apud plures pari paſſu vadunt. In Senſu latiori naturali per homicidia intelliguntur inimicitiæ, odia, & vindictæ, quæ ſpirant necem; in illis enim latet homicidium, ſicut ignis in ligno ſub cinere; ignis infernalis nec aliud eſt, quare dicitur ardeſcere odio & flagrare vindicta. Hæc ſunt Homicidia in intentione, non autem actu, & ſi aufurretur illis timor pro lege, proque talione & vindicta, erumperent in actum, imprimis ſi intentioni ineſt dolus aut ferocitas. Quod odium ſit homicidium, conſtat ex his Domini verbis, *Audiviſtis, quod a veteribus dictum ſit, non occides. & quisquis occiderit, obnoxius erit judicio: Ego vero dico vobis, quod quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit gehennæ ignis*, Matth. V: 21. 22. Cauſa eſt, quia omne quod eſt intentionis etiam eſt voluntatis, & ſic in ſe facti.

310. In SENSU SPIRITUALI, per homicidia intelliguntur omnes modi occidendi & perdendi Animas hominum, qui ſunt varii & multiplices, ſicut avertere illos a Deo, Religione, & Cultu Divino, injiciendo ſcandala contra illa, & perſuadendo talia quæ faciunt averſionem, & quoque averſationem: tales ſunt omnes diaboli & ſatanæ in Inferno, cum quibus violatores & proſtitutores ſanctitatum Eccleſiæ in hoc Mundo conjuncti ſunt. Illi qui Animas per falſa deſtruunt, intelliguntur per Regem abyſſi, vocatum Abaddon aut Apollyon, hoc eſt, perditor, in Apoc. Cap. IX: 11; 11; & in Verbo Prophetico per Occiſos, ut in his, *Dixit Jehovah Deus, paſce oves Occiſionis. quas poſſeſſores earum occiderunt*, Sach. XI: 4. 5. 7. *Occiſi ſumus omni die, reputati ſumus ſicut grex mactationis*, Pſalm XLIV: 23. 24. *Venturos radicabit Jacob, num juxta cædem Occiſorum ejus occiſus eſt*, Eſaj. XXVII. 6. 7. *Alienus non venit, niſi ut furetur & mactet oves, Ego veni ut vitam & abundantiam habeant*, Joh. X: 10; præter alibi, ut Eſaj. XIV: 21. Cap. XXVI: 21. Cap. XXVII: 9. Jerem. IV: 31. Cap. XII: 3. Apoc. IX: 4. Cap. XI: 7. Inde eſt quod Diabolus dicatur *Homicida ab initio*, Joh. VIII: 44.

311. IN SENSU CÆLESTI, per Occidere, intelligitur iraſci temere Domino, odio Illum habere, & velle nomen Ipſius delere: hi ſunt, de quibus dicitur, quod crucifigant Ipſum; quod etiam facerent ſimiliter ut Judæi, ſi in Mundum, ut prius, veniret: hoc intelligitur per *Agnum ſtantem ſicut occiſum*, Apoc. V: 6. Cap. XIII: 8. Et per *Crucifixum*, Apoc. XI: 8. Hebr: VI: 6. Gal. III: 1.

312. Quale eſt Internum hominis, niſi a Domino reformetur, patuit mihi ex diabolis & ſatanis in Inferno, hi enim continue in animo gerunt occidere Dominum, & quia hoc non poſſunt, in conatu ſunt occidendi illos, qui Domino addicti ſunt, ſed quia hoc non poſſunt ſicut homines in Mundo, aggrediuntur omni niſu perdendi animas illorum, hoc eſt, deſtruendi fidem & charitatem apud illos. Ipſa odia & vindictæ apud illos apparent ſicut ignes furvi, & ſicut ignes candidi, odia ſicut ignes furvi, & vindictæ ſicut ignes candidi, atqui non ſunt ignes, ſed appanentiæ: ſævitiæ cordis illorum quandoque viſuntur ſuper illos in aere ſicut dimicationes cum Angelis, & ſicut horum cædes & ſtrages, ſunt illorum iræ & odia contra Cælum, ex quibus dira talia ludibria exſurgunt. Inſuper

 iidem

iidem e longinquo apparent; ſicut feræ omnis generis, ſicut tigrides, pardi, lupi, vulpes, cares, crocodili, & ſicut omnis generis ſerpentes, & quando vident in formis repræſentativis beſtias mites, has in phantaſia aggrediuntur & conantur trucidare: in conſpectum meum venerunt ſicut dracones ſtantes juxta mulieres apud quas erant infantes, quos conabantur ſicut devorare, ſecundum illa quæ in Apocalypſi Cap. XII. memorantur, quæ neque aliud ſunt, quam repræſentationes odii contra Dominum, & Ipſius novam Eccleſiam. Quod homines in Mundo, qui Eccleſiam Domini volunt deſtruere, ſimiles illis ſint, non apparet coram ſociis; cauſa eſt, quia corpora, per quæ moralitates exercent, abſorbent & celant illa; ſed uſque coram Angelis, qui non corpora, ſed Spiritus eorum ſpectant, apparent in ſimilibus formis, ſicut diaboli illi, de quibus ſupra. Quis talia potuiſſet ſcire, niſi Dominus aperuerit alicui viſum, & dederit copiam introſpiciendi in Mundum ſpiritualem, nonne hæc cum digniſſimis aliis rebus coram hominibus alioquin latuiſſent occultata in æternum.

SEXTUM PRÆCEPTUM.

Non Mæchaberis.

313. In SENSU NATURALI, per hoc Præceptum intelligitur non modo Mæchari, ſed etiam obſcæna velle & facere, & inde laſciva cogitare & loqui: quod modo concupiſcere ſit mæchari, conſtat ex his Domini verbis, *Audiviſtis quod a veteribus dictum, non mæchaberis; Ego vero dico vobis, quod ſi quis aſpexerit mulierem alienam, ita ut concupiſcat eam, jam adulterium cum illa commiſerit in corde* ſuo, Matth. V: 27. 28: cauſa eſt, quia concupiſcentia ſit ſicut factum, dum in voluntate eſt, nam in Intellectum modo intrat illecebra, at in voluntatem intentio, ac intentio concupiſcentiæ eſt factum: ſed plura de his videantur in Opere de AMORE CONJUGIALI, ET DE AMORE SCORTATORIO, Amſtelodami An: 1768 edito, in quo actum eſt, *de Oppoſitione Amoris conjugialis*, n: 423 ad 443. *de Fornicatione*, n: 444 ad 460. *de Adulteriis & illorum generibus & gradibus*, n: 473 ad 499. *De Libidine defloralionis*, n: 501 ad 505. *De Libidine varietatum*, n: 506 ad 510. *De Libidine violationis*, n: 511. 512. *De Libidine ſeducendi innocentias*, n. 513. 514. *De Imputatione utriuſque amoris, ſcortatorii & conjugialis*, n. 523 ad 531. Hæc omnia intelliguntur per hoc Præceptum in Naturali Senſu.

314. In SENSU SPIRITUALI per Mæchari, intelligitur adulterare bona Verbi, & falſificare vera ejus: quod hæc etiam per Mæchari intelligantur, hactenus ignotum fuit, quia Senſus ſpiritualis Verbi hactenus latuit; quod non aliud per Mæchari, adulterari, & ſcortari in Verbo ſignificetur, conſtat manifeſte ex his locis, *Diſcurrite per plateas Hieroſolymæ, & quærite, ſi inveniatis virum, qui* FACIT JUDICIUM, ET QUÆRIT VERITATEM, *cum ſaturavi eos*, SCORTATI SUNT, Jerem: V: 1. 7. *In Prophetis Hieroſolymæ vidi obſirmationem horrendam*, ADULTERANDO ET EUNDO IN MENDACIO, Jerem. XXIII: 14. *Fecerunt ſtultitiam in Iſraele*, SCORTATI SUNT, ET LOQUUTI SUNT VERBUM MEUM MENDACITER, Jerem. XXIX: 23. SCORTABANTUR, *quia Jehovam dereliquerunt*, Hoſch. IV: 7. *Exſcindam animam, quæ reſpicit ad pythones & hariolos* AD SCORTANDUM POST ILLOS, Levit. XX: 5. *Non pangendum eſt fœdus cum habitatoribus terræ, ne* SCORTENTUR POST DEOS *illorum*, Exod. XXXIV: 3. Quoniam Babylon præ cæteris adulterat & falſificat Verbum, ideo illa vocatur MAGNA MERETRIX, & hæc de illa dicuntur in Apocalypſi, *Babylon a vino iræ ſcortationis ſuæ potavit omnes Gentes*, Cap. XIV: 8. *Angelus dixit, monſtrabo tibi judicium Me-*

re-

retricis magnæ, cum qua ſcortati ſunt Reges terræ, Cap. XVII: 1. 2. *Judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram ſcortatione ſua*, Cap. XIX: 2. Quoniam Gens Judaica falſificaverat Verbum, ideo illa a Domino vocata eſt GENERATIO ADULTERA, Matth. XII: 39. Cap. XVI: 4. Marc. VIII: 38. Et SEMEN ADULTERI, Eſaj. LVI: 3. Præter multis aliis in locis, ubi per adulteria & ſcortationes intelliguntur adulterationes & falſificationes Verbi, ut Jerem. III: 6. 8. Cap. XIII: 27. Ezech. XVI: 15. 16. 26. 28. 29. 32. 33. Cap. XXIII: 2. 3. 5. 7. 11. 14. 16. 17. Hoſch. V: 3. Cap. VI: 10. Nah. III: 1. 3. 4.

315. In SENSU CÆLESTI, per Mæchari intelligitur negare Sanctitatem Verbi, & prophanare illud: quod hoc intelligatur in hoc Senſu, ſequitur ex priori Spirituali, qui eſt adulterare bona & falſificare vera ejus. Sanctitatem Verbi negant & prophanant illi, qui ad omnia Eccleſiæ & religionis corde rident; nam omnia Eccleſiæ & Religionis in Chriſtiano Orbe ſunt ex Verbo.

316. Sunt variæ cauſæ, quæ faciunt, quod homo appareat non modo aliis ſed etiam ſibi ipſi caſtus, & tamen totus incaſtus eſt, neſcit enim, quod concupiſcentia, dum in voluntate eſt, ſit factum, & quod illa non removeri poſſit niſi a Domino poſt pœnitentiam; abſtinentia a faciendo, non facit caſtum, ſed abſtinentia a volendo, dum poteſt, quia peccatum eſt, facit; quemadmodum ſi quis abſtinet ab Adulteriis & Scortationibus ſolum ex timore legis civilis & ejus pœnarum; ex timore jacturæ famæ & inde honoris; ex timore morborum ex illis; ex timore jurgiorum domi ab uxore, & inde intranquillitatis vitæ; ex timore vindictæ a marito & affinibus, & verberum ab illorum famulis; aut ex avaritia; aut ex imbecilitate oriunda vel ex morbo, vel ex abuſu, vel ex ætate, vel ex alia cauſa impotentiæ: imo ſi abſtinet ab illis ex lege aliqua naturali aut morali, & non ſimul ex lege ſpirituali, is uſque tamen interius adulter & ſcortator eſt, nihilominus enim credit, quod non peccata ſint, & inde illa coram Deo non illicita facit in ſuo ſpiritu, & ſic in ſpiritu committit illa, tametſi non coram Mundo in corpore, quare poſt mortem cum fit ſpiritus, aperte loquitur pro illis. Præterea adulteri comparari poſſunt cum fœdifragis, qui violant pacta: tum cum Veterum Satyris & Priapis, qui vagabantur in Sylvis, & vociferabantur, ubi virgines, ſponſæ & uxores, cum quibus ludamus; adulteri etiam in Mundo Spirituali actualiter apparent ut Satyri & Priapi. Comparari etiam poſſunt cum hircis qui olent, ut & cum canibus, qui diſcurrunt per plateas, ac circumſpiciunt & odorant ubi ſunt canes, cum quibus laſciviant, & ſic porro. Virilis illorum potentia, quando mariti fiunt, comparari poteſt efflorescentiæ Tuliparum tempore veris, quæ poſt menſem dierum deflorantur & emarceſcunt.

SEPTIMUM PRÆCEPTUM.

Non furaberis.

317. In SENSU NATURALI, per hoc Præceptum intelligitur ſecundum literam non furari, latrocinari, & piratam tempore pacis agere; & in genere non alicui ſua bona clanculum aut ſub aliquo prætextu auferre. Extendit etiam ſe ad omnes impoſturas & illegitimos quæſtus, uſuras, & exactiones; tum etiam ad defraudationes in pendendis tributis & vectigalibus, & in ſolvendis debitis. Operarii contra hoc Præceptum prævaricantur, qui opera ſua inſincere & ſubdole faciunt: Mercatores, qui fallunt mercibus, pondere, menſura, & calculis Præfecti, qui ſtipendia militibus ſubtrahunt. Judices, qui pro amicitia, munere, affinitate, aut

aliis cauſis judicant, pervertendo leges aut quæſtiones, & ſic alios ſuis bonis, quæ jure poſſident, deprivant.

318. In SENSU SPIRITUALI per furari intelligitur deprivare alios ſuæ fidei veris, quod fit per falſa & hæretica: Sacerdotes, qui ſolum propter lucrum aut honoris ambitum miniſtrant, ac docent talia, quæ vident aut poſſunt videre ex Verbo quod non vera ſint, ſpirituales fures ſunt, quoniam media ſalutis, quæ ſunt vera fidei, populo auferunt; hi quoque vocantur fures in Verbo in his locis, *Qui non ingreditur per januam in ovile, ſed aſcendit aliunde, is eſt fur & latro, fur non venit niſi ut furetur, mactet & perdat*, Joh. X: 1. 10. *Reponite theſauros non in terra, ſed in Cælo, ubi fures non veniunt, & furantur*, Matth. VI: 19. 20. *Si fures veniunt tibi, ſi everſores noctu, quomodo exciſus eris, nonne furabuntur quod illis ſatis.* Obad. Verſ. 5. *In Urbe diſcurrent, in muro current, in domos aſcendent, per feneſtras ingredientur, ſicut fur*, Joel II: 9. *Fecerunt mendacium, & fur venit, & diffundit ſe turma foras*, Hoſch. VII: 1.

319. In SENSU CÆLESTI per fures intelliguntur, qui Divinam Poteſtatem Domino auferunt; tum qui Ipſius Meritum & Juſtitiam ſibi vindicant; hi tametſi adorant Deum, uſque non fidunt Ipſi, ſed ſibi, & qnoque non in Deum, ſed in ſe credunt.

320. Illi qui falſa & hæretica docent, & vulgo perſuadent quod ſint vera & orthodoxa, & tamen Verbum legunt, & inde poſſunt ſcire quid falſum & quid verum; tum qui falſa religionis per fallacias confirmant & ſeducunt, comparari poſſunt cum impoſtoribus & impoſturis omnis modi, quæ quia in ſe ſunt Furta in ſpirituali ſenſu, comparari poſſunt cum impoſtoribus qui faiſas Monetas cudunt, inaurant illas, aut illis colorem auri inducunt, & venditant pro puris: tum etiam cum illis, qui ſciunt dextre ſecare & expolire Chryſtalla, ac indurare illa, & vendunt illa pro adamantibus: ut & cum illis, qui ſphinges aut ſimias veſtitas ut homines, & velatas quoad facies, ſuper equis aut mulis per urbes circumferunt, & clamant, quod ſint nobiles ex antiquo ſtemmate. Sunt etiam ſimiles illis qui facies luſorias coloratis fucis inunctas applicant faciebus vivis & nativis, & illarum pulchritudines abſcondunt. Et ſunt ſimiles illis, qui ſelenites & lapides ſpeculares, qui nitent ſicut ex auro & argento, oſtentant, & pro venis pretioſitatis venditant. Aſſimilari etiam poſſunt illis, qui per theatralia abducunt a vero Cultu Divino, & a templis ad domos ubi ſunt ludi ſcenici. Illi qui confirmant omnis generis falſa, nihili pendentes vera, & qui modo propter lucrum & honoris ambitum, ſacerdotio funguntur, ac ita ſunt fures ſpirituales, aſſimilari poſſunt illis furibus, qui portant claves, per quas omnium domuum fores poſſunt aperire: tum etiam pardis & aquilis, qui acutis oculis circumſpiciunt ubi ſunt opimæ prædæ.

OCTAVUM PRÆCEPTUM.

Non reſpondebis contra proximum tuum falſus teſtis.

321. Per reſpondere contra proximum falſus teſtis, ſeu falſe teſtari, in SENSU NATURALI proxime intelligitur non falſum teſtem agere coram judice, aut coram aliis extra judicium, contra aliquem, qui alicujus mali temere inculpatur, & hoc aſſeverare per nomen Dei, aut per aliud ſanctum, aut per ſe, & talia ſui quæ alicujus nominis famæ ſunt. Per hoc Præceptum in Senſu Naturali latiori intelliguntur omnis generis mendacia & hypocriſes politicæ, quæ malum finem ſpectant;

tant; tum proximum traducere & diffamare, unde ejus honor, nomen & fama, ex quibus character totius hominis pendet, labefactantur. In Senſu naturali tiſſimo intelliguntur infidiæ, doli, & mala propoſita, contra aliquem ex variis originibus, ut ex inimicitia, odio, vindicta, invidia, æmulatione, &c. hæc enim mala, in ſe recondunt teſtationem falſi.

322. In Sensu spirituali per falſe teſtari, intelligitur perſuadere, quod falſum fidei ſit verum fidei, & quod malum vitæ ſit bonum vitæ, & viciſſim; ſed hoc & illud facere ex propoſito, non autem ex ignorantia, ita illa facere poſtquam ſcit quid verum & bonum, non autem antea, nam Dominus dicit, *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum, jam vero dicitis, quod videmus, ideo peccatum veſtrum manet*, Joh. IX: 41. Hoc Falſum in Verbo intelligitur per Mendacium, & Propoſitum per Dolum in his locis, *Excidimus fœdus cum morte, & cum inferno facimus viſionem, poſuimus mendacium in fiduciam, & in falſitate latuimus*, Eſaj. XXVIII: 15. *Populus rebellionis illi, filii mendaces, non volunt audire legem Jehovæ*, Eſaj. XXX: 9. *a Propheta uſque ad Sacerdotem, quivis facit mendacium*, Jerem. VIII: 10. *Habitatores loquuntur mendacium, & quoad linguam dolus in ore illorum*, Mich. V: 12. *Perdes loquentes mendacium, virum doli abominatur Jehovah*, Pſalm V: 7. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, habitare illorum in medio doli*, Jerem. IX: 15. Quia per Mendacium intelligitur Falſum, ideo Dominus dicit, *quod Diabolus loquatur Mendacium ex propriis ſuis*, Joh. VIII: 14, Mendacium ſignificat falſum, & falſiloquium, etiam in his locis, Jerem. IX: 4. Cap. XXIII: 14. 32. Ezech. XIII: 15 ad 19. Cap. XXI: 24. Hoſch. VII: 1. Cap. XII: 1. Nah. III: 1. Pſalm CXX: 2. 3.

323. In Sensu Cælesti, per falſe teſtari intelligitur blaſphemare Dominum & Verbum, & ſic ipſam Veritatem profligare ab Eccleſia, nam Dominus eſt ipſa Veritas, pariter Verbum. Viciſſim per Teſtari in hoc Senſu intelligitur Veritatem loqui, & per Teſtimonium ipſa veritas; inde quoque eſt quod Decalogus dicatur Teſtimonium, Exod. XXIV: 16. 21. 22. Cap. XXX: 7. 18. Cap. XXXII: 15. 16. Cap. XL: 20. Levit. XVI: 13. Num. XVII: 19. 22. 25. Et quia Dominus eſt ipſa Veritas, dicit de Se quod Ipſe teſtetur; quod Dominus ſit ipſa Veritas, Joh. XIV: 6. Apoc. III: & quod Ipſe teſtetur, & ſit ſui teſtis, Joh. III: 11. Cap. VIII: 13 ad 19. Cap. XV: 26. Cap. XVIII: 37. 38.

324. Illi qui falſa loquuntur ex dolo aut propoſito, & illa ſono æmulo affectionis ſpiritualis pronuntiant, & plus ſi intermiſcent vera ex Verbo, quæ ſic falſificant, ab Antiquis dicti ſunt Incantatores, de quibus videatur Apocalypsis Revelata, n: 462; tum Pythones & Serpentes arboris ſcientiæ boni & mali. Hi falſarii, mendaces & doloſi, aſſimilari poſſunt illis qui blande & amice loquuntur cum inimicis, & cum loquuntur, a tergo tenent pugionem, cum qua interimant. Et aſſimilari poſſunt illis, qui gladios veneno tingunt, & ſic aggrediuntur hoſtes: & illis, qui aquis immiſcent aconita, ac muſtis & paſtis ſaccharinis virus. Aſſimilari etiam poſſunt ſcortis venuſtis & allicientibus lue maligna infectis; tum virgultis aculeatis, quæ admota naribus fibrillas olfactus læſunt: ut & venenis edulcoratis: & quoque ſimis, qui ſiccati tempore autumni odorem fragrantem ſpargunt. Tales in Verbo deſcribuntur per pardos, videatur Apocalypsis Revelata, n. 572.

NONUM, ET DECIMUM PRÆCEPTUM.

Non concupiſces Domum proximi tui, Non concupiſces Uxorem proximi tui, non Servum ejus & Ancillam ejus, & Bovem ejus & Aſinum ejus, & omne quod Proximo tuo.

325. Hæc in Catechismo, qui hodie in manibus eſt, in duo Præcepta diſtincta ſunt, in unum, quod facit NONUM, quod eſt, *Non concupiſces Domum proximi tui*, & in alterum, quod facit DECIMUM, quod eſt, *Non concupiſces Uxorem proximi tui, & ſervum ejus, & ancillam ejus & bovem ejus & aſinum ejus, & omne quod proximo tuo;* hæc duo Præcepta, quia unam rem faciunt, & Exod. XX: 14. & Deutr. V: 18, unum Verſum, ſuſcepi de duobus illis Præceptis ſimul agere, ſed non propterea, quod velim ut in unum Præceptum conjungantur, ſed in duo ſicut prius diſtinguantur, quoniam Præcepta illa dicuntur DECEM VERBA, Exod. XXXIV: 28. Deutr. IV: 13. Cap. X: 4.

326. Hæc duo Præcepta ſpectant omnia illa Præcepta quæ præcedunt, ac docent & injungunt quod mala non facienda ſint, ut quoque nec concupiſcenda, proinde ut non ſolum ſint Externi hominis, ſed etiam Interni, nam qui non facit mala, & tamen concupiſcit illa facere, uſque facit illa; Dominus enim dicit, *Si quis concupiſcit alterius uxorem, jamdum adulterium cum illa commiſit in corde ſuo*, Matth. V: 27. 28; & Externus homo non prius fit Internus, ſeu cum Interno unum agit, quam dum concupiſcentiæ remotæ ſunt; hoc quoque Dominus docet, dicens, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero ſunt plena rapina & intemperantia; Phariſæe cæce, purga prius internum poculi & patinæ, ut ſit etiam externum mundum*, Matth. XXIII: 25. 26, & præterea in toto illo Capite a principio ad finem; Interna, quæ ſunt Phariſaica, ſunt concupiſcentiæ ad illa, quæ in Præceptis I. II. V. VI. VII. VIII., mandantur non facienda. Notum eſt, quod Dominus in Mundo docuerit Interna Eccleſiæ, ac Interna Eccleſiæ ſunt non concupiſcere mala, & ſic docuit, ut Internus & Externus homo unum faciant, & hoc eſt e novo generari, de quo Dominus ad Nicodemum loquutus eſt, Joh. III, & nemo poteſt e novo generari ſeu regenerari, proinde Internus fieri, niſi a Domino. Ut duo hæc Præcepta ſpectent omnia illa quæ præcedunt, ut non concupiſcenda ſint, ideo primum nominatur Domus, poſtea Uxor, & deinde, ſervus, ancilla, bos & aſinus, ac ultimo omne quod eſt proximo; Domus enim involvit ſequentia omnia, nam in illa eſt maritus, uxor, ſervus, ancilla, bos & aſinus; uxor quæ poſtea nominatur, deinde involvit illa quæ ſequuntur, nam illa eſt Domina, ſicut maritus eſt Dominus in domo, ſervus & ancilla ſunt ſub illis, ac boves & aſini ſub his, & demum omnia quæ infra ſeu extra ſunt, per quod dicatur omne quod proximo tuo eſt: ex quibus patet, quod omnia priora ſpectentur in duobus his Præceptis in Communi & in Particulari, & in lato & in ſtricto ſenſu.

327. In SENSU SPIRITUALI per hæc Præcepta prohibentur omnes concupiſcentiæ, quæ ſunt contra ſpiritum, ita quæ ſunt contra ſpiritualia Eccleſiæ, quæ ſe ad fidem & charitatem principaliter referunt, quia niſi concupiſcentiæ domarentur, Caro ſecundum liberum ſuum rueret in omne nefas; nam ex Paulo notum eſt, *Quod caro concupiſcat contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem*, Gal. V; 17: & a Jacobo, *Quilibet tentatur a propria concupiſcentia, dum inescatur, deinde Concupiſcentia, poſtquam concepit, parit peccatum, & peccatum quando conſummatum eſt, partu-*

rit

rit mortem, Epiſt. Cap. I: 14. 15: tum a Petro, *Dominus injuſtos in diem judicii puniendos reſervat, maxime illos, qui poſt carnem in Concupiſcentia ambulant*, II. Epiſt. II: 9. 10. In ſumma, hæc duo Præcepta in ſpirituali ſenſu intellecta, ſpectant omnia illa, quæ in Senſu ſpirituali prius allata ſunt, quod non concupiſcenda ſint: ſimiliter omnia, quæ prius in Cælesti Sensu; ſed illa reaſſumere, ſupervacaneum eſt.

328. Concupiſcentiæ carnis, oculorum, & reliquorum ſenſuum, ſeparatæ a concupiſcentiis, hoc eſt, affectionibus, deſideriis & jucundis ſpiritus, ſunt prorſus ſimiles concupiſcentiis beſtiarum, quare in ſe ſunt ferinæ; at affectiones Spiritus ſunt quales Angelis ſunt, & inde dicendæ vere Humanæ; quapropter quantum quis concupiſcentiis carnis indulget, tantum eſt beſtia & fera, at quantum quis deſideriis ſpiritus litat, tantum eſt homo & Angelus. Concupiſcentiæ Carnis comparari poſſunt cum torridis & ambuſtis uvis & cum labruſcis, at affectiones Spiritus cum uvis ſucculentis & ſapidis, & quoque cum guſtu vini ab illis expreſſi. Concupiſcentiæ carnis comparari poſſunt cum ſtabulis in quibus ſunt aſini, hirci & ſues, & affectiones ſpiritus cum ſtabulis, in quibus ſunt generoſi equi, & quoque oves & agni; differunt etiam ſicut aſinus & equus, ac ſicut hircus ac ovis & agnus & ſus, in genere ſicut ſcoria & aurum, & ſicut calx & argentum, ſicut corallium & rubinus, & ſic porro. Concupiſcentia & factum cohærent ſicut ſanguis & caro, ſicut flamma & oleum, eſt enim concupiſcentia in facto ſicut aer ex pulmone dum fit reſpiratio & loquela, & ſicut ventus in velo dum perſtat navigatio, & ſicut aqua in rota, ex qua motus & actio machinæ.

Quod Decem Præcepta Decalogi contineant omnia quæ amoris in Deum, & omnia quæ amoris erga proximum ſunt.

329. In octo Præceptis Decalogi, in Primo, Secundo, Quinto, Sexto, Septimo, Octavo, Nono & Decimo, non dicitur aliquid quod eſt amoris in Deum, & amoris erga proximum, non enim dicitur quod Deus amandus ſit, nec quod Nomen Dei ſanctificandum, neque quod proximus amandus ſit, ita non quod ſincere & recte cum illo agendum ſit, ſed modo quod non erit Deus alius coram faciebus meis, non ſumes nomen Dei in vanum, non occides, non mæchaberis, non furaberis, non falſe teſtaberis, non concupiſces illa quæ proximi ſunt; ita in genere quod malum non volendum, cogitandum, & faciendum, contra Deum, nec contra proximum. Sed cauſa, quod non talia quæ directe amoris & charitatis ſunt, mandata ſint, ſed modo talia quæ illis oppoſita ſunt quod non facienda ſint, eſt quia quantum homo fugit mala ut peccata, tantum vult bona quæ amoris & charitatis ſunt. Quod Primum amoris in Deum & amoris erga proximum ſit non facere malum, & quod ſecundum illorum ſit facere bonum, videbitur in Capite de Charitate. Sunt duo Amores ſibi oppoſiti, amor volendi & faciendi bonum, & amor volendi & faciendi malum, hic amor infernalis eſt, & ille amor cæleſtis eſt, totum enim Infernum in amore faciendi malum eſt, & totum Cælum in amore faciendi bonum eſt: nunc quia homo natus eſt in mala omnis generis, proinde a nativitate inclinat ad illa quæ Inferni ſunt, & quia niſi denuo naſcitur, hoc eſt, regeneratur non poſſit venire in Cælum, neceſſum eſt, ut primum removeantur mala quæ Inferni ſunt, antequam poteſt velle bona quæ Cæli ſunt; non enim quis poteſt adoptari a Domino, antequam ſeparatur a Diabolo: quomodo autem removentur mala, & homo fertur ad facieudum bona, in binis Capitibus, uno de Pœnitentia, & altero de Refor-

MATIONE & REGENERATIONE, demonſtrabitur. Quod primum amovenda ſint mala, antequam bona, quæ homo facit, fiunt bona coram Deo, docet Dominus apud Eſajam „*Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum veſtrorum a coram oculis meis, diſcite bonum facere, tunc ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinea, ſicut nix albeſcent, ſi rubra fuerint ſicut purpura, ſicut lana erunt*, Cap. I: 16. 17. 18. Huic ſimile eſt hoc apud Jeremiam, *Sta in porta Domus Jehovæ, & proclama ibi verbum hoc, ſic dixit Jehovah Zebaoth, Deus Iſraelis, bonas reddite vias veſtras, & opera veſtra, ne confidite vobis ſuper verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ hic* (hoc eſt, Eccleſia), *num furando, occidendo & mæchando, & jurando per mendacium, deinde venietis & ſtabitis coram Me in Domo hac, ſuper qua nominatur Nomen meum, & dicetis, erepti ſumus, dum facitis omnes abominationes has; num ſpelunca latronum facta eſt Domus hæc, etiam Ego ecce vidi, dictum Jehovæ*, Cap. VII: 2. 3. 4. 9. 10. 11. Quod ante lavationem ſeu purificationem a malis, preces ad Deum non audiantur, etiam docetur apud Eſajam, *Dicit Jehovah væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, abalienaverunt ſe retrorſum, unde quando expanditis manus veſtras, occulto oculos meos vobis, imo ſi multiplicaveritis orationem, Ego non audio*, Cap. I: 4. 15. Quod qui facit præcepta Decalogi, fugiendo mala, amor & charitas ſequantur, conſtat ex his Domini verbis apud Johannem, *Jeſus dixit, qui habet præcepta mea & facit illa, ille eſt qui amat Me, qui vero amat Me, amabitur a Patre meo, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Meipſum, & manſionem apud illum faciemus*, Cap. XIV: 21. 23: per Præcepta ibi intelliguntur in ſpecie præcepta Decalogi, quæ ſunt quod mala non facienda nec concupiſcenda ſint, & quod ſic amor hominis in Deum, & amor Dei erga hominem, ſequantur, ſicut bonum poſtquam remotum eſt malum.

330. Dictum eſt, quod quantum homo fugit mala, tantum velit bona, cauſa eſt, quia mala & bona ſunt oppoſita, mala enim ſunt ex Inferno, & bona e Cælo, quare quantum removetur Infernum, hoc eſt, malum, tantum appropinquatur cælum, & homo ſpectat bonum; quod ita ſit, manifeſte patet ab octo præceptis Decalogi ita viſis; quemadmodum. I. Quantum quis non colit deos alios, tantum colit Deum verum. II. Quantum quis non ſumit Nomen Dei in vanum, tantum amat illa quæ a Deo ſunt. III. Quantum quis non vult occidere, & ex odio & vindictu agere, tantum vult bene proximo. IV. Quantum quis non vult mæchari, tantum vult caſte cum uxore vivere. V. Quantum quis non vult furari, tantum ſinceritatem ſectatur. VI. Quantum quis non vult falſe teſtari, tantum vult vera cogitare & loqui VII & VIII, Quantum quis non concupiſcit illa quæ proximi ſunt, tantum vult ut proximo ex ſuis bene ſit. Ex his conſtat, quod præcepta Decalogi contineant omnia quæ amoris in Deum & amoris erga proximum ſunt: quare dicit Paulus, *Qui amat alterum, legem implevit, nam illud non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falſus teſtis eris, non concupiſces, & ſi quod aliud mandatum, in hoc verbo comprehenditur, amabis proximum tuum ſicut teipſum: Charitas proximo non malum operatur; plenitudo ergo Legis eſt Charitas*, Rom. XIII: 8. 9. 10. His addendi ſunt duo Canones Novæ Eccleſiæ inſervituri, I. Quod nemo poſſit mala ut peccata fugere, & bona facere quæ bona ſint coram Deo, a ſe; ſed quod quantum quis fugit mala ut peccata, tantum faciat bona non a ſe, ſed a Domino. II. Quod homo debeat fugere mala ut peccata, & pugnare contra illa ſicut a ſe, & quod ſi quis fugit mala ex quacunque alia cauſa, quam quia peccata ſunt, non fugiat illa, ſed modo faciat ut non appareant coram Mundo.

331. Quod malum & bonum non poſſint ſimul eſſe, & quod quantum removetur malum, tantum ſpectetur & ſentiatur bonum, eſt cauſa, quia in Mundo ſpirituali ab unoquovis exhalatur Sphæra amoris ejus, quæ ſe circum circa diſpergit & afficit, & facit ſympathias & antipathias; per has ſphæras ſeparantur boni a malis. Quod malum removendum ſit, antequam bonum cognoſcitur, percipitur & amatur,

tur, comparari poteſt cum multis rebus in Mundo Naturali, ut cum his; non poteſt aliquis adire alterum, qui leopardum & pantheram in conclavi ſuo cuſtodit, & quia dat illis edere ſecurus cum illis habitat, niſi prius feras illas removerit. Quis invitatus ad menſam Regis & Reginæ non prius laverit facies & manus, antequam accedit; & quis in thalamum intrat cum ſponſa poſt nuptias, niſi prius ſe laverit totum, & veſte nuptiali ſe amiciverit. Quis non per ignem purificat mineras, & ſecernit a ſcoriis, antequam aurum & argentum purum adipiſcitur. Quis non Zizania ſeparat a meſſe tritici, antequam hoc infert in horreum: & quis non criſtas e meſſe hordei excutit fuſtibus trituræ, antequam colligit illud in Domum. Quis non deſpumat crudam eamem coctione, antequam ille fit edulis, & apponitur ſuper menſa. Quis non excutit vermes ex foliis arborum in horto, ne conſumantur folia, & ſic pereat fructus. Quis non averſatur ſordida in domibus & atriis, & mundat illa, imprimis dum exſpectatur princeps, aut ſponſa filia principis. Quis amat virginem, & cum illa nuptias intendit, quæ malignis ineſcata eſt, aut puſtulis & varicibus obſita, utcunque illa infucat faciem, ſplendide ſe inveſtit, & amoris illecebras per blanditias oris inferre ſtudet. Quod homo ſeipſum purificare debeat a malis, & non eſpectet, ut Dominus immediate hoc faciat, eſt comparative ſicut ſervus incedens facie & veſte conſpureatis fuligine & ſtercore accederet ad herum ſuum, ac diceret, Domine, ablue me, annon illi herus dicturus eſt, ſerve ſtulte, quid dicis, ecce ibi aqua, ſapo, & linteum, ſuntne tibi manus, & poſſe in illis, ablue teipſum; & Dominus Deus dicturus eſt, ſunt media purificationis a Me, & quoque eſt tuum velle & tuum poſſe a Me, quare utere illis meis donis & dotibus ſicut tuis, & purificaberis: & ſic porro. Quod Externus homo purgandus ſit, ſed per Internum, docet Dominus apud Matthæum Cap. XXIII. a principio ad finem.

332. His adjicientur QUATUOR MEMORABILIA: PRIMUM hoc. Quondam audivi vociferationes, quæ ſicut per aquas egurgitabant ex inferis, unam ad ſiniſtrum, O QUAM JUSTI; alteram ad dextrum, O QUAM ERUDITI; & tertiam a tergo, O QUAM SAPIENTES, & quia incidit in cogitationem meam, num etiam in Inferno Juſti, Eruditi, & Sapientes ſunt, afficiebar deſiderio videndi, num tales ibi ſunt; & dictum mihi eſt e Cælo, videbis & audies; & exivi domo in ſpiritu, & vidi ante me Aperturam, illuc acceſſi, & deſpexi, & ecce ſcala, per hanc deſcendi; & cum infra eram, vidi campeſtria obſita arbuſtis cum intermixtis ſpinis & urticis; & quæſivi num hic Infernum, dixerunt, eſt Terra inferior, quæ proxime ſupra Infernum eſt: & tunc perrexi ſecundum Clamores in ordine; ad Primum, O QUAM JUSTI, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerant Judices amicitiæ & munerum: dein ad Clamorem ſecundum, O QUAM ERUDITI, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerunt Ratiocinatores: & ad Clamorem tertium, O QUAM SAPIENTES, & vidi Cætum ex illis, qui in Mundo fuerunt Confirmatores: ſed ab his deflexi ad Primum, ubi erant Judices amicitiæ & munerum & proclamati Juſti: & vidi a latere ſicut Amphitheatrum ſtructum ex lateribus, & tectum tegulis nigris; & dicebatur mihi, quod ibi eſſet illorum TRIBUNAL; in illud patebant tres aditus a latere ſeptentrionali, & tres a latere occidentali, & nulli a latere meridionali & orientali, indicium quod Judicia illorum non eſſent Judicia juſtitiæ, ſed Arbitria. In medio Amphitheatri viſus eſt Focus, in quem miniſtri focales injiciebant tædas ſulphuratas & bituminoſas, e quibus luces in parietes incruſtatos evibratæ ſiſtebant

bant imagines picturatas avium veſperæ & noctis; ſed focus ille, & inde evibrationes lucis in formas imaginum iſtarum, erant repræſentationes Judiciorum illorum, quod poſſent res cujuſvis quæſtionis colorare fucis, & eis inducere ſpecies ſecundum favorem. Poſt ſemihoram vidi Senes & Juvenes in prætextis & palliis intrantes, qui depoſitis pileis ſe ſuper Soliis ad Menſas reponebant, ſeſſuri judicia; ac audivi & percepi, quam ſolerter & ingenioſe ex aſpectu amicitiæ declinarent & inverterent judicia in apparentias juſtitiæ, & hoc eouſque, ut ipſi non viderent injuſtum aliter quam juſtum, ac viciſſim juſtum ut injuſtum; perſuaſiones de illis tales apparebant ex faciebus illorum, & audiebantur ex ſonis loquelæ illorum; data mihi tunc fuit illuſtratio e Cælo, ex qua ſingula num juris aut non juris eſſent, percepi; & vidi, quam induſtrie obvelarent injuſtum, ac inducerent ei viſionem juſti, & ex legibus eligerent faventem, ad quam flecterent rem quæſtionis, & reliquas per ratiocinia ſolertia removerent ad latus. Poſt judicia, Sententiæ exportabantur ad clientes, amicos, & fautores, & hi ad retribuendum illis favorem, per longam viam clamabant, O QUAM JUSTI, O QUAM JUSTI. Poſt hæc loquutus ſum de illis cum Angelis Cæli, & narravi illis aliqua de viſis & auditis; & Angeli dicebant, quod tales judices appareant aliis ſicut acutiſſima acie intellectus præditi, cum tamen ne hilum juſti & æqui vident, ſi tollis amicitiam pro aliquo, ſedent in judiciis ſicut ſtatuæ, & modo dicunt, accedo, conformo me cum hoc aut illo; cauſa eſt quia omnia judicia illorum ſunt præjudicia, & præjudicium cum favore ſequitur cauſam ab initio ad finem ejus; inde nihil aliud vident quam quod amici eſt; ad omne id quod contra illum eſt, obliquant oculos, & ex hirquis tuentur, & ſi reaſſumunt, involvunt id ratiociniis, ſicut aranea capturas filis, & conſumunt; inde eſt, quod ſi non ſequuntur telam ſui præjudicii, nihil juris videant; explorati ſunt, num poſſunt videre, ac inventi ſunt quod non; quod ita ſit, mirabuntur incolæ tui Mundi, ſed dic illis, quod hoc ſit veritas ab Angelis Cæli explorata. Quoniam illi nihil juſti vident, ideo in Cælo non contemplamur illos ut homines, ſed ut monſtroſas imgines hominis, quarum capita faciunt illa quæ amicitiæ ſunt, pectora illa quæ injuſtitiæ, manus & pedes illa quæ confirmationis, ac plantæ illa quæ juſtitiæ, quæ ſi non favent amico, ſupplantant & proculcant. Quales autem in ſe ſpectati ſunt, videbis, inſtant enim finis illorum; & ecce tunc ſubito hiabat ſolum, & menſæ ſuper menſas ceciderunt, & una cum toto Amphitheatro abſorbti ſunt, & conjecti in cavernas, & incarcerati; & tunc dictum eſt mihi, vis videre illos ibi, & ecce viſi ſunt quoad faciem ſicut ex polito chalybe, quoad corpus a cervice ad lumbos ſicut ſculptilia veſtita pellibus pardi, & quoad pedes ſicut colubri: & vidi Libros Legis, quos ſuper Menſis repoſitos habuerant, verſos in Chartas luſorias; & nunc loco quod judicarent, datum eſt illis munus, ut pararent minia in fucos, quibus oblinirent facies meretricum, & illas ſic verterent in pulchritudines. Poſtquam hæc viſa ſunt, volui abire ad duos reliquos Cætus, ad unum, ubi erant mere Ratiocinatores, & ad alterum, ubi erant mere Confirmatores; ſed mihi dicebatur, quieſce paulum, dabuntur tibi comites Angeli ex Societate proxima ſupra illos, per hos tibi dabitur lux a Domino, & videbis mirabilia.

333. SECUNDUM MEMORABILE. Poſt aliquod tempus audivi iterum ex infera Terra, voces quas prius, O QUAM ERUDITI, O QUAM ERUDITI, & circumſpexi quinam adeſſent, & ecce erant Angeli, qui in Cælo immediate ſupra illos, qui clamabantur, O QUAM ERUDITI, erant; & loquutus cum illis de clamore, & dixerunt, quod Eruditi illi eſſent, qui ſolum ratiocinantur, NUM SIT, VEL NON SIT, & raro cogitant QUOD ITA SIT, quare ſunt ſicut Venti qui flant & tranſeunt; ac ſicut cortices circum arbores quæ abſque medulla ſunt; & ſicut cruſtæ circum amygdala abſque nucleo; aut ſicut ſuperficies circum fructus abſque carne; nam

Men-

Mentes illorum ſunt abſque interiori judicio, & modo unitæ cum Senſibus corporis, quare ſi non ipſi Senſus judicant, nihil poſſunt concludere; verbo ſunt mere Senſuales, & a nobis vocantur RATIOCINATORES; vocantur Ratiocinatores, quia nuſquam concludunt aliquid, ſed aſſumunt quicquid audiunt, & diſputant, num ſit, jugiter contradicendo; nihil plus amant, quam aggredi veritates, & ſic illas diſcerpere mittendo in lites; hi ſunt, qui credunt ſe præ omnibus in Mundo Eruditos. His auditis, rogavi Angelos, ut deducerent me ad illos, & deduxerunt ad Cavum, a quo gradus ad inferiorem terram tendebant, & deſcendimus, & ſequuti ſumus Clamorem, *O quam Eruditi*, & ecce erant aliquot centeni ſtantes in uno loco pulſantes humum, hoc miratus quæſivi, cur ſtant ita & plantis pulſant humum, & addidi, ſic poſſunt pedibus excavare ſolum; ad hoc ſubriſerunt Angeli, & dixerunt, apparet quod ita ſtent, quia nihil cogitant de aliqua re quod ita ſit, ſed ſolum num ita ſit, ac litigant, & cum cogitatio non ultra progreditur, apparent modo calcare & terere unam glebam, & non progredi: & dixerunt Angeli, illi qui e Mundo Naturali in Hunc alluunt, & audiunt, quod in alio Mundo ſint, colligunt ſe multis in locis in Cætus, & quærunt ubi Cælum & ubi Infernum, ut & ubi Deus; at poſtquam inſtructi ſunt, uſque incipiunt ratiocinari, diſputare & altercari, NUM DEUS SIT, hoc faciunt, quia hodie in Mundo naturali tam multi Naturaliſtæ ſunt, & hi inter ſe & cum aliis, quando loquela eſt de Religione, hoc in ventilationem mittunt, & hæc propoſitio & ventilatio raro terminatur in affirmativo fidei, quod Deus ſit; & hi poſtea plus & plus conſociant ſe cum malis, & hoc fit, quia nemo poteſt aliquod bonum ex amore boni facere niſi a Deo. Poſtea deductus ſum ad congregationem, & ecce apparebant mihi homines facie non indecora, & in veſtibus ornatus; & dixerunt Angeli, apparent tales in propria luce, at ſi lux e Cælo influit, mutantur facies, & quoque veſtes; & factum eſt ita, & tunc apparebant faciebus furvis, induti ſaccis nigris; ſed luce hac ſubtracta, viſi ſunt ut prius. Mox loquutus ſum cum aliquibus ex congregatione, & dixi, audivi Clamorem turbæ circum vos, *O quam Eruditi*, quare liceat de rebus, quæ ſummæ Eruditionis ſunt, vobiscum ſociare ſermonem, & reſponderunt, dic quicquid lubet, & ſatisfaciemus; & quæſivi, qualis erit Religio, per quam ſalvatur homo; & dixerunt, diſpeſcemus hanc interrogationem in plures, & antequam has concluſimus, non poſſumus reſponſum dare; ac ventilatio erit, 1. Num Religio ſit aliquid. 2. Num ſalvatio ſit vel non. 3. Num una Religio plus efficiat quam altera. 4. Num Cælum & Infernum ſit. 5. Num vita æterna poſt mortem ſit; præter plura: & quæſivi de Primo, Num Religio ſit aliquid, & cæperunt ventilare hoc copia argumentorum; & petivi ut referrent hoc ad Congregationem, ac retulerunt; & commune reſponſum fuit, quod Propoſitio illa egeat tam multa inquiſitione, ut non poſſit finiri intra veſperam; at quæſivi, num a vobis poſſit finiri intra annum, & unus dixit, quod non poſſit intra centum annos; & dixi, interea eſtis abſque Religione, & quia ſalvatio inde pendet, eſtis abſque idea, fide, & ſpe ſalvationis; & reſpondit, annon demonſtrabitur primum, num Religio ſit, & quid illa, & num ſit aliquid, ſi eſt, erit etiam pro ſapientibus, ſi non eſt, erit ſolum pro vulgo; notum eſt, quod Religio dicatur Vinculum, ſed quæritur pro quibus, ſi modo pro vulgo, in ſe non eſt aliquid, ſi etiam pro ſapientibus, eſt. His auditis dixi, nihil minus quam Eruditi eſtis, quia non poteſtis aliud cogitare, quam num ſit, & hoc verſare in utramque partem; quis poteſt Eruditus eſſe, niſi aliquis pro certo ſciat, & progrediatur in illud, ſicut homo progreditur e veſtigio in veſtigium, & ſucceſſive in ſapientiam; alioquin Veritates ne quidem tangitis ungue, ſed plus & plus e conſpectu removetis illas; quare ratiocinari ſolum num ſit, eſt ratiocinari ex pileo, qui nunquam imponitur, aut ex calceo qui non induitur; quid inde profluit, niſi quod non ſciatis, num detur ali-

quid, & num ſit quicquam niſi idea, ita num detur ſalvatio, num vita æterna poſt mortem, num una Religio præſtet alteri, num Cælum & Infernum ſint; de his non cogitare aliquid poteſtis, quamdiu hæretis in primo paſſu, & pulſatis arenam ibi, & non ferendo fertis pedem ultra pedem, & progredimini. Cavete vobis, ne Mentes veſtræ, dum ita foris extra judicium ſtant, intus indureſcant & fiant ſtatuæ ſalis. His dictis abivi, & illi ex indignatione conjecerunt lapides poſt me, & tunc mihi viſi ſunt ſicut ſculptilia, quibus nihil rationis humanæ ineſt. Et quæſivi Angelos de ſorte illorum, & dixerunt, quod infimi illorum demittantur in profundum, & ibi in deſertum, & adigantur ad portandum ſarcinas, & tunc quia non poſſunt aliquid proferre ex ratione, garriunt & loquuntur vana, & ibi e longinquo apparent ſicut aſini portantes onera.

334. TERTIUM MEMORABILE. Poſt hæc dixit unus ex Angelis, ſequere me ad locum, ubi vociferantur, O QUAM SAPIENTES, & dixit, videbis portenta hominum, videbis facies & corpora, quæ ſunt hominis, & tamen non ſunt homines, & dixi, ſuntne tunc beſtiæ, reſpondit, non ſunt beſtiæ, ſed beſtiæ homines; ſunt enim, qui prorſus non videre poſſunt, num verum ſit verum, vel non, & tamen poſſunt facere, ut appareat ſicut verum quicquid volunt; tales apud nos vocantur CONFIRMATORES. Et ſequuti ſumus vociferationem, & venimus ad locum, & ecce Cætus Virorum, & circum Cætum turba, & in turba aliqui ex nobili ſtemmate, qui dum audiverunt, quod confirmarent omnia quæ dicebant, & ſibi tam manifeſto conſenſu faverent, ſe converterunt, & dixerunt, O QUAM SAPIENTES. Sed dixit mihi Angelus, ne adeamus illos, ſed evocemus e Cætu unum; & evocavimus, & cum illo ſeceſſimus, & loquuti ſumus varia, & ille confirmabat ſingula, uſque ut prorſus apparerent ſicut vera; & quæſivimus illum num etiam poſſit confirmare contraria, dixit, quod tam bene ut priora: dixit tunc aperte, & ex corde, quid verum, num datur aliquod verum in rerum natura, quam quod homo facit verum; dic quiquid placet, & faciam id ut ſit verum; & dixi, fac hoc Verum, quod Fides ſit omne Eccleſiæ, & fecit hoc ita dextre & ſolerter, ut Eruditi circumſtantes admirati ſint, & adplauſerint: poſtea petii, ut faceret verum, quod Charitas eſſet omne Eccleſiæ, ac fecit; & poſtea, quod Charitas ſit nihil Eccleſiæ, ac inveſtivit utrumque, & exornavit apparentiis, ut adſtantes inſpicerent ſe mutuo, & dicerent, eſtne hic Sapiens: & dixi, nonne ſcis, quod bene vivere ſit Charitas, & quod bene credere ſit Fides, numne qui bene vivit, etiam bene credit, & ſic quod fides ſit charitatis, & charitas fidei; videsne quod hoc verum ſit, reſpondit, faciam id verum, & videbo, ac fecit, & dixit, nunc video; at mox fecit contrarium ejus, ut eſſet verum, & tunc dixit, video etiam quod hoc verum ſit: ad hæc ſubriſimus, & diximus, ſuntne contraria, quomodo poſſunt duo contraria videri vera; ad hæc, indignatus reſpondit, erratis, eſt utrumque verum, quoniam non aliud eſt verum, quam quod homo facit verum. Stabat prope aliquis, qui in Mundo fuerat Legatus primi gradus, ille hoc miratus eſt, & dixit, agnoſco, quod aliquid ſimile in Mundo ſit, ſed uſque tu inſanis, fac ſi potes ut ſit verum, quod Lux ſit Caligo, & Caligo Lux; & reſpondit, hoc faciam facile; quid Lux & Caligo niſi Status Oculi, numne mutatur lux in umbram, dum oculus ex aprico venit, ut & dum homo oculum intenſe figit in ſolem, quis non ſcit, quod ſtatus oculi tunc mutetur, & quod lux inde appareat ut umbra, ac viciſſim dum ſtatus oculi redit, quod umbra illa appareat ut lux: nonne Noctua videt caliginem noctis ut lucem diei, & lucem diei ut caliginem noctis, & tunc omnino ipſum Solem ut globum opacum & furvum; ſi quis homo haberet oculos ſicut noctua, quid vocaret lucem & quid caliginem; quid tunc Lux niſi ſtatus oculi, & ſi modo eſt ſtatus oculi, numne Lux eſt Caligo, & Caligo Lux, quare unum eſt verum & alterum eſt verum. Sed quia hæc confirmatio confudit quoſ-

dam,

dam, dixi, animadverti, quod confirmator ille non ſciat, quod detur Lux vera, & Lux fatua, & quod ambæ illæ Luces appareant ſicut ſint luces, ſed uſque Lux fatua in ſe non eſt Lux, ſed reſpective ad Lucem veram eſt caligo; in Luce fatua eſt Noctua, eſt enim intra oculos ejus cupiditas infectandi & vorandi aves, & hæc Lux facit oculos ejus tempore noctis videre, prorſus ſimiliter ut Feles, quorum oculi in cellis apparent ſicut candelæ, eſt lux fatua oriunda ex cupiditate infectandi & vorandi mures intus in oculis illorum, quæ id producit; inde patet, quod Lux Solis ſit Lux vera, & quod Lux cupidinis ſit lux fatua. Poſt hæc, Legatus rogavit Confirmatorem, ut faceret hoc ut ſi verum, quod Corvus ſit albus & non niger, & reſpondit, etiam hoc faciam facile, & dixit, ſume acum ſeu novaculam, & aperi pennas & plumas Corvi, tum remove pennas & plumas, & ſpecta Corvum a cute, nonne eſt albus; quid nigrum, quod circum eſt, niſi umbra, e qua non judicandum eſt de colore Corvi; quod nigrum ſit modo umbra, conſule gnaros Scientiæ optices, & dicent, aut mole nigrum lapidem aut vitrum in tenuem pulverem, & videbis quod pulvis ſit albus; ſed reſpondit Legatus, apparetne Corvus niger coram viſu; at Confirmator ille reſpondit, vis tu, qui es homo, cogitare aliquid ex apparentia, potes quidem loqui ex apparentia, quod Corvus ſit niger, ſed non potes id cogitare; ut pro exemplo, potes loqui ex apparentia, quod Sol oriatur & occidat, ſed quia es homo, non potes cogitare id, quia Sol ſtat immotus, & Tellus progreditur; ſimile eſt cum Corvo, apparentia eſt apparentia; dic quicquid vis, Corvus eſt totus quantus albus, albeſcit etiam cum ſeneſcit, hoc vidi: poſt hæc adſtantes inſpexerunt me, quare dixi, quod verum ſit, quod pennæ & plumæ Corvi intus trahant ex albedine, pariter ejus cutis, ſed hoc datur non modo apud corvos, ſed etiam apud omnes aves in Univerſo; & omnis homo aves diſtinguit ex apparentia coloris illarum, ſi hoc non fieret, diceremus de omni ave quod ſit alba, quod abſurdum & irritum eſt. Poſtea Legatus quæſivit, num poſſet facere verum, quod tu inſaniros, & dixit, poſſum ſed non volo, quis non inſanit. Deinde rogaverunt illum, ut diceret ex corde, num joculetur, vel num credat, quod non ſit aliquod verum, niſi quod homo facit verum, & reſpondit, juro quod credam. Poſt hæc univerſalis ille Confirmator miſſus eſt ad Angelos, qui explorarent illum qualis eſt, & hi poſt explorationem dixerunt, quod ille ne quidem granum intellectus poſſideat, quoniam omne id quod ſupra rationale eſt, apud illum occluſum eſt, & ſolum id quod infra rationale eſt, apertum eſt; ſupra Rationale eſt Lux ſpiritualis, ac infra Rationale eſt Lux naturalis, & hæc Lux apud hominem talis eſt, ut confirmare poſſit, quicquid lubet; at ſi non Lux Spiritualis influit in lucem naturalem, homo non videt num aliquod verum ſit verum, & inde nec quod aliquod falſum ſit falſum, & hoc & illud videre, eſt ex luce ſpirituali in luce naturali, & Lux ſpiritualis eſt ex Deo Cæli, qui eſt Dominus; quare univerſalis ille Confirmator non eſt homo nec beſtia, ſed eſt beſtia homo. Quæſivi Angelos de ſorte talium, num poſſunt una eſſe cum vivis, quia vita homini eſt ex Luce ſpirituali, & ex hoc eſt intellectus ejus: & dixerunt, quod tales, cum ſoli ſunt, non poſſint aliquid cogitare, & inde loqui, ſed quod ſtent ſicut automata muti, & ſicut in alto ſopore; at quod expergiſcantur, ut primum auribus captant aliquid; & addiderunt, quod illi fiant tales, qui intime mali ſunt; in hoc non poteſt Lux Spiritualis a ſuperiori influere, ſed modo aliquod ſpirituale per Mundum, unde illis facultus confirmandi eſt. His dictis audivi vocem ex Angelis, qui exploraverunt illum, dicens, fac ex auditis illis univerſale Concluſum, & feci hoc, *Quod poſſe confirmare quicquid libet, non ſit Intelligentis, ſed quod poſſe videre, quod verum ſit verum, & quod falſum ſit falſum, & id confirmare, ſit Intelligentis.* Poſt hæc ſpectavi ad Cætum, ubi ſtabant Confirmatores, & turba circum illos clamabat,

O QUAM SAPIENTES, & ecce Nubes fuſca obvelavit illos, & in Nube volabant ululæ & veſpertiliones; & dicebatur mihi, ululæ & veſpertiliones in Nube illa volantes, ſunt correſpondentiæ & inde apparentiæ cogitationum illorum; quoniam confirmationes falſitatum uſque ut appareant ſicut veritates, repræſentantur in hoc Mundo ſub formis avium noctis, quarum oculos fatua lux intus illuminat, ex qua vident objecta in tenebris ſicut in luce: talis Lux fatua ſpiritualis eſt illis, qui confirmant falſa, uſque dum videntur ut vera, ac poſtea creduntur vera; ſunt omnes illi in viſione poſteriore, & non in aliquo viſu priori.

335. QUARTUM MEMORABILE. Quodam diluculo cum evigilatus ſum a ſomno, vidi ſicut Larvas in varia effigie ante oculos; & poſtea, cum erat mane, vidi Luces fatuas in diverſis formis, quaſdam ſicut membranas ſcripturis plenas, quæ iterum & iterum complicatæ tandem apparebant ſicut Stellæ caducæ, quæ delapſæ in aere evaneſcebant, & quaſdam ſicut Libros apertos, quarum aliqui micabant ſicut lunulæ, & aliquæ ardebant ſicut candelæ; inter hos erant libri qui ſe ſuſtulerunt in altum, & in altitudine peribant, & alii qui deciderunt in terram, & in pulverem ibi diſſolvebantur. Ex his viſis augurabar, quod infra Meteora illa ſtarent, qui de rebus imaginariis, quas reputabant magni momenti, litigarent; nam in Mundo ſpirituali talia Phænomena in athmoſphæris ex ratiociniis infra ſtantium apparent; & mox apertus eſt mihi viſus ſpiritus mei, & animadverti numerum Spirituum, quorum Capita cincta erant foliis ex lauru, & corpore induti togis florificatis, quæ ſignabant, quod eſſent ſpiritus, qui in Mundo naturali fama eruditionis incluti fuerunt; & quia eram in ſpiritu, acceſſi, & Cætui me immiſcui; & tunc audivi, quod inter ſe acriter & ardenter diſceptarent de IDEIS CONNATIS, num aliquæ hominibus a nativitate ineſſent, ut Beſtiis; illi qui negabant, ſe avertebant ab illis qui affirmabant, & tandem ſegregati ſteterunt viciſſim, ſicut phalanges duorum Exercituum mox pugnaturi enſibus, ſed quia non erant illis enſes, acuminibus verborum pugnabant. At ſubito tunc Spiritus quidam Angelicus in medio eorum conſtitit, & alta voce loquens dixit, audivi e diſtantia non procul a vobis, quod utrinque ardeatis in lite de Ideis connatis, num aliquæ eſſent hominibus ut beſtiis, ego vero dico vobis, QUOD NON SINT ULLÆ IDEÆ CONNATÆ HOMINIBUS, ET QUOD NEC SINT ULLÆ IDEÆ BESTIIS, quare rixamini de nihilo, aut ſicut dicitur, de lana caprina, aut de barba hujus ſæculi. His auditis excanduerunt omnes, & vociferabantur, ejicite hunc, loquitur contra Senſum communem; at cum in conatu ejiciendi erant, viderunt illum cinctum Luce cæleſti, per quam non potuerunt irrumpere, erat enim Spiritus Angelicus, quare recedebant, & parum ſe removebant ab illo; & poſtquam lux illa intracta eſt, dixit illis, cur excandeſcitis, audite primum, & colligite rationes quas afferam, & vos ipſi ex illis concluſum facite; & prævideo, quod illi, qui judicio pollent, acceſſuri ſint, & tempeſtates in mentibus veſtris obortas ſedaturi: ad hæc dicta, ſono tamen indignante, dicebant, Loquere itaque, & audiemus; & tunc exorſus loqui dixit; vos creditis, quod Beſtiis ideæ connatæ ſint, & hoc concluſiſtis ex eo, quod actus illarum appareant ſicut ex cogitatione, & tamen illis ne hilum cogitationis eſt, ac ideæ non prædicabiles ſunt niſi inde, & cogitationis character eſt, ut faciant propter hoc aut illud ita vel ita: expendite itaque, num Aranea, quæ artificioſiſſime texit telam, in ſuo puſillo capite cogitet, in hoc ordine fila extendam, & illa transverſis filis colligabo, ne tela mea ingruente aeris vibratione diffluat; ac in terminis primis filorum, qui facient meditullium, parabo mihi ſedem, in qua percipiam quodcunque incidit, ut illuc accurram, ut ſi muſca involat, irretiatur illa, ac cito invadam & circumligabo illam, & cedet mihi in eſcam. Porro num Avis in puſillo ſuo capite cogitat, evolabo, ſcio ubi campi floreſcentes ſunt, &

ibi

ibi ex his floribus ceram, & ex illis mel exſugam, & ex cera exſtruam cellulas contiguas in ſerie, illo modo, ut ego cum ſociis, ſicut per plateas libere intremus & exeamus, & poſtea in illis reponemus mel abundanter, ut ſatis ſit etiam pro ventura hyeme, ne moriamur; præter alia mirabilia, in quibus prudentiam politicam & æconomicam humanam non modo æmulantur, ſed in quibuſdam excedunt, (videatur ſupra p. 11). Adhuc, num Fucus major in puſillo ſuo capite cogitat, ego cum ſociis meis fabricabimus domunculam ex tenui papyro, cujus parietes intus circumducemus in formam labyrintheam, ac intime parabimus ſicut forum, in quod erit ingreſſus & a quo egreſſus, & hoc eo artificio, ut non aliud vivum, quam quod ex noſtra proſapia eſt, reperiat viam ad intimum, ubi congregamur. Iterum, num bombyx, dum vermis, in puſillo ſuo capite cogitat, nunc tempus eſt ut præparem me ad nendum ſericum, & propter finem, ut quando netum eſt, evolem, & in aere, in quem non prius eniti potui, ludam cum comparibus, & proſpiciam mihi progeniem. Similiter reliqui vermes, dum ſubrepunt per parietes, & fiunt nymphæ, aureliæ, chryſallides, & demum papiliones. Num muſca aliquam ideam de congreſſu cum alia muſca habet, quod hic & non ibi. Simile eſt cum animalibus grandioris corporis, ſicut eſt cum illis animalculis, ut cum avibus & pennatis omnis generis, quando congrediuntur, tum quando parant nidos, ponunt inibi ova, incubant illis, excludunt pullos, his porrigunt eſcas, educant uſque dum evolant, & poſtea abigunt a nidis ſicut prolem non ſuam, præter innumera alia: ſimille etiam eſt cum beſtiis terræ, cum ſerpentibus, & cum piſcibus; quis veſtrum non poteſt ex ſupradictis videre, quod actus illarum ſpontanei non profluant ex aliqua cogitatione, de qua unice prædicabilis eſt idea: error, quod beſtiis ſint ideæ, non aliunde profluxit, quam ex perſuaſione, quod illæ æque ac homines cogitent, & quod modo loquela faciat diſcrimen. Poſt hæc, Spiritus angelicus circumſpexit, & quia vidit illos adhuc hæſitantes, num beſtiis ſit cogitatio vel non, continuavit ſermonem, & dixit; percipio quod ex actibus animalium brutorum ſimilaribus cum humanis, adhuc vobis inhæreat idea viſionaria de cogitatione illorum; quare dicam, unde illi actus; videlicet, eſt cuivis beſtiæ, cuivis volucri, cuivis piſci, reptili, & inſecto, ſuus amor naturalis ſenſualis ac corporeus, cujus habitacula ſunt illorum capita, & in his cerebra, per hæc influit Mundus ſpiritualis in Senſus corporis eorum immediate, & per hos determinat actus, quæ cauſa eſt, quod Senſus corporis illorum præ humanis ſint multo exquiſitiores. Influxus ille e Mundo ſpirituali, eſt qui vocatur Inſtinctus, ac Inſtinctus vocatur, quia abſque media cogitatione exiſtit: dantur etiam acceſſoria Inſtinctus ex aſſuetudine. At amor illorum, per quem e Mundo Spirituali fit determinatio ad actus, eſt ſolum pro Nutritione & Propagatione, non autem pro aliqua ſcientia, intelligentia & ſapientia, per quas ſucceſſive fit amor apud homines.

Quod nec homini aliquæ ideæ connatæ ſint, evidenter conſtare poteſt ex eo, quod non aliqua cogitatio ei connata ſit, & ubi non cogitatio ibi nec idea, una enim eſt alterius viciſſim; hoc concludi poteſt ex Infantibus recens natis, quod præter lactere & reſpirare nihil poſſint; quod poſſint lactere, non eſt ex connato, ſed ex continua ſuctione in utero matris, & quod poſſint reſpirare, eſt quia vivunt, hoc enim eſt univerſale vitæ; ipſi Senſus corporis eorum ſunt in ſumma obſcuritate, & ab hac ſucceſſive enituntur per objecta, ſimiliter illorum motus per aſſuetudines; & ſucceſſive ſicut diſcunt effutire voces, & ſonare illas primum abſque idea, exoritur aliquod obſcurum phantaſiæ, quod ſicut clareſcit, naſcitur obſcurum imaginationis, & inde cogitationis; ſecundum hujus ſtatus formationem exiſtunt ideæ, quæ, ut ſupra dictum eſt, cum cogitatione unum faciunt, & cogitatio a nulla increſcit per inſtructiones; quare ideæ hominibus ſunt, verum non

con

connatæ, ſed formatæ, & ex his fluunt loquelæ & actus illorum. Quod homini non aliud connaſcatur quam facultas ad ſciendum, intelligendum, & ſapiendum, ut & inclinatio ad amandum non modo illas, ſed etiam proximum & Deum, videatur ſupra in MEMORABILI, n: 48; & quoque infra in quodam MEMORABILI. Poſt hæc circumſpexi, & vidi in propinquo LEIBNITZIUM & WOLFIUM, qui intendebant rationibus a Spiritu Angelico prolatis; & tunc acceſſit Leibnitzius, & aſſenſu favit, at Wolfius abivit & negans & affirmans, non enim pollebat interiori judicio quo Leibnitzius.

CAPUT SEXTUM

DE

FIDE.

326. Ex ſapientia Antiquorum profluxit hoc dogma, quod Univerſum ac omnia & ſingula ejus ſe referant ad Bonum & Verum, & ſic quod omnia Eccleſiæ ad Amorem ſeu Charitatem & Fidem, quoniam omne id vocatur Bonum, quod profluit ex Amore ſeu Charitate, & omne id vocatur Verum quod profluit ex Fide: nunc quia Charitas & Fides diſtincte duo ſunt, ſed uſque unum faciunt in homine, ut ſit homo Eccleſiæ, hoc eſt, ut Eccleſia in homine ſit, ideo apud antiquos controverſum & diſceptatum eſt, quid ex duobus illis Primum erit, & ſic quid jure vocandum eſt Primogenitum; quidam ex illis dixerunt, quod Verum, conſequenter quod Fides, & quidam quod Bonum, conſequenter quod Charitas; viderunt enim, quod homo ſtatim poſt nativitatem diſcat loqui & cogitare, & per hæc perfici intellectu, quod fit per ſcientias, & ſic diſcere & intelligere quid Verum, & quod his mediis poſtea diſcat & intelligat quid Bonum, pròinde quod primum quid Fides, & poſtea quid Charitas: illi qui hanc rem ita comprehenderunt, putaverunt, quod Verum fidei ſit Primogenitum, & quod Bonum Charitatis ſit poſt natum, quapropter etiam Fidei Primogenituræ eminientiam & jus prærogativum attribuerunt: ſed hi obruerunt intellectum ſuum copia argumentorum pro Fide, uſque ut non viderent, quod Fides non ſit fides niſi conjuncta Charitati, & quod nec Charitas ſit charitas niſi conjuncta Fidei, & ſic quod unum faciant, & quod ſi non, una & altera non ſit aliquid in Eccleſia; quod prorſus unum faciant, in ſequentibus demonſtrabitur. „ Sed in hac Præfatione paucis detegam quomodo „ ſeu qua ratione unum faciunt, hoc enim intereſt, ut ſequentia in aliqua luce „ ſint; videlicet, Fides, per quam etiam intelligitur Verum, eſt Primum tempo- „ re, at Charitas, per quam etiam intelligitur Bonum, eſt Primum fine, & id „ quod Primum fine eſt, hoc actualiter Primum eſt, quia Primarium, ita quoque „ Primogenitum, ac id quod Primum eſt tempore, id non Primum eſt actualiter, „ ſed apparenter, ſed hoc ut comprehendatur, illuſtrabitur per Comparationes, „ quod fiet cum exſtructione Templi, ut & Domus, & cum conſtructione Horti, „ & cum præparatione Agri: cum EXSTRUCTIONE TEMPLI; Primum tempore „ eſt, ponere fundamentum, erigere muros, ſuperimponere tectum, & poſtea „ immittere Altare, & exſtruere Suggeſtum, Primum fine autem eſt Cultus Dei in „ illo, propter quem fiunt illa. Cum EXSTRUCTIONE DOMUS, Primum tempore „ eſt ædificare Externa ejus, & quoque illam inſtruere variis quæ neceſſitatis ſunt; „ at Primum fine eſt Habitatio commoda pro ſe & pro reliquis qui in Domo ejus „ erunt. Cum CONSTRUCTIONE HORTI, Primum tempore eſt explanare ſolum, & „ præparare humum, ac implantare arbores, ac inſeminare talia, quæ uſui in- „ ſervient, at Primum fine eſt uſus fructus ex illis. Cum PRÆPARATIONE AGRI, „ Primum tempore eſt, terram applanare, arare, occare, & dein inſerere ſemi- „ na, at Primum fine eſt Meſſis, ita quoque uſus. Ex his Comparationibus quiſ- „ que poteſt concludere, quid in ſe Primum eſt, nonne omnis dum vult ædificare

„ Templum aut Domum, ut & conſtruere Hortum, & elaborare agrum, Primum „ intendit Uſum, & hunc continue in Mente tenet &. verſat, dum media ad illum „ procurat; concludimus ergo, quod Verum fidei ſit Primum tempore, at quod „ Bonum charitatis ſit Primum fine, & quod hoc ideo quia Primarium, ſit actualiter „ in mente Primogenitum". Sed neceſſum eſt, ut ſciatur quid Fides & quid Charitas, quæque in ſua eſſentia, & hoc non ſciri poteſt, niſi utraque diſpeſcatur in Articulos, Fides in ſuos, & Charitas in ſuos: Fidei itaque Articuli ſunt hi; I. *Quod Fides Salvifica ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum.* II. *Quod Fides in ſumma ſit, quod qui bene vivit, & rite credit, a Domino ſalvetur.* III. *Quod homo Fidem accipiat, per quod Dominum adeat, veritates ex Verbo diſcat, & ſecundum illas vivat.* IV. *Quod copia veritatum ſicut in faſce cohærentium exaltet & perficiat fidem.* V. *Quod Fides abſque charitate non ſit fides; & quod Charitas abſque fide non ſit charitas, & quod utraque niſi a Domino non ſit viva.* VI. *Quod Dominus, Charitas & Fides unum faciant, ſicut Vita, Voluntas & Intellectus in homine, & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut Unio dilapſa in pollinem.* VII. *Quod Dominus ſit Charitas & Fides in homine, & quod homo ſit Charitas & Fides in Domino.* VIII. *Quod Charitas & Fides ſimul ſint in Operibus bonis.* IX. *Quod ſit Fides vera, Fides ſpuria, & Fides hypocritica.* X. *Quod nulla fides ſit apud malos.* Hæc nunc ſingulatim explicanda ſunt.

I.

Quod Fides Salvifica ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum.

337. Quod Fides ſalvifica ſit in Deum Salvatorem, eſt quia Ille eſt Deus & Homo, & Ipſe in Patre & Pater in Ipſo, & ſic unum, quare qui Ipſum adeunt, ſimul etiam Patrem adeunt, & ſic Deum unum & unicum, & fides ſalvifica non datur in alium. Quod credendum ſeu fides habenda ſit in FILIUM DEI, Redemptorem & Salvatorem, conceptum a Jehovah & natum a Maria Virgine, nominatum JESUS CHRISTUS, conſtat ex mandatis frequenter iteratis ab Ipſo, & poſtea ab Apoſtolis. Quod fides in Ipſum mandata ſit ab Ipſo, manifeſte patet ex his locis; *Jeſus dixit, hæc eſt voluntas Patris qui miſit Me, ut omnis qui videt Filium, &* CREDIT IN IPSUM, *habeat vitam æternam, & reſuſcitem Ego illum extremo die*, Joh. VI: 40. QUI CREDIT IN FILIUM, *habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Joh. III: 36. *Ut omnis qui* CREDIT IN FILIUM, *non pereat, ſed vitam æternam habeat: adeo namque Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut* OMNIS QUI CREDIT IN IPSUM *non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Joh. III: 15. 16. *Jeſus dixit, Ego ſum reſurrectio & vita,* QUI CREDIT IN ME, *non morietur in æternum*, Joh. XI: 25. 26. *Amen, amen dico vobis,* QUI CREDIT IN ME, *habet vitam æternam, Ego ſum Panis vitæ*, Joh. VI: 47. 48. *Ego ſum Panis vitæ,* QUI VENIT AD ME, *non eſuriet, & qui* CREDIT IN ME, *non ſitiet unquam*, Joh. VI: 35. *Jeſus clamavit dicens, ſi quis ſitiverit, venite ad Me, & bibite,* QUISQUIS CREDIT IN ME, *ſicut dixit Scriptura, flumina ex ventre ejus fluent aquæ viventis*, Joh. VII: 37. 38. *Dixerunt ad Jeſum, quid faciemus ut operemur opera Dei, reſpondit Jeſus, hoc eſt opus Dei,* UT CREDATIS IN IPSUM, QUEM MISIT PATER, Joh. VI: 28. 29. *Quouſque Lucem habetis,* CREDITE IN LUCEM, *ut filii Lucis ſitis*, Joh. XII: 36. *Qui* CREDIT IN FILIUM DEI, *non judicatur,* QUI AUTEM NON CREDIT, *jam judicatus eſt,* QUIA NON CREDIDIT *in Nomen Uni-*

Unigeniti Filii Dei, Joh. III: 18. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quod Jeſus ſit Filius Dei, & ut Credentes vitam habeatis in Nomine Ipſius*, Joh. XX: 31. NISI CREDIDERITIS QUOD EGO SIM, *moriemini in peccatis veſtris*, Joh. VIII: 24. *Jeſus dixit, cum venerit Paracletus ſpiritus veritatis, arguet Mundum de Peccato, Juſtitia & Judicio; de Peccato, quod non credant in Me*, Joh. XVI: 8.

338. Quod Fides Apoſtolorum non alia fuerit quam in Dominum Jeſum Chriſtum, conſtat ex multis locis in Epiſtolis illorum, ex quibus ſolum hæc adducam, *Vivo non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus; quod vero nunc vivo in carne*, in FIDE VIVO, QUÆ EST IN FILIUM DEI, Gal. II: 20. *Paulus conteſtatus eſt Judæis & Græcis pœnitentiam in Deum*, & FIDEM IN DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM. Act. Apoſt. XX: 21. *Qui eduxit Paulum foras, dixit, quid me oportet facere ut ſalver, ille dixit*, CREDE IN DOMINUM JESUM CHRISTUM, *ita ſalvaberis tu & domus tua*, Act. Apoſtol. XVI: 30. 31. *Qui habet Filium, habet vitam, qui vero non habet Filium Dei, vitam non habet: hæc ſcripſi vobis, qui creditis in Nomen Filii Dei, ut ſciatis quod vitam æternam habeatis, & ut credatis in Nomen Filii Dei*, 1 Joh. V: 12. 13. *Nos ex natura Judæi, & non ex gentibus peccatores, cum ſcimus quod non juſtificetur homo ex operibus legis, ſed* PER FIDEM JESU CHRISTI, *etiam* NOS IN JESUM CHRISTUM CREDIDIMUS, Gal. II: 15. 16. Quoniam fides illorum fuit in Jeſum Chriſtum, & quoque eſt ab Ipſo, ideo vocabant illam, Fidem Jeſu Chriſti, ut nunc ſupra Gal. II: 16, & in ſequentibus his, *Juſtitia Dei per* FIDEM JESU CHRISTI *in omnes & ſuper omnes qui crediderint. Ut ſit juſtificans eum, qui ex* FIDE JESU eſt, Rom. III: 22. 26. *Habeat juſtitiam, quæ* EX FIDE CHRISTI, *juſtitiam quæ* EX DEO FIDEI, Philipp. III: 9. *Hi ſervantes mandata Dei, &* FIDEM JESU CHRISTI, Apoc. XIV: 12. *Per* FIDEM QUÆ *in Chriſto Jeſu eſt*, II Timoth. III: 15. In JESU CHRISTO EST FIDES PER CHARITATEM OPERANS, Gal. V: 6. Ex his conſtare poteſt, quæ fides a Paulo intellecta eſt in Dicto hodie in Eccleſia trito, CONCLUDIMUS ERGO FIDE JUSTIFICARI HOMINEM SINE OPERIBUS LEGIS, Rom. III: 28, quod non in Deum Patrem, ſed in Ipſius Filium, minus in tres Deos in ordine, in Unum a quo, in Alterum propter quem, & in Tertium per quem; quod credatur in Eccleſia, quod triperſonalis ejus Fides in illo dicto a Paulo intellecta ſit, eſt cauſa, quia Eccleſia intra quatuordecim Sæcula, ſeu uſque a CONCILIO NICÆNO, non aliam fidem agnovit, & inde non aliam novit, credentes ſic quod unica eſſet, & non alia dabilis; quare ubicunque in Verbo Novi Teſtamenti legitur Fides, creditum eſt, quod illa eſſet, & ad illam ibi applicuerunt omnia ibi; inde periit fides unice Salvifica, quæ eſt in Deum Salvatorem, & inde quoque tot fallaciæ in doctrinas illorum irrepſerunt, & tot paradoxa ſanæ rationi adverſantia; omnis enim doctrina Eccleſiæ, quæ docebit & monſtrabit viam ad Cælum, ſeu ad ſalutem, dependet a fide; & quia in illam irrepſerunt tot fallaciæ & paradoxa, ut dictum eſt, ideo neceſſum fuit, ut proclamarent dogma, quod Intellectus captandus ſit ſub obedientia fidei. Nunc quoniam in Dicto Paulino Rom. III: 28, per fidem non intelligitur fides in Deum Patrem, ſed in Ipſius Filium, & per opera legis ibi non intelliguntur opera legis Decalogi, ſed opera Legis Moſaicæ pro Judæis, ut patet a ſequentibus ibi, & quoque ex ſimilibus in Epiſt. ad Galatas Cap. II: 14. 15, cadit fundamentalis lapis Fidei hodiernæ, & inſuper fanum ſuperinſtructum, ſicut domus ſubſidens in terram, cujus ſummitas tecti modo exſtat.

339. Quod credendum, hoc eſt, fides habenda ſit in Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, eſt cauſa, quia eſt in Deum viſibilem in quo inviſibilis, ac fides in Deum viſibilem, qui eſt Homo & ſimul Deus, intrat hominem; Fides enim in ſua eſſentia eſt ſpiritualis, ſed in ſua forma naturalis, quare apud hominem fit illa ſpiritualis naturalis, omne enim ſpirituale recipitur in naturali, ut ſit aliquid apud hominem; nudum Spirituale quidem intrat in hominem, ſed non recipitur, eſt ſicut æther qui influit & effluit præter quod afficiat; ut enim afficiat, erit perceptio & ſic recep-

tio, utraque in Mente hominis; & hoc non datur apud hominem quam in ejus naturali. Viciſſim autem Fides mere naturalis, ſeu Fides orba eſſentia Spirituali, non eſt fides, ſed modo perſuaſio aut ſcientia, perſuaſio æmulatur fidem in externis, ſed quia in internis ejus non eſt Spirituale, ideo nec eſt aliquod Salvificum; talis eſt fides apud omnes illos, qui negant Divinitatem Humani Domini; talis fuit fides Ariana, & quoque eſt fides Sociniana, quia uterque rejecit Divinitatem Domini: Quid fides abſque termino ad quem, eſtne ſicut viſus in univerſum, qui cadit ſicut in inane, & perit; & eſt ſicut avis volans ſupra athmoſphæram in ætherem, ubi tanquam in vacuo, exſpirat: habitatio hujus fidei in mente hominis comparari poteſt habitationi ventorum in alis Æoli, tum habitationi lucis in ſtella caduca, exoritur ſicut cometa cum longa cauda, ſed tranſit ſicut illa, & diſparatur; verbo, Fides in Deum inviſibilem actualiter eſt cæca, quia Mens humana non videt ſuum Deum, & hujus fidei lux, quia non eſt Spiritualis naturalis, eſt Lux fatua; & hæc Lux eſt inſtar lucis in verme noctiluco, & inſtar lucis in paludibus aut ſuper glebis ſulphuratis tempore noctis, & inſtar lucis in ligno putreſcente; ex hac luce nihil aliud exiſtit quam quod phantaſiæ eſt, in qua creditur apparens ſicut ſit, & tamen non eſt; Fides in Deum inviſibilem non lucet alia luce, & maxime, cùm cogitatur quod Deus ſit Spiritus, & de Spiritu cogitatur ſicut de æthere, quid inde ſequitur aliud, quam quod homo aſpiciat Deum ſicut aſpicit ætherem, & ſic quærit Illum in Univerſo, & dum non invenit illum ibi, credit Naturam Univerſi eſſe Deum; ex hac origine eſt Naturalismus hodiè regnans; dixitne Dominus, *Quod nemo unquam vocem Patris audiverit, neque ſpeciem Ipſius viderit*, Joh. V: 37. & quoque, *Quod Deum nemo viderit unquam, & quod Unigenitus Filius, qui in ſinu Patris eſt, Ille revelaverit*, Joh. I: 18. *Non Patrem vidit quis, niſi qui eſt apud Patrem, Hic vidit Patrem*, Joh. VI: 6. Tum *Quod nemo veniat ad Patrem quam per Ipſum*, Joh. XIV: 6: & porro, *Quod homo videat & cognoſcat Patrem, qui videt & cognoſcit Ipſum*, Joh. XIV: 7 ſeq. Alia autem eſt Fides in Dominum Deum Salvatorem, qui quia eſt Deus & Homo, & adiri poteſt, & videri in cogitatione, non eſt Fides interminata, ſed habet terminum a quo & ad quem, & ſemel recepta manet; ſicut quis dum vidit Imperatorem aut Regem, quoties ejus recordatur, imago illorum redit. Viſus illius fidei, eſt ſicut quis videt Nubem candidam, & in ejus medio Angelum, qui invitat hominem ad ſe, ut elevetur in Cælum: ita Dominus apparet illis qui fidem in Ipſum habent, & appropinquat ad unumquemvis, ſicut is cognoſcit & agnoſcit Ipſum, quod ſit ſicut novit & facit præcepta Ipſius, quæ ſunt, fugere mala & facere bona, & tandem in domum ejus venit, & manſionem una cum Patre, qui in Ipſo eſt, apud illum facit, ſecundum hæc apud Johannem, *Jeſus dixit, qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt qui amat Me; & qui amat Me, amabitur a Patre meo, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Meipſum, & ad illum veniemus, & manſionem apud illum faciemus*, Cap. XIV: 21. 23. Hæc ſcripta ſunt in præſentia duodecim Apoſtolorum Domini, qui dum hæc ſcriberem, a Domino ad me miſſi ſunt.

II.

Quod Fides in ſumma ſit, quod qui bene vivit, & rite credit, a Domino ſalvetur.

340. Quod homo ad vitam æternam creatus ſit, & quod omnis homo poſſit hæreditare illam, modo ſecundum media ſalutis, quæ præſcripta ſunt in Verbo, vivat, omnis Chriſtianus & quoque Ethnicus, cui religio & ſana ratio eſt, adſtipula-

latur: verum media ſalutis ſunt plura, ſed omnia & ſingula ſe referunt ad bene vivere, & rite credere; ita ad Charitatem & Fidem, Charitas enim eſt bene vivere, & Fides eſt rite credere. Hæc duo Communia mediorum ſalutis, homini non modo præſcripta ſunt in Verbo, ſed etiam mandata, & quia mandata ſunt, ſequitur, quod homo per illa poſſit ſibi providere vitam æternam ex potentia illi indita & data a Deo, & quod quantum homo illa potentia utitur, & ſimul ſpectat ad Deum, tantum Deus corroboret illam, ut faciat omne id quod Charitatis naturalis eſt ut ſit charitatis Spiritualis, ac omne id quod Fidei naturalis eſt ut ſit Fidei ſpiritualis, ſic Deus mortuam Charitatem & Fidem facit vivas, & ſimul hominem. Sunt duo quæ ſimul erunt, ut dici queat, quod homo bene vivat & rite credat; hæc duo vocantur in Eccleſia Internus homo & Externus homo; quando Internus homo bene vult, & Externus bene agit, tunc uterque unum faciunt, Externus ex Interno, ac Internus per Externum, ita homo ex Deo, & Deus per hominem: viciſſim autem ſi Internus homo male vult, & uſque Externus bene agit, tunc nihilominus uterque agit ex Inferno, velle enim ejus inde eſt, & facere ejus eſt hypocriticum, & in omni hypocritico latet intus velle ejus, quod eſt infernale, ſicut ſerpens in herba, & ſicut vermis in flore. Homo qui non modo ſcit quod ſint Internus & Externus homo, ſed etiam quid ſunt, & quod poſſint unum agere actualiter, & quoque unum agere apparenter, & inſuper quod Internus homo vivat poſt mortem, & Externus ſepeliatur, ille in potentia poſſidet arcana Cæli & quoque Mundi in copia; & qui conjungit duos illos homines apud ſe in bonum, fit felix in æternum, at qui dividit illos, & plus qui conjungit illos in malum, ſit infelix in æternum.

341. Credere, quod homo qui bene vivit & rite credit, non ſalvetur, & quod Deus poſſit ſalvare & damnare ex libero & placito quemcumque vult, homo qui perit, poteſt jure arguere Deum immiſericordiæ & inclementiæ, & quoque ſævitiæ, imo negare Deum eſſe Deum; & inſuper quod in Verbo ſuo loquutus ſit vana, & præceperit talia quæ nihili ſunt, aut quæ nugæ ſunt; & porro, ſi homo, qui bene vivit & rite credit, non ſalvatur, poteſt ille etiam arguere Deum violationis fœderis ſui, quod pepigit ſuper monte Sinai, & ſuo digito inſcripſit duabus Tabulis: quod Deus non poſſit niſi ſalvare illos qui ſecundum præcepta Ipſius vivit, & fidem habent in Ipſum, conſtat ex Domini verbis, apud Johannem Cap: XIV: 21 ad 24, & poteſt unusquiſque, cui religio & ſana ratio eſt, ſe confirmare in eo, dum cogitat, quod Deus, qui conſtanter eſt apud hominem, & dat ei vitam, & quoque facultatem intelligendi & amandi, non poſſit aliter quam amare illum, & per amorem conjungere ſe illi, qui bene vivit & rite credit, eſtne hoc a Deo inſcriptum omni homini & omni creaturæ, num poteſt pater & mater rejicere infantes ſuos, num avis pullos ſuos, num animal catulos ſuos, hoc ne quidem poſſunt tigrides, pantheræ, & ſerpentes; aliter facere, foret contra ordinem, in quo Deus eſt, & ſecundum quem agit, & quoque contra ordinem, in quem creavit hominem. Nunc ſicut impoſſibile eſt Deo damnare aliquem qui bene vivit, & rite credit, ita viciſſim impoſſible eſt Deo, ſalvare aliquem qui male vivit, & inde falſa credit, hoc alterum etiam eſt contra ordinem, proinde contra Omnipotentiam Ipſius, quæ non poteſt procedere quam per viam Juſtitiæ, & leges Juſtitiæ ſunt veritates, quæ non poſſunt mutari, nam Dominus dicit, *Facilius eſt Cœlum & Terram tranſire, quam Legis unum apicem cadere*, Luc: XVI: 17, omnis, qui aliquid novit de eſſentia Dei, & de Libero arbitrio homidis, hoc poteſt percipere; ſicut pro exemplo, Adamo fuit liberum edendi ex arbore vitæ, & quoque ex arbore ſcientiæ boni & mali, ſi modo edidiſſet ex Arbore ſeu arboribus vitæ, num poſſibile fuiſſet Deo expellere illum ex Horto, credo quod non, at poſtquam edidit de Arbore ſcientiæ boni

& mali, num poſſibile fuiſſet Deo retinere illum in Horto, credo etiam quod non; ſimiliter quod Deus non poſſit aliquem Angelum receptum in Cælo dejicere in Infernum, nec aliquem judicatum diabolum immittere in Cælum; quod utrumque ex Divina ſua Omnipotentia non poſſit facere, videatur in Tranſactione de DIVINA OMNIPOTENTIA ſupra n: 49 ad 70.

342. In Lemmate præcedente, a n: 236 ad 239, oſtenſum eſt, quod Fides ſalviſica ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, ſed quæritur, quid Primum fidei in Ipſum eſt, & reſpondetur, quod ſit AGNITIO QUOD FILIUS DEI SIT; hoc Primum fidei fuit, quod Dominus, dum in Mundum venit, revelavit & annuntiavit: nam niſi primum agnoviſſent, quod eſſet FILIUS DEI, & ſic DEUS A DEO, fruſtra prædicaviſſet Ipſe, & poſtea Apoſtoli, fidem in Ipſum. Nunc quia ſimile quid eſt hodie, ſed apud illos, qui ex proprio cogitant, hoc eſt, ex ſolo Externo ſeu naturali homnine, dicentes ſecum, quomodo poteſt Jehovah Deus concipere filium, & quomodo poteſt Homo eſſe Deus, neceſſum eſt ut hoc Primum fidei ex Verbo confirmetur & conſtabiliatur; quare ſequentia loca inde adducentur; *Dixit Angelus ad Mariam, concipies in utero, & paries, & vocabis Nomen Ejus* JESUS, *Hic erit magnus, &* FILIUS ALTISSIMI *vocabitur: & Maria dixit ad Angelum, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognoſco, reſpondit Angelus, Spiritus Sanctus veniet ſuper te, &* VIRTUS ALTISSIMI *obumbrabit te, unde quod naſcitur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Luc: I: 31, 32, 34, 35. *Quando Jeſus baptizabatur, vox e Cælo venit, dicens,* HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, *in quo complacuit Mihi,* Matth: III: 16, 17. Marc. I: 10, 11. Luc: III: 21, 22. Tum, *quando Jeſus transformatus eſt, etiam vox e Cælo venit, dicens,* HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, *in quo complacuit Mihi, Ipſum audite.* „ Matth: XVII: 5, Marc: IX: 7. Luc: IX: 35. *Jeſus interrogavit Diſcipulos ſuos, quem Me dicunt homines eſſe, reſpondit Petrus,* TU ES CHRISTUS, FILIUS DEI VIVENTIS; *& Jeſus dixit, beatus es Simon, fili Jonæ; Ego tibi dico, ſuper hac petra ædificabo Eccleſiam meam,* Matth: XVI: 13, 16, 17, 18. dixit Dominus, quod ſuper hac Petra ædificaturus ſit Eccleſiam ſuam, nempe ſuper Veritate & Confeſſione, quod ſit Filius Dei; Petra enim ſignificat veritatem, & quoque Dominum quoad Divinum Verum, quare apud quem non confeſſio illius veritatis eſt, quod ſit Filius Dei, non eſt Eccleſia; ideo ſupra dictum eſt, quod hoc ſit primum fidei in Jeſum Chriſtum, ita fides in ſua origine: *Johannes Baptiſta vidit & teſtatus eſt, quod ſit* FILIUS DEI, Joh: I: 34. *Nathanael Diſcipulus dixit Jeſu,* TU ES FILIUS DEI, TU ES REX ISRAELIS, Joh: I: 50. *Dixerunt duodecim Diſcipuli, nos credidimus, quod* TU SIS CHRISTUS FILIUS DEI VIVENTIS, Joh: VI: 69. Vocatur UNIGENITUS FILIUS DEI, UNIGENITUS A PATRE, *qui in ſinu Patris eſt,* Joh. I: 14, 18. Cap: III: 16. *Ipſe Jeſus coram Sacerdote magno confeſſus eſt, quod eſſet Filius Dei,* Matth: XXVI: 63, 64. Cap: XXVII: 43. Marc: XIV: 41, 42. Luc: XXII: 70. *Illi qui in navi erant, venientes adorabant Jeſum, dicentes,* VERE FILIUS DEI TU ES, Matth: XIV: 33. *Eunuchus, qui voluit baptizari, dixit ad Philippum,* CREDO FILIUM DEI ESSE JESUM CHRISTUM, Act: Ap: VIII: 37. *Paulus quando converſus eſt prædicavit Jeſum,* QUOD ESSET FILIUS DEI, Act: IX: 20. *Jeſus dixit, venit hora quando mortui audient* VOCEM FILII DEI, *& qui audiunt, vivent,* Joh: Vs. 25. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in* NOMEN UNIGENITI FILII DEI, Joh: III: 18. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quod* JESUS SIT CHRISTUS, FILIUS DEI, *ut credentes vitam habeatis in Nomine Ipſius,* Joh: XX: 31. *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in* NOMEN FILII DEI, *ut ſciatis, quod vitam habeatis æternam, & ut credatis in* NOMEN FILII DEI, 1 Joh: V: 13. *Scimus quod* FILIUS DEI *venerit, ac dederit, ut cognoſcamus Verum, & ſumus in Vero in Filio* IESUS JESU CHRISTO: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna,* 1 Joh: V: 20, 21. *Quisquis confeſſus fuerit, quod* JESUS SIT FILIUS DEI, *Deus in illo manet, & ille in Deo,* 1 Joh. V: 5. Tum

ali-

alibi, ut Matth: VIII: 29. Cap: XXVII: 40, 43, 54. Marc: I: 1. Cap: III: 11. Cap: XV: 39. Luc: VIII: 28. Joh: IX: 35. Cap. X: 36. Cap: XI: 4, 27. Cap: XIX: 7. Rom: I: 4. II Cor. I: 19. Gal: II: 20. Eph: IV: 13. Hebr. IV: 14. Cap. VI: 6. Cap. VII: 3. Cap: X: 29. 1 Joh. III: 8. Cap: V: 10. Apoc: II: 18. Præter multis in locis, ubi a Jehovah vocatur Filius, & Ipſe vocat Jehovam Deum ſuum Patrem, ut in hoc, *Quicquid* PATER *facit, hoc* FILIUS *facit: ſicut* PATER *ſuſcitat mortuos & vivificat, ita* FILIUS; *ſicut* PATER *habet vitam in ſe Seipſo, ita dedit* FILIO *vitam habere in Seipſo; ut omnes, honorent* FILIUM, *ſicut honorant* PATREM, Joh: V: 19 ad 27. & perpluries alibi: & quoque apud Davidem „ *Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit ad me,* FILIUS MEUS TU, *Ego hodie genui te. Oſculamini* FILIUM, *ne iraſcatur, & pereatis in via; quia exardebit brevi ira ejus:* BEATI OMNES CONFIDENTES IN IPSUM, Pſalm: II: 7, 12. Ex his nunc fit hoc concluſum, quod omnis, qui vult vere Chriſtianus eſſe, & a Chriſto ſalvari, credere debeat, QUOD JESUS SIT FILIUS DEI VIVENTIS; qui hoc non credit, ſed modo quod ſit Filius Mariæ, implantat ſibi varias ideas de Ipſo, quæ damnoſæ & deſtructivæ ſalutis illius ſunt, de quibus videatur ſupra n: 92, 94, 102. de his ſimile poteſt dici quod de Judæis, quod loco coronæ regiæ imponant Capiti Ipſius coronam ex ſpinis, & quoque quod dent Ipſi acetum bibere, & clamant, ſi Filius Dei es, deſcende de cruce; aut ſicut dixit diabolus tentator, ſi Filius Dei es, dic, ut lapides hi panes fiant, aut ſi Filius Dei es mitte Te deorſum, Matth: IV: 3, 6. Hi Eccleſiam Ipſius & Templum Ipſius prophanant, & faciunt hoc ſpeluncam latronum. Hi ſunt, qui Cultum Ipſius faciunt ſimilem cultui Mahumedis, & non diſtinguunt inter verum Chriſtianismum qui eſt cultus Domini & Naturalismum: aſſimilari poſſunt illis qui feruntur curru aut rheda ſuper tenui glacie, & glacies rumpitur ſub illis, & ſubmerguntur, ac illi & equi & currus aqua glaciali operiuntur. Aſſimilari etiam poſſunt illis, qui naviculam contexunt ex juncis & cannis, & conglutinant illam pice, ut cohæreat, & ſuper illa ſe immittunt in pelagum, ſed quod ibi conglutinatio picea ſolvatur, & illi ſuffocati aquis pelagi abſorbeantur, & in fundo ejus ſepeliantur.

III.

Quod homo Fidem accipiat, per quod adeat Dominum, Veritates ex Verbo diſcat, & ſecundum illas vivat.

343. Antequam ingredior demonſtrare ORIGINEM FIDEI, quæ eſt, ut adeatur Dominus, addiſcantur veritates ex Verbo, & vivatur ſecundum illas, neceſſum eſt, ut Summaria fidei præmittantur, ex quibus communis notio in ſingulis fidei partibus haberi poteſt; ſic etenim plus conſpicue comprehendi poſſunt non modo quæ in hoc Capite de Fide, ſed etiam quæ in ſequentibus de Charitate, de Libero Arbitrio, de Pœnitentia, de Reformatione & Regeneratione, deque Imputatione, traduntur; nam in omnes & ſingulas partes ſyſtematis Theologici intrat Fides ſicut ſanguis in membra corporis, & vivificat illa. Quid hodierna Eccleſia de Fide tradit, in Orbe Chriſtiano generaliter notum eſt, & ſpecifice in Ordine ejus Eccleſiaſtico, nam Libri de Fide ſolum & de Fide ſola implent Libraria Doctorum Eccleſiæ, vix enim quicquam ut proprie Theologicum præter illam hodie cenſetur: ſed antequam illa, quæ hodierna Eccleſia de ſua Fide tradit, aſſumuntur, luſtrantur, & expenduntur, quod fiet in APPENDICE, afferentur Communia, quæ Nova Eccleſia de ſua Fide docet, quæ ſunt hæc ſequentia.

344. Esse Fidei Novæ Ecclesiæ est 1. Confidentia in Dominum Deum Salvatorem Jesum Christum 2. Fiducia, quod ille qui bene vivit & rite credit, ab Ipso salvetur. Essentia Fidei novæ Ecclesiæ, est Veritas ex Verbo. Existentia Fidei novæ Ecclesiæ est 1. Visus Spiritualis. 2. Concentus veritatum. 3. Convictio. 4. Agnitio inscripta menti. Status Fidei novæ Ecclesiæ sunt, 1. Fides infans, Fides adolescens, Fides adulta. 2. Fides genuini veri, & Fides apparentiarum veri. 3. Fides memoriæ, Fides rationis, Fides lucis. 4. Fides naturalis, Fides spiritualis, Fides cæleſtis. 5. Fides viva & Fides miraculosa. 6. Fides libera & Fides coacta. Ipsa Forma Fidei novæ Ecclesia in idea Universali et in idea particulari, videatur supra n: 2 & 3.

345. Quoniam in summario adducta sunt illa quæ Fidei spiritualis sunt, in summario etiam adducentur illa quæ Fidei mere naturalis sunt, quæ in se est persuasio mentiens fidem, & est persuasio falsi & vocatur Fides hæretica: Denominationes ejus sunt 1. Fides spuria, in qua falsa commixta sunt veris. 2. Fides meretrix, ex falsificatis veris, & adultera ex adulteratis bonis. 3. Fides occlusa aut cæca, quæ est rerum mysticarum, quæ creduntur, tametsi nescitur num sint vera vel falsa, aut num sint supra rationem vel contra illam. 4. Fides erratica, quæ est in plures Deos. 5. Fides lusca, quæ est in alium Deum quam in Verum, & apud Christianos quam in Dominum Deum Salvatorem. 6. Fides hypocritica seu pharisaica, quæ est oris & non cordis. 7. Fides visionaria & præpostera, quæ est apparentia falsi sicut veri ex ingeniosa confirmatione.

346. Supra dictum est, quod Fides quoad suam existentiam apud hominem sit Visus spiritualis; nunc quia visus spiritualis qui est intellectus & sic mentis, & visus naturalis qui est visus oculi & sic corporis, sibi mutuo correspondent, ideo potest omnis status fidei comparari cum statu oculi & ejus visus, status fidei veri cum omni statu integro visus oculi, & status fidei falsi cum omni statu perverso visus oculi: sed correspondentias duorum illorum visuum, mentis & corporis, quoad status utriusque perversos, comparabimus; Fides spuria, in qua falsa commixta sunt veris, comparari potest cum vitio oculi & inde visus, quod vocatur Macula alba supra corneam, visum reddens obscurum. Fides meretrix, quæ est ex falsificatis veris; & Fides adultera, quæ est ex adulteratis bonis, comparari potest cum vitio oculi & inde visus, quod vocatur Glaucoma, & est exsiccatio & induratio humoris chrystallini. Fides occlusa aut cæca, quæ est rerum mysticarum, quæ creduntur tametsi nescitur num sint vera vel falsa, aut num sint supra rationem aut contra illam, comparari potest cum vitio oculi, quod vocatur Gutta serena & Amaurosis, quod est jactura visus & tamen oculus apparet sicut integre videns, oriunda ex obstructione nervi optici. Fides erra-

ERRATICA quæ eſt in plures Deos, comparari poteſt eum vitio oculi quod vocatur Cataracta, quæ eſt jactura viſus oriunda ex obſtipatione inter tunicam ſclerotica & uveam. FIDES LUSCA quæ eſt in alium Deum quam in verum, & apud Chriſtianos quam in Dominum Deum Salvatorem, comparari poteſt cum vitio oculi quod vocatur Strabiſme. FIDES HYPOCRITICA ſeu PHARISAICA, quæ eſt oris & non cordis, comparari poteſt cum Atrophia oculi & inde jactura viſus. FIDES VISIONARIA & PRÆPOSTERA, quæ eſt appurentia falſi ſicul veri ex ingenioſa confirmatione, compatari poteſt cum vitio oculi quod vocatur Nyctolopia, quæ eſt viſio ex luce fatua in tenebris.

347. Quod autem FORMATIONEM FIDEI attinet, formatur illa per quod homo adeat Dominum, Veritates ex Verbo diſcat, & ſecundum illas vivat. *Primum, Quod fides formetur per quod homo adeat Dominum*, eſt quia fides quæ fides, ita quæ fides ſalutis, eſt a Domino & in Dominum; quod a Domino patet a verbis Ipſius ad Diſcipulos, *Manete in Me, & Ego in vobis, quia ſine Me, non poteſtis facere quicquam*, Joh: XV: 4, 5. Quod fides ſit in Dominum, patet ex illis locis, quæ in copia ſupra n: 237, 238, adducta ſunt, quæ ſunt, *quod credendum ſit in Filium.* Nunc quia Fides eſt a Domino & in Dominum, dici poteſt quod Dominus ſit ipſa Fides, vita enim & eſſentia ejus eſt in Domino, ita a Domino. SECUNDUM, *Quod fides formetur per quod homo veritates ex Verbo diſcat*, cauſa eſt, quia Fides in ſua eſſentia eſt Veritas, omnia enim, quæ ingrediuntur fidem, ſunt veritates, quare Fides non aliud eſt, quam complexus veritatum in mente hominis lucentium: Veritates enim docent, non modo quod credendum ſit, ſed etiam in quem credendum, & quid credendum. Quod Veritates deſumendæ ſint ex Verbo, eſt quia omnes veritates, quæ conducunt ad ſalutem, ibi ſunt, in quibus eſt efficacia, quia datæ ſunt a Domino, & inde inſcriptæ univerſo Cælo Angelico; quare cum homo veritates ex Verbo addiſcit, in communionem & conſociationem cum Angelis venit, præter quod id ſciat: Fides abſque veritatibus eſt ſicut ſemen orbum ſubſtantia medullari, quod commolitum dat modo paleas, at Fides ex veritatibus eſt ſicut ſemen frugi, quod commolitum dat farinam: verbo, Fidei eſſentialia ſunt veritates, quæ ſi non inſunt & componunt, eſt fides modo ſicut vox canora ſibili, at cum inſunt & componunt, eſt fides ſicut vox rei ſalutiferæ. TERTIUM, *quod fides formetur per quod homo ſecundum veritates vivat*, eſt quia vita ſpiritualis eſt vita ſecundum veritates, ac veritates non actualiter vivunt priuſquam ſunt in factis, veritates abſtractæ a factis, ſunt ſolius cogitationis, quæ ſi non fiunt etiam voluntatis, ſunt modo in limine ad hominem, & ſic non intus in illo, voluntas enim eſt ipſe homo, & cogitatio eſt tantum & talis homo, quantum & qualiter ſibi adjunxit voluntatem. Qui veritates diſcit & non facit illas, eſt ſicut quis ſemina circumſpargit ſuper agrum, & non occat, inde ſemina a pluvia tumeſcunt, & fiunt vappæ, at qui veritates diſcit & facit illas, eſt ſicut qui ſeminat, & ſementem dearat, unde ſemina a pluvia excreſcunt in ſegetem, & fiunt uſui pro nutritione: dicit Dominus, *ſi hæc ſcitis, beati eſtis ſi facitis illa*, Joh. XII: 17. Et alibi, *Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui Verbum audit & attendit, & inde fructum fert & facit*, Matth. XIII: 23. Tum, *Omnis qui audit mea verba, & facit illa, comparabo viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petra; at omnis audiens verba mea, ſed non faciens illa, comparabitur viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arena*, Matth. VII: 24. 26; verba Domini ſunt omnia veritates.

348. Ex ſupra dictis patet, quod tria ſint per quæ formatur Fides apud hominem, nempe quod Primum ſit adire Dominum, ſecundum veritates ex Verbo diſcere, & Tertium vivere ſecundum illas; nunc quia tria ſunt, ac unum non eſt alterum, ſequitur quod poſſint ſeparari, poteſt enim quis adire Dominum, & non ſcire veritates de Deo & de Domino, niſi quam hiſtoricas; & quoque poteſt quis

ſcire veritates ex Verbo in copia, & tamen non vivere ſecundum illas; ſed apud hominem, apud quem tria illa ſeparata ſunt, hoc eſt, unum abſque altero, non eſt Fides ſalutis; ſed hæc fides oritur, quando tria illa conjunguntur, & fides illa fit talis, qualis eſt conjunctio. Ubi tria illa ſeparata ſunt, ibi eſt Fides ſicut ſemen ſterile, quod miſſum in terram fathiſcit in pulverem; at ubi tria illa conjuncta ſunt, ibi eſt Fides ſicut ſemen in terra, quod excreſcit in arborem, cujus fructus eſt ſecundum conjunctionem. Ubi tria illa ſeparata ſunt, eſt Fides ſicut ovum, in quo non aliquod prolificum eſt, at ubi tria illa conjuncta ſunt, eſt Fides illa ſicut ovum prolificum avis pulchræ. Fides apud illos, apud quos tria illa ſeparata ſunt, aſſimilari poteſt oculo piſcis aut cancri cocti, at Fides apud quos tria illa conjuncta ſunt, aſſimilari poteſt oculo pellucido a chryſtallino humore uſque in & trans uvam pupillæ. Fides ſeparata eſt ſimilis picturæ ex coloribus trahentibus ex nigro ſuper lapide nigro, at fides conjuncta eſt ſimilis picturæ ex coloribus pulchris ſuper Chryſtallo pellucido. Lux fidei ſeparatæ comparari poteſt cum luce torris in manu viatoris tempore noctis, at lux fidei conjunctæ comparari poteſt cum luce facis, ex qua vibrata patent ſingula greſſus. Fides abſque veritatibus eſt inſtar vitis ferentis labruſcas, at fides a veritatibus eſt inſtar vitis ferentis botros vini nobilis. Fides in Dominum expers veritatum comparari poteſt cum ſtella nova apparente in Expanſo Cæli, quæ tempore opacatur, at fides in Dominum cum veritatibus comparari poteſt cum ſtella fixa, quæ perſtat in perpetuum. Veritas eſt eſſentia fidei, quapropter qualis eſt veritas, talis eſt fides, quæ abſque veritatibus eſt vaga, at cum illis eſt fixa; etiam fides veritatum lucet in cælo ſicut ſtella.

IV.

Quod copia veritatum ſicut in faſce cohærentium exaltet & perficiat fidem.

349. Ex perceptione de fide quæ hodie eſt, non poteſt cognoſci, quod fides in ſuo ambitu ſit complexus veritatum, & adhuc minus quod homo ad fidem ſibi comparandam poſſit aliquid conferre, cum tamen fides in ſua eſſentia eſt veritas, eſt enim veritas in ſua luce, & quod ſicut veritas poteſt comparari, ita quoque fides; quis non poteſt adire Dominum ſi vult, & quis non poteſt ex Verbo colligere veritates ſi vult; & omnis veritas in Verbo & ex Verbo lucet, ac veritas in luce eſt fides; Dominus qui eſt ipſa Lux, influit apud omnem hominem, & in quo veritates ex Verbo ſunt, in illo facit ut luceant, & ſic fiant fidei; & hoc eſt, quod Dominus dicit apud Johannem, *Ut maneant in Domino, & verba Ipſius in illis*, Cap. XV: 7, verba Domini ſunt veritates. Sed ut rite comprehendatur, quod copia veritatum ſicut in faſce cohærentium exaltet & perficiat fidem, commentatio diſpeſcenda eſt in hæc momenta, 1. *Quod veritates fidei ſint multiplicabiles in infinitum.* 2. *Quod diſpoſitio illarum ſit in ſeries, ita ſicut in faſciculos.* 3. *Quod ſecundum copiam & cohærentiam illarum perficiatur fides.* 4. *Quod veritates utcunque numeroſæ ſunt, & diverſæ apparent, a Domino, qui eſt Verbum, Deus Cæli & Terræ. Deus omnis carnis, Deus Vineæ ſeu Eccleſiæ, Deus fidei, & ipſa Lux, Veritas, & Vita æterna, unum faciant.*

350. QUOD VERITATES FIDEI SINT MULTIPLICABILES IN INFINITUM, conſtare poteſt ex ſapientia Angelorum Cæli, quod creſcat in æternum, dicunt etiam Angeli, quod nuſquam aliquis finis ſapientiæ ſit, ac ſapientia non aliunde eſt, quam ex Di-

Divinis Veris analytice in formas diſpeſtis media luce influente a Domino: intelligentia humana, quæ vere intelligentia eſt, nec aliunde eſt. Multiplicabilitas Divini Veri in infinitum eſt ex cauſa, quia Dominus eſt ipſum Divinum Verum, ſeu Verum in ſua infinitate, & attrahit omnes ad ſe, ſed venam attractionis non ſequi poſſunt angeli & homines, quia finiti ſunt, quam per ſua demenſa, perſtante jugiter attractionis niſu in infinitum, Verbum Domini eſt abyſſus veritatum, ex qua eſt omnis ſapientia angelica, tametſi illud coram homine, qui non ſcit aliquid de Senſu ſpirituali & cæleſti ejus, non plus apparet quam ſicut aqua in hydra. Multiplicatio veritatum fidei in infinitum; comparari poteſt cum ſeminibus hominum, ex quorum uno propagari poſſunt familiæ in ſæcula ſæculorum. Prolificatio veritatum fidei etiam comparari poteſt cum prolificatione ſeminum agri & horti, quæ propugari poſſunt in myriades myriadum, & in perpetuum; per Semen in Verbo nec aliud intelligitur quam Verum, per agrum Doctrina, & per Hortum ſapientia. Mens humana eſt ſicut Humus, cui vera ſpiritualia, & naturalia, ſicut ſemina, implantantur, & multiplicari poſſunt abſque fine; hoc trahit homo ex Infinitate Dei, qui cum ſua luce & ſuo calore, & cum facultate generandi, perpetuo ineſt.

351. QUOD DISPOSITIO VERITATUM FIDEI SIT IN SERIES, ITA SICUT IN FASCICULOS; quod ita ſit, adhuc ignoratur, & ignoratur quia Veritates ſpirituales, ex quibus totum Verbum contextum eſt, propter myſticam & ænigmaticam fidem, quæ facit omne punctum Theologiæ hodiernæ, non potuerunt apparere, & ideo, ſicut horrea ſubſiderunt in terram. Ut ſciatur quid intelligitur per ſeries & faſciculos, explicabitur; Primum Caput hujus Libri, quod agit de Deo Creatore, diſtinctum eſt in Series, quarum prima eſt de Unitate Dei, ſecunda de Eſſe Dei ſeu Jehovah, tertia de Infinitate Dei, quarta de Eſſentia Dei, quæ eſt Divinus Amor & Divina Sapientia, quinta de Omnipotentia Dei, & ſexta de Creatione; articulationes cujuſvis faciunt ſeries, confaſciant illa quæ inibi ſicut in manipulos. Hæ ſeries in communi & in particulari, ita conjunctim & ſeorſim, continent veritates, quæ ſecundum copiam & ſimul cohærentiam exaltant & perficiunt fidem. Qui non ſcit, quod Mens humana ſit organizata, aut quod ſit organiſmus ſpiritualis deſinens in organiſmum naturalem, in quo & ſecundum quem Mens operatur ſuas ideas ſeu cogitat, non poteſt aliter opinari, quam quod perceptiones, cogitationes & ideæ non ſint aliud quam radiationes & variationes lucis influentes in caput, & ſiſtentes formas, quas homo videt & agnoſcit ut rationes; ſed hoc delirum eſt, nam quiſque ſcit, quod Caput ſit plenum Cerebris, & quod Cerebra ſint organizata, & quod Mens illis inhabitet, & quod ejus ideæ inibi figantur & maneant ſicut acceptæ & confirmatæ ſunt; quæritur itaque, qualis eſt illa organizatio, reſpondetur, quod ſit ordinatio omnium in ſeries, ſicut in faſciculos, & quod veritates quæ fidei ſunt in Mente humana ita diſpoſitæ ſint: quod ita ſit, illuſtrari poteſt per ſequentia hæc, Quod Cerebrum conſiſtat ex binis ſubſtantiis, quarum una eſt glandularis, & vocatur corticalis & cineritia, ac altera fibrillaris & vocatur medullaris; prima ſubſtantia quæ eſt glandularis, diſpoſita eſt in racemos, ſicut uvæ in vite, racemationes illæ ſunt ejus ſeries: altera ſubſtantia, quæ vocatur medullaris, conſtat ex perpetuis confaſciculationibus fibrillarum prodeuntium ex glandulis prioris ſubſtantiæ, hæ confaſciculationes ſunt ejus ſeries, omnes Nervi qui indæ procedunt, & demittuntur in corpus ad fungendium variis muniis, non ſunt niſi quam manipuli & faſciculi fibrarum, pariter omnes muſculi, & in genere omnia viſcera & organa corporis: hæc & illa talia ſunt, quia correſpondent ſeriebus, in quas organiſmus mentis diſpoſitus eſt. Præterea in univerſa Natura non datur aliquid, quod non confaſciculatum eſt in ſeries: omnis arbor, omne arbuſtum, virgultum & legumen, imo omnis ſpica & herba, in communi & in parte, ita eſt. Cauſa univerſalis eſt, quia Divinæ Veritates ita conformatæ ſunt, nam legitur,

quod omnia per Verbum, hoc eſt, Divinum Verum, creata ſint, & quod Mundus etiam per illud factus ſit, Joh. I: 1 ſeq. Ex his videri poteſt, quod niſi in Mente humana talis ordinatio ſubſtantiarum eſſet, non foret homini aliquod analyticum rationis, quod cuivis eſt ſecundum ordinationem, ita ſecundum copiam veritatum ſicut in faſce cohærentium, & ordinatio ſecundum uſum rationis ex libero.

352. QUOD SECUNDUM COPIAM ET COHÆRENTIAM VERITATUM PERFICIATUR FIDES, ſequitur ex ſupradictis, & manifeſtat ſe coram omni qui colligit rationes, & perſpicit, quid ſeries multiplicatæ, dum cohærent ut unum, efficiunt, nam tunc unum firmat & confirmat alterum, & faciunt ſimul formam, quæ dum agitur, unum actum ſiſtunt; Nunc quia fides in ſua eſſentia eſt veritas, ſequitur quod illa ſecundum veritatum copiam & cohærentiam, fiat plus & perfectius ſpiritualis, ita minus & minus naturalis ſenſualis, exaltatur enim in ſuperiorem mentis regionem, unde ſub ſe videt cohortes confirmationum ſui in natura Mundi: Fides vera per copiam veritatum ſicut in faſce cohærentium fit etiam illuſtrior, perceptibilior, evidentior & clarior: fit quoque conjungibilior cum bonis Charitatis, & inde abalienabilior a malis, & ſucceſſive remotior ab illecebris oculi & a concupiſcentiis carnis, proinde in ſe felicior; fit imprimis potentior contra mala & falſa, & inde plus & plus viva & ſalvifica.

353. Supra dictum eſt, quod omnis veritas in Cælo luceat, & inde quod veritas lucens ſit fides in eſſentia; quare fidei pulchritudo & decor ex illuſtratione illa, dum veritates ejus multiplicantur, comparari poteſt cum variis formis, objectis & picturis, formatis ex diverſis coloribus coaptatis ſecundum convenientias; proinde cum lapidibus pretioſis diverſicoloribus in Pectorali Aharonis, qui ſimul Urim & thumim vocati ſunt; pariter cum lapidibus pretioſis, ex quibus fundamenta muri novæ Hieroſolymæ conſtruenda ſunt, de quibus in Apocalypſi Cap. XXI; comparari etiam poteſt cum lapidibus pretioſis diverſicoloribus in Corona Regis; lapides pretioſi etiam ſignificant veritates fidei. Comparatio etiam fieri poteſt cum pulchritudine iridis, cumque pulchritudine campi floriferi, & quoque horti efflorescentis, tempore primi veris. Lux & gloria fidei ex copia veritatum concinnantium illam, comparari poteſt cum illuſtratione Templorum ex multiplicatis candelabris, domuum ex lychnaribus, ac platearum ex lampadibus. Fidei exaltatio per copiam veritatum illuſtrari poteſt per comparationem cum exaltatione clangoris & ſimul melo ex pluribus inſtrumentis muſicis in concentu; & quoque cum exaltatione fragrantiæ ex conſertione florum dulce halantium, & ſic porro. Potentia fidei ex pluralitate veritatum conformatæ contra falſa & mala, comparari poteſt cum firmitate Templi ex lapidibus diſpoſite connexis, & ex columnis muro ejus adſtructis, & laqueari ejus ſubſtructis; comparari etiam poteſt cum agmine quadrato, in quo milites conſerunt latera lateribus, & ſic unum robur formant & agunt; comparari etiam poteſt cum muſculis, ex quibus totum corpus eſt circumtextum, qui tametſi numeroſi & diſſiti ſunt, uſque unam potentiam in actionibus faciunt, & ſic amplius.

354. QUOD VERITATES FIDEI, UTCUNQUE NUMEROSÆ SUNT, ET DIVERSÆ APPARENT, A DOMINO, QUI EST VERBUM, DEUS CÆLI ET TERRÆ, DEUS OMNIS CARNIS, DEUS VINEÆ SEU ECCLESIÆ, DEUS FIDEI, ET IPSA LUX, VERITAS, ET VITA ÆTERNA, UNUM FACIANT. Veritates fidei ſunt variæ & coram homine apparent diverſæ, ſicut pro exemplo, aliæ de Deo Creatore, aliæ de Domino Redemptore, aliæ de Spiritu Sancto & Divina Operatione, aliæ de Fide deque Charitate, & aliæ de Libero Arbitrio, Pœnitentia, Reformatione & Regeneratione, Imputatione, & ſic porro; uſque unum faciunt in Domino, & apud hominem a Domino, ſicut multi palmites in una Vite, Joh. V: 1. ſeq. Dominus enim conjungit veritates ſparſas & diviſas ſicut in unam formam, in qua unum conſpectum præbent, & unum actum ſiſtunt: hoc illuſtrari poteſt per comparationem cum membris, viſ-

viſceribus, & organis in uno corpore, quæ tametſi varia ſunt, & coram viſu hominis diverſa, uſque tamen homo, qui eſt communis forma illorum, non ſentit niſi unum, & cum ex omnibus agit, agit ſicut ex uno. Simile eſt cum Cælo, quod tametſi in innumerabiles Societates diſtinctum eſt, uſque illud coram Domino apparet ut unum; quod ſicut unus Homo, ſupra oſtenſum eſt. Simile etiam eſt ſicut cum Regno, quod tametſi in plures adminiſtraturas, & quoque provincias & urbes diviſum eſt, uſque tamen illad ſub Rege, cui eſt juſtitia & judicium, unum facit. Quod ſimile ſit cum Veritatibus fidei, ex quibus Eccleſia eſt Eccleſia, a Domino, eſt quia Dominus eſt Verbum, Deus Cæli & Terræ, Deus omnis carnis, Deus Vineæ ſeu Eccleſiæ, Deus fidei, & ipſa Lux, Veritas, & Vita æterna. Quod Dominus ſit Verbum, & ſic omne Verum Cæli & Eccleſiæ, conſtat apud Johannem, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 2. 14. Quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, conſtat apud Matthæum, *Jeſus dixit, data eſt Mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Cap. XXVIII: 18. Quod Dominus ſit Deus omnis Carnis, apud Johannem „ *Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis*, Cap. XVI: 2. Quod Dominus ſit Deus Vineæ ſeu Eccleſiæ, apud Eſajam, *Vinea fuit dilecto meo*, Cap. V: 1. 2. & apud Johannem, *Ego ſum Vitis & vos palmites*, Joh. XV: 5. Quod Dominus ſit Deus fidei, apud Paulum, *Habes juſtitiam, quæ ex fide Chriſti, ex Deo fidei*, Philipp. III: 9. Quod Dominus ſit ipſa Lux, apud Johannem, *Erat vera Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in Mundum*, Cap. I: 9; & alibi, Jeſus dixit, *Ego Lux in Mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat*, Cap. XII: 46. Quod Dominus ſit ipſa Veritas, apud Johannem, *Jeſus dixit, Ego ſum Via, Veritas, & Vita*, Cap. XIV: 6. Quod Dominus ſit Vita æterna, apud Johannem „ *Scimus quod Filius Dei in Mundum venerit, ut cognoſcamus veritatem, & ſumus in Veritate in Jeſu Chriſto; Hic eſt Verus Deus, & Vita æterna*, I Epiſt. Cap. V: 20. 21. His adjiciendum eſt, quod homo propter ſua negotia in Mundo non poſſit ſibi comparare Veritates fidei niſi paucas; ſed uſque ſi adit Dominum, & Ipſum Solum colit, in potentiam cognoſcendi omnes veritates venit, quapropter omnis vere Cultor Domini, ut primum audit aliquam veritatem fidei, quam prius non noverat, illico videt, agnoſcit & recipit illam, cauſa eſt, quia Dominus eſt in illo, eſt ille in Domino, conſequenter eſt Lux veritatis in illo, & ille in luce veritatis, nam ut ſupra dictum eſt; Dominus eſt ipſa Lux, & ipſa Veritas. Hoc confirmari poteſt ex hac experientia, viſus mihi eſt Spiritus, qui in conſortio aliorum apparuit ſimplex, ex cauſa quia Solum Dominum pro Deo Cæli & Terræ agnovit, & hanc ſuam fidem per aliquas veritates ex Verbo ſtabilivit, ille ſublatus eſt in Cælum inter Angelos ſapientiores, & dictum mihi eſt, quod ibi æque Sapiens eſſet ut illi, imo quod loquutus ſit veritates in copia, prorſus ut ex ſe, de quibus nihil quicquam noverat prius. Similis ſtatus erit illis, qui in Novam Domini Eccleſiam venturi ſunt: idem hic ſtatus eſt, qui deſcribitur apud Jeremiam „ *Hoc fœdus erit, quod pangam cum Domo Iſraelis poſt dies hos; dabo legem meam in medio illorum. & ſuper cor illorum ſcribam illam: neque docebunt amplius vir ſocium ſuum, aut vir fratrem ſuum, dicendo cognoſcite Dominum, omnes enim cognoſcent Me, a minimo eorum uſque ad maximum eorum*, Cap. XXXI: 33. 34. Erit etiam ſtatus ille, qualis deſcribitur apud Eſajam „ *Exibit virga de trunco Jiſchaji, erit Veritas cingulum feminum ejus; tunc commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit; ludet ſugens ſuper foramine viperæ, & ſuper ſpeluncam baſiliſci ablactatus manum impellet; quia plena erit Terra ſcientia Jehovæ, ſicut aquæ mare contegunt; in die illo Radicem Jiſchaji gentes quærent, & erit quies Ejus gloria*, Cap. XI: 6 ad 10.

V.

Quod Fides abſque Charitate non ſit fides, & quod Charitas abſque fide non ſit charitas; & quod utraque niſi a Domino non vivat.

355. Quod hodierna Eccleſia fidem ſeparaverit a Charitate, dicendo, quod Sola Fides abſque operibus legis juſtificet & ſalvet, & quod ſic Charitas non poſſit cum Fide conjungi, quoniam Fides eſt a Deo, ac Charitas quantum eſt actualis in operibus, ab homine, nuſquam in alicujus Apoſtoli mentem venit, ut manifeſte patet ex Epiſtolis illorum: ſed hæc ſeparatio & diviſio in Eccleſiam Chriſtianam introducta eſt, quando Deum unum partiti ſunt in tres Perſonas, & unicuique addicaverunt æqualem Divinitatem. Quod autem non ſit Fides abſque Charitate, nec Charitas abſque fide, & quod utrique non ſit vita niſi a Domino, in ſequente Lemmate illuſtrabitur; hic ad applanandam viam demonſtrabitur. 1. Quod homo ſibi comparare poſſit fidem. 2. Quod etiam Charitatem. 3. Et quoque utriuſque Vitam. 4. At quod uſque nihil fidei, nihil charitatis, & nihil vitæ utriuſque ſit ab homine, ſed a Solo Domino.

356. 1. QUOD HOMO SIBI POSSIT COMPARARE FIDEM, in Lemmate Tertio ſupra a n: 243 ad 248 oſtenſum eſt, & per id, quod Fides in ſua eſſentia ſit Veritas, ac Veritates ex Verbo poſſint comparari ab unoquovis, & quantum quis comparat ſibi illas, & amat illas, tantum initiet ſibi fidem: quibus addentur hæc, quod niſi homo poſſet comparare ſibi fidem, irrita forent omnia quæ de Fide in Verbo mandantur; legitur enim ibi, *Quod Voluntas Patris ſit, ut credant in Filium, & quod qui credit in Ipſum, vitam æternam habeat, & quod qui non credit, non viſurus ſit vitam:* legitur etiam, *quod Jeſus miſſurus ſit Paracletum, qui arguet Mundum de peccato, quia non credunt in Me*, præter plura, quæ ſupra n: 237. 238. adducta ſunt: inſuper quod omnes Apoſtoli prædicaverint Fidem, & hanc in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum. Quid hæc & illa omnia, ſi homo ſtaret remiſſis manibus ſicut ſculpta ſtatua, cum articulis mobilibus, & exſpectaret influxum, & tunc articuli, præter quod ad illum recipiendum ſe applicare poſſent, intrinſecus ad quoddam non fidei, excitarentur: nam Orthodoxia hodierna in Orbe Chriſtiano a Romano-Catholicis ſeparato, ita docet, *Quod homo ad bonum prorſus corruptus & mortuus ſit, ita ut in hominis natura poſt lapſum ante regenerationem ne ſcintilla quidem ſpiritualium virium manſerit aut reſtet, quibus ille ad gratiam Dei præparari, aut oblatam apprehendere, aut ejus gratiæ ex ſe & per ſe capax eſſe, aut in ſpiritualibus intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, cooperari, aut ſe ad gratiam applicare aut accommodare, aut aliquid ad converſionem ex toto, vel ex dimidia, vel ex minima parte, ex ſe poteſt. Quodque homo in ſpiritualibus, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, ſit inſtar ſtatuæ ſalis uxoris Lothi, ac ſimilis trunco ac lapidi vita carenti, quæ non oculorum, oris, aut ullorum ſenſuum uſum habent. Quod uſque loco motivam potentiam habeat, ſeu externa membra regere, ad Cœtus publicos accedere, ac Verbum & Evangelium audire poſſit*: hæc in Libro Eccleſiæ Evangelicorum, FORMULA CONCORDIÆ vocato in Editione Lipſ. 1756, p. 656. 658. 661. 662. 663. 671. 672. 673, in quem Librum, & ſic in quam fidem, Sacerdotes dum inaugurantur, jurant: ſimilis fides eſt Reformatis: ſed quis, cui ratio & religio, non illa ut abſona & ridicula exſibilaturus eſt, nam diceret ſecum, ſi ita foret, ad quid tunc Verbum, ad quid Religio, ad quid Sacerdotium, & ad

quid

quid Prædicatio, niſi quoddam inane aut ſonorum nullius rei. Dic talia ad quendam paganum, cui judicium, quem convertere vis, quod talis ſit quoad converſionem & fidem, annon ille Chriſtianiſmum aſpectaret ſicut quis vas vacuum; auſer enim omnem potentiam credendi ab homine ut a ſe, quid tunc ille aliud. Sed hæc clariore luce donabuntur in Capite de LIBERO ARBITRIO.

357. II. QUOD HOMO SIBI POSSIT COMPARARE CHARITATEM; eſt ſimilis res quæ cum fide; quid enim aliud docet Verbum, quam Fidem & Charitatem, quia hæ ſunt duo eſſentialia ſalutis; legitur enim *Amabis Dominum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & proximum ut teipſum*, Matth. XXII: 34 ad 39; *& Jeſus dixit, mandatum do vobis, ut ametis vos invicem; ex hoc cognoſcemini quod mei diſcipuli ſitis quod ametis vos invicem*, Joh. XIII: 34. 35. pariter Cap. XV: 9. Cap. XVI: 27: tum, quod homo facturus ſit fructus ſicut bona arbor; & quod qui bona facit, remuneraretur in reſurrectione; præter plura ſimilia: ad quid hæc niſi homo ex ſe poſſet Charitatem exercere, ac illam ullo modo ſibi comparare; poteſtne dare eleemoſynas, opitulari egentibus, facere bona in ſua domo, inque ſuo officio; poteſtne vivere ſecundum præcepta Decalogi, eſtne illi anima ex qua poteſt agere illa, & quoque Mens rationalis, ex qua ſe ducere poteſt ad agendum propter hunc aut illum finem, poteſtne cogitare quod fructurus ſit illa, quia mandata ſunt in Verbo, & ſic a Deo; non ulli homini deeſt hæc potentia; quod non deſit, eſt quia Dominus dat illam unicuique; & dat illam ſicut aliquam proprietatem; quis enim novit aliter, dum charitatem facit, quam quod faciat ex ſe.

358. III. QUOD ETIAM HOMO SIBI COMPARARE POSSIT VITAM FIDEI ET CHARITATIS, etiam ſimilis res eſt, comparat enim illam ſibi, dum adit Dominum, qui eſt ipſa Vita, & aditus ad Ipſum non alicui homini eſt præſtructus, invitat enim continue omnem hominem, ut veniat ad Se; dixit enim, *qui venit ad Me non eſuriet, & qui credit in Me, non ſitiet unquam; & venientem ad Me, non ejiciam foras*, Joh. VI: 35. 37. *Jeſus ſtetit & clamavit, ſi quis ſitiverit, venito ad Me & bibito*, Joh. VII: 37. & alibi, *Simile eſt Regnum Cælorum, qui fecit nuptias Filio ſuo, & miſit ſervos ſuos ut vocarent invitatos, & tandem dixit, ite ad exitus aquarum, & quoſcunque inveneritis, vocate ad nuptias*, Matth. XVII: 1 ad 9; Quis non ſcit, quod Invitatio ſeu vocatio ſit univerſalis, & quoque gratia receptionis. Quod homo, per quod adeat Dominum, Vitam ſortiatur, eſt quia Dominus eſt ipſa Vita, non ſolum Vita fidei, ſed etiam Vita charitatis; quod Dominus ſit illa, & homini a Domino, conſtat ex his locis, *In principio erat Verbum, in Ipſo* VITA *erat, & VITA erat lux hominum*, Joh. I: 1. 4. *Quemodmodum Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita Filius, quem vult*, VIVIFICAT, Joh. V: 21. *Quemadmodum Pater habet Vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio* VITAM HABERE IN SE IPSO, Joh. V: 26. *Panis Dei eſt, qui deſcendit e Cælo, & VITAM dat Mundo*, Joh. VI: 31. *Verba, quæ Ego loquor vobis, ſpiritus & VITA SUNT*, Joh. VI: 63. *Jeſus dixit, qui Me ſequitur, habebit* LUCEM VITÆ, Joh. VIII: 12. *Ego veni, ut* VITAM HABEANT, *& abundantiam habeant*, Joh. X: 10. *Qui credit in Me, etſi mariatur*, VIVET, Joh. XI: 25. *Ego ſum via, veritas, & VITA*, Joh. XIV: 6. QUIA EGO VIVO, ETIAM VOS VIVETIS, Joh. XIV: 9. *Hæc ſcripta ſunt, ut* VITAM *habeatis in nomine Ipſius*, Joh. XX: 31. *Quod ſit* VITA ÆTERNA, 1 Joh. V: 21. Per Vitam in Fide & Charitate, intelligitur Vita ſpiritualis, quæ a Domino datur homini in Vita ejus naturali.

359. IV. QUOD TAMEN USQUE NIHIL FIDEI, ET NIHIL CHARITATIS, ET NIHIL VITÆ UTRIUSQUE, SIT AB HOMINE, SED A SOLO DOMINO: legitur enim, *quod homo non poſſit ſumere quicquam, niſi ſit datum illi e Cælo*, Joh. III: 27. Et Jeſus dixit, *qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*, Joh. XV: 5; ſed hoc ita intelligendum eſt, quod homo ex ſe non poſſit aliam Fidem ſibi comparare, quam naturalem, quæ eſt perſuaſio quod ita ſit quoniam vir auctoritatis ita dixit; nec aliam charitatem quam naturalem, quæ

eſt

eſt operatio ad favorem propter aliquam remunerationem, in quibus duabus eſt proprium hominis, & nondum vita a Domino, ſed uſque homo per utramque præparat ſe ut ſit receptaculum Domini, & quemadmodum ſe præparat, ita intrat Dominus, & facit ut Fides ejus naturalis fiat Fides ſpiritualis, ſimiliter Charitas, & ſic utraque viva; & hæc fiunt, dum homo adit Dominum, ut Deum Cæli & Terræ. Homo quia creatus eſt imago Dei, creatus eſt habitaculum Dei, quare dicit Dominus, *Qui habet præcepta mea, & facit illa, illo eſt qui amat Me, & Ego amabo illum, & ad illum veniam, & manſionem apud illum faciam*, Joh. XIV: 21. 23. Tum, *Ecce ſto ad januam & pulſo, ſi quis audiverit vocem, & aperuerit januam, ingrediar ad illum, & cœnabo cum illo, & ille Mecum*, Apoc. III: 20. Ex his ſequitur hoc concluſum, quod ſicut homo ſe naturaliter præparat ad recipiendum Dominum, ita Dominus intrat, & facit omnia apud illum intus ſpiritualia, & ſic viva. Vice verſa autem, quantum homo ſe non præparat, tantum removet Dominum a ſe, & facit omnia ipſe ex ſe, & quod homo ipſe ex ſe facit, hoc non habet aliquid vitæ in ſe. Sed hæc non poſſunt adhuc in aliqua luce ſiſti videnda, priuſquam de CHARITATE & de LIBERO ARBITRIO actum eſt, & videbuntur poſtea in Capite de REFORMATIONE & REGENERATIONE.

360. In antecedentibus dictum eſt, quod Fides in principio apud hominem ſit naturalis, & quod ſicut homo accedit ad Dominum, fiat ſpiritualis, ſimiliter Charitas; ſed nemo adhuc novit diſcrimen quod eſt inter Fidem & Charitatem naturalem & ſpiritualem, quare hoc magnum Arcanum detegendum eſt. Sunt duo Mundi, Naturalis & Spiritualis, & in utroque Mundo eſt Sol, & ex utroque Sole procedit Calor & Lux, ſed Calor & Lux e Sole Mundi ſpiritualis in ſe vitam habent, vita illis eſt a Domino qui in medio illius Solis eſt; at Calor & Lux e Sole Mundi naturalis nihil vitæ in ſe habent, ſed inſerviunt duobus prioribus pro receptaculis, ſicut ſolent cauſæ inſtrumentales ſuis principalibus, ad promotionem illorum ad homines; ſciendum itaque eſt, quod Calor & Lux e Sole Mundi ſpiritualis ſint ex quibus ſunt omnia ſpiritualia, ſunt etiam ſpirituales, quia ſpiritus & vita illis inſunt, at Calor & Lux e Sole Mundi naturalis ſunt ex quibus omnia naturalia ſunt, quæ in ſe ſpectata ſunt abſque ſpiritu & vita. Nunc quia Fides eſt lucis, & Charitas eſt caloris, patet, quod quantum homo eſt in Luce & Calore procedentibus e Sole Mundi ſpiritualis, tantum ſit in Fide & Charitate ſpirituali, at quod quantum eſt in Luce & calore procedentibus e Sole Mundi naturalis, tantum ſit in Fide & Charitate naturali. Ex his conſtat, quod ſicut Lux Spiritualis eſt intus in Luce naturali ut in ſuo receptaculo aut in ſua theca, & ſimiliter Calor ſpiritualis intus in Calore naturali, ita quoque Fides ſpiritualis intus in Fide naturali ſit, & ſimiliter Charitas ſpiritualis intus in Charitate naturali; & hoc ſit eo gradu, quo homo progreditur e Mundo naturali in Mundum ſpiritualem, & progreditur ſicut credit in Dominum, qui eſt ipſa Lux, Via, Veritas, & Vita, ut Ipſe docet. Quoniam ita eſt, patet, quod quando homo eſt in Fide ſpirituali, tunc etiam ſit in Fide naturali, eſt enim, ut dictum eſt, Fides ſpiritualis intus in Fide naturali, & quia Fides eſt lucis, ſequitur, quod per illam inſertionem, Naturale hominis fiat ſicut diaphanum, & quod qualiter conjungitur cum charitate, ſiat pulchre coloratum; cauſa eſt, quia Charitas rubet, & Fides candet, Charitas rubet ex flamma ignis ſpiritualis, & Fides candet ex ſplendore lucis inde. Contrarium evenit, ſi Spirituale non intus eſt in Naturali, ſed Naturale intus in Spirituali, hoc fit apud homines, qui rejiciunt fidem & charitatem; apud hos Internum mentis eorum, in quo ſunt quando ſibi relicti cogitant, eſt infernale, & quoque ex Inferno cogitant, tametſi id neſciunt; at Externum mentis illorum, ex quo loquuntur cum conſociis in Mundo, eſt ſicut ſpirituale, ſed hoc refertum eſt talibus immundis, qualia ſunt in Inferno; quare hi ſunt in Inferno; ſunt enim in ſtatu inverſo reſpective ad priores illos.

361.

361. Dum itaque ſcitur, quod ſpirituale ſit intus in naturali apud illos qui in fide ſunt in Dominum, & ſimul in Charitate erga proximum, & quod inde Naturale apud illos ſit diaphanum, ſequitur, quod homo tantum in ſpiritualibus ſapiat, & quoque inde tantum in naturalibus, videt enim intus in ſe dum cogitat aut aliquid legit & audit, num veritas ſit vel non; percipit hoc ex Domino, a quo lux & calor ſpiritualis in intellectus ejus ſphæram ſuperiorem influit. Quantum apud hominem Fides & Charitas fiunt ſpirituales, tantum ille abſtrahitur a proprio, & non ſpectat ſe, mercedem & remunerationem, ſed ſolummodo jucundum percipiendi Vera fidei, & faciendi bona amoris; & quantum ſpiritualitas illa augetur, tantum illud jucundum fit beatum; ex hoc eſt ſalus ejus, quæ vocatur vita æterna. Hic ſtatus hominis comparari poteſt cum pulcherrimis & amæniſſimis in Mundo, & quoque cum illis in Verbo comparatur, ſicut cum fructiferis Arboribus, cumque Hortis in quibus illæ; cum Campis floriferis; cum Lapidibus pretioſis; cumque Cupediis; & quoque cum Nuptiis, & tunc Feſtivitatibus & Lætificationibus. Quando autem inverſum eſt, ſcilicet dum Naturale eſt intus in Spirituali, & inde homo in Internis ſuis eſt Diabolus, & in Externis ſicut Angelus, tunc comparari poteſt cum Mortuo in loculo ex pretioſo ligno & aurato: comparari etiam poteſt cum Sceleto ornato veſtibus ſicut homo, & vecto in Curru magnifico; & quoque cum Cadavere in ſepulchro ædificato ſicut Templum Dianæ: imo Internum ejus ſimile poteſt ſiſti glomo ſerpentum in caverna, at Externum ejus papilionibus, quorum alæ ſunt tinctæ coloribus omnis generis, qui tamen ſpurca ova agglutinant foliis arborum uſus, ex quibus fructus illarum conſumuntur. Imo Internum illorum comparari poteſt cum Accipitre, & Externum eorum cum Columba, & ejus Fides & Charitas cum Accipitris volatu ſupra columbam fugientem, quam demum delaſſat, & tunc involat & devorat.

VI.

Quod Dominus, Charitas & Fides, unum faciant, ſicut Vita, Voluntas, & Intellectus in homine; & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem.

362. Primum memorabuntur aliqua, quæ in Orbe Erudito & inde in Ordine Eccleſiaſtico hactenus ignota fuerunt, & tam ignota, ſicut quæ infoſſa terræ ſunt, cum tamen ſunt Theſauri ſapientiæ, qui niſi effodiuntur, & donantur Publico, fruſtra homo ſatagit venire in aliquam juſtam cognitionem de Deo, de Fide, de Charitate, deque ſuæ vitæ Statu, quomodo illum moderaturus ſit & præparaturus ad ſtatum vitæ æternæ. Ignota illa ſunt hæc; Quod homo ſit merum Organum vitæ: Quod vita cum omnibus ejus influat a Deo Cæli, qui eſt Dominus: Quod duæ Facultates vitæ ſint in homine, quæ vocantur Voluntas & Intellectus; & quod Voluntas ſit receptaculum amoris, ac Intellectus receptaculum ſapientiæ; & ſic etiam quod Voluntas ſit receptaculum Charitatis, ac Intellectus receptaculum Fidei: Quod omnia quæ homo vult, & omnia quæ intelligit, ab extra influant; bona quæ amoris & charitatis ſunt, ac vera quæ ſapientiæ & fidei ſunt, a Domino, at omnia quæ contra illa ſunt, ab Inferno: Quod proviſum ſit a Domino, ut homo illa quæ ab extra influunt, ſentiat in ſe ſicut ſua, & inde producat illa a ſe ſicut ſua, tametſi ex illis nihil ejus ſunt: Quod tamen illa imputentur ei ut ejus, propter Liberum arbitrium, in quo eſt Velle & Cogitare ejus, & propter datas cognitiones boni & veri, ex quibus libere poteſt eligere quicquid ejus Vitæ temporali

& Vitæ æternæ conducit. Homo qui hæc allata obliquo oculo ſeu hirquis intuetur, poteſt ex illis concludere plura quæ inſaniæ ſunt, at homo qui illa recto oculo ſeu pupilla intuetur, poteſt ex illis concludere plura quæ ſapientiæ ſunt; ut hoc fiat, & non illud, neceſſum fuit præmittere judicia & dogmata de Deo & de Divina Trinitate, & poſt illa ſtabilire judicia & dogmata de Fide & Charitate, de Libero Arbitrio, deque Reformatione & Regeneratione, ut & de Imputatione; & quoque de Pœnitentia, de Baptismo, deque Sancta Cœna, ut mediis.

363. Ut autem hic Articulus fidei, qui eſt, quod Dominus, Charitas & Fides, unum faciant, ſicut Vita, Voluntas & Intellectus in homine, & quod ſi dividuntur unumquodvis pereat, ſicut unio diſapſa in pollinem, ut veritas videatur & agnoſcatur, intereſt ut in hoc ordine expendatur, I. Quod Dominus cum omni Divino ſuo amore, cum omni Divina ſua Sapientia, ita cum omni Divina ſua Vita influat apud omnem hominem. II. Proinde cum omni Eſſentia Fidei & Charitatis, III. Sed quod illa recipiantur ab homine ſecundum ejus formam. IV. Quod autem homo qui dividit Dominum, Charitatem & Fidem, non ſit Forma recipiens, ſed Forma deſtruens illa.

364. I. Quod Dominus cum omni Divino suo Amore, cum omni Divina sua Sapientia, ita cum omni Divina sua Vita, influat apud omnem hominem. In Libro Creationis legitur, quod homo creatus ſit Imago Dei, & quod Deus inſpiraverit in nares ejus animam vitarum, Gen: Cap. I: 27. Cap. II: 7, per quæ deſcribitur, quod homo ſit Organum vitæ, & non vita; Deus enim non potuit creare alium ſibi ſimilem, ſi hoc potuiſſet, forent totidem dii, quot homines; neque potuit creare vitam, ſicut nec creari poteſt lux, ſed potuit creare hominem formam vitæ, ſicut creavit oculum formam lucis; nec potuit neque poteſt Deus dividere ſuam eſſentiam, hæc enim eſt una & individua. Cum itaque Deus Solus eſt vita, ſequitur indubie, quod Deus ex ſua Vita vivificet omnem hominem, & quod homo abſque illa vivificatione foret quoad Carnem mera ſpongia, & quoad oſſa merum ſceleton, cui non plus vitæ ineſſet quam horologio, quod mobile eſt ex pendulo & ſimul pondere aut elatere. Cum res talis eſt, ſequitur etiam, quod Deus influat apud quemcunque hominem cum omni Divina ſua Vita, hoc eſt, cum omni ſuo Divino Amore & Divina ſua Sapientia, hæc duo faciunt Divinam Ipſius Vitam, videatur ſupra n: 39. 40; Divinum enim non poteſt dividi. Quomodo autem Deus cum omni ſua Divina Vita influit, percipi poteſt quodammodo ſimili idea, qua percipitur quod Sol Mundi cum omni ſua eſſentia, quæ ſunt calor & lux, influat in omnem arborem, inque omnem fruticem & florem, inque omnem lapidem tam vilem quam nobilem, & quod unumquodvis objectum ex communi hoc influxu hauriat ſuum penſum, & quod Sol non partiatur lucem ſuam & calorem ſuum, & diſpenſet partem ad hoc & partem ad illud. Simile eſt cum Sole Cæli, ex quo Divinus amor ut calor procedit, & Divina Sapientia ut lux, hæc duo in Mentes humanas influunt, ſicut calor & lux Solis Mundi in corpora, & vivificat illas ſecundum qualitatem formæ, quarum unaquævis ex communi influxu deſumit ſuum neceſſum. His applicabile eſt hoc, quod Dominus dicit, *Pater veſter Solem ſuum exoriri facit ſuper malos & bonos, & pluviam mittit ſuper juſtos & injuſtos*; Matth. V: 45. Eſt quoque Dominus omnipræſens, & ubi præſens eſt, ibi cum tota ſua Eſſentia eſt, & Ipſi impoſſibile eſt aliquid ex illa detrahere, & inde dare uni partem & alteri partem, ſed dat illam totam, & homini copiam ut parum aut multum aſſumat; dicit etiam, quod apud illos, qui præcepta Ipſius faciunt, manſionem habeat, tum quod fideles in Ipſo ſint, & Ipſe in illis: verbo omnia ſunt plena Deo, & quiſque ex plenitudine illa accipit ſuam portionem. Simile eſt cum omni communi, ſicut cum Athmoſphæris & Oceanis; Athmoſphæra talis eſt in minimis, qualis in maximis, hæc non diſpenſat partem ſui ad reſpirationem hominis, adque volatum avis, neque ad vela navis, & ad alas molæ, ſed unumquodvis ac-

accipit inde ſuum demenſum, & ſibi applicat quantum ſatis eſt; ſimile etiam eſt ſicut cum horreo pleno frumento, ex hoc accipit poſſeſſor quotidie ſuum penu, & horreum non deſtribuit.

365. II. PROINDE QUOD DOMINUS CUM OMNI ESSENTIA FIDEI ET CHARITATIS APUD OMNEM HOMINEM INFLUAT: hoc ſequitur ex Theoremate priori, quoniam Vita Divinæ Sapientiæ eſt Eſſentia fidei, & Vita Divini Amoris eſt Eſſentia charitatis, quare cum Dominus præſens eſt cum illis quæ proprie Ipſius ſunt, quæ ſunt Divina Sapientia & Divinus Amor, etiam præſens eſt cum omnibus veris quæ Fidei ſunt, & cum omnibus bonis quæ Charitatis; per Fidem enim intelligitur omne Verum quod homo a Domino percipit, cogitat, & loquitur, & per Charitatem intelligitur omne bonum, quo a Domino afficitur, & quod inde vult & facit. Supra dictum eſt, quod Divinus Amor, qui procedit a Domino ut Sole, percipiatur ab Angelis ut Calor, & quod Divina Sapientia inde ut Lux; at qui non ultra apparentiam cogitat, poteſt opinari, quod Calor ille ſit nudus Calor, & quod Lux illa ſit nuda Lux, quales ſunt Calor & Lux procedentes a Sole noſtri Mundi; ſed Calor & Lux procedentes a Domino ut Sole, in ſinu ſuo continent omnes Infinitates, quæ in Domino ſunt, Calor omnes Infinitates amoris Ipſius, & Lux omnes Infinitates ſapientiæ Ipſius, ita quoque in Infinitate omne bonum quod Charitatis eſt, & omne Verum quod fidei eſt; cauſa eſt, quia ipſe ille Sol præſens eſt ubivis in ſuo calore & in ſua luce, & Sol ille eſt Circulus proximus ambiens Dominum, emanans ex Divino Ipſius Amore & ſimul ex Divina Ipſius ſapientia, nam ut ſupra aliquoties dictum eſt, Dominus eſt in medio illius Solis. Ex his nunc patet, quod nihil deeſſe poſſit, quin homo ex Domino, quia omnipræſens eſt, poſſit deſumere omne bonum quod charitatis eſt, & omne Verum quod fidei eſt. Quod non aliquid ex illis deſit, conſtat ex amore & ſapientia Angelorum cæli, quæ illis a Domino ſunt, quod ſint ineffabiles, & naturali homini incomprehenſibiles, & quoque multiplicabiles in æternum. Quod Infinita inſint Calori & Luci, quæ procedunt a Domino, tametſi appercipiuntur ut ſimpliciter calor & lux, illuſtrari poteſt per varia in Mundo naturali, ut per hæc; Sonus vocis & loquelæ hominis auditur modo ſicut ſimplex ſonus, & tamen Angeli dum audiunt illum, percipiunt in illo omnes amoris ejus affectiones, & quoque manifeſtant quæ & quales ſunt; quod illa intus in ſono lateant, homo etiam aliquatenus ex ſono loquentis ſecum poteſt percipere, ſicut num inibi ſit contemtus, aut ſubſannatio, aut odium, tum etiam num inibi ſit Charitas, benevolentia, aut lætitia, vel aliæ affectiones; ſimilia latent in radiis oculi, dum aſpectat aliquem. Illuſtrari etiam poteſt per fragrantias ex amplifico Horto, & per fragrantias ex campis extenſis floriferis, fragnans Odor ex illis exſpiratus conſiſtit ex millibus & myriadibus variis, & uſque ſentiuntur ut unum: ſimile eſt cum multis aliis, quæ tametſi extrinſecus apparent uniformia, uſque intrinſecus ſunt multiplicia, ſympathiæ & antipathiæ non aliud ſunt, quam exhalationes affectionum ex mentibus, quæ afficiunt alterum ſecundum ſimilitudines, ac averſationi ſunt ſecundum diſſimilitudines; hæc tametſi innumera ſunt, & non ſentiuntur aliquo ſenſu corporis, uſque percipiuntur ſenſu animæ ut unum, & ſecundum illas fiunt omnes conjunctiones & conſociationes in Mundo ſpirituali. Hæc allata ſunt, ut illuſtrentur illa, quæ ſupra dicta ſunt de Spirituali Luce quæ procedit a Domino, quod illi omnia ſapientiæ, & inde omnia fidei inſint, & quod illa Lux ſit, ex qua Intellectus videt & percipit analytice rationalia, ſicut oculus videt & percipit ſymmetrice naturalia.

366. III. QUOD ILLA QUÆ INFLUUNT A DOMINO, RECIPIANTUR AB HOMINE SECUNDUM EJUS FORMAM, per formam hic intelligitur ſtatus hominis quoad ejus amorem & ſimul ſapientiam, proinde etiam quoad affectiones bonorum charitatis & ſimul perceptiones veritatum fidei ejus. Quod Deus ſit unus, individuus, & idem ab æterno in æternum, non idem ſimplex ſed infinitum, & quod omne varium ſit

a ſubjecto in quo eſt, ſupra oſtenſum eſt; quod Forma ſeu ſtatus recipiens inducat variationes, conſtare poteſt ex Vita infantum, puerorum, adoleſcentum, adultorum & ſenum, eadem Vita, quia eadem anima, unicuique ab infantia ad ſenectam ineſt, ſed ſicut ſtatus ejus ſecundum ætates & accommodationes variatur, ita quoque percipitur vita. Vita Dei in omni plenitudine non modo eſt apud homines bonos & pios, ſed etiam apud homines malos & impios, ſimiliter apud Angelos Cæli, & apud Spiritus Inferni; diſcrimen eſt, quod mali præſtruant viam & occludant januam ne intret Deus in inferiora mentis eorum, boni autem explanent viam & aperiant januam, & quoque invitent Deum, ut intret in inferiora mentis eorum ſicut in ſupremis ejus habitat, & ſic formant ſtatum voluntatis ad influxum amoris & charitatis, & ſtatum intellectus ad influxum ſapientiæ & fidei, proinde ad receptionem Dei; mali autem præſtruunt illum influxum per varias concupiſcentias carnis, & inquinamenta ſpiritualia, quæ ſubſternunt, ac arcent tranſitum; ſed uſque Deus in ſupremis illorum cum omni Divina ſua eſſentia reſidet, & dat illis facultatem volendi bonum, ac intelligendi verum, quæ facultas cuivis homini eſt, quæ nequaquam illi eſſet, niſi vita a Deo animæ ejus ineſſet; quod hæc facultas etiam malis ſit, a pluri experientia ſcire datum eſt. Quod quiſque recipiat vitam a Deo ſecundum ſuam formam, illuſtrari poteſt per comparationes cum vegetabilibus omnis generis; unaquævis arbor, unumquodvis arbuſtum, unumquodvis virgultum, & unumquodvis gramen, recipit influxum caloris & lucis ſecundum ſuam formam, ita non modo illa quæ boni uſus ſunt, ſed etiam illa quæ mali uſus ſunt; & Sol cum ſuo calore non mutat formas illorum, ſed formæ in ſe mutant ejus effectus; Simile eſt cum ſubjectis Regni mineralis, unumquodvis illorum, tam excellens quam vilipenſum, recipit influxum ſecundum formam contextus partium in ſe, ita diverſimode unus lapis & alter, una minera & altera, ac unum metallum & alterum, quædam ex illis ſe pulcherrimis coloribus variegant, quædam tranſmittunt lucem abſque variegatione, & quædam illam in ſe confundunt & ſuffocant. Ex his paucis conſtare poteſt, quod ſicut Sol Mundi cum ſuo calore & cum ſua luce æque præſens eſt in uno objecto ſicut in altero, ſed quod formæ recipientes varient ejus operationes, ſimiliter Dominus ex Sole Cæli, in cujus medio eſt, cum ſuo calore, qui in eſſentia ſua eſt amor, & cum ſua luce, quæ in eſſentia ſua eſt ſapientia, ſed quod forma hominis, quæ inducta eſt per ſtatus vitæ ejus, variet operationes; conſequenter quod Dominus non in cauſa ſit, quod non homo renaſcatur & ſalvetur, ſed quod ipſe homo.

367. IV. QUOD AUTEM HOMO, QUI DIVIDIT DOMINUM, CHARITATEM, ET FIDEM, NON SIT FORMA RECIPIENS, SED FORMA DESTRUENS. Qui enim ſeparat Dominum a Charitate & Fide, is ſeparat ab his vitam, qua ſeparata Charitas & Fides vel non ſunt, vel ſunt abortus; quod Dominus ſit ipſa vita, videatur ſupra, n: 358. Qui agnoſcit Dominum, & ſeparat charitatem, is non agnoſcit Ipſum niſi labiis; agnitio & confeſſio ejus eſt modo frigida, in qua non eſt fides, caret enim eſſentia ſpirituali, nam charitas eſt eſſentia fidei. Qui autem facit Charitatem, & non agnoſcit Dominum quod ſit Deus Cæli & Terræ, unum cum Patre, ſicut Ipſe docet, non aliam charitatem facit, quam mere naturalem, in qua non eſt vita æterna; homo Eccleſiæ ſcit, quod omne bonum quod in ſe bonum eſt, ſit a Deo, conſequenter a Domino, qui eſt *verus Deus & vita æterna*, 1 Joh. V: 21, ſimiliter Charitas, quia bonum & Charitas unum ſunt. Quod Fides ſeparata a Charitate non ſit fides, eſt quia Fides eſt Lux vitæ hominis, & Charitas eſt Calor vitæ ejus, quare ſi Charites ſeparatur a fide, eſt ſicut dum Calor ſeparatur a Luce, inde fit ſtatus hominis qualis eſt ſtatus Mundi tempore brumæ, quo omnia ſuper Tellure emoriuntur: Charitas & Fides, ut Charitas ſit charitas & Fides ſit fides, non plus ſeparari poſſunt, quam Voluntas & Intellectus, quæ ſi ſeparantur, fit Intellectus nihil, & mox etiam Voluntas; quod ſimile ſit cum Charitate & Fide, eſt quia Cha-

Charitas reſidet in Voluntate, & Fides in Intellectu. Charitatem a Fide ſeparare, eſt ſicut ſeparare eſſentiam a forma; in Erudito Orbe notum eſt, quod Eſſentia abſque forma & Forma abſque eſſentia non ſit aliquid, non enim eſt Eſſentiæ aliquod quale niſi a Forma, nec eſt Forma aliquod ens ſubſiſtens niſi ab Eſſentia, proinde non eſt aliqua prædicatio de utriſque a ſe invicem ſeparatis; eſt quoque Charitas eſſentia fidei, & fides forma Charitatis, prorſus, ſicut ſupra dictum eſt, quod Bonum ſit eſſentia veri, ac Verum forma boni. Sunt hæc duo, videlicet Bonum & Verum, in omnibus & ſingulis, quæ eſſentialiter exiſtunt, quare charitas quia eſt boni, & fides quia eſt veri, poſſunt illuſtrari per comparationes cum pluribus in Corpore humano, & cum pluribus ſuper Tellure: Coincidit comparatio cum Reſpiratione pulmonis & cum motu ſyſtolico cordis, non enim plus ſeparari poteſt charitas a fide, quam poteſt cor a pulmone, ceſſante enim pulſu cordis actutum ceſſat reſpiratio pulmonis; ac ceſſante reſpiratione pulmonis, fit deliquium omnium ſenſuum, & quoque privatio motus omnium muſculorum, & brevi poſt ceſſat etiam cor, & diſſipatur omne vitæ; coincidit hæc comparatio, quoniam Cor correſpondet Voluntati & inde quoque Charitati, ac reſpiratio Pulmonis Intellectui & inde quoque Fidei, nam, ut ſupra dictum eſt, Charitas reſidet in Voluntate, & Fides in Intellectu; nec aliud in Verbo intelligitur per Cor & Spiritum. Separatio Charitatis & Fidei etiam coincidit cum ſeparatione ſanguinis & carnis, ſanguis enim ſeparatus a carne eſt cruor & fit ſanies, & caro ſeparata a ſanguine ſucceſſive putreſcit, & ei innaſcuntur vermiculi; ſanguis etiam in ſpirituali ſenſu ſignificat Verum ſapientiæ & fidei, & Caro bonum amoris & charitatis, quod ſanguis illud ſignificet, oſtenſum eſt in APOCALYPSI REVELATA, n: 379: & quod Caro illud, n: 832. Charitas & Fides, ut una & altera ſit aliquid, non plus ſeparari poſſunt, quam apud hominem Cibus & Aqua, aut quam Panis & Vinum, Cibus enim & Panis abſque aqua & vino aſſumti modo diſtendunt ventrem, ac ſicut indigeſtæ moles perdunt illum, & fiunt ſicut putre Cænum; Aqua & Vinum abſque cibo & pane etiam diſtendunt ventrem, & quoque vaſa & poros, quæ ſic caſſa nutritione emaciant corpus uſque ad mortem, hæc comparatio etiam quadrat, quoniam cibus & panis in ſpirituali ſenſu ſignificant bonum amoris & charitatis, & aqua & vinum verum ſapientiæ & fidei, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 50. 316. 778. 932. Charitas conjuncta fidei & Fides vicißim charitati, aſſimilari poteſt faciei Virginis formoſæ ex rubore & candore pulchræ inter ſe commixtis, quæ ſimilitudo etiam coincidit, quoniam Amor & inde Charitas in Mundo ſpirituali ex igne Solis ibi rubet, ac Veritas & inde Fides ex luce iſtius Solis candet; quare Charitas ſeparata a fide aſſimilari poteſt faciei inflammatæ cum puſtulis, & Fides ſeparata a charitate aſſimilari poteſt faciei pallidæ mortui. Fides ſeparata a charitate etiam aſſimilari poteſt Paralyſi unius lateris, quæ vocatur Hæmiplexia, ex qua, dum invaleſcit, homo moritur; & quoque aſſimilari poteſt Saltui S: Vitis ſeu Guy, qui homini accidit ex ictu taratantulæ; huic ſimile fit rationale, hoc ſicut ille ſaltat cum furore, & credit ſe tunc vivum, & tamen non plus poteſt rationes in unum colligere, & de veris ſpiritualibus cogitare, quam ſicut cubans in lecto oppreſſus incubo. Hæc ſufficiunt ad demonſtrationem duorum Thematum hujus Capitis, Prioris, *Quod Fides abſque charitate non ſit Fides, & quod Charitas abſque fide non ſit Charitas, & quod utraque niſi a Domino non vivat:* & Poſterioris, *Quod Dominus, Charitas, & Fides, unum faciant, ſicut Vita, Voluntas & Intellectus in homine; & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat ſicut unio dilapſa in pollinem.*

VII.

Quod Dominus ſit charitas & Fides in homine, & quod Homo ſit Charitas & Fides in Domino.

368. Quod homo Eccleſiæ ſit in Domino, & Dominus in illo, conſtat ex his in Verbo, *Jeſus dixit*, MANETE IN ME, ET EGO IN VOBIS: *Ego ſum Vitis & vos palmites*, QUI MANET IN ME, ET EGO IN ILLO, *hic fert fructum multum*, Joh: XV: 4, 5. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem*, IN ME MANET ET EGO IN ILLO, Joh: VI: 56. *In die illo cognoſcetis, quod Ego in Patre meo, & vos* IN ME, ET EGO IN ILLO, Joh: XIV: 20. *Quiſquis confeſſus fuerit, quod Jeſus ſit Filius Dei, Deus in illo manet, & ille in Deo*, 1 Joh: IV: 15. Sed non poteſt ipſe homo in Domino eſſe, ſed Charitas & Fides, quæ a Domino apud hominem ſunt, ex quibus duabus homo eſſentialiter eſt homo. Verum enim vero ut hoc Arcanum in aliqua luce coram intellectu appateat, rimandum eſt in hac ſerie. I: Quod conjunctio cum Deo ſit, per quam homini ſalus & vita æterna. II: Quod non dabilis ſit conjunctio cum Deo Patre, ſed cum Domino, & per Ipſum cum Deo Patre. III: Quod Conjunctio cum Domino ſit receproca, quæ eſt quod Dominus ſit in homine, & homo in Domino. IV: Quod reciproca hæc conjunctio fiat per charitatem & fidem. Quod hæc ita ſint, patebit a ſequente explicatione.

369. I: QUOD CONJUNSTIO CUM DEO SIT, PER QUAM HOMINI SALUS ET VITA ÆTERNA. Homo creatus eſt, ut poſſit conjungi Deo, eſt enim creatus Indigena Cæli, & quoque Indigena Mundi, & quatenus eſt indigena Cæli, eſt ille ſpiritualis, at quatenus eſt indigena Mundi, eſt ille naturalis, & Spiritualis homo poteſt cogitare de Deo, & percipere talia quæ Dei ſunt, & quoque poteſt amare Deum, & affici illis quæ a Deo ſunt; ex quibus ſequitur, quod poſſit conjungi Deo. Quod homo poſſit cogitare de Deo, & percipere talia quæ Dei ſunt, extra omnem dubitationis aleam eſt, poteſt enim cogitare de Unitate Dei, de Eſſe Dei quod eſt Jehovah, de Immenſitate & Æternitate Dei, de Divino Amore & Divina Sapientia, quæ faciunt Eſſentiam Dei, de Omnipotentia, Omniſcientia, & Omnipræſentia Dei; de Domino Salvatore Filio Ipſius, deque Redemptione & Mediatione; tum etiam de Spiritu ſancto, & denique de Divina Trinitate; quæ omnia ſunt Dei, imo ſunt Deus; & inſuper de Operationibus Dei, quæ principaliter ſunt Fides & Charitas, præter plura quæ ab illis duabus procedunt. Quod homo non modo poſſit cogitare de Deo, ſed etiam amare Deum, conſtat ex duobus Ipſius Dei Mandatis, quæ ita ſonant, *Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua; hoc eſt Primum & Magnum Mandatum: ſecundum ſimile eſt illi, amabis proximum tuum ſicut teipſum*, Matth: XXII: 35, 36, 37, Deutr: VI: 5. Quod homo poſſit facere præcepta Dei, & quod hoc ſit amare Deum, & amari a Deo, conſtat ex his, *Jeſus dixit, qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt qui amat Me, que vero amat Me, amabitur a Patre meo, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Meipſum*, Joh: XIV: 21. Præterea, quid Fides aliud, quam conjunctio cum Deo per vera, quæ intellectus & inde cogitationis ſunt; & quid Amor niſi conjunctio cum Deo per bona quæ voluntatis & inde affectionis ſunt. Conjunctio Dei cum homine eſt Conjunctio ſpriritualis in naturali; & Conjunctio hominis cum Deo, eſt conjunctio naturalis a ſpirituali. Propter hanc Conjunctionem ut finem, Homo creatus eſt Indigena Cæli, & ſimul Mundi,

di, ut Indigena Cæli eſt ille ſpiritualis, ac ut Indigena Mundi eſt ille naturalis: ſi itaque Homo ſit Spiritualis rationalis & ſimul Spiritualis moralis, eſt ille conjunctus Deo, & per conjunctionem eſt illi ſalus & vita æterna; aſt vero ſi homo eſt modo naturalis rationalis & quoque naturalis moralis, eſt quidem conjunctio Dei cum illo, ſed non conjunctio illius cum Deo, inde illi eſt mors ſpiritualis, quæ in ſe ſpectata eſt vita naturalis abſque ſpirituali; eſt enim ſpirituale, in quo vita Dei eſt, apud illum exſtinctum.

370. II: QUOD NON DABILIS SIT CONJUNCTIO CUM DEO PATRE, SED CUM DOMINO ET PER IPSUM CUM DEO PATRE; hoc Scriptura docet, & Ratio videt: Scriptura docet, quod Deus Pater nuſquam viſus & auditus ſit, & quod nec videri & audiri poſſit, proinde non aliquid ex Se, qualis eſt in ſuo Eſſe & in ſua Eſſentia, apud hominem operari; dicit enim Dominus, *Deum nemo vidit quis, niſi qui eſt apud Patrem, Ille vidit Patrem*, Joh: VI: 46. *Non Patrem quiſquam cognoſcit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, Matth: XI: 27. *Non vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis*, Joh: V: 37; cauſa eſt, quia Ipſe in omnium Primis & Principiis eſt, ita eminentiſſime ſuper omnem ſphæram mentis humanæ; eſt enim in Primis & Principus omnium Sapientiæ & omnium Amoris, cum quibus homini nulla conjunctio dabilis eſt; quare ſi Ipſe accederet ad hominem, aut homo ad Ipſum, homo conſumeretur & colliqueſceret, ſicut lignum in foco magni ſpeculi cauſtici, aut potius ſicut ſimulachrum conjectum in ipſum Solem; quare dictum eſt Moſi, qui cupivit videre Deum, *Quod homo non poſſit videre Ipſum & vivere*, Exod: XXXIII: 20. Quod autem Deus Pater conjungatur per Dominum, conſtat ex mox allatis, Quod non Pater, ſed Unigenitus Filius, qui in ſinu Patris eſt & vidit Patrem, illa quæ Dei & a Deo ſunt, expoſuerit & revelaverit; & inſuper ex his, *In die illo cognoſcetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me & Ego in vobis*, Joh: XIV: 20. *Ego gloriam, quam dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſumus, Ego in illis, & Tu in Me*, Joh: XVII: 22, 23, 26. *Jeſus dixit, Ego ſum Via, Veritas, & Vita, nemo venit ad Patrem, niſi per Me:* & tunc Philippus voluit videre Patrem, cui Dominus reſpondit, *Qui Me videt, etiam Patrem videt, & qui me cognoſcit etiam Patrem cognoſcit*, Joh: XIV: 6, 7. ſeq: & alibi, *Qui videt Me, videt Ipſum qui miſit Me*, Joh: XII: 45. Ac inſuper dicit, *Quod ſit Janua, & quod qui per Ipſum ingreditur, ſalvetur, & quod qui aſcendit aliunde, ſit fur & latro*, Joh: X: 1, 9. Et quoque dicit, *quod qui non manet in Me, ejicietur foras, & ſicut palmes arefactus in ignem conjicietur*, Joh: XV: 6. Cauſa eſt, quia Dominus noſter Salvator, eſt Ipſe Jehovah Pater in Forma humana; Jehovah enim deſcendit, & Homo factus eſt, ut accedere poſſet ad hominem, & homo ad Ipſum, & ſic fieret conjunctio, & per conjunctionem homini ſalus & vita æterna; quando enim Deus factus eſt Homo, & ſic quoque factus Homo Deus, tunc accomodatus ad hominem potuit accedere, & ei conjungi ut Deus Homo & Homo Deus. Sunt tria quæ ſequuntur ordine, ACCOMMODATIO, APPLICATIO, & CONJUNCTIO, Accommodatio erit, antequam datur Applicatio, atque Accommodatio & ſimul Applicatio, antequam datur Conjunctio; Accommodatio a parte Dei fuit, quod factus ſit Homo, Applicatio a parte Dei eſt perpetua, quantum homo ſe applicat viciſſim; & ſicut hoc fit, etiam fit Conjunctio. Hæc tria ſequntur & procedunt in ſuo ordine, in omnibus & ſingulis, quæ unum fiunt & coexiſtunt.

371: III: QUOD CONJUNCTIO CUM DOMINO SIT RECIPROCA, QUÆ EST QUOD DOMINUS SIT IN HOMINE ET HOMO IN DOMINO. Quod Conjunctio ſit reciproca, Scriptura docet, & quoque Ratio videt: Dominus de ſua Conjunctione cum ſuo Patre, docet quod ſit reciproca, nam dicit ad Philippum, *Nonne credis, quod Ego in Patre & Pater in Me ſit, credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit*, Joh: XIV: 10, 11. *Ut cognoſcatis & credatis, quod Pater in Me ſit & Ego*

in Patre, Joh: X: 38. *Jesus dixit*, *Pater venit hora*, *glorifica Filium tuum*, *ut etiam Filius tuus glorificet Te*, Joh: XVI: 1. *Pater omnia Mea Tua sunt*, *& omnia Tua Mea*, Joh: XVII: 10. Simile dicit Dominus de Conjunctione sua um homine, videlicet quod sit reciproca; dicit enim, *Manete in Me & Ego in vobis*; *qui* MANET IN ME ET EGO IN ILLO, *is fert fructum multum*, Joh: XV: 4, 5. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem*, IN ME MANET ET EGO IN ILLO, Joh: VI: 56. *In die illo cognoscetis*, *quod Ego in Patre meo*, ET VOS IN ME ET EGO IN VOBIS, Joh: XIV: 20. *Qui mandata Christi facit*, *in* IPSO MANET ET IPSE IN ILLO, 1 Joh: III: 24. Cap: IV: 13. *Quisquis confessus fuerit*, *quod Christus sit Filius Dei*, DEUS IN ILLO MANET ET ILLE IN DEO, 1 Joh: IV: 15. *Qui audit vocem meam*, *& aperit januam*, *ad illum ingrediar*, *&* CÆNABO CUM ILLO, ET ILLE MECUM, Apoc: III: 20. Ex perspicuis his effatis evidens est, quod Conjunctio Domini & hominis sit reciproca, & quia est reciproca, sequitur omnino, quod homo se conjungere debeat cum Domino, ut Dominus se conjungat cum illo; & quod alioquin non fiat conjuntio, sed recessio & inde separatio, verum hæc non a parte Domini, sed a parte hominis. Ut reciproca hæc conjunctio sit, data est homini Libera Electio, ex qua potest ingredi viam ad Cælum, aut viam ad Infernum; ex hoc Libero dato homini profluit ejus reciprocum, quod possit se conjungere cum Domino, & quod possit se conjungere cum diabolo; sed Libertas illa, qualis est, & propter quam causam data est homini, in sequentibus, ubi de Libero Adbitrio, de Pænitentia, de Reformatione & Regeneratione, deque Imputatione, transigendum est, illustrabitur. Dolendum est, quod Conjunctio reciproca Domini & hominis, tametsi in Verbo tam clare exstat, usque in Ecclesia Christiana ignota sit; quod ignota sit, est propter Hypothetica de Fide & de Libero Arbitrio; Hypothetica de Fide sunt, Quod Fides donetur præter quod homo ad illam capessendam quisquam conferat, neque ad illam recipiendam se accommodet & applicet plus quam truncus: Hypothetica de Libero Arbitrio sunt, quod homini ne quidem granum Liberi arbitrii, in spiritualibus sit. Sed ne Conjunctio reciproca Domini & hominis, ex qua salus generis humani pendet, diutius lateat ignota, ipsa necessitas injungit, ut detegatur, quod non melius fieri potest, quam per Exempla, quia hæc illustrant. Sunt duæ Reciprocationes, per quas sit Conjunctio, una est ALTERNA, & altera est MUTUA, ALTERNA reciprocatio, per quam conjunctio fit, illustrari potest per animationes pulmonis, homo attrahit aerem, & per id dilatat Thoracem, & mox attractum aerem remittit, & per id comprimit Thoracem; attractio illa & inde dilatatio fit media incumbentia aeris secundum columnam suam, at remissio illa & inde compressio, fit mediis costis ex vi musculorum; talis reciproca conjunctio est aeris & pulmonis, ex qua pendet vita sensuum & motuum totius corporis; nam cessante respiratione fit duorum illorum deliquium. Conjunctio reciproca, quæ fit per alterna, illustrari etiam potest per conjunctionem cordis cum pulmone & pulmonis cum corde, cor e dextro suo thalamo infundit sanguinem in pulmonem, & pulmo refundit illum in sinistrum thalamum cordis, ita fit hæc conjunctio reciproca, ex qua vita totius corporis prorsus pendet. Similis Conjunctio est sanguinis cum corde, & vicissim, sanguis totius corporis per venas influit in cor, & e corde per arterias effluit in totum corpus, actio & reactio faciunt hanc conjunctionem. Similis actio & reactio, per quam perstat conjunctio, est inter embryonem & uterum matris. Sed talis conjunctio reciproca non est Domini & hominis, sed est conjunctio mutua, quæ non sit per actus & reactus, sed per cooperationes, Dominus enim agit, & homo recipit actionem a Domino, & operatur sicut a se, imo ex se a Domino; hæc operatio hominis a Domino imputatur ei ut ejus, quoniam a Domino in Libero arbitrio jugiter tenetur; Liberum arbitrium inde resultans est, quod possit velle & quod possit cogitare a Domino, hoc est, ex Verbo, & quoque quod possit velle & cogitare ex diabolo, hoc est, contra Dominum

&

& Verbum, hoc Liberum dat Dominus homini, ut poſſit reciproce ſe conjungere, & per conjunctionem vita & beatitudine æterna donari, nam hæc abſque reciproca conjunctione non dabilis eſt. Reciproca hæc Conjunctio, quæ eſt mutua, etiam illuſtrari poteſt per varia in homine & in Mundo, talis conjunctio eſt animæ & corporis apud unumquemvis hominem; talis conjunctio eſt voluntatis & actionis, & talis eſt cogitationis & loquelæ; & talis eſt duorum oculorum inter ſe, & duarum aurium inter ſe, & duarum narium inter ſe; quod conjunctio duorum oculorum inter ſe ſit ſuo modo reciproca, patet a Nervo optico, in quo fibræ ex utroque Cerebro complicantur inter ſe, & ſic complicatæ tendunt ad utrumque oculum; ſimile eſt cum auribus & naribus. Similis conjunctio reciproca mutua eſt Lucis & Oculi, Soni & Auris, Odoris & Naris, Guſtus & Linguæ, ac Tactus & Corporis, oculus enim eſt in luce & lux in oculo, ſonus eſt in aure, & auris in ſono, odor eſt in nare & naris eſt in odore, guſtus eſt in lingua & lingua in guſtu, ac tactus eſt in corpore & corpus in tactu. Conjunctio hæc reciproca comparari etiam poteſt cum conjunctione Equi & Currus, Bovis & Aratri, Rotæ & Machinæ, Veli & Venti, Tibiæ & Aeris; in ſumma, talis conjunctio reciproca eſt Finis & Cauſæ, & talis eſt Cauſæ & Effectus; ſed hæc & illa ſingulatim exponere, non vacat, quia eſt plurium membranarum opus.

372. IV: QUOD HÆC RECIPROCA CONJUNCTIO DOMINI ET HOMINIS SIT PER CHARITATEM ET FIDEM. Hodie ſcitur, quod Eccleſia faciat Corpus Chriſti, & quod unuſquiſque, in quo Eccleſia eſt, ſit in aliquo Membro iſtius Corporis, ſecundum Paulum, Epheſ. I: 24. 1 Cor: XII: 27. Rom: XII: 4, 5. Sed quid Corpus Chriſti, niſi Divinum Bonum & Divinum Verum, hoc intelligitur per Domini verba apud Johannem, *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in Me manet & Ego in illo*, Cap: VI: 56, per Carnem Domini ut & per Panem, intelligitur Divinum Bonum, & per Sanguinem Ipſius ut & per Vinum, intelligitur Divinum Verum, quod hæc intelligantur, videbitur in Capite de SANCTA CÆNA; inde ſequitur, quod quantum homo in Bonis charitatis & in Veris fidei eſt, tantum ſit in Domino & Dominus in illo; conjunctio enim cum Domino eſt Conjunctio ſpiritualis, & conjunctio ſpiritualis unice fit per Charitatem & Fidem. Quod Conjunctio Domini & Eccleſiæ, & inde Boni & Veri, ſit in omnibus & ſingulis Verbi, in Capite de SCRIPTURA SACRA n: 248 ad 253, oſtenſum eſt; & quia Charitas eſt Bonum, & Fides eſt Verum, eſt ubivis in Verbo Conjunctio charitatis & fidei. Ex his nunc ſequitur, QUOD DOMINUS SIT CHARITAS ET FIDES IN HOMINE, ET QUOD HOMO SIT CHARITAS ET FIDES IN DOMINO; eſt enim Dominus Charitas & Fides ſpiritualis in Charitate & Fide naturali hominis, & Homo eſt Charitas & fides naturalis a ſpirituali Domini, quæ conjunctæ faciunt Charitatem & Fidem ſpiritualem naturalem.

VIII.

Quod Charitas & Fides ſimul ſint in Operibus bonis.

373. In omni Opere quod procedit ab homine, eſt homo totus quantus qualis eſt quoad animum ſeu qualis eſſentialiter eſt; per animum intelligitur ejus amoris affectio & inde cogitatio, hæ formant ejus naturam, in genere ejus Vitam; ſi opera ita intuemur, ſunt illa ſicut ſpecula hominis: hoc illuſtrari poteſt per ſimile apud beſtias & feras, beſtia eſt beſtia, ac fera eſt fera, in omni ſuo actu, lupus eſt lupus in omni ſuo, tigris eſt tigris in omni ſuo, vulpis eſt vul-

pis in omni ſuo, & leo eſt leo in omni ſuo, pariter ovis & hædus in omnibus ſuis; ſimiliter homo, ſed hic talis eſt, qualis eſt in Interno ſuo homine, ſi in hoc eſt ſicut lupus aut ſicut vulpis, eſt omne ejus opus interius lupinum & vulpinum, viciſſim ſi eſt ſicut ovis aut agnus; ſed quod talis ſit in omni ſuo opere, non patet in externo ejus homine, quia hic verſatilis eſt circum Internum, ſed uſque intus in hoc latet; dicit Dominus, *Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum, & pravus homo ex pravo theſauro cordis ſui profert pravum*, Luc: VI: 45. tum etiam, *Omnis Arbor ex proprio fructu cognoſcitur, non ex ſpinis colligunt ficus, neque ex rubo vindemiant uvam*, Luc: VI: 44. Quod homo talis ſit in omnibus & ſingulis quæ procedunt ab ipſo, qualis eſt in Interno ſuo homine, hoc ad vivum ſe apud illum manifeſtat poſt mortem, quoniam ille tunc vivit Internus homo, & non amplius Externus. Quod bonum ſit in homine, & quod omne opus quod procedit ex illo ſit bonum, quando Dominus, Charitas & Fides in Interno ejus homine reſident, in hac ſerie demonſtrabitur I. Quod Charitas ſit bene velle, & quod bona Opera ſint ex bene velle bene facere. II: Quod Charitas & Fides ſint modo res mentales & caducæ, niſi, dum fieri poteſt, determinentur in Opera, & in illis coexiſtant. III: Quod ſola Charitas non producat bona opera, & minus adhuc ſola Fides, ſed quod Charitas & Fides ſimul. Sed de his ſingulatim.

374. I: QUOD CHARITAS SIT BENE VELLE, ET QUOD BONA OPERA SINT BENE FACERE EX BENE VELLE. Charitas & Opera inter ſe diſtincta ſunt, ſicut Voluntas & Actio, ac ſicut Mentis affectio & Corporis operatio, proinde etiam ſicut Internus homo & Externus, & hi inter ſe ſunt ſicut Cauſa & Effectus, quoniam omnium cauſæ formantur in Interno homine, & omnes effectus fiunt inde in Externo, quapropter Charitas, quia eſt Interni hominis eſt bene velle, & Opera, quia ſunt Externi hominis, ſunt benefacere ex bene velle. Sed uſque infinita diverſitas eſt inter unius bene velle & alterius, omne enim id creditur aut apparet profluere ex bene velle ſeu benevolentia, quod ab aliquo ad alterius favorem; ſed uſque non ſcitur, num benefacta ſunt ex charitate, minus ex qua charitate, genuina vel ſpuria; infinita illa diverſitas inter benevelle unius & alterius, trahit originem a Fine, Intentione, & inde Propoſito, hæc intus in Voluntate beneagendi latent, qualitas cujuſvis voluntatis inde eſt; ac voluntas quærit media & modos perveniendi ad fines ſuos, qui ſunt effectus, in Intellectu, & inibi ſe mittit in lucem, ut non modo videat rationes, ſed etiam anſas quando & quomodo ſe determinatura eſt in actus, & ſic productura ſuos effectus, qui ſunt opera, & ſimul in Intellectu ſe mittit in potentiam agendi; ex quibus ſequitur, quod Opera ſint eſſentialiter Voluntatis, formaliter Intellectus, & actualiter Corporis, ita Charitas deſcendit in bona Opera. Hæc illuſtrari poſſunt per comparationem cum arbore; ipſe Homo quoad omnia ejus eſt ſicut Arbor, in hujus ſemine latet tanquam finis, intentio & propoſitum producendi fructus, in his Semen correſpondet Voluntati apud hominem, in qua tria illa ſunt, ut dictum eſt; deinde Semen ex interioribus ſuis pullulat e terra, & induit ſe ramis, frondibus & foliis, & ſic parat ſibi media ad fines, qui ſunt fructus, in his correſpondet Arbor Intellectui apud hominem; & denique dum tempus inſtat, & datur copia determinationis, efflorescit, & producit fructus, in his correſpondet Arbor bonis Operibus apud hominem; quæ quod ſint eſſentialiter ſeminis, formaliter frondium & foliorum, & actualiter ligni arboris, patet. Hoc etiam illuſtrari poteſt per comparationem cum Templo; Homo eſt Templum Dei ſecundum Paulum, I Cor: III: 16, 17. II Cor: VI: 16. Epheſ: II: 21, 22; finis, intentio & propoſitum ſunt homini, ut Templo Dei, ſalus & vita æterna, in his correſpondentia eſt cum voluntate, in qua tria illa ſunt; poſtea haurit doctrinalia fidei & charitatis ex parentibus, magiſtris & prædicatoribus, & cum ſui judicii fit, ex Verbo & ex Libris dogmaticis, quæ omnia ſunt media ad finem, in his correſpondentia eſt cum Intellectu; denique

que fit determinatio in uſus ſecundum doctrinalia ut media, quæ fit per actus corporis, qui vocantur bona opera, ita Finis per Cauſas medias producit Effectus, qui eſſentialiter ſunt finis, formaliter doctrinalium Eccleſiæ, & actualiter uſuum: ita fit homo Templum Dei.

375. II: QUOD CHARITAS ET FIDES SINT MODO RES MENTALES ET CADUCÆ, NISI, DUM FIERI POTEST, DETERMINENTUR IN OPERA, ET IN ILLIS COEXISTANT. Eſtne homini Caput & Corpus, & conjunctio illorum per Cervicem, eſtne in Capite Mens quæ vult & cogitat, & in Corpore potentia, quæ facit & exſequitur; ſi itaque homo ſolum bene vellet, ſeu cogitaret ex Charitate, & non benefaceret, & ageret uſus inde, foretne homo ſicut ſolum Caput & ſic ſicut ſola Mens, quæ ſola abſque corpore non ſubſiſtere poſſunt, quis inde non videt, quod Charitas & Fides non ſint charitas & fides, dum ſolum & capite & ejus mente ſunt, & non in corpore; ſunt enim tunc ſicut aves volantes in aere abſque aliqua ſede ſuper terra; & quoque ſicut aves imprægnatæ ovis abſque nidis, ex quibus ova elaberentur in aerem, aut ſuper ramaſculum alicujus arboris, ac deciderent in terram, & caſſarentur. Non datur aliquid in Mente, cui non correſpondet aliquid in corpore, & hoc quod correſpondet, vocari poteſt illius corporatura, quare Charitas & Fides dum ſolum in mente ſunt, non ſunt incorporatæ homini, & tunc aſſimilari poſſunt homini aereo, qui dicitur Larva, qualis a veteribus picta eſt Fama cum lauru circum caput, & cornucopia in manu; qui quia tales Larvæ ſunt, & uſque poſſunt cogitare, non poſſunt non exagitari ex phantaſiis, quod etiam fit per ratiocinia ex variis ſophiſticis, vix aliter quam cannæ paluſtres ex Vento, ſub quibus in fundo jacent conchæ, & in ſuperficie crocitant ranæ; quis non videre poteſt quod talia fiant, dum modo ſciunt aliqua ex Verbo de Charitate & Fide, & non faciunt illa; dicit etiam Dominus, OMNIS QUI AUDIT VERBA MEA, ET FACIT ILLA, *comparabo viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petra; at* OMNIS AUDIENS VERBA MEA ET NON FACIENS ILLA, *camparabitue viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arena, aut ſuper humo abſque fundamento*, Matth: VII: 24, 26. Luc. VI: 47, 48, 49. Charitas & Fides cum illarum ideis factitiis, dum homo non operatur illas, comparari etiam poſſunt cum papilionibus in aere, quos ad viſos paſſer advolat & deglutit; dicit etiam Dominus, *Exivit ſeminans ad ſeminandum, & alia ceciderunt ſuper viam duram, & venerunt Aves & comederunt ea*, Matth: XIII: 3, 4.

376. Quod Charitas & Fides nihil conducant homini, dum ſolum in ejus corporis hæmiſpherio, hoc eſt, in ejus Capite, hærent, & non firmata ſunt in operibus, conſtat ex mille locis in Verbo, e quibus ſolum hæc afferam, *Omnis Arbor, quæ non* FACIT FRUCTUM BONUM, *exſcinditur & in ignem conjicitur*, Matth: VII: 19, 20, 21. *Ille qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui Verbum audit & attendit, &* FRUCTUM FERT ET FACIT; *cum hæc dixit Jeſus, exclamabat, divens, qui habet aures ad audiendum, audiat*, Matth: XIII: ad 9, 23. *Jeſus dixit, Mater mea, & fratres mei hi ſunt, qui audiunt Verbum Dei &* FACIUNT ILLUD, Luc: VIII: 21. *Scimus quod peccatores Deus non audiat, ſed ſi quis Deum colit, &* VOLUNTATEM EJUS FACIT, hunc audit, Joh: IX: 31. *Si hæc ſcitus, beati eſtis ſi* FECERITIS ILLA, Joh: XIII: 17. *Qui habet præcepta mea, &* FACIT ILLA, *is eſt qui amat Me, & Ego amabo illum, & manifeſtabo illi Me Ipſum, & ad illum veniam, & manſionem apud illum faciam*, Joh. XIV: 14, 15 ad 21. *Ia hoc giorificatus eſt Pater meus, ut* FRUCTUM MULTUM FERATIS, Joh. XV: 15, 16. *Non auditores Legis juſtificantur a deo, ſed factores Legis*, Rom. II: 13. Jac. I. 22. *Deus in die iræ & juſti judicii, reddet unicuique* SECUNDEM OPERA EJUS, Rom. II: 5, 6. *Omnes nos manifeſtari oportet coram Tribunali Chriſti, ut reportet quilibet ea,* QUÆ PER CORPUS PROUT ILLA EECIT, *ſive bonum ſive malum*, II. Cor. V: 10. *Venturus eſt Filius hominis in gloria Patris ſui, & tunc* REDDET UNICUIQUE SECUNDUM FACTA EJUS, Matth. XVI: 27. *Audivi vocem e Cælo dicentem, beati mortui, qui in Domino moriuntur a nunc; dicit Spiritus, ut requieſcant ex laboribus*

ribus ſuis, OPERA ILLORUM SEQUUNTUR CUM ILLIS, Apoc. XIV: 13. *Liber apertus eſt qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui juxta ea qui ſcripta in libro*, OMNES SECUNDUM OPERA ILLORUM, Apc. XX: 12, 13. *Ecce venio cito, & merces mea Mecum, ut dem unicuique* SECUNDUM OPUS EJUS, Apoc. XXII: 12. *Jehovah, cujus oculi aperti ſunt ſuper ommes vias hominum, ad dandum cuivis ſecundum vias ejus, &* SECUNDUM FRUCTUM OPERUM EJUS, Jerem. XXXI: 19. *Viſitabo ſecundum vias ejus, &* OPERA EJUS RETRIBUAM ILLI, Hoſch. IV: 9. *Jehovah juxta vias noſtras, &* JUXTA OPERA NOSTRA FACIT NOBISCUM, Sach. I: 6. præter in millenis aliis locis. Ex his conſtare poteſt, quod Charitas & Fides non ſint charitas & fides priuſquam in Operibus ſunt, & quod ſi modo ſupra Opera ſunt in Expanſo, ſeu in Mente, ſint ſicut imagines Tabernacali aut Templi in aere, quæ non ſunt niſi Meteora, & diſparantur a ſeipſis: & quod ſint ſicut Picturæ ſuper charta, quas blattæ conſumunt: ut & quod ſint ſicut Habitacula ſuper Tecto, ubi non cubile, & non in domo. Ex his nunc videri poteſt, quod Charitas & Fides ſint res caducæ, dum ſolum ſunt mentales, niſi, dum fieri poteſt, determinentur in Opera, & in illis coexiſtant.

377. III. QUOD SOLA CHARITAS NON PRODUAT BONA OPERA, MINUS ADHUC SOLA FIDES, SED QUOD CHARITAS ET FIDES SIMUL; cauſa eſt quia Charitas absque fide non & charitas, neque Fides abſque charitate eſt fides, ut ſupra n. 355 ad 358, oſtenſum eſt, quare ſolitaria Charitas non datur, nec ſolitaria Fides, inde nec dici poteſt, quod Charitas per ſe aliqua bona opera producat, nec quod Fides per ſe; hoc ſimile eſt, quemadmodum cum Voluntate & Intellectu, ſolitaria Voluntas non datur, quare nec aliquid producit, neque ſolitarius Intellectus datur, nec aliquid producit, ſed omnis productio fit ab utroque ſimul, & fit ab Intellectu ex Voluntate; quod hoc ſimile ſit, eſt quia Voluntas eſt habitaculum charitatis, ac Intellectus eſt habitaculum fidei; dicitur, quod adhuc minus ſola Fides, eſt quia Fides eſt Veritas, & ejus operatio eſt facere Veritates, & hæ illuminant charitatem & ejus excercitia; quod illuminent, docet Dominus, dicendo, QUI FACIT VERITATEM, VENIT AD LUCEM, *ut manifeſtentur ejus Opera, quoniam in Deo facta ſunt*, Joh. III: 21; quare dum homo facit bona opera ſecundum veritates, facit illa in luce, hoc eſt, intelligenter & ſapienter. Conjunctio Charitatis & Fides eſt ſicut conjugium mariti & uxoris, ex marito ut patre & ex uxore ut matre naſcuntur omnes proles naturales, ſimillter ex Charitate ut patre & ex fide ut matre naſcuntur omnes proles ſpirituales, quæ ſunt cognitiones boni & veri; ex his cognoſcitur generatio familiarum ſpiritualium; etiam in Verbo in ſpiritnali ſenſu per Maritum & Patrem ſignificatur Bonum Charitatis, ac per Uxorem & Matrem Verum fidei; ex his etiam patet, quod non ſola Charitas nec ſola Fides producere poſſit bona opera, ſicut non ſolus maritus nec ſola Uxor aliquas proles. Veritates fidei non modo illuminant charitatem, ſed etiam qualificant illam, ac inſuper nutriunt illam, quare homo qui charitatem habet & non veritates fidei, eſt ſicut ambulans in Horto tempore noctis, & arripit fructus ex arboribus, & neſcit num ſint boni uſus aut mali uſus. Quoniam veritates fidei non modo charitatem illuminant, ſed etiam hanc qualificant, ut dictum eſt, ſequitur quod charitas abſque veritatibus fidei ſit ſicut fructus abſque ſucco, ſicut torrida ficus, ac ſicut uva poſtquam ex illa vinum eſt expreſſum: quoniam veritates nutriunt fidem, ut quoque dictum eſt, ſequitur, quod ſi charitas eſt abſque veritatibus fidei, non alia ei nutritio ſit, quam eſt homini ex eſu panis aduſti & ſimul potu aquæ immundæ ex quodam ſtagno.

IX.

Quod ſit Fides vera, Fides ſpuria, & Fides hypocritica.

378. Eccleſia Chriſtiana ab incunabulis ſuis incepit a ſchiſmatibus & hæreſibus infeſtari ac diſcindi, et ſucceſſu temporis lacerari & dilaniari, vix aliter quam ſicut legitur de homine, qui deſcendit a Hieroſolyna Jerichuntem, a latronibus circundatus eſt, qui poſtquam exuerunt illum, & plagas inflixerunt, reliquerunt illum ſemimortuum, Luc. X: 30. unde factum eſt ſicut legitur de Eccleſia illa apud Danielem, *Tandem ſuper avem abominationum deſolatio, & uſque ad conſummationem & deciſum, ſtillabit ſuper devaſtationem*, Cap. IX: 27. & ſecundum hæc a Domino, *Tunc veniet finis, cum videritis abominationem deſolationis prædictam a Daniele Propheta*, Matth. XXIV: 14, 15. Sors ejus comparari poteſt cum Navi mereibus maximi pretii onuſta, quæ a portu dum exivit, illico agitata eſt procellis, & poſt paulo in mari facta naufraga ſubſidit, & tunc merces ejus partim corruptæ ab aquis, & partim diſtractæ a piſcibus. Quod Eccleſia Chriſtiana ab Infantia ſua ita vexata & diſciſſa fuerit, conſtat ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, ut quod ipſo tempore Apoſtolorum a SIMONE, qui fuit gente Samaritanus, & arte Magus, de quo in act. Apoſt. Cap. VIII: 9. ſeq. & quoque ab HYMENÆO & PHILETO, qui memorantur a Paulo in Epiſt. ad Timotheum; ut & a NICOLAO, a quo Nicolaitæ ita dicti, qui nominantur Apoc. II: 6. & Actor. VI: 5. præter a CORINTHO. Poſt Apoſtolorum tempora inſurrexerunt plures alii, ut MARCIONITÆ. Noetiani, VALENTINIANI, ENCRATITÆ, CATAPHRYGES, QUARTO DECIMANI, ALOGIANI, CATHARI, ORIGENISTÆ ſeu ADAMANTINI, SABELLIANI, SAMOSATENI MANICHÆI, MELETIANI, & demum ARIANI, Poſt horum tempora étiam phalanges Hæreſiarcharum Eccleſiam invaſerunt, ut DONATISTÆ, PHOTINIANI, ACATIANI ſeu SEMIARIANI, EUNOMIANI, MACEDONIANI, NESTORIANI, PRÆDESTINATIANI, PAPÆI, ZWINGLIANI, ANABAPTISTÆ, SWENCKFELDIANI, SYNERGISTÆ, SOCINIANI, ANTETRINITARII, QUAQUERI, HEERENHUTERI, præter alias plures; & tandem his prævaluerunt, LUTHERUS, MELANCHTON, & CALVINUS, quorum dogmata hodie regnant. Cauſæ tot diſcidiorum & ſeditionum in Eccleſia ſunt *principaliter* tres; PRIMA, quod Divina Trinitas non intellecta ſit: SECUNDA, quod non aliqua juſta cognitio Domini fuerit: TERTIA, quod Paſſio crucis pro ipſa Redemptione aſſumta ſit; dum hac Tria ignorantur, quæ tamen ſunt ipſa Eſſentialia Fidei, ex qua Eccleſia eſt et nominatur Eccleſia, non poteſt aliter, quam quod omnia ejus in ſiniſtrum & diverſum traherentur, & tandem in oppoſitum, & cum ibi eſt, uſqus credere quod ſit in vera Fide in Deum, & in Fide omnium Veritatum Dei: cum his ſimile eſt ſicut cum illis, qui velant oculos peniculamento, & ſic in phantaſia ſua gradiuntur recta via, & tamen greſſus poſt greſſus obliquant, & flectunt tandem in oppoſitum, ubi caverna, in quam cadunt. Sed homo Eccleſiæ non aliter poteſt ab erratico ſuo reduci in viam veri, quam per quod ſciat, quid Fides vera, quid Fides ſpuria, & quid Fides hypocritica, quare demonſtrabitur I. Quod Fides vera ſit unica, & quod ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, & quod ſit apud illos qui credunt Ipſum eſſe Filium Dei, Deum Cæli & Terræ, ac unum cum Patre. II. Quod Fides ſpuria ſit omnis Fides, quæ recedit a vera, quæ eſt unica, & quod ſit apud illos, qui aliunde aſcendunt, & Dominum non ut Deum, ſed ſolummodo ut Hominem ſpectant. III. Quod Fides hypocritica ſit nulla fides.

379. I. QUOD FIDES VERA SIT UNICA, ET QUOD SIT IN DOMINUM DEUM SALVATOREM JESUM CHRISTUM, ET QUOD SIT APUD ILLOS, QUI CREDUNT IPSUM ESSE

Filium Dei, Deum Cæli et Terræ, ac unum cum Patre. Quod Fides vera ſit unica, eſt quia fides eſt veritas, ac veritas non poteſt confringi & biſſecari, ut pars ejus vergat ad ſiniſtrum & pars ad dextrum, & maneat ſua veritas: Fides in communi ſenſu conſtat ex innumeris veritatibus, eſt enim complexus illarum, ſed innumeræ illæ faciunt ſicut unum Corpus, & in illo Corpore ſunt Veritates, quæ faciunt membra ejus, quædam faciunt membra quæ pendent a pectore, ut brachia & manus, quædam quæ pendent a lumbis, ut pedes & plantæ; veritates autem interiores faciunt Caput, & veritates quæ proxime inde procedunt, faciunt Senſoria quæ in facie ſunt; quod Veritates interiores faciant Caput, eſt quia dum nominatur Interius, intelligitur etiam Superius, nam in Mundo ſpirituali omnia interiora ſunt etiam ſuperiora, ita eſt cum tribus Cælis ibi; hujus Corporis & omnium ejus membrorum Anima & Vita, eſt Dominus Deus Salvator, inde eſt, quod Eccleſia a Paulo vocata ſit Corpus Chriſti, & quod homines Eccleſiæ ſecundum ſtatus charitatis & fidei apud illos faciant membra ejus; quod Fides vera ſit unica, etiam docet Paulus ita, *Eſt unum Corpus & unus Spiritus, unus Dominus*, una Fides, *unum Baptiſma, unus Deus*; *dedit opus miniſterii in ædificationem* Corporis Christi, *uſque dum perveniamus omnes in* Unitatem Fidei, *& cognitionem Filii Dei, & vitam perfectam in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, ad Epheſ. IV: 4. 5. 6. 12. 13. Quod Fides vera, quæ eſt unica, ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, ſupra n: 337. 338: 339, plene oſtenſum eſt. Quod autem Fides vera ſit apud illos qui credunt Dominum eſſe Filium Dei, cauſa eſt, quia illi etiam credunt quod ſit Deus, & fides non eſt fides niſi in Deum; quod hoc fidei ſit primarium omnium veritatum quæ ingrediuntur Fidem, & formant illam, conſtat ex Domini Verbis ad Petrum, cum dixit, Tu es Christus Filius Dei viventis; *beatus es Simon, tibi dico, ſuper hac Petra ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferni non prævalebunt illi*, Matth. XVI: 16. 17; per Petram hic, ut alibi in Verbo, intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, & quoque Divinum Verum a Domino; quod hoc Verum ſit Primarium, & ſicut diadema ſuper capite, & ſicut ſceptrum in manu Corporis Chriſti, conſtat ex verbis Domini, quod ſuper illam Petram ædificaturus ſit Eccleſiam ſuam, & quod portæ Inferni non prævalituræ ſint illi: quod hoc fidei tale ſit, conſtat etiam ex his apud Johannem, *Quiſquis confeſſus fuerit, quod Jeſus ſit Filius Dei, Deus in eo manet, & ille in Deo*, Epiſt. IV: 15. Præter hoc Characteriſticon quod ſint in vera fide quæ unica, eſt etiam alterum, quod credant Dominum eſſe Deum Cæli & Terræ, hoc ſequitur ex priori, quod ſit Filius Dei, & ex his, *Quod in Ipſo ſit omnis plenitudo Divinitatis*, Coloſſ. II: 9. *Quod ſit Deus Cæli & Terræ*, Matth. XXVIII: 18. *Quod omnia Patris Ipſius ſint*, Joh. III: 35. Cap. XVI: 15. Tertium indicium, quod illi qui credunt in Dominum, ſint interius in fide in Ipſium, ita in vera fide quæ unica, credant quod Dominus ſit unum cum Deo Patre, quod unus ſit cum Deo Patre, & quod ſit ipſe Pater in Humano, plene oſtenſum eſt in Capite de Domino & Redemptione, & evidenter conſtat ab Ipſius Domini verbis, *Quod Pater & Ipſe unum ſint*, Joh. X: 30. *Quod Pater in Ipſo & Ipſe in Patre ſit*, Joh. X: 38. Cap. XIV: 10. 11. *Quod dixerit ad Diſcipulos, quod a nunc viderint & cognoverint Patrem*, & quod aſpexerit Philippum, & dixerit, *quod nunc videat & cognoſcat Patrem*, Joh. XIV: 7. ſeq. Quod hæc Tria ſint Teſtimonia Characteriſtica, quod ſint in fide in Dominum, ita in vera fide quæ eſt unica, eſt quia non omnes illi qui adeunt Dominum, in fide in Ipſum ſunt, vera enim fides eſt interna & ſimul externa, illi apud quos tres illæ pretioſitates fidei ſunt, tam in internis illius fidei quam in externis ejus ſunt, ita eſt illa non modo theſaurus in corde illorum, ſed etiam cimelium in ore illorum; aliter apud illos, qui non agnoſcunt Ipſum Deum Cæli & Terræ, & non Unum cum Patre, hi interius etiam ſpectant ad alios Deos, quibus eſt ſimilis poteſtas, ſed quod hæc exercenda ſit a Filio, aut ſicut Vicario, aut ſicut qui propter Redemp-

demptionem meruit regnare ſuper illos quos redemit; ſed hi veram fidem diffringunt per diviſionem unitatis Dei, qua diffracta non amplius eſt fides, ſed modo larva fidei, quæ naturaliter viſa apparet ſicut aliqua imago ejus, ſed ſpiritualiter viſa fit chimera: quis poteſt negare, quin vera fides ſit in unum Deum, qui eſt Deus Cæli & Terræ, conſequenter in Deum Patrem in forma humana, ita in Dominum. Illi tres Characteres, Teſtes, & Indices, quod fides in Dominum ſit ipſa fides, ſunt ſicut Lapides lydii, per quos cognoſcitur aurum & argentum: & ſunt ſicut lapides aut manus in viis, qui monſtrant viam ad Templum, ubi unus & verus Deus colitur: & ſunt ſicut lampades ſuper petris in mari, ex quibus navigantes in noctibus ſciunt ubi ſunt, & quo vento dirigent naves; Primus Character fidei, qui eſt, quod Dominus ſit Filius Dei viventis, eſt ſicut Stella matutina omnibus, qui intrant in Ipſius Eccleſiam.

¶ 380. II. QUOD FIDES SPURIA SIT OMNIS FIDES, QUÆ RECEDIT A VERA QUÆ EST UNICA, ET QUOD SIT APUD ILLOS, QUI ALIUNDE ASCENDUNT, ET DOMINUM NON UT DEUM SED SOLUMMODO UT HOMINEM SPECTANT. Quod Fides ſpuria ſit omnis fides, quæ a vera quæ eſt unica, recedit, ex ſe patet, nam dum unica eſt verum, ſequitur quod id quod recedit, non ſit verum; omne bonum & verum Eccleſiæ propagantur a Conjugio Domini & Eccleſiæ, ita omne id quod eſſentialiter eſt charitas, & eſſentialiter fides, eſt ex illo conjugio, at vero quicquid duarum illarum non ex illo eſt, non eſt ex toro legitimo, ſed illegitimo, ita vel ex toro ſeu conjugio polygamico, vel ex adulterio; ex polygamico eſt omnis fides, quæ agnoſcit Dominum, & adoptat falſa hæreſium; & fides ex adulterio eſt, qui agnoſcit tres Dominos unius Eccleſiæ, eſt enim vel ſicut fœmina meretrix, aut ſicut mulier nupta uni viro, & locat noctes duobus aliis, & dum cubat cum illis, vocat quemlibet ſuum virum; inde eſt, quod fides illarum dicantur ſpuriæ; hos Dominus multis in locis vocat adulteros, & quoque hos intelligit per fures & latrones apud Johannem, *Amen dico vobis, qui non ingreditur per Januam in Ovile*, SED ASCENDIT ALIUNDE, *is eſt fur & latro: Ego ſum Janua, per Me ſi quis introiverit, ſalvabitur*, Cap. X: 1. 9; ingredi in Ovile eſt in Eccleſiam, & quoque eſt ingredi in Cælum; quod etiam ſit in Cælum, eſt quia unum faciunt, & non aliad facit Cælum quam Eccleſia ibi; quapropter quemadmodum Dominus eſt Sponſus & Maritus Eccleſiæ, ita quoque eſt Sponſus & Maritus Cæli. Explorari & cognoſci poteſt, num Fides ſit proles legitima, vel num proles ſpuria, ex tribus illius indiciis, de quibus ſupra, quæ ſunt, Agnitio Domini pro Filio Dei, agnitio Ipſius pro Deo Cæli & Terræ, & agnitio quod unus ſit cum Patre, quantum itaque Fides aliqua recedit ab his eſſentialibus ſuis, tantum eſt ſpuria. Fides ſpuria & ſimul adultera eſt apud illos, qui Dominum non ut Deum, ſed ſolummodo ut hominem ſpectant: Quod ita ſit, manifeſte patet a binis nefandis Hæreſibus, ARIANA & SOCINIANA, quæ in Eccleſia Chriſtiana anathemizatæ & ex illa excommunicatæ ſunt, & hoc ideo quia Divinitatem Domini negant, & aliunde aſcendunt: ſed vereor, quod abominationes illæ in communi ſpiritu hominum Eccleſiæ hodie lateant occultatæ. Hoc mirabile eſt, quod quo quis credit ſe eruditione & judicio præſtantiorem aliis, eo pronius arripiat & appropriet ſibi ideas de Domino, quod ſit Homo & non Deus, & quod quia eſt Homo non poſſit eſſe Deus, & qui illas ideas ſibi appropriat, is in ſodalitium Arianorum & Socinianorum, qui in Mundo ſpirituali in Inferno ſunt, ſe infert. Quod communis ſpiritus hominum Eccleſiæ hodie talis ſit, eſt cauſa, quia apud unumquemvis hominem eſt ſpiritus conſocius, nam homo abſque eo non poteſt analytice, rationaliter & ſpiritualiter cogitare, ita non eſſet homo ſed brutum; & quiſque homo adſciſcit ſibi ſpiritum ſimilem ſuæ voluntatis affectioni & inde intellectus perceptioni, ille qui inducit ſe in affectiones bonas per veritates ex Verbo & per vitam ſecundum illas, huic adjungitur Angelus e Cælo, at qui ſe inducit in affectiones malas per confirmationes falſitatum & per vitam malam, huic

ſe

ſe adjungit Spiritus ex Inferno, quo adjuncto, homo plus & plus init ſicut fraternitatem cum Satanis, & tunc plus & plus ſe confirmat in falſis contra vera in Verbo, & in abominatione Ariana & Sociniana contra Dominum; cauſa eſt, quia omnes Satanæ non ſuſtinent audire aliquod verum ex Verbo, nec nominari Jeſum; quæ ſi audiunt, fiunt ſicut furiæ, diſcurrunt & blaſphemant; & tunc ſi lux e Cælo influit, præcipites ſe conjiciunt in cavernas, & in caliginem ſuam, in qua illis eſt lux ſicut eſt Noctuis in tenebris, & qualis Felibus in cellis dum inſectantur mures: tales fiunt omnes poſt mortem qui Divinitatem Domini & Sanctitatem Verbi corde & fide negant: Internus illorum homo talis eſt, utcunque Externus agit Mimum, & mentitur Chriſtianum; quod ita ſit, ſcio, quia vidi & audivi. Omnes qui Dominum ut Redemptorem & Salvatorem honorant ſolum ore & labiis, at corde & ſpiritu Ipſum ut merum hominem aſpiciunt, illi dum illa loquuntur & docent, bucca illorum eſt ſicut uter mellis, at cor ſicut uter fellis; verba eorum ſunt ſicut panes ſaccharini, at cogitationes ſicut mulſa ex aconitis; & ſunt ſicut volvuli placentarum, in quibus ſunt acontiæ; ſi ſunt ſacerdotes, ſunt ſicut piratæ in mari, qui appendunt vexillum regni pacis, at dum propinqua Navis ad illos ut amicos appellit, vexillum piraticum loco prioris attollunt, & navem cum populo ejus abducunt in captivitatem; illi etiam ſunt ſicut Serpentes arboris ſcientiæ boni & mali, qui accedunt ſicut Angeli lucis, tenentes in mann poma inde picta coloribus fulvis, ſicut deſumta ex Arbore vitæ, ac porrigunt & dicunt, *ſcit Deus quo die comederitis ex illis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*, Gen. III: 5, & cum comederunt, ſequuntur Serpentem in Oreum, & cohabitant; circum Orcum illum ſunt Satanæ, qui ex pomis Arii & Socini comederunt: Intelliguntur etiam per illum, qui non indutus veſte nuptiarum intravit, qui conjectus eſt in tenebras exteriores, Matth. XXII: 11. 12. 13; veſtis nuptiarum eſt Fides in Dominum ut Filium Dei, Deum Cæli & Terræ, ac unum cum Patre. Illi qui Dominum ſolum ore & labiis honorant, at corde & ſpiritu Ipſum ut merum hominem aſpiciunt, ſi aperiunt ſua cogitata & perſuadent aliis, ſunt Spirituales homicidæ, ac peſſimi illorum ſpirituales anthropophagi, vita enim homini eſt ex amore & fide in Dominum, at ſi removetur hoc eſſentiale fidei & amoris, quod Dominus ſit Deus Homo & Homo Deus, fit vita ejus mors; ſic itaque occiditur homo, ac devoratur ſicut agnus a lupo.

381. III. QUOD FIDES HYPOCRITICA SIT NULLA FIDES. Homo fit hypocrica, dum multum cogitat de ſe, & ſe præfert aliis, ita enim cogitationes & affectiones mentis ſuæ determinat & infundit in corpus ſuum, & cum hujus ſenſibus illas conjungit; inde fit homo naturalis, ſenſualis & corporeus, & tunc Mens ejus non poteſt extrahi a carne, cum qua cohæret, & elevari ad Deum, & videre aliquid Dei in luce Cæli, hoc eſt, non aliquid ſpirituale; & quia eſt carneus homo, ſpiritualia quæ intrant, quod fit per auditum in intellectum, non aliter apparent ei quam larvæ, & quam flocci in aere, imo ſicut muſcæ circum caput currentis & ſudantis equi, quopropter corde ſubſannat illa; nam quod Naturalis homo ſpectet illa quæ Spiritus ſunt, ſeu ſpiritualia, ut deliria, notum eſt. Hypocrita inter naturales homines eſt infime naturalis, eſt enim ſenſualis, nam Mens ejus arcte ligata eſt cum ſenſibus corporis ejus, & inde non aliud amat videre, quam quod Senſus ejus ſuggerunt, & Senſus quia in natura ſunt, adigunt Mentem cogitare de omni re ex Natura, ita quoque de omnibus fidei. Si Hypocrita ille fit Concionator, retinet in memoria talia quæ dicta ſunt de fide in puerili & adoleſcente ætate; ſed quia intus in illis nihil ſpirituale eſt, ſed mere naturale, dum profert illa coram Cætu, non ſunt niſi quam voces inanimatæ; quod ſonent ſicut animatæ, eſt hoc ex jucundis amoris ſui & Mundi, ex quibus ſecundum facundiam clangunt, ac aures, vix aliter quam ſolent harmoniæ cantus, mulcent. Hypocrita concionator poſt ſermonem cum domum redit, ad omnia quæ de fide, & quæ ex Verbo coram

ram Cætu protulit, ridet, & forte ſecum dicit, projeci rete in lacum, & captavi rhombos & conchas, nam ut tales apparent in phantaſia ejus omnes qui in vera fide ſunt. Eſt hypocrita ſicut ſculptile, cui duplex caput, unum intra alterum, caput internum cohæret cum trunco ſeu corpore, externum quod eſt rotatile circum internum, eſt anterius pictum coloribus germanis ſicut facies humana, non abſimile capitibus ligneis expoſitis ad tabernas artificum qui capillamenta concinnant. Eſt ſicut Navicula, quam nauta per applicationem veli cum vento & contra ventum ad lubitum poteſt dirigere, faventia ejus pro omni, qui carnis & ſenſuum ejus jucundis indulget, talis velificatto eſt. Miniſtri, qui hypocritæ ſunt, perfecti comædi, mimi, & hiſtriones ſunt, qui agere poſſunt perſonas Regum, Ducum, Primatum, Epiſcoporum, & mox dum exuunt veſtes theatrales, intrant lupanaria & cum ſcortis cohabitant. Sunt quoque ſicut Januæ pendentes a rotundo cardine, qui verti poſſunt cis & retro; talis eſt Mens illorum, hæc enim poteſt aperiri a parte inferni, & a parte cæli, & cum aperta eſt verſus unum latus, occluſa eſt verſus alterum; nam, quod mirabile eſt, tempore quo miniſtrant ſancta, & docent vera ex Verbo, non ſciunt aliter quam quod credant illa, eſt enim tunc janua a parte inferni occluſa; at mox ut domum redeunt, non credunt hilum, eſt enim tunc janua a parte cæli occluſa. Apud ſumme hypocritas eſt inimicitia inteſtina contra vere ſpirttuales homines, eſt enim qualis eſt Satanarum contra Angelos Cæli; quod ita ſit, ab illis non ſentitur tempore quo vivunt in Mundo, ſed ſe manifeſtat poſt mortem, quando externum illorum, per quod mentiti ſunt ſpiritualem hominem, ablatum eſt, quoniam eſt Internus illorum homo, qui talis Satanas eſt. Sed dicam, qualiter ſpirituales hypocritæ, qui ſunt *qui in indumentis ovium incedunt, & intrinſecus ſunt lupi rapaces*, Matth. VII: 15, apparent coram Angelis Cæli, apparent ſicut harioli ambulantes ſuper palmis manuum, orantes, qui ore ex corde clamant ad dæmones, & oſculantur illos, ſed complodunt calceos in aere, & ſic ſonant ad Deum; at cum ſtant ſuper pedibus, apparent quoad oculos ſicut pardi, quoad greſſus ſicut lupi, quoad os ſicut vulpes, quoad dentes ſicut crocodili, & quoad fidem ſicut vultures.

X.

Quod nulla fides ſit apud malos.

382. Omnes illi mali ſunt, qui negant creationem Mundi a Deo, & ſic Deum, nam ſunt Naturaliſtæ athei; quod omnes illi mali ſint, eſt quia omne bonum, quod non modo naturaliter ſed etiam ſpiritualiter bonum eſt, a Deo eſt, quare illi, qui negant Deum, non volunt & ideo non poſſunt recipere aliquod bonum aliunde, quam ex ſuo proprio, & proprium hominis eſt concupiſcentia carnis ejus, & quicquid ex hac procedit, ſpiritualiter malum eſt, utcunque naturaliter apparet bonum: hi ſunt theoretice mali; at practice mali ſunt, qui nihili faciunt Præcepta Divina, quæ in ſumma exſtant in Decalogo, & vivunt ſicut exleges, quod illi quoque corde negent Deum, tametſi multi ex illis ore confitentur Deum, eſt quia Deus & Præcepta Ipſius unum faciunt, quapropter decem Præcepta Decalogi vocata ſunt JEHOVAH IBI, Num. X: 35. 36. Pſalm CXXXII: 7. 8. Sed ut manifeſtius pateat, quod nulla fides ſit malis, concluſio fiet ex his duobus Problematibus, I. *Quod Malis nulla fides ſit, quia malum eſt Inferni, & fides eſt Cæli.* II. *Quod omnibus illis in Chriſtianiſmo nulla fides ſit, qui reprobant Dominum & Verbum, tametſi moraliter vivunt, ac rationaliter, etiam de fide, loquuntur, docent & ſcribunt*; ſed de his ſingulatim.

383. I. QUOD MALIS NULLA FIDES SIT, QUIA MALUM EST INFERNI, ET FIDES EST CÆLI. Quòd malum ſit Inferni, eſt quia omne malum inde eſt, quod fides ſit Cæli, eſt quia omne verum quod fidei eſt, e Cælo eſt; homo quamdiu in Mundo vivit, in medio inter Cælum & infernum tenetur & ambulat, & ibi in æquilibrio ſpirituali, quod eſt Liberum ejus arbitrium; Infernum eſt ſub pedibus ejus, & Cælum eſt ſupra caput ejus, & quicquid ex Inferno aſcendit, eſt malum & falſum, at quicquid e Cælo deſcendit, eſt bonum & verum; homo, quoniam in medio inter duo illa oppoſita eſt, & ſimul in æquilibrio ſpirituali, poteſt eligere, adoptare & ſibi appropriare unum aut alterum ex libero, ſi malum & falſum, conjungit ſe cum Inferno, at ſi bonum & verum, conjungit ſe cum Cælo; ex his non modo patet, quod malum ſit Inferni & fides cæli, ſed etiam quod duo illa non poſſint ſimul eſſe in uno ſubjecto ſeu homine, ſi enim ſimul forent, diſtraheretur homo tanquam circumligatus duobus funibus, & traheretur ab uno ſurſum, & ab altero deorſum, & ſic fieret ſunt pendulus in aere: & hoc foret tanquam volaret, ſicut merula, nunc ſurſum & nunc deorſum, & cum ſurſum, adoraret Deum, & cum deorſum adoraret Diabolum, quod hoc profanum ſit, quiſque videt; *Quod nemo poſſit duobus Dominis ſervire, quin unum odio habeat, & alterum diligat*, docet Dominus apud Matthæum Cap. VI: 24. Quod ubi malum, non ſit fides, illuſtrari poteſt per varias comparationes, ut per has; malum eſt ſicut ignis, ignis infernalis nec aliud eſt quam amor mali, ac conſumit fidem ſicut ſtipulam, & redigit illam & omnia ejus in cinerem: Malum habitat in caligine, ac fides in luce, & malum per falſa exſtingvit fidem, ſicut caligo lucem: Malum eſt nigrum ſicut atramentum, & fides eſt alba ſicut nix, & candida ſicut aqua, ac malum denigrat fidem, ſicut atramentum nivem & aquam: Porro malum & verum fidei non poſſunt conjungi aliter quam putidum cum aromatico, quam lotium cum vino ſaporis, & non poſſunt ſimul eſſe, quam ſicut mortuus graveolens cum vivo in uno lecto; & non poſſunt commorari, plus quam ſicut lupus in caula ovium, & ſicut acciter in columbario, & ſicut vulpis in gallinario.

384. II. QUOD OMNIBUS ILLIS IN CHRISTIANISMO NULLA FIDES SIT, QUI REPROBANT DOMINUM ET VERBUM, TAMETSI MORALITER VIVUNT, AC RATIONALITER, ETIAM DE FIDE, LOQUUNTUR, DOCENT, ET SCRIBUNT, Hoc ſequitur ut Concluſum ex omnibus quæ præcedunt; oſtenſum enim eſt, quod Fides, quæ vera & unica, ſit in Dominum & a Domino, & quod Fides, quæ non eſt in Ipſum & ab Ipſo, non ſit Fides ſpiritualis, ſed naturalis, & fides mere naturalis non eſſentiam fidei in ſe habet. Inſuper Fides eſt ex Verbo, non aliunde eſt quia Verbum eſt a Domino, & inde Ipſe Dominus eſt in Verbo, quare dicit, *quod ſit Verbum*, Joh. I: 1. 2; inde ſequitur, quod qui reprobant Verbum, etiam reprobent Dominum, cohærent enim ut unum; tum quod qui reprobant unum aut alterum, etiam reprobent Eccleſiam, quia Eccleſia eſt a Domino per Verbum; & porro, quod qui reprobant Eccleſiam, ſint extra Cælum, nam Eccleſia introducit in Cælum, & qui extra Cælum ſunt, inter damnanatos ſunt, & his nulla fides eſt. Quod illis, qui reprobant Dominum & Verbum, nulla fides ſit, tametſi moraliter vivunt, & rationaliter, etiam de fide, loquuntur, docent & ſcribunt, eſt cauſa, quia illis non eſt vita moralis ſpiritualis, ſed naturalis, nec mens rationalis ſpiritualis, ſed naturalis, ac moralitas & rationalitas mere naturalis in ſe eſt mortua, quare illis ut mortuis non eſt aliqua fides. Homo mere naturalis, & quoad fidem mortuus, poteſt quidem de Fide, de Charitate, & de Deo loqui & docere, ſed non ex Fide, ex Charitate & ex Deo. Quod illis ſolis ſit Fides, qui credunt in Dominum, & quod aliis non ſit fides, conſtat ex his locis, *Qui credit in Filium, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 18. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Joh. III: 36. *Jeſus dixit, cum venerit Spiritus veritatis, ar-*

arguet Mundum de peccato, quod non credant in Me, Joh. XVI: 8. 9: & ad Judæos, *Niſi credideritis quod Ego ſim, moriemini in peccatis veſtris*, Joh. VIII: 24. Quare dicit David, *Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te; oſculamini Filium, ne iraſcatur & pereatis in via; beati omnes confidentes in Ipſo*, Pſalm II: 7. 12. Quod nulla fides, quia nulla in Dominum, ut Filium Dei, Deum Cæli & Terræ, ac unum cum Patre, in Conſummationæ ſæculi, quæ eſt ultimum tempus Eccleſiæ, futura ſit, prædicit Dominus apud Evangeliſtas, dicendo, *Quod futura ſit abominatio deſolationis, & quod afflictio, qualis non fuit, nec futura eſt: & quod Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo*, Matth. XXIV: 15. 21. 29; & in Apocalypſi, *Quod Satanas ſolutus e cuſtodia ſua, exibit ad ſeducendum gentes, quæ in quatuor angulis Terræ, quarum numerus ſicut arena maris*, Cap. XX: 8. Et quia Dominus hoc prævidit, etiam dixit, VERUMTAMEN FILIUS HOMINIS VENIENS NUM INVENIET FIDEM SUPER TERRA, Luc. XVIII: 8.

✤ ✤ ✤ ✤ ✤

385. His adjungentur hæc MEMORABILIA; PRIMUM. Quondam mihi dixit aliquis Angelus, vis videre clare quid FIDES & CHARITAS, ita quid Fides ſeparata a Charitate, & quid Fides conjuncta Charitati, & demonſtrabo ad oculum; reſpondi, demonſtra; & dixit, cogita pro Fide & Charitate Lucem & Calorem, & clare videbis; Fides in ſua eſſentia eſt Veritas quæ ſapientiæ, & Charitas in ſua eſſentia eſt Affectio amoris, ac Veritas ſapientiæ in Cælo eſt Lux, & Affectio amoris in Cælo eſt Calor; Lux & Calor in quo ſunt Angeli, eſſentialiter non aliud ſunt; exinde videre potes clare, quid Fides ſeparata a Charitate, & quid Fides conjuncta Charitati. Fides ſeparata a Charitate eſt ſicut Lux hyemalis, ac Fides conjuncta Charitati eſt ſicut Lux vernalis: Lux hyemalis, quæ eſt Lux ſeparata a Calore, quæ quia eſt conjuncta frigori, prorſus denudat arbores, etiam a foliis, enecat gramen, indurat terram, & congelat aquas: Lux autem vernalis, quæ eſt Lux conjuncta calori, vegetat arbores, primum in folia, tum in flores, & denique in fructus, aperit & emollit terram, ut producat gramina, herbas, flores & frutices, & quoque ſolvit glaciem, ut fluant e fontibus aquæ. Prorſus ſimile eſt cum Fide & Charitate; Fides ſeparata a Charitate mortificat omnia, & Fides conjuncta Charitati vivificat omnia: Vivificatio hæc & Mortificatio illa, ad vivum poſſunt videri in Mundo noſtro ſpirituali, quia hic eſt Fides Lux, & Charitas Calor; ubi enim Fides conjuncta Charitati eſt, ibi ſunt Horti paradiſiaci, Floreta & Vireta in ſua amænitate ſecundum conjunctionem: at ubi Fides ſeparata a Charitate eſt, ibi ne quidem gramen eſt, & ubi viride, eſt id ex vepribus & ſentibus: Erant tunc non procul aliqui ex Clero, quos Angelus vocabat Juſtificatores & Sanctificatores hominum per ſolam fidem, & quoque Arcaniſtas; eadem hæc diximus illis, & demonſtravimus uſque ut viderent quod ita ſit, & cum quæſivimus, annon ita, averterunt ſe, & dixerunt, non audivimus; at clamavimus ad illos dicendo, audite itaque adhuc, ſed tunc ponebant ambas manus ante aures, ac vociferati, non volumus audire.

Poſt hæc audita loquutus ſum cum Angelo de Fide ſolitaria, & dixi, quod per vivam experientiam mihi datum ſit ſcire, quod illa Fides ſit ſicut Lux hyemalis; & narravi, quod per aliquot annos præteriverint me Spiritus ex varia fide, & quod quoties approximarunt illi, qui ſeparaverunt Fidem a Charitate, tale frigus invaſerit pedes meos, & ſucceſſive lumbos & demum pectus, ut vix ſcirem aliter quam quod omne vitale corporis mei exſtinctum iret; quod etiam eveniſſet, niſi Dominus abegiſſet Spiritus illos, & me liberaviſſet: hoc mirabile mihi viſum

eſt, quod ipſi illi Spiritus non ſentirent aliquod frigus in ſe, hoc faſſi ſunt, quare comparavi illos cum piſcibus ſub glacie, qui nec aliquod frigus ſentiunt, quoniam vita & inde natura eorum in ſe eſt frigida: percepi tunc, quod frigus illud ex luce fatua fidei illorum emanaverit, ſimiliter ut fit ex locis paluſtribus & ſulphureis temporibus mediæ hyemis poſtquam Sol occidit; talem lucem fatuam & frigidam viatores paſſim vident. Illi comparari poſſunt montibus ex mera glacie divulſis e locis ſuis in terris borealibus, qui in Oceano hic & ibi feruntur, de quibus narratum audivi, quod ad approximationem illorum omnes qui ſuper navibus ſunt, ex frigore contremiſcant; quare Cætus ex illis, qui in fide ſeparata a charitate ſunt, aſſimilari poſſunt illis montibus, & ſi lubet ita etiam vocari. Notum eſt ex Verbo, quod Fides abſque charitate ſit mortua, at dicam unde ejus mors; mors ejus eſt ex frigore, & ex quo Fides illa exſpirat ſicut avis in intenſa bruma, quæ primum moritur quoad viſum, & ſimul tunc quoad volatum, & demum quoad reſpirationem, & tunc præceps e ramo decidit in nivem, & inſepelitur.

386. Secundum Memorabile. Quodam mane experrectus e ſomno vidi duos Angelos deſcendentes e Cælo, unum e Meridie Cæli, & alterum ex Oriente Cæli, utrumque in Curribus, quibus alligati ſunt Equi albi; Currus in quo vectus eſt Angelus e Meridie Cæli, ſplendebat ſicut ex argento, & Currus, in quo vectus eſt Angelus ex Oriente Cæli, ſplendebat ſicut ex auro, & habenæ, quas tenebant manibus, fulgebant ſicut ex luce flammea auroræ: ita mihi viſi ſunt duo illi Angeli e longinquo, ſed cum prope venerunt, non apparebant in Curru, ſed in ſua Forma angelica, quæ eſt humana; ille, qui ab Oriente Cæli venit, in Veſte ſplendente purpurea erat, & ille qui a Meridie Cæli, in veſte hyacinthina. Hi cum ſub Cælis in inferioribus erant, accurrebat unus ad alterum, ſicut æmularentur quis prior, & ſe mutuo amplexi & oſculati ſunt; audivi quod duo illi Angeli, dum in Mundo vixerunt, fuerint amicitia interiore conjuncti, ſed nunc unus in Cælo Orientali, alter in Cælo Meridionali; in Cælo orientali ſunt qui a Domino in amore ſunt, in Cælo autem Meridionali, qui a Domino in ſapientia ſunt. Illi, poſtquam aliquamdiu colloquuti ſunt de magnificis in Cælis ſuis, venit in ſermonem illorum hoc, num Cælum in eſſentia ſua ſit Amor, vel num Sapientia; conveniebant illieo, quod unum ſit alterius, ſed cujus ab origine, ventilabant. Ille Angelus, qui e Cælo ſapientiæ erat, quæſivit alterum, quid Amor, & reſpondit, quod Amor oriundus a Domino ut Sole, ſit Calor vitæ angelorum & hominum, ita eſſe vitæ illorum; & quod derivationes amoris dicantur affectiones, & quod per has producantur perceptiones & ſic cogitationes; ex quo fluit, quod Sapientia ex origine ſua ſit Amor, conſequenter quod Cogitatio ex origine ſua ſit Affectio illius amoris, & quod videri poſſit ex derivationibus in ſuo ordine luſtratis, quod Cogitatio non aliud ſit quam Forma affectionis, & quod hoc neſciatur, quia Cogitationes in luce ſunt, ſed Affectiones in Calore, & quod ideo ſuper Cogitationes reflectatur, non autem ſuper Affectiones. Quod Cogitatio non aliud ſit quam forma affectionis alicujus amoris, etiam illuſtrari poteſt per loquelam, quod hæc non aliud ſit, quam forma ſoni; ſimile etiam eſt, quia Sonus correſpondet affectioni, & loquela cogitationi, quare affectio ſonat, & cogitatio loquitur; hoc etiam poteſt perſpicuum fieri, cum dicitur, auſer ſonum a loquela, num detur aliquid loquelæ, ſimiliter auſer affectionem a cogitatione, num detur aliquid cogitationis: inde nunc patet, quod Amor ſit omne Sapientiæ, conſequenter quod Eſſentia Cælorum ſit Amor, & quod Exiſtentia illorum ſit Sapientia, ſeu idem, quod Cæli ſint ex Divino Amore, & quod exiſtant ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, quare, ut prius dictum eſt, unum eſt alterius. Tunc apud me erat novitius Spiritus, qui audiens hæc interrogabat, num ſimile eſt cum Charitate & Fide, quia Charitas eſt affectionis, & Fides eſt cogitationis; & reſpondit Angelus, eſt prorſus ſimile, Fides non aliud eſt quam forma charitatis, plane ſicut Sonus eſt for-

forma loquelæ, formatur etiam fides a charitate, ſicut formatur loquela a ſono; formationis modum etiam novimus in Cælo, ſed non vacat illam hic exponere. Adjecit, per Fidem intelligo Fidem ſpiritualem, in qua vita & ſpiritus unice eſt a Domino per Charitatem, nam hæc ſpiritualis eſt, & per illam fides; quare Fides abſque Charitate, eſt Fides mere naturalis, & hæc Fides eſt mortua, conjungit etiam ſe cum affectione mere naturali, quæ non aliud eſt, quam concupiſcentia. Angeli de his loquebantur ſpiritualiter, ac ſpiritualis loquela complectitur millia, quæ loquela naturalis non poteſt exprimere, & quod mirum, quæ ne quidem poſſunt in ideas cogitationis naturalis cadere. Poſtquam Angeli hæc & illa loquuti ſunt, abiverunt, & cum receſſerunt quiſque ad ſuum Cælum, apparebant ſtellæ circum capita ilorum, & cum ad diſtantiam a me elongati ſunt, viſi ſunt iterum in Curribus, ut prius.

387. Tertium Memorabile. Poſtquam duo illi Angeli extra meum conſpectum erant, vidi quendam Hortum a latere dextro, ubi erant oleæ, ficus, laurus & palmæ, in ordine ſecundum correſpondentias poſitæ: illuc proſpexi, & inter arbores vidi Angelos & Spiritus vadentes & colloquentes: & tunc ad me reſpexit unus Spiritus angelicus; Spiritus Angelici vocantur, qui in Mundo ſpirituum præparantur ad Cælum; ille ab Horto illo ad me venit, & dixit, vis mecum venire in noſtrum Paradiſum, ac auditurus & viſurus es mirabilia; & abivi cum illo, & tunc dixit mihi, hi quos vides, erant enim plures, ſunt omnes in amore veri, & inde in luce ſapientiæ; eſt quoque hic Palatium, quod vocamus Templum Sapientiæ, ſed illud non aliquis videre poteſt, qui credit ſe multum ſapere, minus qui credit ſe ſatis ſapere, & adhuc minus qui credit ſe ſapere ex ſe, cauſa eſt, quia illi non in receptione lucis Cæli ex amore genuinæ ſapientiæ ſunt; genuina ſapientia eſt, quod homo e luce Cæli videat, quod quæ ſcit, intelligit, & ſapit, tam parum ſint reſpective ad illa quæ non ſcit, intelligit, & ſapit, ſicut eſt gutta ad Oceanum, conſequenter vix aliquid: omnis qui in hoc Horto paradiſiaco eſt, & ex perceptione ac viſu in ſe agnoſcit, quod tam parum ſapiat reſpective, is videt illud Templum Sapientiæ, nam lux interior in mente hominis dat id videre, non autem lux exterior ejus abſque illa. Nunc quia ego illud ſæpius cogitavi, & ex ſcientia, & dein ex perceptione, & demum ex luce interiore, agnovi, quod homo tam parum ſapiat, ecce datum eſt mihi videre illad Templum. Erat quoad formam mirabile, erat valde elevatum ſupra humum, quadrangulare, parietes ex chryſtallo, tectum ex jaſpide pellucido eleganter arcuatum, ſubſtructio ex vario Lapide pretioſo; erant gradus per quos in illud aſcendebatur, ex alabaſtro polito; ad latera graduum apparebant ſicut leones cum catulis. Et tunc quæſivi, num liceat intrare, & dictum eſt quod liceat, quare aſcendi, & cum intravi, vidi ſicut Cherubos volantes ſub tecto, ſed mox evaneſcentes: Solum, ſuper quo ambulatur, ex cedris erat, & totum Templum ex pellucentia tecti & parietum, exſtructum fuit ad formam lucis. Intrabat mecum Spiritus Angelicus, cui retuli quæ audiveram ex duobus Angelis de Amore & Sapientia, & de Charitate & Fide, & tunc dixit, annon etiam loquuti ſunt de Tertio; quid tertium dixi, reſpondit, eſt Bonum Usus; Amor & Sapientia abſque Bono uſus non ſunt aliquid, ſunt modo Entia idealia, nec fiunt realia, priuſquam ſunt in Uſu; ſunt enim Amor, Sapientia & Uſus, tria, quæ non ſeparari poſſunt, ſi ſeparantur, neutrum eſt aliquid; non eſt Amor aliquid abſque Sapientia, ſed in Sapientia formatur ad aliquid, hoc aliquid, ad quod formatur eſt Uſus, quare cum amor per ſapientiam in uſu eſt, tunc realiter eſt, quia actualiter exiſtit; ſunt prorſus ſicut finis, cauſa & effectus, finis non eſt aliquid, niſi per cauſam ſit in effectu; ſi ſolvitur unum ex illis tribus, ſolvitur omne, & fit ſicut nihil. Simile etiam eſt cum Charitate, Fide, & Operibus; Charitas abſque fide non eſt aliquid, nec Fides abſque charitate, neque Charitas & Fides abſque Operibus, at in Operibus ſunt aliquid, & tale

aliquid, quale eſt Operum Uſus. Simile eſt cum Affectione, Cogitatione & Operatione, & ſimile eſt cum Voluntate, Intellectu & Actione, nam Voluntas abſque intellectu, eſt ſicut oculus abſque viſu, ac uterque abſque actione eſt ſicut mens abſque corpore; quod ita ſit, clare videri poteſt in hoc Templo, quia Lux, in qua hic ſumus, eſt Lux illuſtrans mentis interiora. Quod non detur completum & perfectum, niſi ſit Trinum, etiam docet Geometria, non enim eſt Linea aliquid, niſi fiat Area, nec eſt Area aliquid, niſi fiat Corpus, quare ducetur unum in alterum, ut exiſtant, & coexiſtunt in Tertio. Sicut eſt in hoc, etiam eſt in omnibus & ſingulis creatis, quæ finita ſunt in Tertio. Inde nunc eſt, quod Tria in Verbo ſignificent completum & prorſus. Quoniam ita eſt, non potui non mirari, quod quidam profiteantur Solam Fidem, quidam Solam Charitatem, quidam Sola Opera, cum tamen unum abſque altero, atque unum & ſimul alterum abſque tertio, non eſt aliquid. Sed tunc quæſivi, poteſtne homo Charitatem & Fidem habere, & uſque non Opera; poteſtne homo eſſe in dilectione & in cogitatione de aliqua re, & tamen non in operatione ejus, & reſpondit mihi Angelus, non poteſt niſi modo idealiter, at non realiter, erit uſque in conatu aut voluntate ad operandum, ac voluntas ſeu conatus eſt actus in ſe, quia eſt continuus niſus ad agendum, qui fit actus in externis accedente determinatione; quare conatus & voluntas, ſicut actus internus, acceptatur ab omni ſapiente, quia acceptatur a Deo, prorſus ſicut actus externus; modo non deficiat, quando datur copia.

388. Quartum Memorabile, Loquutus ſum cum quibusdam, qui in Apocalypſi intelliguntur per draconem; & unus ex illis dixit, veni mecum, & jucunditatem oculorum & cordium neſtrorum oſtendam; & duxit me per ſylvam opacam, & ſuper collem, e quo potui ſpectare draconum jucunda, & vidi Amphitheatrum in Circi formam erectum cum ſcamnis circum circa oblique ſurſum ſtructis, ſuper quibus ſpectatores ſedebant; illi, qui ſedebant ſuper ſcamnis infimis, apparebant mihi e longinquo ſicut Satyri & Priapi, quidam cum velamine tegente pudenda, & quidem nudi abſque illo; in ſcamnis ſupra illos ſedebant ſcortatores & meretrices, tales mihi ex geſticulationibus illorum apparebant: & tunc dixit Draco ad me, nunc videbis Ludum moſtrum, & vidi in Aream Circi tanquam juvencos, arietes, oves, hædos, & agnos immiſſos, & poſtquam illi immiſſi ſunt, aperiebatur porta, & irruebant tanquam leones juvenes, pantheræ, tigrides, & lupi, & cum furore invadebant gregem, ac dilaniabant & mactabant illos: at Satyri poſt cruentam illam cædem ſpargebant arenam ſuper locum mactationis. Tunc dixit mihi Draco, hi ſunt noſtri Ludi, qui jucundant animos noſtros: & reſpondi, abi Dæmon, poſt aliquod tempus videbis Amphitheatrum hoc converſum in ſtagnum ignis & ſulphuris: ad hæc ille riſit & abivit: & poſtea mecum cogitabam, cur talia a Domino permittuntur, & tuli reſponſum in corde meo, quod permittantur quamdiu in Mundo ſpirituum ſunt, ſed poſtquam tempus illorum in illo Mundo peractum eſt, vertuntur tales Scenæ theatrales in diras infernales. Omnia illa quæ viſa ſunt, inducta fuerunt a Dracone per phantaſias, quare non erant juvenci, arietes, oves, hædi & agni, ſed fecerunt ut ita apparerent genuina bona & vera Eccleſiæ, quæ odio habebant; leones, pantheræ, tigrides & lupi, erant apparentiæ cupiditatum apud illos, qui viſi ſunt ſicut ſatyri & priapi; hi abſque velamine circum pudenda erant, qui crediderunt quod mala non apparerent coram Deo, & qui cum velamine, erant qui crediderunt quod appareant, ſed non damnent, modo ſint in fide; ſcortatores & meretrices erant falſificatores veritatum Verbi, ſcortatio enim ſignificat falſificationem veri: in Mundo ſpirituali omnia apparent ſecundum correſpondentias e longinquo, quæ cum apparent in formis, vocantur repræſentationes ſpiritualium in objectis naturalium ſimilibus.

Poſtea videbam illos exeuntes e ſylva; Draconem in medio ſatyrorum & priapo-

porum, & calones & lixæ, quæ erant ſcortatores & meretrices, poſt illos; augebatur agmen in via, & tunc audivi, quid inter ſe loquebantur; dicebant, quod viderent in prato gregem ovium cum agnis, & quod hoc ſignum ſit, quod una Urbs ex urbibus Hieroſolymitanis, ubi charitas primarium eſt, prope adeſſet; & dixerunt, eamus & capiamus illam urbem, & ejiciamus habitatores, & deprædemur bona illorum; accceſſerunt, ſed erat murus circum illam, & angeli cuſtodes ſuper muro; & tunc dixerunt, capiamus illam per dolum, mittamus quendum peritum muſſitationis, qui poteſt dealbare nigrum & denigrare album, & infucare rem cujuſvis objecti; & inventus eſt unus gnarus artis methaphyſicæ, qui potuit vertere ideas rerum in ideas terminorum, ac ipſas res occultare ſub formulis, & ſic avolare ſicut accipiter cum præda ſub alis. Ille inſtructus quomodo cum Urbanis loqueretur, quod eſſent conſocii in Religione, & immitterentur. Ille accedens ad portam pulſavit, qua aperta dixit, quod cum ſapientiſſimo illius urbis vellet loqui; ac intravit, deductus eſt ad quendam; & tunc ad illum loquebatur, dicens; ſunt mei fratres extra urbem, & petunt ut recipiantur, ſunt conſocii in Religione, vos & nos facimus Fidem & Charitatem duo eſſentialia Religionis, diſcrimen ſolum eſt, quod vos dicatis Charitatem eſſe primariam & inde Fidem, & nos dicimus Fidem eſſe primariam & inde charitatem; quid refert ſi unum aut alterum dicatur primarium, cum utrumque creditur. Sapiens urbis reſpondit, non loquamur de hac re ſoli, ſed in præſentia plurium, qui ſint arbitri & judices, alioquin non fit deciſio; & mox arceſſiti ſunt, ad quos Draconicus ſimilia verba, quæ prius, loquebatur; & tunc reſpondit Vir ſapiens urbis, dixiſti, quod ſimile ſit, ſive Charitas ſumatur primarium Eccleſiæ ſive Fides, modo conſenſus ſit, quod utraque faciat Eccleſiam & ejus Religionem, & tamen diſcrimen eſt, quale inter prius & poſterius, inter cauſam & effectum, inter principale & inſtrumentale, & inter eſſentiale & formale; talia dico, quia animadverti quod ſis artis Metaphyſicæ gnarus, quam artem nos vocamus muſſitationem, & aliqui incantationem; ſed relinquamus illos terminos, eſt diſcrimen ſicut inter id quod ſupra eſt, & id quod infra eſt, imo ſi vis credere, eſt diſcrimen ſicut inter Mentes illorum qui habitant in ſuperis, & Mentes illorum qui in inferis in hoc Mundo; nam quod Primarium eſt, hoc facit Caput & Pectus, & quod inde eſt, hoc facit Pedes & horum plantas: ſed conveniamus primum, quid Charitas & quid Fides, quod Charitas ſit affectio amoris faciendi bonum proximo propter Deum, ſalutem & vitam æternam, & quod Fides ſit cogitatio ex fiducia de Deo, ſalute & vita æterna: ſed dixit Emiſſarius, concedo quod hoc ſit Fides, & quoque concedo, quod Charitas ſit illa affectio propter Deum, quia propter mandatum Ipſius, non autem propter ſalutem & vitam æternam; poſt hanc conventionem & diſſenſionem, dixit Sapiens urbis, annon affectio ſeu dilectio eſt primarium, & cogitatio inde; at miſſus a Dracone dixit, hoc nego; ſed reſponſum tulit, non potes id negare, annon homo cogitat ex quadam dilectione, aufer dilectionem, num cogitare poteſt quicquam, eſt prorſus ſicut auferres ſonum de loquela, ſi auferres ſonum, num poteris loqui quicquam, ſonus etiam eſt affectionis cujuſdam amoris, & loquela eſt cogitationis, nam amor ſonat & cogitatio loquitur: & quoque eſt, ſicut flamma & lux, ſi aufers flammam annon perit lux, ſimile eſt cum Charitate, quia hæc eſt amoris, & cum Fide, quia hæt eſt cogitationis; numme ſic potes capere, quod primarium ſit omne in ſecundario, prorſus ſicut flamma & lux; ex quibus patet, quod ſi non facis primarium id quod primarium eſt, non ſis in altero; quare ſi Fidem, quæ eſt in ſecundo loco, ponis in primo, non appariturus es aliter in Cælo, quam ſicut inverſus homo, cujus pedes ſtant ſurſum, & caput deorſum, aut ſicut hariolus qui inverſo corpore ambulat ſuper palmis manuum; quum tales apparetis in Cælo, qualia tunc ſunt veſtra bona Opera, quæ ſunt Charitas actu, niſi qualia facturus eſſet hariolus ille ſuis pedibus, quia

non

non poteſt manibus; inde eſt, quod Charitas veſtra ſit naturalis, & non ſpiritualis, quia eſt inverſa. Emiſſarius intellexit hoc, nam omnis diabolus poteſt intelligere verum, cum illud audit, ſed non poteſt retinere, quia affectio mali, quæ in ſe eſt concupiſcentia carnis, cum redit, ejicit cogitationem veri: & poſtea ſapiens urbis oſtendit multis, qualis eſt Fides, quando acceptata eſt pro primario, quod ſit mere naturalis, & quod ſit perſuaſio abſque ulla vita ſpirituali, conſequenter quod non ſit fides: ac pæne dicere poſſum, quod in Fide veſtra non plus ſpirituale ſit, quam in cogitatione de Regno Mogolis, de Fodina adamantina ibi, deque Imperatoris illius Theſauro aut Aula. His auditis Draconicus iratus abivit, & renuntiavit ſuis extra Urbem, & cum audiverunt, quod dictum ſit, quod Charitas ſit affectio amoris faciendi bonum proximo propter ſalutem, & vitam æternam, clamaverunt omnes, hoc mendacium eſt, & ipſe Draco, heu facinus, nonne omnia Opera, quæ ſunt Charitatis, propter ſalutem, ſunt meritoria. Tunc inter ſe dixerunt, convocemus adhuc plures ex noſtris, & obſideamus hanc Urbem, & ejiciamus Charitates illos: at cum hoc moliti ſunt, ecce apparuit ſicut ignis e Cælo qui conſumſit illos; ſed ignis e Cælo fuit apparentia iræ & odii contra illos qui in Urbe erant, quoniam Fidem e primo loco in ſecundum, imo in infimum ſub Charitate, quia dixerunt, quod non eſſet fides, dejecerunt; quod apparerent ſicut igne conſumi, erat quod ſub pedibus eorum aperiretur infernum, & deglutirentur. His ſimilia contigerunt in pluribus locis die ultimi Judicii, quod etiam per hoc intelligitur in Apocalypſi, *Exibit Draco ad ſeducendum Gentes, quæ in quatuor angulis terræ, ut congreget eos in bellum; & aſcenderunt ſuper planitiem terræ, & circumdederunt caſtra ſanctorum, & Urbem dilectam; ſed deſcendit ignis a Deo e Cælo, & conſumſit illos*, Cap. XX: 8, 9.

389. Quintum Memorabile. Quondam viſa eſt Charta e Cælo demiſſa in unam Societatem in Mundo ſpirituum, ubi erant duo Præſules Eccleſiæ cum Canonicis & Presbyteris ſub illis: in Charta illa fuit exhortatio, ut agroſcerent Dominum Jeſum Chriſtum pro Deo Cæli & Terræ, prout Ipſe docuit, Matth. XXVIII: 18, ac ut recederent a doctrina de Fide juſtificante ſine operibus legis, quia erronea. Charta illa lecta & exſcripta fuit a multis, & de illis, quæ in ea erant, cogitabant & loquebantur multi ex judicio. At poſtquam receperunt illam, dixerunt inter ſe, audiamus Præſules, & auditi ſunt, ſed contradixerunt & improbaverunt: verum Præſules illius Societatis erant duri corde ex falſis in Mundo priori imbutis, quare poſt brevem conſultationem inter ſe, remiſerunt Chartam ad Cælum, unde venit: quo facto, poſt aliquod murmur, plerique Laici a conſenſu priori ſuo receſſerunt, & tunc lux judicii illorum in ſpiritualibus, quæ prius exſplenduit, ſubito exſtincta eſt; poſtquam iterum admoniti fuerunt, at fruſtra, vidi Societatem illam ſubſidentem, ſed quam profunde, non vidi, ita ſubductam e conſpectu illorum, qui unice colunt Dominum, & ſolam fidem juſtificantem averſantur. Sed poſt aliquos dies vidi aſcendentes pæne ad centum ex inferiore terra, quo uſque parva ille Societas ſubſidit, qui acceſſerunt ad me, & e quibus unus loquutus dixit, audi mirabile; dum ſubſidimus, apparuit nobis locus ſicut ſtagnum, ſed mox ſicut terra ſicca, & poſtea ſicut parva urbs, in qua multis fuit ſua domus; poſt diem conſultavimus inter nos, quid faciendum, dixerunt multi, quod duo illi Præſules Eccleſiæ adeundi ſint, & mite arguendi, quia remiſerunt Chartam in Cælum e quo demiſſa eſt, & propter id contigit nobis hoc; elegerunt etiam aliquos, qui abiverunt ad Præſules, & dixit mecum loquens, quod eſſet unus ex illis; & tunc quidam inter nos ſapientia præpollens loquebatur ad Præſules, ita; credidimus quod apud nos præ reliquis eſſet Eccleſia, & Religio, quia dictum audivimus, quod in ſumma luce Evangelii ſimus; ſed data eſt quibusdam e nobis illuſtratio e Cælo, & in illuſtratione perceptio, quod hodie in Orbe Chriſtiano non ſit amplius Eccleſia, quia non Religio. Dixerunt Præſules, quid

loqui-

loquimini, eſtne Eccleſia ubi eſt Verbum, ubi Chriſtus Salvator notus eſt, & ubi ſunt Sacramenta: ad hæc reſpondit noſter, illa ſunt Eccleſiæ, nam illa faciunt Eccleſiam, ſed non faciunt illam extra hominem, ſed intra hominem: & porro dixit, poteſt Eccleſia eſſe ubi coluntur tres Dii; poteſt Eccleſia eſſe, ubi tota ejus Doctrina fundatur ſuper unico Pauli dicto falſe intellecto, & inde non ſuper Verbo; poteſt Eceleſia eſſe, dum Salvator Mundi, qui eſt ipſe Deus Eccleſiæ, non aditur: quis negare poteſt, quin Religio ſit fugere malum & facere bonum, num eſt aliqua Religio, quod ſola fides ſalvet, & non ſimul charitas; num eſt Religio, ubi docetur, quod Charitas procedens ab homine non ſit niſi quam Charitas moralis & civilis, quis non videt, quod in illa Charitate non ſit aliquid religionis; num eſt in ſola Fide aliquod facti ſeu operis, cum tamen in facere conſiſtit religio: num datur in univerſo terrarum orbe Gens, quæ excludit omne ſalviſicum a bonis Charitatis, quæ ſunt bona Opera, cum tamen omne Religionis conſiſtit in bono, & omne Eccleſiæ in Doctrina, quæ docet vera, & per vera bona; quæ gloria nobis fuiſſet, ſi acceptaverimus illa, quæ Charta e Cælo demiſſa in ſinu ſuo portavit. Tunc Præſules dixerunt, loqueris nimis alte, annon Fides actu, quæ eſt Fides plene juſtificans & ſalvans, eſt Eccleſia, & annon Fides ſtatu, quæ eſt Fides procedens & perficiens, eſt Religio; apprehendite hoc filii: ſed tunc Sapiens noſter dixit, audite Patres, annon homo concipit Fidem actu ſicut ſtipes ſecundum veſtrum dogma, num ſtipes poteſt vivificari in Eccleſiam; annon Fides ſtatu eſt ſecundum veſtram ideam continuatio & progreſſio Fidei actu, & cum ſecundum veſtrum dogma, omme ſalviſicum eſt in Fide, & non aliquid in bono Charitatis ab homine, ubi tunc eſt Religio. Tunc dixerunt Antiſtites, amice, loqueris ita, quia non ſcis Arcana juſtificationis per ſolam Fidem, & qui illa non ſcit, non ſcit viam ſalvationis ab interiori, tua via eſt externa & plebeja, vade illam ſi vis, at ſcias modo, quod omne bonum ſit a Deo, & nihil ab homine, & quod ſic homo in ſpiritnalibus nihil poſſit a ſe, quomodo tunc poteſt homo facere bonum, quod eſt bonum ſpirituale, a ſe. Ad hæc Noſter loquens cum illis, valde indignatus, reſpondit, ſcio Arcana juſtificationis veſtra plus quam vos, & aperte vobis dico, quod interius in Arcanis veſtris non viderim niſi quam ſpectra; annon Religio eſt agnoſcere Deum, ac fugere & odio habere diabolum; eſtne Deus ipſum Bonum, & Diabolus ipſum Malum, quis in Univerſo terrarum orbe, cui aſt religio, hoc non novit; eſtne agnoſcere & amare Deum, facere bonum, quia hoc eſt Dei & a Deo, & eſtne fugere & odio habere Diabolum, non facere malum, quia hoc eſt Diaboli & a Diabolo, ſeu quod idem, veſtra Fides actu, quam vocaſtis Fidem plene juſtificantem & ſalvantem, ſeu quod idem, veſter Actus juſtificationis per ſolam fidem, num docet facere aliquod bonum, quod eſt Dei & a Deo, & num docet fugere aliquod malum quod eſt diaboli & a Diabolo, prorſus nihil, quia ſtatuitis, quod in utroque nihil ſalutis ſit; quid veſtra Fides ſtatu, quam vocaviſtis Fidem procedentem & perficientem, niſi eadem cum Fide actu, quomodo poteſt hæc perfici, cum excluditis omne bonum ab homine ſicut ab ipſo, dicendo in Arcanis veſtris, quomodo poteſt homo ſalvari per aliquod bonum a ſe, cum ſalvatio eſt gratuita, tum quid bonum ab homine, niſi meritorium, & tamen meritum Chriſti eſt omne, quare bonum facere ſalutis cauſa, foret ſibi attribuere quod ſolius Chriſti eſt, ſic etiam foret velle ſemet juſtificare & ſalvare; tum quomodo poteſt quis operari bonum, cum Spiritus Sanctus operatur omnia abſque ulla ope hominis; quid tunc opus eſt aliquo bono acceſſorio ab homine, cum omne bonum ab homine in ſe non eſt bonum, præter plura; nonne hæc ſunt Arcana veſtra; ſed illa in meis oculis ſunt meræ argutiæ & aſtutiæ effictæ propter finem ut removeatis bona Opera, quæ ſunt bona Charitatis, ad ſtabiliendum veſtram ſolam fidem; & quia hoc facitis, ſpectatis hominem quod illam, & in genere quoad omnia ſpiritualia, quæ Eccleſiæ & Religionis

 ſunt,

ſunt, ſicut ſtipitem, vel ſicut ſimulachrum inanimatum, & non ut hominem creatùm ad imaginem Dei, cui data eſt & continue datur facultas intelligendi & volendi, credendi & amandi, ac loquendi & faciendi, prorſus ſicut a ſe, imprimis in ſpiritualibus, quia homo eſt homo ex illis; ſi homo in ſpiritualibus non cogitaret & operaretur ſicut a ſe, quid tunc Verbum, quid tunc Eccleſia & Religio, & quid tunc Cultus: noſtis quod facere bonum proximo ex amore ſit Charitas, at non noſtis quid Charitas, cum tamen Charitas eſt anima & eſſentia fidei, & quia Charitas eſt utraque illa, quid tunc Fides remota Charitate, niſi mortua, & Fides mortua non eſt niſi quam ſpectrum; voco illam ſpectrum, quoniam Jacobus vocat Fidem abſque bonis Operibus non ſolum mortuam, ſed etiam Diabolicam. Tunc unus ex Præſulibus illis, cum audivit Fidem ſuam vocari mortuam, diabolicam, & ſpectrum, in tantum excanduit, ut e Capite ſuo eriperet Cidarim, & conjiceret ſuper Menſam, dicens, non reſumam antequam utus fuero hoſtes Fidei Eccleſiæ noſtræ, & movit caput murmurans & dicens. Ille Jacob, Ille Jacob: in fronte cidaris erat bractea, cui inſculpta fuit Sola Fides Justificans: & tunc ſubito apparuit monſtrum e terra ſurgens cum ſeptem capitibus, cui pedes ſicut urſi, corpus ſicut pardi, & os ſicut leonis, prorſus ſimilis beſtiæ, quæ deſcribitur Apoc. Cap. XIII: 1, 2. cujus imago facta & adorata eſt, Vers; 14, 15. hoc ſpectrum e Menſa deſumſit Cidarim, & dilatavit illam infra, & poſuit ſuper ſeptem ſuis capitibus, quo facto, terra hiabat ſub pedibus ejus, & ſubſidit; hoc viſo clamavit Præſul, Violentia, Violentia. Tunc abivimus ab illis, & ecce gradus coram oculis noſtris, per quos aſcendimus, & redivimus ſuper terram, & in conſpectum Cæli, ubi fuimus prius; hæc narravit mihi Spiritus ille, qui cum centum aliis ex terra inferiore aſcenderat.

390. Sextum Memorabile: In Plaga ſeptentrionali Mundi ſpiritualis audivi ſicut ſtrepitum aquarum, quare illuc acceſſi, & cum prope eram, ceſſavit ſtrepitus, & audivi ſonorum ſicut ex congregatione, & tunc viſa eſt Domus foraminoſa, circumcincta macerie, e qua auditum eſt ſonorum illud; acceſſi, erat ibi oſtiarius, quem quæſivi, quinam ibi, dixit, quod eſſent ſapientum ſapientes, qui inter ſe concludunt res ſupranaturales, loquebatur ita ex ſimplici ſua fide; & dixi, liceatne intrare, dixit quod liceat, modo ne aliquid loquaris, quoniam ex venia admitto gentiles, qui in oſtio mecum ſtant: quare intravi, & ecce erat Circus, & in ejus medio Pulpitum, & Cætus ſapientum ita dictorum ventilabant arcana fidei eorum; & tunc materia ſeu propoſitio ventilationi ſubjecta fuit, num Bonum, quod homo in Statu Justificationis per fidem, ſeu in progreſſione ejus poſt Actum, facit, ſit Bonum religionis, vel non; dixerunt unanimiter, quod per Bonum religionis intelligatur Bonum quod confert ad ſalutem. Ventilatio acris fuit; ſed prævaluerunt, qui dixerunt, quod Bona quæ homo in Statu ſeu progreſſione fidei facit, ſint modo Bona moralia, quæ ad proſperitatem in Mundo conducunt, ſed nihil ad ſalutem conferunt, ad hanc confert modo Fides; & confirmarunt illud ita: Quomodo poteſt aliquod Bonum voluntarium hominis conjungi cum gratuito, fitne ſalvatio gratis: Quomodo poteſt aliquod Bonum ab homine conjungi cum Merito Chriſti, eſtne per id unice ſalvatio: Et quomodo poteſt operatio hominis conjungi cum operatione Spiritus ſancti, facitne ille omnia abſque ope hominis: ſuntne illa unice ſalvifica in Actu juſtificationis per fidem, permanentque illa tria unice ſalvifica in Statu ſeu progreſſione ejus; quare Bonum acceſſorium ab homine nequaquam poteſt vocari Bonum Religionis, quod, ut dictum eſt, confert ad ſalutem, ſed ſi quis id facit propter ſalutem, quoniam ei ineſt hominis voluntas, & hæc non poteſt non ſpectare id ut meritum, potius vocandum eſt malum religionis. Stabant duo gentiles juxta oſtiarium in veſtibulo, & audiverunt hæc, & dicebant inter ſe, his non eſt aliqua Religio, quis non videt, quod bonum facere proximo propter Deum, ita cum Deo, & a Deo, ſit

quod

quod vocatur Religio: & alter dixit, Fides illorum infatuavit illos, & tunc quæsiverunt Oſtiarium, quinam ſunt illi, dixit Oſtiarius, ſunt Sapientes Chriſtiani; & reſponderunt, garris, mentiris, ſunt ludiones, ita loquuntur: & ego abivi. Quod ad illam Domum venerim, & quod tunc deliberaverint de rebus illis, & quod factum ſit ſicut deſcribitur, fuit ex auſpicio Divino Domini.

391. SEPTIMUM MEMORABILE. Qualis deſolatio veri & macies Theologica in Chriſtiano Orbe hodie datur, notum mihi factum eſt ex ſermocinatione cum multis ex Laicis, & cum multis ex Clericis in Mundo ſpirituali; apud hos talis egeſtas ſpiritualis eſt, ut vix ſciant quicquam, quam quod ſit Trinitas, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, & quod Sola fides ſalvet, & de Domino Chriſto ſolum Hiſtorica de Ipſo apud Evangeliſtas; reliqua autem, quæ Verbum utriuſque Teſtamenti de Ipſo docet, ut quod Pater & Ipſe unum ſint, quod Ipſe in Patre ſit & Pater in Ipſo; quod Ipſi ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra; quod voluntas Patris ſit ut credant in Filium, & quod qui credit in Ipſum, habeat vitam æternam, præter plura, hæc illis tam ignota & repoſta ſunt, ſicut illa quæ in fundo oceani, imo quæ in centro terræ jacent; & cum protrahuntur ex Verbo & leguntur, ſtant ſicut audiant & non audiant, nec penitius intrant in aures, quam ſuſurrus venti, aut ſonus pulſati corii. Angeli, qui a Domino quandoque emittuntur ad Societates Chriſtianas, quæ in Mundo ſpirituum ſunt, ita ſub Cælo, ad viſitandum, valde lamentantur, dicentes quod talis obeſitas & inde caligo in rebus ſalutis ſit, pæne qualis in pſittaco loquente; dicunt etiam Docti illorum, quod in ſpiritualibus & Divinis non plus intelligant quam ſtatuæ. Quondam mihi retulit Angelus, quod cum duobus e Clero loquutus ſit, uno qui in Fide ſeparata a Charitate, altero qui in Fide non ſeparata fuit. Quod cum illo qui in Fide ſeparata a Charitate fuit, ita loquutus ſit; Amice, quis es, reſpondit ille, ſum Reformatus Chriſtianus: quæ tua Doctrina, & inde Religio, reſpondit quod ſit Fides: dixit, quæ tua Fides, reſpondit, fides mea eſt, quod Deus Pater miſerit Filium, qui damnationem Generis humani in ſe ſuſciperet, & quod per id ſalvemur: interrogavit tunc dicendo, quid ſcis plus de ſalvatione, reſpondit quod ſalvatio fiat per ſolam illam fidem: porro dixit, quid ſcis de Redemptione, reſpondit quod facta ſit per Paſſionem crucis, & quod meritum Ipſius imputetur per illam fidem: porro, quid ſcis de Regeneratione, reſpondit quod fiat per illam fidem: dic quid ſcis de Amore & Charitate, reſpondit quod ſint illa fides: dic quid cogitas de præceptis Decalogi & de reliquis in Verbo, reſpondit quod ſint in illa fide: tunc dixit, ergo nihil facies, reſpondit quid faciam, non poſſum facere bonum, quod bonum eſt, a me; dixit, num fidem potes habere a te, reſpondit, in hoc non inquiro, habebo fidem: tandem dixit, omnino ſcis aliquid præterea de ſalute, reſpondit quid præterea, cum per ſolam illam fidem ſalvatio. Sed tunc dixit Angelus, reſpondes ſicut qui canit uno tono tibiæ, non audio niſi fidem, ſi illam ſcis & non aliquid præterea, nihil ſcis: abi & vide ſocios, & abivit & offendit illos in deſerto, ubi non gramen, quæſivit ibi cur ita, & dictum eſt, quia illis nihil Eccleſiæ.

Angelus cum illo, qui in Fide conjuncta Charitai erat, ita loquutus eſt, Amice, quis es, reſpondit ſum Chriſtianus Reformatus, quæ tua Doctrina & inde Religio, reſpondit Fides & Charitas: dixit, hæc ſunt duo, reſpondit non ſeparari poſſunt: dixit, quid Fides, reſpondit credere quod Verbum docet; dixit quid Charitas, reſpondit facere quod Verbum docet; dixit, num ſolum credideris illa, vel num etiam feceris, reſpondit etiam feci: Angelus Cæli tunc aſpexit illum, & dixit, mi Amice, veni mecum, & habita nobiscum.

CAPUT SEPTIMUM

DE

CHARITATE SEU AMORE ERGA PROXIMUM

ET DE

BONIS OPERIBUS.

392. Actum eſt de Fide, ſequitur nunc de Charitate, quia Fides & Charitas conjunctæ ſunt, ſicut Verum & Bonum, & hæc duo ſicut Lux & Calor tempore veris; hoc dicitur, quoniam Lux Spiritualis, quæ eſt Lux quæ procedit a Sole Mundi ſpiritualis, in ſua eſſentia eſt Verum, quapropter Verum in illo Mundo, ubicunque apparet, cum ſplendore ſecundum puritatem ejus lucet, & Calor Spiritualis, qui etiam ab illo Sole procedit, in ſua eſſentia eſt bonum. Hæc dicta ſunt, quoniam ſimile eſt cum Charitate & Fide, ſicut eſt cum Bono & Vero, Charitas enim eſt complexus omnium Boni, quæ homo facit Proximo, & Fides eſt complexus omnium Veri, quæ homo cogitat de Deo & de Divinis. Cum itaque Verum fidei eſt Lux Spiritualis, & Bonum Charitatis eſt Calor ſpiritualis, ſequitur quod ſimile ſit cum duobus iſtis, quemadmodum eſt cum duobus ejuſdem nominis in Naturali Mundo; videlicet, quod ex conjunctione illorum floreant omnia ſuper Tellure, ita ſimiliter ex conjunctione illorum floreant omnia in Mente humana; ſed cum diſcrimine, quod ſuper Tellure effloreſcentiam faciant Calor & Lux naturalis, ſed quod in Mente humana effloreſcentiam faciant Calor & Lux Spritualis, & quod hæc effloreſcentia, quia eſt ſpiritualis, ſit Sapientia & Intelligentia; eſt quoque correſpondentia inter illa; quapropter Mens humana, in qua Charitas conjuncta eſt Fidei, & Fides Charitati, in Verbo aſſimilatur Horto, & quoque intelligitur per Hortum Edenis; quod ita ſit, in Arcanis Cælestibus Londini editis plene oſtenſum eſt. Porro ſciendum eſt, quod niſi agatur de Charitate poſtquam actum eſt de Fide, non poſſit comprehendi quid Fides, quoniam, ut in præcedente Capite dictum & oſtenſum eſt, Fides abſque Charitate non eſt Fides, nec Charitas abſque Fide eſt Charitas, ac utraque niſi a Domino non vivit, n: 355 ad 361. Tum, Quod Dominus, Charitas & Fides, unum faciant ſicut Vita, Voluntas & Intellectus, & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem, n: 362 ad 367. Et inſuper, quod Charitas & Fides ſimul ſint in Bonis operibus, n: 373. ſeq.

393. Conſtans veritas eſt, quod Fides & Charitas non poſſint ſeparari, ut homini Vita ſpiritualis ſit, & inde ſalus; quod ita ſit, cadit ex ſe in Intellectum cujuſvis hominis, etiam non expolitum per talenta & minas eruditionis; quis non ex interiore quadam perceptione videt, & inde ex intellectu aſſentit, dum audit ali-

aliquem dicentem, *Quod qui bene vivit, & recte credit, ſalvetur:* & quis non ex intellectu rejicit, ſicut grumum incidentem in oculum, dum audit, *Quod qui recte credit, & non bene vivit, etiam ſalvetur*, quoniam ex interiore perceptione tunc illico in cogitationem incidit, quomodo poteſt quis recte credere dum non bene vivit, & quid tunc credere niſi figura pictæ fidei, & non aliqua imago viva ejus; ſimiliter, ſi quis audiret, *Quod qui bene vivit, tametſi non credit, ſalvetur*, annon Intellectus dum hoc volvit & revolvit, ſeu verſat, videt, percipit & cogitat, quod nec hoc cohæreat, quoniam bene vivere eſt a Deo, omne enim bonum, quod in ſe bonum eſt, a Deo eſt, quid tunc eſt bene vivere & non credere, niſi ſicut lutum in manu figuli, quod non formabile eſt ad aliquod vas uſus in Regno ſpirituali, ſed modo in Regno naturali: & præterea, quis non videt contradictionem in duobus illis, nimirum in hoc, Quod ſalvetur qui credit & non bene vivit, tum in hoc, Quod ſalvetur qui bene vivit & non credit. Nunc quia Bene vivere, quod eſt Charitatis, hodie ſcitur & non ſcitur, ſcitur quid naturaliter bene vivere, & non ſcitur quid ſpiritualiter bene vivere, ideo de hoc, quia eſt charitatis, tranſigetur, quod diſtincte fiet in Serie per Articulos.

Quod tres Amores univerſales ſint, Amor Cæli, Amor Mundi, & Amor ſui.

394. Exordium fit ex tribus his Amoribus, quia ſunt univerſales & fundamentales omnium, & quia Charitas commune habet cum unoquovis ex illis; nam per AMOREM CÆLI intelligitur amor in Dominum, & quoque Amor erga proximum, & quia uterque ille ſpectat uſum ut finem, vocari poteſt Amor uſuum. AMOR MUNDI non ſolum eſt Amor opum & poſſeſſionum, ſed etiam Amor omnium quæ Mundus ſuppeditat, & delectat Senſus corporis, ut pulchritudo oculos, harmonia aures, fragrantia nares, lautitiæ linguam, mulcimina cutem, tum etiam decori amictus, commodæ habitationes, conſortia, ita omnes jucunditates ex his, & ex pluribus aliis objectis. AMOR SUI non Solum eſt amor honoris, gloriæ, famæ, eminentiæ, ſed etiam amor merendi & ambiendi functiones, & ſic regnandi ſuper alios. Quod Charitas commune cum unoquovis ex tribus illis Amoribus habeat, eſt quia Charitas in ſe ſpectata eſt amor uſuum, charitas enim vult proximo facere bonum, & bonum eſt idem cum uſu, & quiſque ex illis amoribus uſus ſpectat ut ſuos fines, Amor Cæli uſus ſpirituales, Amor mundi uſus naturales qui nuncupari poſſunt civiles, & Amor ſui uſus corporeos, qui etiam nuncupari poſſunt Domeſtici pro ſe & ſuis.

395. Quod tres illi Amores ſint in unoquovis homine a creatione & inde nativitate, & quod dum rite ſubordinati ſunt, perficiant hominem, & dum non rite, pervertant illum, in ſequente Articulo demonſtrabitur; hic ſolum memorare licet, quod tres illi amores tunc rite ſubordinati ſint, quando Amor Cæli facit caput, Amor mundi pectus & ventrem, & Amor ſui pedes & plantas. Mens humana diſtincta eſt in tres regiones, ut ſupra aliquoties dictum eſt, homo e ſuprema regione ſpectat Deum, e ſecunda ſeu media Mundum, ac e tertia ſeu infima ſemetipſum; Mens quia talis eſt, poteſt elevari & ſe elevare ſurſum, quia ad Deum & Cælum, poteſt effundi & ſe effundere ad latera quaquaverſum, quia in Mundum & ejus naturam, & poteſt demitti & ſe demittere deorſum, quia ad terram & ad infernum; in his viſus corporis æmulatur viſum mentis, ille quoque poteſt ſuſpicere, circumſpicere, & deſpicere. Mens humana eſt ſicut Domus trium manſionum, inter quas eſt communicatio per ſcalas, in quarum ſuprema habitant Angeli e Cælo, in media homines e Mundo, & in infima genii; homo, in quo tres illi amo-

amores rite ſubordinati ſunt, poteſt ex placito aſcendere & deſcendere, & cum in ſupremam manſionem aſcendit, una eſt cum Angelis ſicut Angelus, & cum inde deſcendit in mediam, eſt ibi una cum hominibus ſicut homo Angelus, & cum ex hac ulterius deſcendit, eſt una cum geniis ſicut homo mundi, & illos inſtruit, arguit, & domat. In homine, in quo tres illi Amores rite ſubordinati ſunt, etiam coordinati ſunt ita, quod ſupremus Amor, qui eſt amor cæli, ſit intus in ſecundo, qui eſt amor mundi, & per hunc in tertio ſeu infimo, qui eſt amor ſui, & amor qui intus eſt, is etiam dirigit illum qui extra eſt ad ſuum nutum; quare ſi amor Cæli eſt intus in amore Mundi, & per hunc in amore ſui, homo agit uſus in unoquovis a Deo Cæli. Sunt illi tres amores in operando, ſicut Voluntas, Intellectus & Actio, Voluntas influit in Intellectum, & ibi proſpicit ſibi media, per quæ producit actionem. Sed de his videbuntur plura in ſequente Articulo, ubi demonſtrabitur, Quod tres illi Amores, ſi rite ſubordinati ſunt, perficiant hominem, at ſi non rite ſubordinati ſunt, pervertant & invertant illum.

396. Verum enim vero, ut illa quæ ſequuntur in hoc Capite, & in ſuccedentibus de Libero Arbitrio, deque Reformatione & Regeneratione, &c: in luce rationis ſiſtantur clare videnda, neceſſum eſt, ut præmittantur aliqua de VOLUNTATE ET INTELLECTU; de BONO & VERO: DE AMORE IN GENERE: DE AMORE MUNDI ET AMORE SUI IN SPECIE; DE EXTERNO ET INTERNO HOMINE; ET DE MERE NATURALI ET SENSUALI HOMINE; Hæc detegentur, ne Viſus rationalis hominis in percipiendis illis, quæ ulterius ſequuntur, ſit velut in nimbo, & in illo quaſi currat per plateas Urbis, uſque dum non ſcit viam ad domum; nam quid Theologicum abſque intellectu, & niſi hic illuſtretur dum legitur Verbum, quam ſicut Lampas in manu abſque accenſa candela, qualis fuit in manibus quinque Virginum ſtultarum, quæ non habebant Oleum. De ſingulis itaque in ſuo ordine.

397. I. „ De VOLUNTATE & INTELLECTU. 1. Sunt homini binæ Facultates, quæ „ faciunt vitam ejus, una vocatur Voluntas & altera Intellectus; illæ inter ſe di„ ſtinctæ ſunt, ſed ita creatæ ut unum ſint, & cum unum ſunt, vocantur Mens; „ quare Mens humana illæ ſunt, & omnis vita hominis ibi in principiis eſt, & inde „ in corpore. 2. Sicut omnia in Univerſo, quæ ſecundum Ordinem ſunt, ſe re„ ferunt ad Bonum & Verum, ita omnia apud hominem ad Voluntatem & Intel„ lectum, nam *Bonum* apud hominem eſt ejus Voluntatis, ac Verum apud illum „ eſt ejus Intellectus; ſunt enim hæ binæ Facultates, ſeu hæ binæ Vitæ hominis, „ receptacula & ſubjecta illorum, Voluntas eſt receptaculum & ſubjectum om„ nium Boni, ac Intellectus eſt receptaculum & ſubjectum omnium Veri; Bona & „ Vera apud hominem non alibi ſunt; & quia Bona & Vera apud hominem non „ alibi ſunt, inde nec Amor & Fides ſunt alibi, quoniam Amor eſt boni & Bonum „ eſt amoris, ac Fides eſt veri & Verum eſt fidei. 3. Voluntas & Intellectus etiam „ faciunt Spiritum hominis; nam ejus Sapientia & Intelligentia, & quoque ejus „ Amor & Charitas, ibi reſident, & in genere ejus Vita: Corpus eſt modo Obe„ dientia. 4. Nihil magis intereſt ſcire, quam quomodo Voluntas & Intellectus „ unam Mentem faciunt; faciunt unam Mentem, ſicut Bonum & Verum faciunt „ unum; eſt enim ſimile Conjugium inter Voluntatem & Intellectum, quale eſt „ inter Bonum & Verum; quale id Conjugium eſt, conſtabit ex illis quæ de Bono „ & Vero mox adducentur; nempe quod ſicut Bonum eſt ipſum Eſſe rei, ac Ve„ rum eſt Exiſtere rei inde, ita Voluntas apud hominem eſt ipſum Eſſe vitæ ejus, „ ac Intellectus Exiſtere vitæ inde; nam Bonum quod eſt Voluntatis ſe in Intel„ lectu format, & ſiſtit videndum.

398. II. „ DE BONO ET VERO. Omnia in Univerſo, quæ ſunt in Divino Or„ dine, ſe referunt ad Bonum & Verum; nihil datur in Cælo, & nihil in Mundo, „ quod non ad duo illa ſe refert; cauſa eſt, quia utrumque, tam Bonum quam „ Verum, procedit a Deo, a Quo omnia. 2. Inde patet, quod neceſſarium ſit

„ ho-

„ homini, ut ſciat quid Bonum & quid Verum, & quomodo unum ſpectat alte-
„ rum, & quomodo unum conjungitur alteri, maxime autem neceſſarium eſt ho-
„ mini Eccleſiæ, nam ſicut omnia Cæli ſe referunt ad Bonum & Verum, ita quo-
„ que omnia Eccleſiæ, quia bonum & verum Cæli ſunt quoque bonum & verum
„ Eccleſiæ. 3. Secundum Divinum ordinem eſt, ut Bonum & Verum conjuncta
„ ſint, & non ſeparata, ita ut ſint unum & non duo; conjuncta enim procedunt
„ a Deo, & conjuncta ſunt in Cælo, & ideo conjuncta erunt in Eccleſia, Con-
„ junctio boni & veri vocatur in Cælo Conjugium cæleſte, nam in hoc Conjugio
„ ſunt omnes qui ibi: inde eſt, quod in Verbo Cælum comparetur Conjugio, &
„ quod Dominus dicatur Sponſus & Maritus, Cælum autem Sponſa & Uxor, ſimiliter
„ Eccleſia; quod Cælum & Eccleſia ita dicantur, eſt quia illi qui ibi, recipiunt
„ Divinum Bonum in Veris. 4. Omnis intelligentia & ſapientia, quæ eſt Angelis,
„ eſt ex illo Conjugio, & non aliqua ex Bono ſeparato a Vero, nec a Vero ſepa-
„ rato a Bono: ſimile eſt hominibus Eccleſiæ. 5. Quoniam Conjunctio boni &
„ veri eſt inſtar conjugii, patet quod Bonum amet Verum, & viciſſim Verum amet
„ Bonum, & quod unum deſideret cum altero conjungi: homo Eccleſiæ, cui non
„ talis amor eſt & tale deſiderium, non eſt in Conjugio Cæleſti, ita non eſt in
„ illo adhuc Eccleſia, quoniam Conjunctio boni & veri facit Eccleſium. 6. Bona
„ ſunt multiplicia; in genere eſt Bonum ſpirituale, & Bonum naturale, ac utrum-
„ que conjunctum in genuino Bono morali. Sicut ſunt Bona, ita ſunt Vera; quia
„ Vera ſunt Boni, & ſunt Formæ boni. 7. Sicut eſt cum Bono & Vero, ita ex
„ oppoſito eſt cum Malo & Falſo; quod namque ſicut omnia in Univerſo quæ ſunt
„ ſecundum Divinum Ordinem ſe referunt ad Bonum & Verum, ita omnia quæ
„ ſunt contra Divinum Ordinem ſe referant ad Malum & Falſum: tum quod ſicut
„ Bonum amat conjungi Vero, ita Malum amet conjungi Falſo, & viciſſim: ut &,
„ ſicut omnis Intelligentia & Sapientia naſcitur ex Conjunctione boni & veri, ita
„ omnis Inſania & Stultitia ex Conjunctione mali & falſi. Conjunctio mali &
„ falſi interius ſpectata non eſt Conjugium, ſed Adulterium. 8. Ex eo, quod Ma-
„ lum & Falſum ſint oppoſita Bono & Vero, patet quod Verum non conjungi poſ-
„ ſit Malo, nec Bonum Falſo mali; ſi Verum adjungitur Malo, non amplius fit
„ Verum, ſed Falſum, quia falſificatum; & ſi Bonum adjungitur Falſo mali,
„ non amplius fit Bonum, ſed Malum, quia adulteratum. At Falſum non mali
„ poteſt conjungi Bono. 9. Nemo, qui in Malo & inde Falſo eſt ex confirmatio-
„ ne & vita, poteſt ſcire quid Bonum & Verum, quoniam Malum ſuum credit
„ eſſe Bonum, & inde Falſum ſuum credit eſſe Verum; at omnis qui in Bono &
„ inde vero eſt ex confirmatione & vita, poteſt ſcire quid malum & falſum; cauſa
„ eſt, quia omne Bonum & ejus Verum in ſua eſſentia eſt Cæleſte, omne autem
„ Malum & inde Falſum eſt in ſua eſſentia Infernale; ac omne Cæleſte eſt in luce,
„ & omne Infernale in tenebris.

399. III. „ De Amore in genere. 1. Ipſa Vita hominis eſt ejus Amor, & qua-
„ lis eſt Amor, talis eſt Vita, imo talis eſt totus homo; ſed Amor dominans ſeu
„ regnans eſt, qui facit hominem. Hic Amor ſibi ſubordinatos habet plures A-
„ mores, qui ſunt derivationes; hi ſub alia ſpecie apparent, ſed uſque ſinguli
„ illi inſunt Amori dominanti, & cum illo faciunt unum Regnum; Amor Domi-
„ nans eſt ſicut illorum Rex & Caput; is dirigit eos, & per eos, ut per fines
„ medios, ſpectat & intendit Finem ſuum, qui omnium primarius & ultimus eſt,
„ & hoc tam directe quam indirecte. 2. Id quod eſt Amoris dominantis, eſt quod
„ ſuper omnia amatur. Quod homo ſuper omnia amat, id jugiter eſt præſens in
„ ejus cogitatione, quia in Voluntate, & facit ipſiſſimam Vitam ejus; ut pro exem-
„ plo, qui ſuper omnia amat opes, ſive ſint pecuniæ, ſive poſſeſſiones, is conti-
„ nue animo verſat quomodo illas ſibi comparet, gaudet intime cum acquirit, do-
„ let intime cum amittit, cor ejus eſt in illis. Qui ſuper omnia amat Se, is ſui

„ re-

„ recordatur in ſingulis, de ſe cogitat, de ſe loquitur, propter ſe agit, vita e-
„ nim ejus eſt vita ſui. 3. Homo pro fine habet quod ſuper omnia amat, illud
„ ſpectat in omnibus & ſingulis; eſt in Voluntate ejus ſicut laters vena fluvii, quæ
„ trahit & aufert, etiam cum aliud agit, nam id eſt quod animat. Tale eſt, quod
„ unus homo apud alium explorat, & quoque videt, & per id vel ducit illum,
„ vel agit cum illo. 4. Homo prorſus talis eſt, quale eſt ejus vitæ Dominans; per
„ hoc diſtinguitur ab aliis; ſecundum hoc fit ejus Cælum ſi bonus, & fit ejus In-
„ fernum ſi malus; id eſt ipſa ejus Voluntas, ejus Proprium, & ejus Natura, eſt
„ enim ipſum Eſſe vitæ ejus; hoc poſt mortem non mutari poteſt, quia id eſt ipſe
„ homo. 5. Omne jucundum, fauſtum & felix eſt cuivis ex Amore ejus domi-
„ nante, & ſecundum illum; homo enim id jucundum dicit quod amat, quia ſen-
„ tit; quod autem cogitat & non amat, hoc quoque jucundum dicere poteſt, ſed
„ non eſt jucundum vitæ ejus. Jucundum amoris eſt, quod homini eſt Bonum, ac
„ injucundum, quod ei eſt Malum. 6. Sunt bini Amores, ex quibus omnia bona &
„ vera, ut ex ipſis ſuis fontibus, exiſtunt; & ſunt bini Amores, ex quibus omnia
„ mala & falſa. Bini Amores, ex quibus omnia bona & vera, ſunt Amor in Domi-
„ num, & Amor erga proximum; at bini Amores, ex quibus omnia mala & falſa,
„ ſunt Amor ſui & Amor mundi: hi bini Amores quando dominantur, ſunt illis binis
„ Amoribus prorſus oppoſiti. 7. Bini Amores, qui, ut dictum eſt, ſunt Amor in
„ Dominum, & Amor erga proximum, faciunt Cælum apud hominem, nam illi
„ regnant in Cælo; & quia faciunt Cælum apud hominem, etiam faciunt Eccle-
„ ſiam apud illum; Bini Amores ex quibus omnia Mala & Falſa, qui ut dictum
„ eſt, ſunt Amor ſui & Amor mundi, faciunt Infernum apud hominem, nam illi
„ regnant in Inferno, conſequenter etiam deſtruunt Eccleſiam apud illum. 8. Bini
„ Amores, ex quibus omnia bona & vera, qui, ut dictum eſt, ſunt Amores Cæli,
„ aperiunt & formant Internum ſpiritualem hominem, quia ibi reſident: bini au-
„ tem Amores, ex quibus omnia mala & falſa, qui, ut dictum eſt, ſunt amores
„ Inferni, quando dominantur, claudunt & deſtruunt Internum ſpiritualem homi-
„ nem, ac faciunt ut homo ſit Naturalis & Senſualis ſecundum quantum & quale
„ Dominii illorum.

400. IV. „De Amore sui et Amore Mundi in specie. 1. Amor ſui eſt ſibi
„ ſoli bene velle, & non aliis niſi propter ſe, ne quidem Eccleſiæ, Patriæ, alicui
„ Societati humanæ, aut concivi; ut & illis benefacere ſolum propter ſui famam,
„ honorem, & gloriam, quæ niſi videt in bonis, quæ illis facit, dicit corde, quid
„ refert, cur hoc, & quid inde mihi, & ſic omittit; unde patet, quod is, qui in
„ amore ſui eſt, non amet Eccleſiam, nec Patriam, nec Societatem, nec Conci-
„ vem, nec aliquod vere Bonum, ſed Solum ſe & ſua. 2. Homo in Amore ſui
„ eſt, quando in illis quæ cogitat & facit, non intuetur proximum, ita non publi-
„ cum, minus Dominum, ſed modo Semet & Suos; conſequenter, quando propter
„ ſemet & ſuos omnia facit, & ſi propter Publicum, ſit modo ut appareat, & ſi
„ propter proximum, ſit ut ſibi faveat. 3. Propter Semet & Suos dicitur, nam
„ qui amat Se, etiam amat Suos, qui ſunt in ſpecie Liberi & Nepotes ejus, & in
„ genere omnes, qui unum cum illo faciunt, quos Suos vocat; hos & illos ama-
„ re eſt etiam Se amare, nam illos ſpectat quaſi in ſe, & ſe in illis; inter illos,
„ quos Suos vocat, ſunt quoque omnes, qui eum laudant, honorant, & colunt.
„ Reliquos quidem ſpectat oculis corporis ut homines, ſed oculis ſpiritus ſui vix
„ aliter quam ſicut larvas. 4. Ille homo in Amore ſui eſt, qui proximum con-
„ temnit præ ſe; qui inimicum illum habet, ſi non ſibi favet, & ſi non ſe venera-
„ tur & colit: magis adhuc in Amore ſui eſt, qui propterea proximum odio habet,
„ & perſequitur; & magis adhuc, qui propterea flagrat vindicta contra illum, &
„ cupit ejus perniciem: tales tandem amant ſævire. 5. Ex comparatione cum

„ A-

„ Amore cæleſti, conſtare poteſt, qualis eſt Amor ſui; Amor cæleſtis eſt amare „ uſus propter uſus, ſeu bona propter bona, quæ homo præſtat Eccleſiæ, Patriæ, „ Societati humanæ, & concivi; at qui amat illa propter Se, is non amat illa ali„ ter quam famulitia, quia ſerviunt ſibi: inde ſequitur, quod qui in Amore ſui „ eſt, velit ut Eccleſia, Patria, Societates humanæ, & concives, ſerviant ſibi, „ & non is illis; ponit ſe ſupra illos, & illos infra ſe. 6. Porro, quantum quis „ in Amore cæleſti eſt, qui eſt amare uſus & bona, & affici jucundo cordis cum „ illa præſtat, tantum ducitur a Domino, quia ille Amor eſt in quo Ipſe, & qui „ ab Ipſo: at quantum aliquis in Amore ſui eſt, tantum ducitur a ſemet, & tan„ tum ducitur a Proprio ſuo, & Proprium hominis non eſt niſi quam Malum, eſt „ enim Malum ejus hæreditarium, quod eſt ſe amare præ Deo, & Mundum præ „ Cælo. 7. Amor ſui etiam talis eſt, ut quantum illi laxantur fræna, hoc eſt, re„ moventur vincula externa, quæ ſunt timores pro lege & ejus pœnis, proque jac„ tura famæ, honoris, lucri, functionis, & vitæ, tantum ruat, uſque ut non mo„ do imperare velit ſuper univerſum terrarum Orbem, ſed etiam ſuper Cælum, „ imo ſuper Ipſum Deum; nuſquam eſt ei aliquis terminus ſeu finis: hoc latet in „ unoquovis, qui in Amore ſui eſt, tametſi non patet coram Mundo, ubi cum dicta „ fræna & vincula retinent; & quiſque talis, ubi obviam fit impoſſibile, ibi ſubſi„ ſtit, uſque dum fit poſſibile; ex his & illis eſt, quod homo, qui in tali amore „ eſt, non ſciat quod ejuſmodi veſana abſque limite cupido in illo lateat. Quod „ tamen ita ſit, nemo non poteſt videre apud Potentes & Reges, quibus non talia „ fræna, vincula & impoſſibilia ſunt, qui ruunt & ſubjugant Provincias & Regna, „ quantum illis ſuccedit, & adſpirant ad potentiam & gloriam ultra limites: & „ magis apud illos, qui Dominatum extendunt in Cælum, & omnem Potentiam „ Divinam Domini in ſe transferunt, hi continue cupiunt ultra. 8. Sunt duo Do„ minii genera, unum Amoris erga proximum, & alterum Amoris ſui: hæc duo „ Dominia ſunt ſibi oppoſita; qui dominatur ex Amore erga proximum, is vult „ omnibus bonum, & nihil plus amat quam uſus præſtare, ita ſervire aliis, (Ser„ vire aliis eſt aliis ex bene velle bene facere, & uſus præſtare), hoc ejus Amor „ eſt, & hoc jucundum cordis ejus eſt; is quoque, quantum evehitur ad dignita„ tes, tantum quoque lætatur, non propter dignitates, ſed propter uſus, quos „ tunc in pluri copia, & in majori gradu, præſtare poteſt; tale Dominium eſt in „ Cælis: at qui dominatur ex Amore ſui, is vult nulli bonum, ſed ſolum ſibi & „ ſuis; uſus, quos præſtat, ſunt propter ſui honorem & gloriam, quæ ei ſunt „ ſoli uſus; ſervire aliis eſt ei propter finem ut ſerviatur, honoretur, & domine„ tur; ambit dignitates, non propter bona, quæ præſtet, ſed ut in eminentia & „ gloria ſit, & inde in ſui cordis jucundo. 9. Amor Dominii manet etiam unum„ quemvis poſt vitam in Mundo; ſed qui dominati ſunt ex Amore erga proximum, „ illis concreditur etiam Dominatio in Cælis, & tunc illi non dominantur, ſed „ uſus & bona, quæ amant, & cum uſus & bona, dominatur Dominus: Qui au„ tem in Mundo dominati ſunt ex Amore ſui, illi poſt vitam in Mundo, abdican„ tur, & rediguntur in ſervitutem. Ex his nunc cognoſcitur, quinam in Amore „ ſui ſunt; non refert, quales apparent in externa forma, ſi vel elati, vel ſub„ miſſi, nam talia ſunt in Interno homine, ac Internus homo a pleriſque occulta„ tur, & Externus inſtruitur mentiri illa quæ Amoris Publici & proximi ſunt, ita „ contraria; & hoc quoque propter ſe; ſciunt enim, quod amare Publicum & „ proximum interius afficiat omnes, & quod tantum æſtimentur; quod afficiat, eſt „ quia Cælum in illum amorem influit. 10. Mala, quæ apud illos ſunt qui in „ Amore ſui, ſunt in genere, Contemtus aliorum, Invidia, Inimicitia contra illos „ qui ſibi non favent, Hoſtilitas inde, Odia varii generis, Vindictæ, Aſtus, Doli, „ Immiſericordia, Crudelitas: & ubi talia Mala ſunt, eſt etiam Contemtus Dei & „ Divinorum, quæ ſunt vera & bona Eccleſiæ; quæ ſi honorant, eſt ſolum ore

„ & non corde. Et quia talia Mala inde ſunt, etiam ſunt ſimilia Falſa, nam ex „ malis ſunt falſa. 11. Amor Mundi autem, eſt velle aliorum Opes ad ſe deri- „ vare quacunque arte, ac in divitiis cor ponere, ac pati ut Mundus retrahat & „ abducat illum ab Amore Spirituali, qui eſt Amor erga proximum, ita a Cælo. „ Illi in Amore Mundi ſunt, qui cupiunt aliorum bona in ſe derivare per varias „ artes, imprimis qui per aſtus & dolos, nihili facientes bonum proximi: illi qui „ in eo Amore ſunt, concupiſcunt aliorum bona, & quantum non timent leges, „ & jacturam famæ propter lucrum, deprivant, imo deprædantur. 12. Sed Amor „ mundi non in tali gradu eſt oppoſitus Amori cæleſti, in quo eſt Amor ſui, quo- „ niam non tanta Mala in illo recondita ſunt. 13. Amor ille multiplex eſt; eſt „ Amor opum ut evehantur ad honores: eſt Amor honorum & dignitatum ut lu- „ crentur opes: eſt Amor opum propter varios uſus, quibus delectantur in Mun- „ do: eſt Amor opum propter ſolas opes, talis Amor eſt avaris; & ſic porro; fi- „ nis propter quem opes, vocatur uſus, ac finis ſeu uſus eſt, a quo Amor ſuum „ quale trahit; nam talis eſt Amor, qualis eſt finis propter quem, reliqua ei ſer- „ viunt ut media. 14. Verbo, Amor ſui & Amor mundi, ſunt prorſus oppoſiti „ Amori in Dominum, & Amori erga proximum; quare Amor ſui & Amor mundi, „ quales ſupra deſcripti ſunt, ſunt Amores infernales, regnant etiam in Inferno, „ & qnoque faciunt Infernum apud hominem. Amor autem in Dominnm, & Amor „ erga proximum, ſunt Amores cæleſtes, regnant etiam in Cælo, & quoque fa- „ ciant Cælum apud hominem.

401. V. „ De Interno et Externo homine. 1. Homo ita creatus eſt, ut ſi- „ mul ſit in Mundo ſpirituali & in Mundo naturali: Mundus ſpiritualis eſt, ubi „ ſunt Angeli, & Mundus naturalis, ubi ſunt homines; & quia homo ita creatus „ eſt, ideo datum eſt ei Internum & Externum; Internum, per quod ſit in Mundo „ ſpirituali, Externum, per quod ſit in Mundo naturali. Internum ejus eſt, quod „ vocatur Internus homo, & Externum, quod vocatur Externus homo. 2. Uni- „ cuique homini eſt Internum & Externum, ſed aliter apud bonos, & aliter apud „ malos; Internum apud bonos eſt in Cælo & ejus luce, & Externum in Mundo „ & ejus luce, & hæc Lux apud illos illuminatur a luce Cæli, & ſic apud illos „ Internum & Externum unum agunt, ſicut cauſa & effectus, aut ſicut prius & „ poſterius. At apud malos, Internum eſt in Inferno, & in ejus luce, quæ lux „ reſpective ad lucem Cæli eſt caligo, & Externum illorum poteſt eſſe in luce ſi- „ mili, in qua ſunt boni; quare eſt inverſum: inde eſt, quod mali poſſint loqui & „ docere de fide, de charitate, & de Deo, non autem ex fide, charitate & Deo, „ quemadmodum boni. 3. Internus homo eſt, qui vocatur Spiritualis homo, quia „ eſt in Luce Cæli, quæ Lux eſt ſpiritualis, & Externus homo, eſt qui vocatur „ naturalis homo, quia eſt in Luce Mundi, quæ lux eſt naturalis: homo, cujus „ Internum eſt in Luce Cæli, & Externum in luce Mundi, is ſpiritualis homo „ eſt quoad utrumque, quoniam lux ſpiritualis ab interiori illuminat lucem natu- „ ralem, & facit hanc ut ſuam: inverſum autem eſt apud malos. 4. Internus ſpi- „ ritualis homo in ſe ſpectatus eſt Angelus Cæli, & quoque dum vivit in corpore, „ eſt in ſocietate cum Angelis, tametſi id neſcit, & poſt ſolutionem e corpore, in- „ ter Angelos venit; homo autem Internus apud malos eſt Satanas, & quoque „ dum vivit in corpore, in ſocietate cum illis eſt, & quoque poſt ſolutionem a „ corpore, inter illos venit. 5. Interiora mentis apud illos, qui ſpirituales homi- „ nes ſunt, actualiter elevata ſunt verſus Cælum, ſpectant enim illud primario; „ interiora autem mentis apud illos qui mere naturales ſunt, averſa ſunt a Cælo & „ verſa ad Mundum, quia ſpectant hunc primario. 6. Qui modo communem „ ideam de Interno & Externo homine fovent, credunt quod Internus homo ſit qui „ cogitat & qui vult, & Externus qui loquitur & qui agit, quoniam cogitare & „ velle eſt Internum, ac loqui & agere eſt Externum: ſed ſciendum eſt, quod

„ cum

„ cum homo bene de Domino, & de illis quæ Domini ſunt, & cum bene de proxi-
„ mo & de illis quæ proximi ſunt, cogitat & vult, tunc cogitet & velit ab Interno
„ ſpirituali, quia ex fide veri & ex amore boni; at quod cum homo male de illis
„ cogitat, & male illis vult, tunc cogitet & velit ab Interno infernali, quia ex fide
„ falſi & ex amore mali; verbo, quantum homo in amore in Dominum eſt, & in
„ amore erga proximum, tantum in Interno ſpirituali eſt, & ex eo cogitat & vult,
„ & quoque ex eo loquitur & agit; at quantum homo in amore ſui eſt & in amore
„ mundi, tantum ex Inferno cogitat & vult, tametſi aliter loquitur & agit. 7. Ita
„ proviſum & ordinatum eſt a Domino, ut quantum homo ex Cælo cogitat &
„ vult, tantum aperiatur & formetur Spiritualis homo, aperitio eſt in Cælum uſ-
„ que ad Dominum, & formatio eſt ad illa quæ Cæli ſunt. Vice verſa autem,
„ quantum homo non ex Cælo ſed ex Mundo cogitat & vult, tantum clauditur
„ Internus ſpiritualis homo, & Externus aperitur & formatur, aperitio eſt in Mun-
„ dum, & formatio eſt ad illa quæ Inferni ſunt. 8. *Illi*, apud quos Internus ſpi-
„ ritualis homo apertus eſt in Cælum ad Dominum, in luce Cæli ſunt, & in illu-
„ minatione a Domino, & inde intelligentia & ſapientia, hi vident verum ex luce
„ veri, & percipiunt bonum ex amore boni. Illi autem, apud quos Internus ſpi-
„ ritualis homo clauſus eſt, non ſciunt quid Internus homo, nec credunt Verbum,
„ nec vitam poſt mortem, nec illa quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt; & quia ſolum in
„ lumine naturali ſunt, credunt Naturam ex ſe eſſe & non a Deo, vident falſum
„ ut verum, & percipiunt malum ut bonum. 9. Internum & Externum, de qui-
„ bus actum eſt, eſt Internum & Externum Spiritus hominis; Corpus ejus eſt mo-
„ do Externum ſuperadditum, intra quod illa exiſtunt; corpus enim nihil ex ſe
„ agit, ſed ex ſpiritu, qui in illo. Sciendum eſt, quod Spiritus hominis poſt ſolu-
„ tionem a corpore æque cogitet & velit, ac loquatur & agat, cogitare & velle
„ eſt ejus Internum, ac loqui & facere eſt tunc ejus Externum.

402. VI. „ De mere Naturali et Sensuali homine. Quoniam pauci ſciunt,
„ quinam intelliguntur per Senſuales homines, & quales illi ſunt, & tamen inte-
„ reſt ſcire, quare deſcribentur. 1. Is Senſualis homo dicitur, qui omnia judicat
„ ex Senſibus corporis, & qui nihil credit niſi quod oculis videre & manibus tan-
„ gere poteſt, hæc dicens eſſe aliquid, reliqua rejiciens: quare ſenſualis homo eſt
„ infime naturalis homo. 2. Quod Interiora mentis ejus, quæ vident ex luce Cæli,
„ clauſa ſint, ut ibi nihil veri, quod Cæli & Eccleſiæ eſt, videat, quoniam cogi-
„ tat in extremis, & non interius ex aliqua luce ſpirituali. 3. Et quoniam in craſſo
„ lumine naturali eſt, interius eſt contra illa quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt, & tamen
„ exterius poteſt loqui pro illis, ardenter ſecundum Dominationem per illa. 4. Quod
„ ſenſuales homines ratiocinentur acriter & ſolerter, quia cogitatio illorum eſt
„ tam prope loquelam, ut pæne in illa, & ſicut in labiis; & quia in loquela ex
„ ſola memoria ponunt omnem intelligentiam. 5. Quod quidam ex illis confirmare
„ poſſint quicquid volunt, & dextre falſa, & quod poſt confirmationem credant
„ vera eſſe: ſed quod ex fallaciis ſenſuum ratiocinentur & confirment, a quibus
„ captatur & perſuadetur vulgus. 6. Quod Senſuales homines aſtuti ſint, & ma-
„ litioſi præ reliquis. 7. Quod Interiora mentis eorum ſint fœda & ſpurca, quo-
„ niam per illa communicant cum Infernis. 8. Quod illi, qui in Infernis ſunt,
„ ſenſuales ſint, & eo plus, quo profundius: quodque ſphæra ſpirituum inferna-
„ lium ſe conjungat cum ſenſualibus hominis a tergo. 9. Quoniam ſenſuales ho-
„ mines non vident aliquod genuinum verum in luce, ſed ratiocinantur & alter-
„ cantur de omni re, num ita ſit, & hæ altercationes audiuntur extra illos ſicut
„ ſtridores dentium, qui in ſe ſpectati ſunt colliſiones falſorum inter ſe, & quo-
„ que falſi & veri, patet quid ſignificatur per Stridorem dentium in Verbo:
„ cauſa eſt, quia ratiocinatio ex fallaciis ſenſuum correſpondet dentibus. 10. Quod
„ Docti & Eruditi, qui ſe in falſis profunde confirmaverunt, & plus qui contra

„ vera Verbi, præ aliis ſenſuales ſint, tametſi coram Mundo non tales apparent. „ Quod Hæretica imprimis profluxerint a talibus qui Senſuales fuerunt. 11. Quod „ hypocritæ, doloſi, voluptuoſi, adulteri, avari, quoad plurimam partem Sen- „ ſuales ſint. 12. Quod illi qui ratiocinati ſunt ex ſolis ſenſualibus, & contra ge- „ nuina vera Verbi & inde Eccleſiæ, ab Antiquis dicti fuerint Serpentes arboris „ ſcientiæ boni & mali.

„ Quoniam per Senſualia intelliguntur res ſenſibus corporis objectæ, & per ſen- „ ſus illos hauſtæ, ſequitur, 13. Quod homo per ſenſualia communicet cum Mun- „ do, & per rationalia ſupra illa cum Cælo. 14. Quod Senſualia ſubminiſtrent „ talia e Mundo naturali, quæ inſerviunt interioribus mentis in Mundo ſpirituali. „ 15. Quod ſint ſenſualia ſubminiſtrantia intellectui, & quod hæc ſint varia natu- „ ralia quæ vocantur phyſica, & quod ſint ſenſualia ſubminiſtrantia voluntati, & „ quod hæc ſint jucunda ſenſuum & corporis. 16. Quod niſi cogitatio a ſenſuali- „ bus elevatur, homo parum ſapiat: quod homo Sapiens ſupra ſenſualia cogitet; „ & quod cum cogitatio ſupra ſenſualia elevatur, in lumen clarius veniat, & tan- „ dem in lucem cæli, inde homini perceptio veri, quæ proprie eſt intelligentia. „ 17. Quod elevatio mentis ſupra ſenſualia, & abductio ab illis, antiquis nota fue- „ rit. 18. Quod ſi Senſualia ultimo loco ſunt, per illa aperiatur via pro intellectu, „ ac elimentur vera per modum extractionis; at quod ſi Senſualia primo loco ſunt, „ per illa claudatur illa via, & homo non videat vera niſi ſicut in nimbo, aut ſicut „ in nocte. 19. Quod Senſualia apud hominem Sapientem ultimo loco ſint, & ſub- „ jecta interioribus, at quod apud hominem inſipientem primo loco ſint, & domi- „ nantia: hi ſunt qui proprie dicuntur Senſuales. 20. Quod apud hominem ſint „ Senſualia communia cum beſtiis, & quod ſint Senſualia non communia cum illis. „ Quod quantum quis cogitat ſupra ſenſualia, tantum ſit homo, ſed quod nemo „ poſſit cogitare ſupra ſenſualia, & videre vera Eccleſiæ, niſi agnoſcat Deum, & „ vivat ſecundum præcepta Ipſius, nam Deus elevat & illuſtrat.

Quod tres illi Amores, dum rite ſubordinati ſunt, perficiant hominem, at dum non rite ſubordinati ſunt, pervertant & invertant illum.

403. Prius aliquid de Subordinatione trium Univerſalium illorum Amorum, qui ſunt Amor Cæli, Amor Mundi, & Amor ſui, dicetur, & poſtea de influxu & inſertione unius in alterum, & demum de ſtatu hominis ſecundum ſubordinationem. Tres illi Amores inter ſe, ſunt ſicut tres Regiones corporis, quarum ſuprema eſt Caput, media eſt Pectus cum Ventre, & tertiam faciunt Genua, Pedes, & Plantæ. Quando Amor Cæli facit Caput, Amor mundi pectus cum ventre, & amor ſui pedes cum plantis, tunc homo eſt in perfecto ſtatu ſecundum creationem; quoniam tunc duo inferiores Amores inſerviunt ſupremo, ſicut Corpus & ejus omnia Capiti: cum itaque Amor Cæli facit Caput, tunc influit hic in Amorem Mundi, qui principaliter eſt Amor opum, & per has facit uſus, & mediate per hunc in Amorem ſui, qui principaliter eſt amor dignitatum, & per has facit uſus; ita tres illi Amores ſpirant uſus ex influxu unius in alterum. Quis non comprehendit, quod dum homo ex Spirituali Amore, qui eſt a Domino, & eſt qui intelligitur per Amorem Cæli, vult facere uſus, Naturalis homo faciat illos per opes & per alia bona ejus, & Senſualis homo in ſua functione, & quod ejus honor ſit producere illos. Quis etiam non comprehendit, quod omnia opera, quæ homo facit corpore, fiant ſecundum ſtatum mentis ejus in Capite, & quod ſi Mens in Amore uſuum eſt, Corpus

pus per ſua membra hos efficiat; & hoc fit, quia Voluntas & Intellectus in ſuis principiis eſt in Capite, & in ſuis principiatis in Corpore, ſicut voluntas in factis, & cogitatio in loquelis, & comparative, ſicut eſt prolificum ſeminis in omnibus & ſingulis arboris, per quæ producit fructus, qui ſunt uſus ejus: & eſt ſicut ignis & lux intus in vaſe Chryſtallino, quod ex illis calefit & pellucet; & quoque Viſus ſpiritualis in Mente, & ſimul Viſus naturalis in corpore, apud illum, in quo tres illi amores juſte & rite ſubordinati ſunt, ex luce quæ influit per Cælum a Domino, aſſimilari poteſt Pomo Africano, quod uſque ad medium, ubi eſt theca ſeminum, pellucet: ſimile quid intelligitur per hæc Domini verba, *Lucerna corporis eſt Oculus, ſi Oculus ſimplex, hoc eſt, bonus eſt, totum Corpus eſt lucidum*, Matth. VI: 22. Luc. XI: 34. Nullus homo ſanæ rationis poteſt damnare opes, ſunt enim in communi Corpore ſicut ſanguis in homine; nec poteſt damnare honores functionibus addictos, ſunt enim Regis manus & Societatis columnæ, modo amores naturales & ſenſuales illorum ſubordinati ſunt amori ſpirituali: ſunt etiam adminiſtrationes in Cælo, & illis dignitates adjectæ, at qui funguntur illis, nihil plus amant quam uſus facere, quia ſpirituales ſunt.

404. Sed homo prorſus alium ſtatum induit, ſi Amor Mundi ſeu opum facit Caput, hoc eſt, ſi ille regnans Amor eſt, nam tunc Amor Cæli exulat e Capite, & ſe confert in Corpus; homo, qui in hoc ſtatu eſt, præfert Mundum Cælo, colit quidem Deum, ſed ex Amore mere naturali, qui in omni Cultu ponit meritum, & quoque bonum facit proximo, ſed propter retributiones; his ſunt illa quæ Cæli ſunt, ſicut velamina, in quibus incedunt ſplendentes coram oculis hominum, ſed fuſci coram oculis Angelorum; nam dum Amor Mundi poſſidet Internum hominem, & amor cæli Externum, tunc ille obſcurat omnia Eccleſiæ, & occultat illa ſicut ſub velo. Verum hic Amor in multa varietate eſt, deterior eo gradu quo vergit ad avaritiam, in hac Amor Cæli nigreſcit: ſimiliter ſi vergit ad faſtum & eminentiam ſuper alios ex amore ſui: aliter vero ſi vergit ad prodigalitatem: minus noxius eſt, ſi pro fine ſpectat ſplendida Mundi, ſicut Palatia, Decoramenta, magnificos Amictus, Famulitia, Equos & Currus in pompa, præter ſimilia alia: qualitas cujuſvis Amoris prædicatur ex fine, quem ſpectat & intendit. Hic Amor aſſimilari poteſt Chryſtallo nigricanti, qui ſuffocat lucem, & non variegat illam in colores niſi pullos & evanidos. Et eſt ſicut nimbus & nubes, quæ auferunt radios ſolis. Eſt quoque ſicut muſtum vini infermentati, quod dulce ſapit, ſed ventrem infeſtat. Homo talis e Cælo ſpectatus apparet ſicut homo gibboſus, incedens inclino capite ſpectans terram, & cum id elevat ad Cælum, retorquet muſculos, & cito poſt in pronum ſuum relabitur. Hi ab Antiquis in Eccleſia dicti ſunt Mammones, & a Græcis Plutones.

405. Si autem Amor ſui ſeu Amor dominandi facit caput, tunc Amor Cæli tranſit per corpus ad pedes; & ille Amor, quantum increſcit, tantum deſcendit Amor Cæli per talos ad plantas, & ſi adhuc increſcit, tranſit calceos & proculcatur. Datur Amor dominandi ex Amore proximi, & datur Amor dominandi ex Amore ſui; Illi qui in Amore dominandi ex Amore proximi ſunt, ambiunt Dominium propter finem, ut præſtent uſus Publico & privatis; & his ideo etiam conceditur Dominatio in Cælis. Imperatores, Reges, Duces, qui nati & educati ſuit ad Dominia, ſi humiliant ſe coram Deo, quandoque minus ſunt in illo Amore, quam qui ex vili proſapia ſunt, & ex faſtu ambiunt eminentes gradus ſuper alios. At illis, qui in Amore dominandi ex amore ſui ſuit, eſt Amor Cæli ſicut ſubſellium, ſuper quo vulgi cauſa reponunt pedes, quod tamen, cum non vulgus apparet, aut in angulum, aut extra fores rejiciunt; cauſa eſt, quia ſe ſolos amant, & inde voluntates & cogitationes mentis ſuæ immergunt Proprio, quod in ſe ſpectatum eſt malum hæreditatium, & hoc e diametro oppoſitum eſt Amori Cæli. Mala quæ illis, qui in Amore dominandi ex Amore ſui ſunt, in genere ſunt hæc: Con-

temtus aliorum; Invidia; Inimicitia contra illos qui ſibi non favent; Hoſticitas inde; Odia, Vindictæ, Immiſericordia, Sævitia & Crudelitas; & ubi talia Mala ſunt, ibi etiam ſunt contemtus Dei & Divinorum, quæ ſunt vera & bona Eccleſiæ, quæ ſi honorant, eſt ſolum ore ne ab Ordine Eccleſiaſtico diffamentur, & a reliquis vituperentur. Sed hic Amor alius eſt apud Clericos, & alius apud Laicos; apud Clericos ſcandit hic Amor, dum fræna ei laxantur, usque ut velint eſſe Dii; apud Laicos autem usque ut velint eſſe Reges; phantaſia illius Amoris usque eo animos illorum evehit. Cum amor Cæli apud hominem perfectum ſupremum locum tenet, & facit reliquorum ſuccedentium ſicut Caput, & Amor Mundi eſt infra illum & eſt ſicut eſt pectus ſub capite, & Amor ſui eſt infra hunc ſicut ſunt pedes, ſequitur quod ſi hic Amor faceret Caput, prorſus inverteret hominem; & tunc coram Angelis appareret ſicut cubans incurvatus capite ad terram, & dorſo ad cælum; & quando in cultu eſt, appareret ſuper manibus & pedibus ſaltaret ſicut pullus pantheræ: & præterea apparerent ſub variis formis beſtiarum cum duobus Capitibus, uno ſupra cui facies ferina, altero infra cui facies humana, quod a ſuperiori continue protruderetur, ac adigeretur oſculari terram. Omnes hi ſunt homines Senſuales, ac tales quemadmodum deſcripti ſunt ſupra, a: 402.

Quod Omnis homo in ſingulari ſit Proximus, qui amandus eſt, ſed ſecundam quale boni ejus.

406. Homo non natus eſt propter ſe, ſed propter alios, hoc eſt, ut non vivat ſibi ſoli, ſed aliis, alioquin non foret aliqua cohærens Societas, & in illa aliquod bonum. In communi ſermone eſt, quod quiſque ſibi proximus ſit, ſed Doctrina Charitatis docet, quomodo hoc intelligendum eſt; nempe, quiſque ſibi proſpiciet neceſſitates vitæ, ut victum, amictum, habitationem, & plura, quæ in vita civili, in qua eſt, neceſſario requiruntur; & hæc non modo pro ſe, ſed etiam pro ſuis, nec modo pro tempore præſenti, ſed etiam pro venturo, nam niſi quis ſibi comparat neceſſitates vitæ, non eſt in ſtatu exercendi Charitatem, in omnium enim inopia eſt. Quomodo autem quiſque ſibi Proximus eſſe debet, conſtare poteſt ex hoc ſimili; quiſque providere debet corpus ſuum victu, hoc primum erit, ſed ob finem, ut Mens ſana ſit in Corpore ſano; & quiſque providere debet Mentem ſuo victu, nempe talibus quæ ſunt intelligentiæ & judicii, ſed ob finem ut ille inde ſit in ſtatu ſerviendi concivi, ſocietati, patriæ, Eccleſiæ, & ſic Domino; qui hoc facit, ille providet ſibi bene in æternum; inde patet, quid primum tempore, & quid primum fine, & quod primum fine ſit id quod omnia ſpectant. Hoc quoque eſt, ſicut qui conſtruit Domum, primo ponet fundamentum, ſed fundamentum erit pro domo, & domus pro habitatione; qui credit ſibi Proximum eſſe primo loco ſeu primario, is ſimilis eſt ei, qui ſpectat fundamentum ut finem, non habitationem, cum tamen habitatio eſt ipſe finis primus & ultimus, ac Domus cum fundamento eſt modo medium ad finem.

407. Quid amare Proximum dicetur; Amare praximum non modo eſt velle & facere bonum propinquo, amico, & bono, ſed etiam alieno, inimico & malo; verum Charitas exercetur erga hos & illos diverſis modis, erga propinquum & amicum per beneficia directa, erga inimicum & malum autem per beneficia indirecta, quæ fiunt per exhortationes, diſciplinas, & pœnas, & ſic emendationes. Hoc illuſtrari poteſt ita; Iudex, qui ex lege & juſtitia punit malefactorem, is amat preximum, nam ſic emendat illum, & conſulit civibus, ne illis malefaciat: quisque novit, quod Pater, qui liberos, dum malefaciunt, caſtigat, amet illos, & viciſſim quod qui propterea non caſtigat illos, amet mala illorum, de quo non prædicari poteſt Charitas. Porro ſi quis inimicum inſultantem repellit, & ex tutela

tela verberat, aut tradit judici, ut ſic damnum a ſe avertat, animo tamen, ut amicus ejus fiat, is ex vena Charitatis agit. Bella, quæ pro fine tutandi Patriam & Eccleſiam habent, nec contra Charitatem ſunt, finis propter quem, declarat, num ſit Charitas vel non.

408 Cum itaque Charitas in ſua origine eſt bene velle, ac bene velle reſidet in Interno homine, patet, quod cum aliquis qui Charitatem habet, reſiſtit inimico, punit ſontem, & caſtigat malos, faciat hoc medio Externo homine, quare poſtquam id peregit, redit in Charitatem, quæ eſt in Interno homine, & tunc quantum poteſt, & prodeſt, ei bene vult, & ex bene velle bene facit. Illis, quibus eſt genuina Charitas, eſt Zelus pro bono, & Zelus ille in Externo homine poteſt videri ſicut ira & ignis flammans, at ille deflammatur & ſedetur ut primum adverſarius reſipiſcit; aliter apud illos quibus nulla Charitas aſt, horum Zelus eſt ira & odium, ex his enim Internus eorum homo æſtuat ac igneſcit.

409. Antequam Dominus in Mundum venit, vix aliquis novit quid Internus homo, & quid Charitas, quapropter tam multis in locis docuit Dilectionem, hoc eſt Charitatem; & hoc facit diſcrimen inter Teſtamentum ſeu Fœdus Vetus & Novum. Quod Adverſario & Inimico ex Charitate benefaciendum ſit, Docuit Dominus apud Matthæum, *Audiviſtis quod dictum ſit veteribus, Amabis proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, Ego vero dico vobis, Amate inimicos veſtros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite odio vos habentibus, & orate pro lædentibus & perſequentibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in Cælis*, Cap. V: 43. 44. 45: *Et Petro interroganti quoties peccanti contra ſe remitteret, num uſque ad ſepties, reſpondit, non dico tibi ad ſepties, ſed uſque ad ſeptuagies ſepties*, Matth. XVIII: 21. 22; Et audivi e Cælo, quod Dominus remittat unicuique peccata ejus, & nusquam vindicet, & ne quidem imputet, quia eſt ipſe Amor & ipſum Bonum, ſed quod usque per id peccata non abſterſa ſint, hæc enim non niſi quam per pœnitentiam abſterguntur; cum enim dixit Petro, quod remitteret uſque ad ſeptuagies ſepties, quid non Dominus.

410. Quoniam ipſa Charitas reſidet in Interno homine, in quo eſt bene velle, & inde in Externo, in quo eſt benefacere, ſequitur quod Internus homo amandus ſit, & inde Externus, proinde quod homo ſecundum quale boni, quod in illo eſt, amandus ſit; quapropter ipſum Bonum eſt eſſentialiter Proximus; hoc illuſtrari poteſt per hæc; dum quis ex tribus aut quatuor eligit ſibi procuratorem domus, aut famulum, numne indagat Internum ejus hominem, ac eligit ſincerum & fidelem, & inde diligit illum. Similiter Rex aut Magiſtratus, quod ex tribus aut quatuor eligat habilem functionis, ac repudiet inhabilem, qualemcunque vultum præferat, & loquatur & agat ad favorem. Cum ergo omnis homo eſt proximus, ac infinita varietas hominum eſt, & quiſque ſecundum bonum ejus ut proximus amandus eſt, patet quod ſint genera & ſpecies, tum gradus Amoris ergo proximum: nunc quia Dominus ſuper omnia amandus eſt, ſequitur quod metiendi ſint gradus illius amoris ſecundum Amorem in Ipſum, ita quantum Domini aut ex Domino alter poſſidet in ſe, nam tantum etiam poſſidet bonum, quia omne bonum eſt a Domino. Sed quia hi gradus ſunt in Interno homine, & hic raro ſe manifeſtat in Mundo, ſatis eſt, ut Proximus ametur ſecundum gradus quos cognoſcit; ſed hi poſt mortem clare percipiuntur, nam ibi affectiones voluntatis & inde cogitationes Intellectus faciunt ſphæram ſpiritualem circum illos, quæ ſentitur variis modis; at ſpiritualis illa ſphæra in Mundo abſorbetur a Corpore materiali, & ſe includit ſphæræ naturali, quæ ex homine tunc exundat. Quod gradus Amoris erga proximum ſint, conſtat ex Parabola Domini de Samarita, qui miſericordiam fecit vulnerato a latronibus, quem Sacerdos & Levita videntes prætergreſſi ſunt, & cum Dominus quæſivit, quis illorum trium videretur Proximus fuiſſe, reſpondebatur, qui fecit miſericordiam, Luc Xj 30 ad 37.

411

411. Legitur, *Amabis Dominum Deum ſuper omnia, & Proximum ſicut te ipſum*, Luc. X: 27. amare proximum ſicut ſeipſum, eſt illum præ ſe non contemnere, ac juſte cum illo agere, & de illo non malum judicium ferre: Lex Charitatis ab Ipſo Domino lata & data eſt hæc „ *Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis; hæc enim eſt Lex & Prophetæ*, Matth. VII: 12. Luc. VI: 31. 32. Ita amant proximum illi qui in Amore Cæli ſunt, at qui in Amore Mundi ſunt, illi amant proximum ex Mundo & propter mundum, illi autem qui in Amore ſui ſunt, amant proximum ex ſe & propter ſe.

Quod Homo in plurali, qui eſt Societas minor & major, & quod Homo in compoſito ex illis, qui eſt Patria, ſit Proximus qui amandus eſt.

412. Illi, qui non ſciunt quid Proximus in genuino ſenſu, opinantur quod non alius ſit quam homo in ſingulari, & quod beneficia ei præſtare ſit amare proximum; ſed proximus & amor in illum ſe latius extendit, aſcendit enim ſicut multiplicantur homines: quis non poteſt comprehendere, quod amare plures homines in congregatione, ſit plus amare proximum, quam unum in ſingulari e Congregatione; quare quod Societas minor & major ſit Proximus, eſt cauſa, quia illa eſt homo in plurali, inde ſequitur quod qui amat Societatem, amet illos ex quibus Societas conſiſtit, quapropter qui Societati bene vult & bene facit, ille conſulit ſingulis. Societas eſt ſicut unus homo, etiam illi qui intrant illam, componunt ſicut unum Corpus, & diſtinguuntur inter ſe ſicut membra in uno corpore. Dominus & ab Ipſo Angeli, cum deſpiciunt in terram, integram Societatem non aliter vident, quam ſicut unum hominem, ac formam ejus ex qualitatibus illorum; datum etiam eſt mihi videre Societatem quandam in Cælo prorſus ſicut unum hominem, in ſimili ſtatura in qua homo in Mundo. Quod plenior amor erga proximum ſit amor erga Societatem, quam erga hominem ſeparatum aut individuum, ſe manifeſtat in eo, quod Dignitates diſpenſentur ſecundum Præfecturas ſuper Societates, & illis honores ſecundum uſus quos præſtant: ſunt enim Officia in Mundo ſuperiora & inferiora in ſubordinatione ſecundum plus & minus univerſale regimen ſuper Societates, & ille eſt Rex, cui univerſaliſſimum regimen eſt; & cuivis ſecundum amplitudinem muneris, & ſimul bona uſus quæ præſtat, eſt remuneratio, gloria, & communis amor. Sed Moderatores hujus ſæculi poſſunt uſus facere & conſulere Societati, & uſque non amare proximum; quemadmodum illi, qui uſus faciunt & conſulunt propter Mundum, & propter ſe, ut appareant, aut ut mereantur ad dignitates ſuperiores evehi; ſed hi tametſi non diſcernuntur in Mundo, uſque diſcernuntur in Cælo, quare illis qui ex Amore erga proximum præſtiterant uſus, præficiuntur etiam ut Moderatores Societati cæleſti, & ibi in ſplendore & honore ſunt; ſed hi uſque non in his ponunt cor, ſed in uſibus. Cæteri autem, qui ex Amore Mundi & ſui fecerunt uſus, rejiciuntur.

413. Diſcrimen amoris erga proximum & ejus exercitii erga hominem in ſingulari, & erga hominem in plurali ſeu Societatem, eſt ſicut inter munus civis, munus prætoris, & munus ducis; & ſicut inter illum qui negotiatus eſt per duo Talenta, & illum qui per decem, Matth. XXV: 14 ad 31; & eſt diſcrimen ſicut inter valorem ſicli & valorem talenti; ac inter uſum fructum ex vite & ex vinea, ſeu ex olea & ex oliveto, ſeu ex arbore & ex horto. Aſcendit etiam amor erga proximum interius et interius apud hominem, & ſicut aſcendit, amat Societatem præ homine in particulari, & Patriam præ Societate. Nunc quoniam Charitas conſiſtit ex bene velle, & inde bene agere, ſequitur quod illa pæne ſimiliter exer-

cet-

cenda ſit erga Societatem ut erga hominem in particulari; verum aliter erga Societatem bonorum, quam erga Societatem malorum, erga hanc Charitas exercenda eſt ſecundum æquitatem naturalem, erga illam ſecundum æquitatem ſpiritualem; ſed de hac & illa æquitate alibi videbitur.

414. Quod Patria ſit Proximus præ Societate, eſt quia illa ex pluribus Societatibus conſiſtit, & inde eſt Amor erga illam amor extenſior & ſuperior; & inſuper amare patriam, eſt amare ſalutem publicam; Quod Patria ſit Proximus, eſt quia illa Parentis inſtar eſt, ibi enim natus eſt, illa nutrivit & nutrit illum, illa ab injuriis tutata eſt & tutatur illum. Patriæ ex Amore benefaciendum eſt ſecundum neceſſitates ejus; quarum quædam ſunt naturales, quædam ſpirituales, Naturales ſpectant vitam & ordinem civilem, ae Spirituales vitam & ordinem ſpiritualem. Quod Patria amanda ſit, non ſicut homo amat ſeipſum, ſed præ ſe ipſo, eſt Lex inſcripta Cordibus humanis, ex qua promulgatum eſt hoc, quod enuntiatur ab omni juſto, quod ſi imminet exitium ejus ex hoſte, aut aliunde, illuſtre ſit pro illa mori, ac militi glorioſum ſanguinem pro illa effundere; hoc dicitur, quia illa in tantum amanda eſt. Sciendum eſt, quod illi, qui amant Patriam, & ei ex benevelle benefaciunt, poſt mortem ament Regnum Domini, nam hoc ibi eſt Patria, & qui amant Regnum Domini, illi amant Dominum, quia Dominus eſt omne in omnibus ſui Regni.

Quod Eccleſia ſit Proximus, qui in ſuperiori gradu amandus eſt, & quod Regnum Domini in ſupremo.

415. Quoniam homo natus eſt ad vitam æternam, & in hanc introducitur per Eccleſiam, ideo hæc amanda eſt ut Proximus in ſuperiori gradu, nam illa docet media, quæ ducunt ad vitam æternam, ac introducit in illam, ducit ad illam per vera doctrinæ, ac introducit per bona vitæ. Non intelligitur quod Sacerdotium in ſuperiori gradu amandum ſit, & ex illo Eccleſia, ſed quod Eccleſiæ bonum & verum amandum ſit, & propter hæc Sacerdotium, hoc modo inſervit, & quemadmodum inſervit honorandum eſt. Quod Eccleſia ſit Proximus qui in ſuperiori gradu amandus eſt, ita quoque ſupra Patriam, eſt quoque cauſa, quia homo ex Patria initiatur in Vitam Civilem, verum ab Eccleſia in Vitam ſpiritualem, & hæc vita diſtinguit hominem a vita mere animali; inſuper Vita civilis eſt temporaria, quæ finem habet, & tunc eſt ſicut non fuerit; at Vita ſpiritualis, quia finem non habet, æterna eſt, quare de hac prædicari poteſt Eſſe, & de illa non eſſe; diſcrimen eſt ſicut inter finitum & infinitum, inter quæ non datur ratio, æternum enim eſt infinitum quoad tempus.

416. Quod Regnum Domini ſit Proximus, qui in ſupremo gradu amandus eſt, eſt cauſa, quia per Regnum Domini intelligitur Eccleſia in toto terrarum Orbe, quæ Communio ſanctorum vocatur, & quoque intelligitur Cælum; quare qui Regnum Domini amat, is amat omnes in univerſo Mundo, qui Dominum agnoſcunt, ac fidem in Ipſum, & Charitatem erga proximum, habent, & quoque amat omnes in Cælo. Illi qui amant Regnum Domini, amant Dominum ſuper omnia proinde præ reliquis in Amore in Deum ſunt; nam Eccleſia in Cælis & in Terris eſt Corpus Domini, ſunt enim in Domino & Dominus in illis. Eſt itaque Amor erga Regnum Domini Amor erga proximum in ſua plenitudine; illi enim qui amant Regnum Domini, non modo amant Dominum ſuper omnia, ſed etiam amant proximum ut ſeipſum; nam Amor in Dominum eſt Amor univerſalis, & inde eſt in omnibus & ſingulis Vitæ ſpiritualis, & quoque in omnibus & ſingulis Vitæ naturalis, reſidet enim ille amor in ſupremis apud hominem, ac ſuprema influunt in inferiora, ac vivificant illa, ſicut Voluntas in omnia intentionis & inde actionis, ac

Intellectus in omnia cogitationis & inde sermonis: quare dicit Dominus, *Quærite primum Regnum Cælorum & ejus Justitiam, tunc omnia adjicientur vobis*, Matth. VI: 33. quod Regnum Cælorum sit Regnum Domini, constat ex his apud Danielem, *Ecce cum nubibus Cælorum sicut* FILIUS HOMINIS *veniens fuit*; *& Huic datum est Dominium, Gloria, & Regnum, ac omnes Populi, Gentes, & Linguæ Ipsum coleent*; *Dominium Ipsius dominium sæculi, quod non transibit, & Regnum Ipsius quod non peribit*, Cap. VII: 13. 14.

Quod amare Proximum in se spectatum non sit amare Personam, sed Bonum quod in Persona est.

417. Quis non novit, quod homo non sit homo ex humana facie & ex humano corpore, sed ex sapientia Intellectus & ex bonitate Voluntatis ejus? ascendens qualitas horum facit ut sit plus homo: homo cum nascitur est brutum plus quam ullum Animal, at fit homo per instructiones, quæ sicut recipiuntur, formatur Mens ejus, ex qua & secundum quam homo est homo. Dantur bestiæ, quarum facies assimilantur humanis, sed illæ nulla facultate intelligendi & ex intellectu aliquid agendi gaudent, sed agunt ex instinctu, quem amor illarum naturalis excitat; discrimen est, quod bestia affectiones amoris sui sonet, at homo illas illatas cogitationi loquatur; tum quod bestia prono vultu spectet terram, homo autem erecta facie Cælum undequaque; ex quibus concludi potest, quod homo tantum sit homo, quantum ex ratione sana loquitur, & spectat commorationem suam in Cælo, & quod tantum non sit homo, quantum ex ratione perversa loquitur, & spectat commorationem suam solum in Mundo: sed usque hi sunt homines, verum non actu sed potentia, unusquisque enim homo gaudet potentia intelligendi vera & volendi bona, sed quantum non vult facere bona est intelligere vera, tantum in externis potest simulare hominem, ac agere ejus simiam.

418. Quod Bonum sit Proximus, est quia Bonum est voluntatis, ac Voluntas est Esse vitæ hominis, Verum Intellectus étiam est proximus, sed quantum id procedit a bono voluntatis, nam bonum voluntatis formatur se in intellectu, & ibi se sistit videndum in luce rationis. Quod bonum sit proximus, constat ex omni experientia, quis amat personam nisi ex qualitate voluntatis & intellectus ejus, hoc est, en bono & justo in illa; ut pro exemplo. Quis amat Regem, Principem, Ducem, Prætorem, Consulem, ullam Magistratus personam, & ullum Judicem, nisi ex Judicio, ex quibus agunt & loquuntur; quis amat Primatem, aliquem Ministrum Ecclesiæ, aut Canonicum, nisi ex eruditione, integritate vitæ, & zelo pro animarum salute: quis amat Ducem exercitus ac aliquem Præfectum sub illo, nisi ex fortitudine & simul prudentia: quis amat Mercatorem nisi ex sinceritate: quis amat operarium & famulum nisi ex fidelitate: imo quis amat arborem nisi ex fructu, humum nisi ex fertilitate, lapidem nisi ex pretiositate, & sic porro. Et, quod mirum est, non modo probus amat bonum & justum in altero, sed etiam improbus, quia cum illo non est in ullo timore jacturæ famæ, honoris & opum; sed amor boni apud improbum, non est Amor proximi, nam improbus non alium interius amat, nisi quantum sibi inservit. Ast amare bonum in altero ex bono in se, est genuinus amor erga proximum, tunc enim Bona osculantur se mutuo & se conjungunt.

419. Homo, qui amat bonum quia est bonum, & verum quia est verum, ille eminenter amat proximum, ex causa, quia ille amat Dominum, qui est ipsum Bonum & ipsum Verum, aliunde non est amor boni & inde veri, & sic proximi; ita formatur amor erga proximum ex origine cælesti. Sive dicatur usus, sive bonum, idem est, quare facere usus est facere bona, & quantum & quale usus est in bonis, tantum & taliter bona sunt bona.

Quod

Quod Charitas & Bona Opera ſint duo diſtincta, ſicut bene velle & bene facere.

420. Apud unumquemvis hominem eſt Internum & Externum, Internum ejus eſt quod vocatur Internus homo, & Externum quod vocatur Externus homo: ſed qui non ſcit quid homo internus & externus, poteſt credere, quod homo internus ſit qui cogitat & vult, & externus qui loquitur & agit, hæc quidem ſunt Externi hominis & illa Interni, ſed uſque non eſſentialiter faciunt Externum & Internum hominem; Mens hominis eſt quidem in communi perceptione Internus homo, ſed ipſa Mens eſt diviſa in duas Regiones, una Regio, quæ eſt ſuperior & interior, eſt ſpiritualis, altera quæ eſt inferior & exterior eſt naturalis; Mens ſpiritualis ſpectat principaliter in Mundum ſpiritualem, & pro objectis habet illa, quæ ibi ſunt, ſive ſint talia quæ in Cælo, ſive talia quæ in Inferno, utrumque enim in Mundo ſpirituali eſt, Mens autem naturalis ſpectat principaliter in Mundum naturalem, & pro objectis habet illa quæ ibi ſunt, ſive bona ſint ſive mala; omnis actio & loquela hominis procedit ex regione inferiore mentis directe, & ex regione ſuperione ejus indirecte, quoniam regio mentis inferior eſt propior ſenſibus corporis, & regio ſuperior eſt remotior ab illis: hæc diviſio mentis eſt apud hominem, quia creatus eſt ut ſit ſpiritualis & ſimul naturalis, & ſic homo & non beſtia. Ex his patet, quod homo qui ſpectat Mundum & ſe primario, ſit Externus homo, quia naturalis non modo corpore ſed etiam mente, & quod homo qui ſpectat ad illa quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt primario, ſit Internus homo, quia ſpiritualis & mente & corpore; quod etiam corpore, eſt quia ejus actiones & loquelæ procedunt a Mente ſuperiore quæ eſt ſdiritualis per mentem inferiorem quæ eſt naturalis; notum enim eſt, quod e corpore procedant effectus, & e mente cauſæ quæ illos producunt, & quod cauſa ſit omne in effectu. Quod Mens humana ita diviſa ſit, patet evidenter ex eo quod homo poſſit agere ſimulatorem, aſſentatorem, hypocritam, ac hiſtrionem, & quod poſſit annuere alterius dictis, & tamen ridere ad illa, hoc facit ex mente ſuperiore, illud autem ex inferiore.

421. Ex his videri poteſt, quomodo intelligendum eſt, quod Charitas & Bona opera diſtincta ſint ſicut bene velle & bene facere, videlicet, quod formaliter diſtincta ſint, ſicut Mens quæ cogitat & vult, & ſicut corpus per quod Mens loquitur & agit; at quod eſſentialiter diſtincta ſint, quia ipſa Mens eſt diſtincta, quæ quod interior ejus regio ſit ſpiritualis, & exterior naturalis, ſupra dictum eſt; quare ſi opera procedunt ex Mente ſpirituali, procedunt ex ejus bene velle, quod eſt Charitas, & vero ſi ex Mente naturali, procedunt ex bene velle quod non eſt Charitas, tametſi apparere poteſt tanquam Charitas in forma externa, & tamen uſque non eſt Charitas in forma interna, & Charitas in ſola forma externa, quidem ſpeciem Charitatis præfert, ſed non eſſentiam Charitatis poſſidet. Hoc illuſtrari poteſt per comparationem cum ſeminibus in terra, ex unoquovis ſemine enaſcitur virgultum tam utile quam inutile ſecundum quale ſeminis; ſimiliter ſemen ſpirituale, quod eſt verum Eccleſiæ ex Verbo, ex hoc formatur Doctrina, utilis ſi ex genuinis veris, inutilis ſi ex falſificatis: conſimiliter itaque Charitas ex bene vnlle, ſive velle bene ſit propter ſe & mundum, ſive ſit propter proximum in ſtricto aut lato ſenſu, ſi propter ſe & mundum, eſt Charitas ſpuria, ſi autem propter provimum, eſt Charitas genuina. Sed plura de his videantur in Capite de Fide, in ſpecie in Articulo ubi oſtenſum., *Quod Charitas ſit bene velle, & quod Bona opera ſint benefacere ex bene velle*, n. 473. *Et quod Charitas & Fides ſint modo res mentales & caducæ, niſi dum fieri poteſt, determinentur in Opera, & in illis coexiſtant*, n. 375. 376.

Quod ipſa Charitas ſit, juſte & fiaeliter agere in officio, negotio & opere, in quo quiſque eſt, & cum quibus in aliquo commercio eſt.

422. Quod ipſa Charitas ſit juſte & fideliter agere in officio, negotio & opere, in quo quiſque eſt, eſt quia omnia quæ homo ita facit, Societati uſui ſunt, ac uſus eſt bonum, & bonum in ſenſu a perſonis abſtracto, eſt proximus; quod non modo ſingularis homo, ſed etiam ſocietas minor, & ipſa patria ſit proximus, ſupra oſtenſum eſt. Ut pro exemplo, Rex qui præit ſubditos exemplo in bene agendo, velit ut illi vivant ſecundum leges juſtitiæ, remunerat illos qui ita vivunt, ſpectat quemlibet ex merito, tutatur illos contra injurias & invaſiones, agit Patrem Regni, & conſulit in communi proſperitati populi ſui, in corde ejus eſt Charitas, & facta ejus ſunt bona opera. Sacerdos, qui docet vera ex Verbo, & per illa ducit ad bonum vitæ, & ſic ad Cælum, is quia conſulit animabus hominum Eccleſiæ ſuæ, eminenter Charitatem exercet. Judex, qui ex juſtitia & lege judicat, & non ex munere, amicitia & affinitate, is conſulit ſocietati & homini in ſingulari, Societati, quia hæc per id tenetur in obedientia legis, & in timore transgreſſionis ejus, & homini in ſingulari per id quod juſtitia triumphet ſuper injuſtitiam. Negotiator, ſi ex ſinceritate agit, & non ex fraude, conſulit proximo cum quo negotium habet; ſimiliter operarius & artifex, ſi recte & ſincere, & non ſubdole & fallaciter ſuas operas facit; ſimile eſt cum reliquis, ut cum naviarchis & nautis, cumque colonis & famulis.

423. Quod hoc ſit ipſa Charitas, eſt quia hæc definiri poteſt, quod ſit bonum facere proximo quotidie & continue, non ſolum proximo in ſingulari, ſed etiam proximo in plurali, & hoc non fieri poteſt niſi quam per bonum & juſtum in officio, negotio & opere, in quo quiſque eſt, & cum quibus in aliquo commercio eſt; hoc enim quotidie facit, & cum non facit, uſque continue inſidet menti ejus, & id cogitat ac intendit. Homo qui ita Charitatem exercet, is plus & plus fit Charitas in forma; nam juſtitia & fidelitas formant mentem ejus, & exercitia corpus ejus, & ſucceſſive ex forma ſua non aliud vult & cogitat, quam talia quæ charitatis ſunt. Hi tandem fiunt ſicut illi, de quibus in Verbo, quod Legem cordibus ſuis inſcriptam habeant. *Hi quoque non ponunt meritum in operibus*, quoniam non cogitant de eo, ſed de debito, quod ita facere deceat civem. Sed homo nequaquam poteſt ex ſpirituali juſtitia & fidelitate agere ex ſe; omnis enim homo hæreditario trahit a parentibus, ut bonum & juſtum propter ſe & mundum agat, & nullus propter bonum & juſtum; quare qui Dominum colit, & ab Ipſo, dum ex ſe, agit, is modo charitatem ſpiritualem adipiſcitur & per exercitia imbuit.

424. Sunt multi, qui in ſua functione juſte & fideliter agunt, & tametſi Charitatis opera ſic præſtant, uſque non aliquam Charitatem in ſe poſſident; ſed hi ſunt apud quos prædominatur amor ſui & mundi, & non amor cæli, & ſi forte hic adeſt, eſt ſub illo ſicut ſervus ſub ſuo Domino, ac ſicut gregarius miles ſub præfecto, & eſt ſicut janitor ſtans in porta.

Quod Beneficia Charitatis ſint, dare pauperibus & opitulari indigentibus, ſed cum prudentia.

425. Diſtinguendum eſt inter Charitatis officia, & inter ejus beneficia; per Charitatis officia intelliguntur Charitatis exercitia, quæ ab ipſa Charitate immediate pro-

procedunt, quæ quod primario ſint functionis, in qua quiſque eſt, mox ſupra oſtenſum eſt; per Beneficia autem intelliguntur illa auxilia, quæ extra illa fiunt. Beneficia vocantur, quia in hominis libertate & placito eſt illa facere, & cum fiunt, non aliter ſpectantur a recipiente, quam ſicut beneficia, & hæc diſpenſantur ſecundum rationes ac intentiones, quas benefactor mente verſat. In communi fide eſt, quod Charitas non aliud ſit, quam dare pauperibus, opitulari indigentibus, curam viduarum & pupillorum gerere, ſpartas conferre ad ædificandum hoſpitalia, noſocomia, xenodochia, orphanotrophia, imprimis Templa, & ad horum ornamenta & reditus; ſed plura ex his non ſunt propria Charitatis, ſed extranea ejus. Illi qui in Beneficiis illis ipſam Charitatem ponunt, non poſſunt aliter quam in Operibus illis meritum ponere, & hi tametſi ore faterentur, quod non velint ut ſint merita, uſque intus latet fides meriti: hoc manifeſte patet ab illis poſt mortem, enumerant tunc opera ſua, & ſalutem ut præmium poſtulant; ſed tunc inquiritur, ex qua origine ſunt, & inde ex qua qualitate, & ſi invenitur quod proceſſerint vel ex faſtu, vel ex aucupatione famæ, vel ex nuda munificentia, vel ex amicitia, vel ex inclinatione mere naturali, vel ex hypocriſi, tunc ex origine illa judicantur, nam qualitas originis inest operibus; genuina vero Charitas procedit ex illis, qui imbuerunt illam ex juſtitia & judicio in operibus, quæ faciunt abſque fine remunerationis ſecundum Domini verba Luc. XIV: 12. 13. 14, hi quoque vocant talia, quæ ſupra memorata ſunt, beneficia, ut & debita, tametſi ſunt Charitatis.

426. Notum eſt, quod aliqui, qui Beneficia illa, quæ coram Mundo ſicut imagines charitatis apparent, fecerunt, opinentur & credant, quod Charitatis Opera exercuerint, & quod illa ſpectent ſicut multi in Papatu Indulgentias, propter quæ purificati ſunt a peccatis, & ſicut regenerati donandi Cælo, & tamen uſque non ut peccata pendunt adulteria, odia, vindictas, defraudationes, & in genere concupiſcentias carnis, quibus ex lubitu indulgent; ſed quid tunc illa bona opera aliud quam pictæ imagines Angelorum in conſortio cum diabolis, aut pyxides ex lapide lazuli in quibus ſunt hydræ. Sed prorſus aliter, ſi beneficia illa fiunt ab illis, qui ſupradicta mala ut Charitatis odia fugiunt. Verum enim vero, Beneficia illa ſunt emolumenta multis modis, imprimis dare pauperibus & mendicantibus, per illa enim initiantur pueri, puellæ, famuli, famulæ, & in genere omnes ſimplices, in Charitatem, ſunt enim externa ejus, per quæ imbuunt Charitatis munia, nam ſunt ejus rudimenta, & tunc ſicut fructus immaturi; at apud illos qui poſtea perficiuntur cognitionibus juſtis de Charitate & Fide, fiunt ſicut fructus maturi; & tunc ſpectant opera illa priora ex ſimplicitate cordis facta, non aliter quam debita.

427. Quod Beneficia illa hodie credantur propria Charitatis facta, quæ in Verbo intelliguntur per bona opera, eſt cauſa, quia Charitas multoties in Verbo per dare pauperibus, opem ferre egenis, proſpicere viduis & pupillis, deſcribitur; ſed hactenus ignoratum eſt, quod Verbum in litera nominet ſolum talia, quæ externa, imo quæ extrema cultus ſunt, & quod ſpiritualia, quæ interna, per illa intelligantur, de qua re videatur ſupra in Capite de SCRIPTURA SACRA n: 173 ad 209, ex quibus patet, quod per nominatos pauperes, egenos, viduas, pupillos, non illi ibi intelligantur, ſed ſpiritualiter tales; quod per pauperes intelligantur qui non in cognitionibus veri & boni ſunt, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 209. Quod per viduas illi qui abſque veris ſunt, & uſque deſiderant vera, n: 764; & ſic porro.

428. Qui a nativitate miſerabundi ſunt, & miſericordias ſuas naturales non faciunt ſpirituales, per quod faciant illos ex genuina Charitate, illi credunt, quod Charitas ſit dare cuivis pauperi, & opitulari cuivis indigenti, & non prius inquirunt, num pauper & indigens ille ſit bonus aut malus, dicunt enim quod hoc non neceſſum ſit, quoniam Deus ſpectat ſolum ad opem & eleemoſynam. Sed hi poſt-

mortem probe diſcernuntur & ſeparantur ab illis, qui Charitatis beneficia fecerunt ex prudentia, nam illi qui ex cæca illa Charitatis idea fecerunt illa, tunc benefaciunt æque malis ac bonis, & mali per illa faciunt mala, & per hæc lædunt bonos, quare benefactores illi in cauſa læſionis bonorum etiam ſunt; nam malefico benefacere, eſt ſicut dare panem diabolo, quem vertit in venenum, nam omnis panis in manu diaboli eſt venenum, & ſi non eſt, vertit illum in id, quod facit per benefacta allicere ad mala: & eſt ſicut porrigere inimico enſem, quo aliquem necet: & eſt ſicut homini lupo tradere baculum paſtoritium, ut ducat oves in paſcua, cum tamen poſtquam adeptus eſt illum, abigit oves a paſcuis in deſerta, & ibi mactat illas: & eſt ſicut præfecturam dare Latroni, qui modo animum intendit & invigilat prædæ, ſecundum cujus opimitatem & copiam diſpenſat jura, & facit judicia.

Quod ſint Debita Charitatis, quædam Publica, quædam Domeſtica, & quædam Privata.

429. Charitatis Beneficia & Charitatis Debita inter ſe diſtincta ſunt, ſicut illa quæ ex libero arbitrio fiunt, & illa quæ ex neceſſitate: at uſque per Debita Charitatis, hic non intelliguntur Debita functionum in Regno & Republica, ſicut miniſtri ut miniſtret, judicis ut judicet, & ſic porro, ſed intelliguntur Debita cujuſvis in quacunque functione eſt, quare ſunt ex alia origine, & profluunt ex alia voluntate, & ideo fiunt ex Charitate ab illis qui in Charitate ſunt, ac viciſſim ex nulla Charitate ab illis qui in nulla ſunt.

430. Debita Charitatis publica, ſunt imprimis Tributa & Vectigalia, quæ non cum debitis functionum commiſcenda ſunt, illa pendunt alio corde illi qui ſpirituales ſunt, & alio illi qui mere naturales ſunt; Spirituales pendunt illa ex bene velle, quia ſunt Collectæ pro Conſervatione Patriæ, & pro Tutatione ejus & Eccleſiæ, proque adminiſtratione per officiarios & præfectos, quibus ſalaria & ſtipendia ex Publico Ærario impendenda ſunt; quare illi, quibus Patria & quoque Eccleſia ſunt Proximus, ex Voluntate ſpontanea & ſecundante ſolvunt illa, & pro iniquitate reputant fallere & fruſtrare; at illi, quibus Patria & Eccleſia non ſunt Proximus, voluntate invita & repugnante præſtant illa, & quoties datur anſa defraudant & ſurripiunt, apud hos enim Domus ſua & Caro ſua ſunt Proximus.

431. Debita Charitatis domestica, ſunt Mariti erga Uxorem, & uxoris erga maritum; tum Patris & Matris erga Liberos, & liberorum erga patrem & matrem; ut & Heri & Heræ erga famulos & famulas, & horum erga illos; hæc Debita, quia ſunt educationis & adminiſtrationis in domo, ſunt tam multa, ut ſi recenſerentur, codicem implerent. Unuſquiſque homo fertur in hæc debita ex alio amore, quam in debita functionis ſuæ; Mariti erga Uxorem, & Uxoris erga Maritum ex Amore conjugiali & ſecundum illum; Patris & Matris erga liberos ex Amore cuivis inſito, qui vocatur Storge; & Liberorum erga Parentes ex alio amore & ſecundum illum, qui arcte ſe conjungit cum obedientia ex debito. Debita autem Heri & Heræ erga famulos & famulas trahunt ex amore regnandi, & hic ex ſtatu mentis cujuſvis. Sed Amor conjugialis, & amor erga liberos cum eorum debitis & debitorum exercitiis, non producunt amorem erga proximum, ſicut exercitia debitorum in functionibus; nam Amor Storge vocatus datur apud malos æque ac apud bonos, & quandoque fortior apud malos, & quoque datur apud beſtias & aves, apud quas nulla Charitas formari poteſt; quod ſit apud urſos, tigrides & ſerpentes, æque ac apud oves & capras, & apud bubones æque ac apud columbas, notum eſt. Quod in ſpecie attinet Debita parentum erga liberos, ſunt debita intrinſe-

ſecus alia apud illos qui in Charitate ſunt, & alia apud illos qui non in Charitate ſunt, ſed extrinſecus apparent ſimilia; apud illos qui in Charitate ſunt, conjungitur amor ille cum amore erga proximum & cum amore in Deum, ab his enim amantur liberi ſecundum mores, virtutes, ſtudia, & dotes ſerviendi publico; apud illos autem qui non in Charitate ſunt, non eſt conjunctio Charitatis cum amore ſtorge vocato, quare plures ex his amant Liberos etiam malos, immoratos, aſtutos, præ bonis, moratis & prudentibus, ita inutiles publico præ utilibus.

432. DEBITA CHARITATIS PRIVATA ſunt etiam plura, ſicut penſa ſolvere operariis, uſuras pendere, ſtipulata præſtare, hypothecas cuſtodire, & ſimilia alia, quorum aliqua ſunt debita ex Lege forenſi, aliqua ex Lege civili, & aliqua ex Lege morali. Hæc quoque ex alia mente exhibentur ab illis quæ in Charitate ſunt, & alia ab illis qui non in Charitate ſunt, ab illis qui in Charitate ſunt, præſtantur illa juſte & fideliter, nam præceptum Charitatis eſt, ut quis juſte & fideliter agat cum omnibus cum quibus in aliquo negotio & commercio eſt, de quo ſupra n: 422 ſeq. eadem illa autem aliter prorſus præſtantur ab illis qui non in Charitate ſunt.

Quod Diverſoria Charitatis ſint Prandia, Cænæ, & Conſortia.

433. Notum eſt, quod Prandia & Cænæ ubivis in uſu ſint, & quod propter varios fines inſtituantur, & quod apud plures ſint propter amicitias, propter affinitates, propter lætitias, propter lucrationes & remunerationes, & quod ſint corruptelæ ad trahendum in partes; & quod apud Magnates etiam propter honorem, & in Aulis Regum propter ſplendorem. Sed Prandia & Cænæ Charitatis ſunt modo apud illos, qui in mutuo amore ex ſimili fide ſunt. In Primitiva Eccleſia apud Chriſtianos fuerunt Prandia & Cænæ non propter alium finem, & vocata ſunt CONVIVIA, inſtituta ut ſimul ex corde lætificarentur, & quoque conjungerentur: CÆNÆ apud illos ſignificabant Conſociationes & conjunctiones in primo ſtatu inſtaurationis Eccleſiæ, nam Veſpera, in qua fiebant, illum ſignificabat; PRANDIA autem in ſecundo ſtatu, quando Eccleſia inſtaurata eſt, nam Mane & Dies illum ſignificabant. Super Menſis ſermones habebantur de rebus variis, tam do neſticis quam civilibus, imprimis autem de talibus quæ Eccleſiæ erant; & quia erant Convivia Charitatis, ſermonibus de quacunque re inerat Charitas cum ejus gaudiis & lætitiis; ſphæra ſpiritualis regnans in Conviviis illis fuit ſphæra amoris in Dominum & amoris erga proximum, quæ exhilarabat cujuſvis animum, emolliebat cujuſvis loquelæ ſonum, & feſtivum e corde induxit in omnes ſenſus; nam ex quovis homine emanat ſphæra ſpiritualis, quæ eſt affectionis amoris & inde cogitationis ejus, ac interius afficit conſocios, imprimis in Conviviis, emanat illa tam per faciem, quam per reſpirationem. Quoniam per Prandia & Cænas, ſeu per Convivia tales animorum conſociationes ſignificabantur, ideo toties in Verbo nominantur, & per illa ibi non aliud in ſenſu ſpirituali intelligitur, & in ſupremo ſenſu per Cænam Paſchalem apud filios Iſraelis, & quoque per Epulas in Feſtis reliquis, ut & per Commeſſationes ex Sacrificiis juxta Tabernaculum; ipſa conjunctio tunc repræſentabatur per frangere panem & diſtribuere, & per bibere ex eodem poculo & tradere alteri.

434. Quod CONSORTIA attinet, fuerunt illa in Primitiva Eccleſia inter tales, qui ſe vocabant Fratres in Chriſto, quare erant Conſortia Charitatis, quia ſpiritualis Fraternitas; erant quoque conſolationes adverſitatum Eccleſiæ, lætificationes pro incrementis ejus, & quoque recreationes animarum a ſtudiis & laboribus, &

& ſimul confabulationes de rebus variis; & quia ex amore ſpirituali ut ex fonte fluebant, erant rationales & morales ex origine ſpirituali. Dantur hodie Conſortia amicitiæ, quæ pro fine ſpectant jucunda converſationis, exhilarationes mentis per colloquia, & inde pro expanſione animi, & manumiſſione cogitationum incluſarum, & ſic refocillatione ſenſualium corporis, & ſtatus eorum integratione. Sed nondum dantur Conſortia charitatis, nam dicit Dominus, In Conſummatione ſæculi, hoc eſt, in fine Eccleſiæ, *multiplicabitur iniquitas, & frigeſcet Charitas*, Matth. XXIV: 12; cauſa eſt, quia Eccleſia nondum agnoverat Dominum Deum Salvatorem pro Deo Cæli & Terræ, & Ipſum immediate adiverunt, a Quo unice genuina Charitas procedit & influit. Conſortia autem, ubi non amicitia æmulans charitatem conjungit animos, ſunt illa non aliter quam ſimulationes amicitiæ, & fallaces teſtificationes amoris mutui, pellaces inſinuationes in favores, & litamina jucunditatum corporis, imprimis ſenſualium, a quibus alteri feruntur ſicut Naves a velis & fluctibus ſecundis, in his Sychophantæ & Hypocritæ in puppi ſtant, & clavum gubernaculi tenent in manu.

Quod Primum Charitatis ſit amovere mala, & Secundum ejus facere bona, quæ uſui proximo ſunt.

435. In Doctrina Charitatis primas partes tenet hoc, quod primum Charitatis ſit non facere malum proximo, & ſecundas, facere bonum illi; hoc dogmaticum eſt ſicut janua ad doctrinam Charitatis. Notum eſt, quod cujuſvis hominis voluntati a nativitate inſideat malum, & quia omne malum ſpectat hominem prope ſe & procul a ſe, & quoque Societatem & Patriam, ſequitur quod malum hæreditarium ſit malum contra proximum in omni gradu. Homo ex ipſa ratione poteſt videre, quod quantum malum Voluntati inſidens non removetur, tantum bonum quod facit, illo malo imprægnatum ſit, eſt enim tunc malum intus in bono, ſicut nucleus in cruſta, & ſicut medulla in oſſe, quare tametſi bonum, quod fit ab homine tali, apparet ut bonum, uſque intrinſecus non eſt bonum, eſt enim ſicut cruſta nitida, intra quam nucleus eſt eroſus a vermibus, & eſt ſicut amydalum album, intra quod eſt putredo, e qua venæ putres uſque ad ſuperficiem prorepunt. Malum velle & bonum facere, ſunt in ſe duo oppoſita, malum enim eſt odii contra proximum, & bonum eſt amoris erga proximum, ſeu malum eſt hoſtis proximi, & bonum eſt amicus ejus, illa duo non poſſunt in una mente dari, hoc eſt, in Interno homine malum, & in Externo homine bonum, ſi datur, eſt bonum in Externo ſicut vulnus palliative curatum, in quo intus eſt ſanies putreſcens. Homo tunc eſt ſicut Arbor cujus radix eſt obſoleta, & tamen producit fructus, qui extrinſecus apparent ſicut fructus ſaporis & uſus, ſed intrinſecus ſunt tetri & inutiles; ſunt etiam ſicut ſcoriæ rejectæ, quæ extrinſecus politæ & pulchre coloratæ pro lapidibus pretioſis venditantur, verbo ſunt ſicut ova bubonis, de quibus inducitur fides quod ſint ova columbæ. Sciat homo, quod bonum, quod homo facit Corpore, procedat a ſpiritu ejus, ſeu ex Interno homine, Internus homo eſt ſpiritus ejus qui vivit poſt mortem, quare dum homo rejicit corpus, quod fecit Externum ejus hominem, tunc totus quantus eſt in malis, & in his ſe jucundat, & averſatur bonum ſicut infeſtum vitæ ſuæ. Quod homo non poſſit facere bonum, quod in ſe bonum eſt, priuſquam remotum eſt malum, docet Dominus multis in locis, *Non colligunt de ſpinis uvam, aut de tribulis ficus, putris arbor non poteſt fructus bonos facere*, Matth. VII: 16. 17. 18. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero ſunt plena rapina & intemperantia: Phariſæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum*, Matth. XXIII: 25. 26. Et

apud

apud Eſajam, *Lavate vos, removete malitiam operum veſtrorum, ceſſate malum facere; Diſcite bonum facere, quærite judicium, tunc ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinea ſicut nix albeſcent, ſi rubra fuerint ſicut purpura, ſicut lana erunt*, Cap. I: 16. 17. 18.

436. Hoc porro illuſtrari poteſt per has comparationes; non poteſt aliquis adire alterum, qui leopardum & pantheram in conclavi ſuo cuſtodit, & quia dat illis edere, ſecurus cum illis habitat, niſi prius feras illas removerit. Quis invitatus ad menſam Regis & Reginæ non prius laverit faciem & manus, antequam accedit. Quis non per ignem purificat mineras, & ſecernit a ſcoriis, antequam aurum & argentum purum accipit. Quis non Zizania ſeparat a meſſe tritici, antequam hoc infert in horreum. Quis non deſpumat Carnem crudam in coctione, antequam illa ſit edulis, & apponitur ſuper menſa. Quis non excutit vermes ex foliis arboris in horto, ne conſumantur folia, & ſic pereat fructus. Quis amat virginem, & cum illa nuptias intendit, quæ malignis ineſcata eſt, ac puſtulis & varicibus obſita, utcunque illa infucat faciem, ſplendide ſe inveſtit, ac amoris illecebras per blanditias oris inferre ſtudet. Quod homo ſeipſum purificare debeat a malis, eſt comparative ſicut ſervus incedens facie & veſte conſpurcatis fuligine aut ſtercore accederet ad herum ſuum, ac diceret, Domine, ablue me, annon illi herus dicturus eſt, ſerve ſtulte, quid dicis, ecce ibi aqua, ſapo, & linteum, ſuntne tibi manus, & poſſe in illis, ablue teipſum; & Dominus Deus dicturus eſt, ſunt media purificationis a me, & quoque eſt tuum velle & poſſe a Me, quare utere illis meis donis & dotibus ut tuis, & purificaberis.

437. Creditur hodie, quod Charitas duntaxat ſit bonum facere, & quod tunc non malum faciat, conſequenter quod primum Charitatis ſit bonum facere, & ſecundum ejus non malum facere; ſed prorſus inverſum eſt, primum Charitatis eſt amovere malum, & ſecundum ejus eſt facere bonum, nam univerſalis Lex in Mundo ſpirituali eſt, & inde quoque in Mundo naturali, quod quantum quis non vult malum, tantum velit bonum, ita quantum ſe avertit ab inferno, a quo omne malum aſcendit, tantum ſe vertat ad Cælum, e quo omne bonum deſcendit; proinde etiam, quod quantum quis rejicit diabolum, tantum acceptetur a Domino; non poteſt quis ſtare inter utrumque collo verſatili, & ſimul orare ad unum & ad alterum; hi enim ſunt de quibus Dominus hæc dicit, *Novi tua opera, quod neque frigidus ſis neque calidus, utinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es, & neque frigidus neque calidus, exputurus ſum te ex ore*, Apoc. III: 15. 16. quis poteſt inter binos Exercitus velitare cum ſua turma, ac utrique favere; quis poteſt in malo eſſe contra proximum, & ſimul in bono erga illum, numne tunc malum ſe recondit in bono, tametſi malum quod ſe recondit non appareat in actibus, uſque ſe manifeſtat in multis, dum ſuper illa rite reflectitur: dicit Dominus, *Nullus ſervus poteſt duobus Dominis ſervire; non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ*, Luc. XVI: 13.

438. Sed purificare ſe a malis, nemo ex propria potentia & ex propriis viribus poteſt, at uſque non fieri poteſt abſque potentia & viribus hominis, ſicut propriis; quæ niſi forent, non aliquis poſſet pugnare contra carnem & ejus concupiſcentias, quod tamen cuivis injunctum eſt, imo non cogitaret de aliqua pugna, ita animum relaxaret in omnis generis mala, & ſolum per Leges juſtitiæ latas in Mundo, & per illarum pœnas, retineretur ab illis quoad facta, & ſic foret intus ſicut tigris, pardus, & ſerpens, qui nihil reflectunt ſuper amorum ſuorum crudelia jucunda: ex his patet, quod homo, quia præ feris rationalis eſt, debeat reſiſtere malis ex potentia & viribus ſibi datis a Domino, quæ in omni ſenſu apparent ei ut propriæ, & hæc apparentia eſt data cuivis homini a Domino propter Regenerationem, Imputationem, Conjunctionem, & Salvationem.

Quod homo in exercitiis Charitatis non ponat meritum in Operibus, dum credit quod omne bonum ſit a Domino.

439. Meritum ponere in operibus, quæ fiunt ſalutis cauſa, damnoſum eſt, in illo enim latent mala, de quibus factor nihil ſcit; latet negatio influxus & operationis Dei apud hominem; fiducia propriæ potentiæ in rebus ſalutis; fides in ſe & non in Deum; juſtificatio ſui; ſalvatio ex propriis viribus; annihilatio gratiæ & miſericordiæ Divinæ; rejectio reformationis & regenerationis per Divina media; in ſpecie derogatio meriti & juſtitiæ Domini Dei Salvatoris, quæ ſibi vindicant; præterea continua intuitio mercedis, quam pro fine primo & ultimo ſpectant; ſubmerſio & exſtinctio amoris in Dominum & amoris erga proximum; totalis ignorantia & imperceptibilitas jucundi amoris Cæleſtis, quod eſt abſque merito, & ſola ſenſatio amoris ſui; nam qui mercedem primo loco ponunt, & ſalutem ſecundo, ita hanc propter illam, invertunt ordinem, ac deſideria interiora mentis ſuæ immergunt proprio ſuo, & in corpore conſpurcant illa malis ſuæ carnis: inde eſt, quod bonum meriti coram Angelis appareat ſicut rubigo, & bonum non meriti ſicut purpura. Quod non faciendum ſit bonum fine mercedis, docet Dominus apud Lucam; *Si benefacitis illis, qui benefaciunt vobis, quæ vobis gratia eſt, potius diligite inimicos veſtros, & benefacite, atque mutuo date nihil inde ſperantes, tunc erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ille benignus ſuper ingratos & malos*, Cap. VI: 33 ad 36. Quod homo non poſſit facere bonum, quod in ſe bonum eſt, niſi a Domino, apud Johannem, *Manete in Me, & Ego in vobis, quemadmodum palmes non poteſt fructum ferre a ſe ipſo, niſi manſerit in vite; ita neque vos niſi in Me manſeritis, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*, Cap: XV: 4, 5. Et alibi, *Non poteſt homo ſumere quicquam, niſi ſit datum illi e Cælo*, Cap. III: 27.

440. At cogitare, quod in Cælum veniant, & quod bonum faciendum ſit propterea, non eſt ſpectare mercedem ut finem, ac ponere meritum in operibus, nam id cogitant etiam illi, qui amant proximum ut ſeipſum, & Deum ſupra omnia, hi enim cogitant id ex fide in Domini verba. *Quod merces eorum futura ſit magna in Cælis*, Matth. V: 11, 12: Cap. VI: 1. Cap. X: 41, 42. Luc. VI: 23, 25. Cap. XIV; 12, 33, 14. Joh. IV: 36. *Quod qui bona fecerunt, tanquam hæreditatem poſſeſſuri ſint Regnum a fundatione Mundi* paratum, Matth. XXV: 34. *Quod cuivis retribuatur ſecundum opera ejus*, Matth. XVI: 27. Joh. V: 29. Apoc. XIV: 13. Cap. XX: 12, 13. Jerem. XXV: 14. Cap: XXXII: 19: Hoſeh. IV. 9. Sach. I. 6. & alibi. Hi non in fiducia mercedis ex merito ſunt, ſed in fide promiſſionis ex gratia: apud hos eſt jucundum faciendi bonum proximo merces; hoc jucundum eſt Angelis in Cælo, & eſt jucundum ſpirituale, quod eſt æternum, & immenſum excedit omne jucundum naturale: illi qui in iſto jucundo ſunt, non volunt audire de merito, nam amant facere, & in eo fauſtum percipiunt; & hi contriſtantur ſi credatur, quod faciant propter retributionem; ſunt illi ſicut qui bonum faciunt amicis amicitiæ cauſa, fratri fraternitatis cauſa, uxori & liberis uxoris & liberorum cauſa, patriæ patriæ cauſa, ita ex amicitia & amore; illi qui benefaciunt, etiam dicunt & perſuadent; quod non propter ſe ſed propter illos.

441. Aliter prorſus illi qui mercedem in operibus ut ipſum finem ſpectant, hi ſimiles ſunt illis, qui amicitiam ineunt propter lucrationes, & quoque dona mittunt, officia præſtant, amorem teſtantur ſicut ex corde, & cum ſperata non obtinent, avertunt ſe, & amicitiæ renuntiant, ac inimicis & oſoribus ejus ſe addicant. Et ſunt ſiunt Nutrices, quæ pro mercede ſolum lactant infantes, & in conſpectu paren-

rentum oſculantur & palpant illos, at vero ut primum non delicate nutriuntur & ad omnem nutum remunerantur, infantes rejiciunt, duriter tractant & verberant, ridentes ad ſletus illorum. Sunt etiam ſicut qui ſpectant Patriam ex amore ſui & mundi, & dicunt ſe velle bona ſua & vitam ſuam pro illa impendere, & tamen ſi non aucupant honores & opes ut præmia, male de illa loquuntur, & adjungunt ſe hoſtibus ejus: ſunt quoque ſicut Paſtores, qui ſolum propter mercedem paſcunt oves, quam ſi non ſuo tempore recipiunt, baculo ſuo a paſcuo in deſertum abigunt: ſimiles his ſunt Sacerdotes, qui ſui miniſterii debita ſolum propter cenſus illis addictos præſtant; quod hi flocci pendant ſalutem animarum, quibus ut ductores præfecti ſunt, patet. Simile eſt cum Magiſtratus perſonis, qui modo ſpectant ad dignitatem functionis ſuæ & ad reditus, hi dum bonum faciunt, non eſt propter bonum publicum, ſed propter jucundum amoris ſui & mundi, quod illi ut unicum bonum reſpirant: parile eſt cum reliquis; finis enim propter quem, omne punctum fert, & cauſæ mediæ, quæ ſunt functionis, ſi non promovent finem, renuntiantur. Simile eſt cum illis, qui mercedem ex merito in rebus ſalutis poſcunt, hi poſt mortem magno animo poſtulant Cælum, at poſtquam juventi ſunt, quod nihil amoris in Deum, & nihil amoris erga proximum poſſideant, remittuntur ad illos qui de Charitate & Fide illos inſtruant, quorum doctrinalia ſi repudiant, ablegantur ad ſimiles, inter quos aliqui ſunt, qui iraſcuntur Deo, quia non reportant præmia, & Fidem vocant ens rationis. Sunt illi qui in Verbo intelliguntur per Mercenarios, quibus addicta ſunt ſervitia infimæ ſortis in Atriis Templi: apparent e longinquo ſicut findentes ligna.

442. Probe ſciendum eſt, quod Charitas & Fides in Dominum arcte conjunctæ ſint, inde qualis eſt Fides talis eſt Charitas. *Quod Dominus, Charitas & Fides unum faciant, ſicut vita, voluntas & intellectus, & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem*, videatur ſupra n: 362 ſeq. Et *quod Charitas & Fides ſimul ſint in Operibus bonis*, n: 373 rd 377. inde ſequitur, quod qualis eſt Fides talis ſit Charitas, & quod qualis eſt Fides & Charitas ſimul, talia ſint opera; nunc ſi fides eſt, quod omne bonum, quod homo facit ſicut ex ſe, ſit a Domino, eſt homo tunc cauſa inſtrumentalis ejus, & Dominus cauſa principalis, quæ duæ cauſæ apparent coram homine una, cum tamen cauſa principalis eſt omne in omnibus cauſæ inſtrumentalis; inde ſequitur, quod ſi homo credit, quod omne bonum, quod in ſe bonum eſt, ſit a Domino, non ponat meritum in operibus; & in eo gradu, quo hæc fides apud hominem perficitur, a Domino aufertur illi phantaſia de Merito. Homo in hoc ſtatu exercitia Charitatis in abundantia abſque timore meriti facit, & demum percipit jucundum ſpirituale Charitatis, & tunc incipit averſari meritum ut noxium vitæ ſuæ. Meritum a Domino facile abſtergitur apud illos qui imbuunt Charitatem per quod juſte & fideliter agant in opere, negotio & officio in quo ſunt, & cum quibus in aliquo commercio ſunt, de quibus ſupra n: 422. 423: 424. ſed meritum ægre aufertur ab illis, qui credunt Charitatem comparari per eleemoſynas & opitulationes indigentium, nam hi dum operantur illa, mente ſua primum aperte, & dein tacite, mercedem volunt, & meritum attrahunt.

Quod Vita Moralis dum ſimul eſt Spiritualis ſit Charitas.

443. Omnis homo a parentibus & magiſtris diſcit moraliter vivere, hoc eſt, civilem perſonam agere & honeſtatis officia exhibere, quæ ſe referunt ad varias virtutes, quæ ſunt honeſtatis eſſentialia, & producere illa per formalia ejus, quæ vocantur decora, & ſicut ætate provehitur, ſuperaddere rationalia, ac moralia vitæ per illa perficere; nam moralis vita apud pueros uſque ad primam ado-

leſcentiam eſt naturalis, quæ deinde plus & plus ſit rationalis. Qui bene reflectit, poteſt videre, quod moralis vita ſit eadem cum Charitatis Vita, quæ quod ſit bene agere cum proximo, & moderari ne ſit malis contaminata, ſequitur ex illis, quæ ſupra n: 435 ad 438, oſtenſa ſunt. Sed uſque in prima ætatis periodo, Moralis Vita eſt Charitatis Vita in extremis, hoc eſt, modo exterior & anterior ejus pars, & non interior. Sunt enim quatuor Periodi vitæ, quas homo ab Infantia ad ſenectutem pertranſit; PRIMA eſt, in qua agit ex aliis ſecundum inſtructiones: SECUNDA eſt, in qua agit ex ſe moderante intellectu: TERTIA eſt, in qua Voluntas agit in Intellectum, & Intellectus modificat illam: QUARTA eſt, in qua agit ex confirmato & ex propoſito. Sed hæ Periodi vitæ, ſunt periodi vitæ Spiritus hominis, non ſimiliter ejus corporis, hoc enim poteſt moraliter agere & rationaliter loqui, & tamen Spiritus ejus poteſt contraria velle & cogitare; quod homo naturalis ſit talis, manifeſte patet a ſimulatoribus, aſſentatoribus, mendacibus & hypocritis, quod hi gaudeant duplici mente, ſeu quod Mens illorum diviſa ſit in binas diſcordantes, conſtat: aliter apud illos, qui bene volunt & rationaliter cogitant, & inde bene agunt & rationaliter loquuntur; hi ſunt qui per *Simplices ſpiritu* in Verbo intelliguntur; ſimplices dicuntur quia non ſunt duplices. Ex his videri poteſt, quid proprie intelligitur per Externum & Internum hominem, & quod nemo poſſit a Moralitate Externi hominis concludere ad moralitatem Interni, quoniam hic poteſt in contrario verſu eſſe, & ſe recondere ſicut teſtudo ſuum caput in concha, & ſicut ſerpens ſuum caput in ſpira; eſt enim talis ita dictus moralis homo, ſicut latro in Urbe & in ſylva, qui in Urbe agit perſonam moralem, ſed in ſylva prædonem: Aliter prorſus illi qui interius ſeu quoad Spiritum morales ſunt, quod fiunt per regenerationem a Domino, hi ſunt qui intelliguntur per Morales ſpirituales.

444. Quod Moralis vita, dum ſimul eſt ſpiritualis, ſit Charitatis vita, eſt quia exercitia Moralis vitæ & Charitatis ſunt eadem; Charitas enim eſt bene velle proximo, & inde bene agere cum illo, hoc etiam eſt Vitæ moralis; Lex Spiritualis eſt hæc Domini, *Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis, hæc eſt Lex & Prophetæ*, Matth. VII: 12, eadem hæc Lex eſt univerſalis Vitæ moralis: Sed omnia Charitatis opera recenſere, & illa cum operibus vitæ moralis conferre, eſt plurium paginarum opus; ſint modo illuſtrationi ſex Præcepta Secundæ Tabulæ Legis Decalogi, quæ quod ſint præcepta vitæ moralis, cuivis patet, quæ quod etiam contineant omnia quæ amoris erga proximum ſunt, videatur ſupra, n: 329. 330. 331. Quod Charitas impleat illa omnia, conſtat ex his apud Paulum, *Amate vos invicem, qui enim amat alterum, Legem implevit; nam illud non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falſus teſtis eris, non concupiſces, & ſi quid aliud mandatum, in hoc verbo comprehenditur, amabis proximum ut teipſum; Charitas proximo non malum facit; plenitudo legis eſt Charitas*, Rom. XIII: 8. 9. 10. Qui ex ſolo Externo homine cogitat, ille non poteſt non mirari, quod ſeptem Præcepta Secundæ Tabulæ a Jehovah ſuper monte Sinai cum tanto miraculo promulgata ſint, cum tamen eadem illa in omnibus Regnis in terris, proinde etiam in Ægypto, unde filii Iſraelis nuper venerunt, fuerunt Præcepta Legis juſtitiæ civilis, nam abſque illis nullum Regnum ſubſiſtit: ſed quod a Jehovah promulgata ſint, & inſuper Tabulis lapideis digito Ipſius inſcripta, fuit cauſa, ut non ſolum eſſent Præcepta Societatis civilis, & ſic Vitæ moralis naturalis, ſed etiam Præcepta Societatis cæleſtis, & ſic Vitæ moralis ſpiritualis, ita quod facere contra illa, non modo eſſet facere contra homines, ſed etiam contra Deum.

445. Si ſpectatur Vita Moralis in ſua eſſentia, videri poteſt quod ſit Vita ſecundum Leges humanas & ſimul Divinas, quare qui ſecundum binas illas Leges ut Unam vivit, is vere moralis homo eſt, & ejus vita eſt Charitas. Quiſque poteſt com-

comprehendere, ſi vult, ex Vita Morali externa, qualis eſt Charitas; tranſcribe modo Vitam moralem externam, qualis eſt in civilibus conſortiis, in Internum hominem, ut in hujus voluntate & cogitatione ſit ſimilis & conformis actis in Externo, & videbis Charitatem in ſuo typo.

Quod Amicitia amoris ligata cum homine, qualiscunque eſt quoad ſpiritum, poſt mortem detrimentoſa ſit.

446. Per amicitiam amoris intelligitur interior amicitia, quæ talis eſt, ut non modo ametur Externus ejus homo, ſed etiam Internus, & hoc abſque ſcrutinio qualis eſt quoad Internum ſeu ſpiritum, hoc eſt, quoad mentis affectiones, ſive hæ ſint amoris erga proximum, ac amoris in Deum, ita conſociabiles cum Angelis cæli; ſive ſint Amoris contra proximum ac amoris contra Deum, ita conſociabiles cum Diabolis. Talis amicitia apud plures ligatur ex variis cauſis, & propter varios fines. Diſtinguitur hæc ab amicitia externa quæ ſolius perſonæ eſt, & datur propter varia jucunda corporis & ſenſuum, & propter varia commercia; hæc amicitia cum unoquovis poteſt ſociari, etiam cum hariolo qui ad menſam Ducis joculatur: hæc vocatur ſimpliciter amicitia, illa autem amicitia amoris, quia amicitia eſt conjunctio naturalis, amor autem eſt conjunctio ſpiritualis.

447. Quod amicitia amoris poſt mortem detrimentoſa ſit, conſtare poteſt ex ſtatu cæli, ex ſtatu inferni, & ex ſtatu ſpiritus hominis reſpectivo. Quod Cæli ſtatum attinet, eſt illud in innumeras Societates ſecundum omnes varietates affectionum amoris boni diſtinctum; Infernum viciſſim ſecundum omnes varietates affectionum amoris mali; & homo poſt mortem, qui tunc eſt Spiritus, ſecundum ſuam vitam in Mundo ſtatim addicitur ſocietati, ubi ejus regnans amor eſt; ſocietati alicui cæleſti, ſi amor in Deum & erga proximum fecerat Caput ejus amorum, & alicui ſocietati infernali, ſi amor ſui & mundi fecerat caput ejus amorum. Statim poſt introitum in Mundum ſpiritualem, quod fit per mortem & rejectionem corporis materialis in ſepulchrum, homo per aliquod tempus ad ſocietatem ſuam, cui addictus eſt, præparatur, & præparatio fit per rejectiones amorum cum principali ejus non concordantium, quare tunc ſeparatur unus ab altero, amicus ab amico, cliens a domino, & quoque parens a liberis, & frater a fratre, & quiſque eorum interius adjungitur ſimilaribus, cum quibus vitam conſortem & proprie ſuam in æternum victurus eſt. At primo tempore præparationis conveniunt, & amice colloquuntur ſicut in Mundo, ſed paullatim dirimuntur, quod fit inſenſibiliter.

448. At illi, qui in Mundo ligarunt amicitias amoris inter ſe, non poſſunt ſicut alii ſecundum ordinem ſeparari, & addici Societati vitæ ſuæ correſpondenti; ſunt enim interius quoad Spiritum ligati, nec poſſunt divelli, quia ſunt ſicut rami inoculati ramis; quare ſi unus quoad interiora ſua in Cælo eſt, alter quoad ſua interiora in Inferno, cohærent vix aliter quam ſicut ovis alligata lupo, aut ſicut anſer vulpi, aut ſicut columba accipitri, & ille, cujus interiora in Inferno ſunt, inſpirat ſua infernalia in illum, cujus interiora in Cælo ſunt; nam inter cognitiones notas in Cælo etiam hæc eſt, quod mala inſpirari poſſint bonis, non autem bona malis, cauſa eſt, quia unusquiſque a nativitate in malis eſt; inde bonis ita cohærentibus cum malis occluduntur interiora, & ambo detruduntur in Infernum, ubi bonus dura patitur, & tandem poſt intervalla temporis eximitur, & tunc primum præparatur ad Cælum. Datum eſt mihi videre tales ligationes, præcipue inter fratres & affines, tum etiam inter dominos & clientes, & plurium cum aſſentatoribus, quibus fuerunt contrariæ affectiones & diverſi genii, & vidi quoſdam ſicut hædos cum pardis, & illos tunc ſe oſculantes, & jurantes in priorem amicitiam,

& percepi tunc bonos inſorbentes jucunda malorum, ac tenentes ſe manibus, & ſimul intrantes ſpeluncas, ubi catervæ malorum viſæ ſunt in ſuis tetris formis, ſed coram ſeipſis ex illuſione phantaſiæ in venuſtis; at poſt ſpatia temporis audivi a bonis lamenta timoris ſicut pro laqueis, & a malis gaudia ſicut hoſtium ex ſpoliis; præter triſtes alias ſcenas. Quod boni poſtea, dum exémti ſunt, per media reformationis, ſed ægrius quam alii, præparati ſint ad Cælum, audivi.

449. Aliter prorſus fit cum illis qui amant bonum in altero, ita qui amant juſtitiam, judicium, ſinceritatem, benevolentiam ex charitate, imprimis qui fidem & amorem in Dominum; illi quia amant illa quæ intra hominem ſunt abſtracte ab illis quæ extra illum ſunt, quare ſi non animadvertunt eadem in perſona poſt mortem, illico ab amicitia recedunt, & a Domino aſſociantur illis qui in ſimili bono ſunt. Dici poteſt, quod nemo poſſit explorare interiora mentis illorum cum quibus in conſortio & commercio eſt, ſed hoc non neceſſarium eſt, modo caveat ſibi ab amicitia amoris cum quocunque; amicitia externa propter varios uſus non nocet.

Quod detur Charitas ſpuria, Charitas hypocritica, & Charitas mortua.

450. Genuina Charitas quæ eſt viva, non datur niſi quæ unum facit cum fide, & niſi utraque conjunctim ſpectet ad Dominum, nam hæc tria, Dominus, Charitas & Fides, ſunt tria eſſentialia ſalutis, quæ dum unum faciunt, Charitas eſt Charitas, & Fides eſt Fides, & Dominus eſt in illis & illi in Domino, videatur ſupra n: 363 ad 367, & n: 368 ad 372. At vero, ubi Tria illa non conjuncta ſunt, eſt Charitas vel ſpuria, vel hypocritica, vel mortua. Fuerunt in Chriſtianiſmo a tempore fundationis ejus diverſæ Hæreſes, & quoque hodie ſunt, in quarum ſingulis tria hæc Eſſentialia, quæ ſunt Deus, Charitas & Fides, agnita ſunt & agnoſcuntur, nam abſque Tribus illis non eſt Religio. Quod in ſpecie Charitatem attinet, poteſt illa adjungi cuivis Fidei Hæreticæ; ſicut Fidei Socinianorum, Fidei Enthuſiaſtarum, Fidei Judæorum, imo Fidei Idololatrarum, & ab omnibus illis credi quod ſit Charitas, quoniam illa in externa forma apparet ſimilis; ſed uſque mutat qualitatem ſecundum fidem cui adjungitur vel conjungitur; quod ita ſit videatur in Capite de Fide.

451. Omnis Charitas, quæ non conjuncta eſt Fidei in unum Deum, in quo Divina Trinitas eſt, eſt SPURIA; quemadmodum Charitas hodiernæ Eccleſiæ, cujus Fides eſt in tres Perſonas ejuſdem Divinitatis in ſucceſſivo ordine, in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, & quia in tres Perſonas, quarum unaquævis eſt Deus ſubſiſtens per ſe, ita in tres Deos; cui Fidei Charitas poteſt adjungi, ſicut etiam a fidei iſtius aſſertoribus factum eſt, ſed nuſquam conjungi, & Charitas modo adjuncta fidei, eſt duntaxat naturalis & non ſpiritualis, quare eſt Charitas ſpuria. Similiter Charitas plurium aliarum Hæreſium, quemadmodum illorum, qui Divinam Trinitatem negant, & ideo ſolum Deum Patrem adeunt, vel ſolum Spiritum ſanctum, aut utrumque præter Deum Salvatorem; horum Fidei non poteſt Charitas conjungi, & ſi conjungitur vel adjungitur, eſt Spuria: dicitur Spuria, quia eſt ſicut Proles ex illegitimo toro, velut Filius Hagaris ex Abrahamo, qui e domo ejectus eſt, Geneſ. XXI: 9. Talis Charitas eſt ſicut fructus non adnatus arbori, ſed ei acu affixus; & eſt ſicut Currus, ante quem Equi non aliter alligati ſunt quam per habenas in manibus Aurigæ, qui cum excurrunt, trahunt Aurigam e ſede, relicto curru.

452. Charitas autem HYPOCRITICA eſt apud illos qui in Templis & Domibus humi-

miliant ſe pæne ad pavimentum coram Deo, longas preces devote fundunt, vultus Sanctos præferunt, oſculantur imagines crucis, & oſſa mortuorum, & nunc ad ſepulchra flectunt genua, & ibi muſſitant ore verba ſanctæ venerationis Dei, & tamen corde volvunt cultum ſui, & intendunt adorationes ſicut numinum. Hi ſunt ſimiles illis, quos Dominus deſcribit, his verbis, *Quando feceris eleemoſynas, ne tuba canas ante te, quemadmodum Hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut glorificentur ab hominibus: & ſi oraveris, non eris ſicut Hypocritæ, qui amant in Synagogis & in Angulis platearum ſtantes orare, ut conſpiciantur ab hominibus*, Matth. Cap. VI: 2. 5. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, quia clauditis Regnum cœlorum coram hominibus, vos enim non intratis, nec eos, qui intrare volunt, permittitis intrare. Væ vobis Hypocritæ, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum factus eſt, facitis illum filium gehennæ duplo magis quam vos. Væ vobis Hypocritæ, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero plena ſunt rapina & intemperantia*, Matth. XXIII: 14. 15. 25. *Recte prophetavit Eſajas de vobis Hypocritæ, dicens, hic populus labiis Me honorat, Cor vero eorum procul abeſt a Me*, Marc. VII: 6. *Væ vobis* HYPOCRITÆ, *quia eſtis ſicut Monumenta non apparentia, ut homines, qui ambulant ſuper ea, non ſciant*, Luc. XI: 44; præter alibi. Sunt illi ſicut carnes abſque ſanguine: ſicut corvi & pſittaci inſtructi loqui verba ex aliquo pſalmo; & ſicut aves edoctæ canere melodiam hymni ſancti: ſonus loquelæ eorum eſt ſicut ſonus fiſtulæ aucupis.

453. Charitas autem MORTUA eſt apud illos, quibus Fides mortua eſt, quoniam qualis eſt Fides talis eſt Charitas; quod unum faciant, in Capite de FIDE oſtenſum eſt; quod Fides mortua ſit illis, qui abſque operibus ſunt, conſtat ex Epiſtola Jacobi Cap. III: 17. 20. Præterea Fides mortua eſt illis, qui non credunt in Deum, ſed in homines vivos & mortuos, & colunt Idola ut in ſe ſancta, ſicut olim Gentiles; Donaria illorum, qui in hac fide ſunt, quæ ſalutis cauſa impendunt Simulacris miraculoſis, ut illa vocant, & illa adnumerant inter Charitatis opera, non aliud ſunt quam ſicut aurum & argentum immiſſum urnis & cippis mortuorum, imo ſicut offulæ datæ Cerbero, & penſa Charonti, ut in Campos Elyſios transferantur. Charitas autem illorum, qui credunt quod Deus non ſit, ſed pro Deo Natura, non eſt Spuria, nec hypocritica, nec mortua, ſed NULLA, quia non eſt alicui fidei adjuncta, non enim nominari poteſt Charitas, quia ejus qualitas prædicatur ex fide: Charitas horum e Cælo ſpectata, eſt ſicut panis ex cinere, collyra ex ſquamis piſcis, & ſicut fructus ex cera.

Quod Amicitia amoris inter malos, ſit inteſtinum odium inter illos.

454. Supra oſtenſum eſt, quod cuivis homini ſit Internum & Externum, & quod Internum ejus dicatur Internus homo, & Externum ejus Externus homo; his adjicietur hoc, quod Internus homo ſit in Mundo ſpirituali, & Externus in Mundo naturali; quod homo talis creatus ſit, eſt cauſa, ut poſſit aſſociari ſpiritibus & angelis in eorum Mundo, & inde analytice cogitare, ac poſt mortem transferri a ſuo in alterum. Per Mundum ſpiritualem intelligitur & Cælum & Infernum. Quoniam Internus homo una cum ſpiritibus & Angelis in eorum Mundo eſt, & Externus cum hominibus, patet quod homo poſſit conſociari ſpiritibus Inferni, & quoque conſociari Angelis Cæli; homo per hanc facultatem & potentiam diſtinguitur a beſtiis. Homo qualis eſt quoad Internum ſuum hominem, talis eſt in ſe, non autem qualis eſt quoad Externum, quia Internus homo eſt ejus Spiritus, qui agit per Externum. Corpus materiale, quo Spiritus ejus in Mundo naturali inveſti-

ſtitus eſt, eſt acceſſorium propter Procreationes, & propter formationem Interni hominis; hic enim formatur in Naturali corpore, ſicut arbor in terra, & ſemen in fructu. Plura de Interno & Externo homine videantur ſupra n: 401.

455. Qualis autem homo malus eſt quoad Internum ſuum hominem, & qualis homo bonus quoad ſuum, videri poteſt ex deſcriptione hac brevi Inferni & Cæli, nam Internus homo apud malos conjunctus eſt diabolis in Inferno, & apud bonos eſt ille conjunctus Angelis in Cælo. Infernum eſt ex Amoribus ſuis in jucundis omnium malorum, hoc eſt, in jucundis odii, vindictæ, necis, in jucundis deprædationis & furti, in jucundis vituperationis & blaſphemationis, in jucundis negationis Dei, & prophanationis Verbi: hæc latent in concupiſcentiis, ſuper quas homo non reflectit; illis jucundis flagrant ſicut Igniti torres; illa ſunt quæ in Verbo intelliguntur per Ignem infernalem. At jucunda Cæli, ſunt jucunda amoris erga proximum, & amoris in Deum. Quoniam jucunda Inferni ſunt oppoſita jucundis Cæli, eſt Interſtitium magnum inter illa, in quod a ſuperiori influunt jucunda Cæli, & ab inferiori jucunda Inferni; in medio hujus Interſtitii eſt homo dum vivit in Mundo, propter cauſam ut ſit in Æquilibrio, & ſic in Libero ſtatu convertendi ſe ad Cælum, vel ad Infernum: Hoc Interſtitium eſt, quod intelligitur per ingentem Hiatum firmatum inter illos qui in Cælo ſunt & illos qui in Inferno, Luc. XVI: 26. Ex his conſtare poteſt, qualis eſt amicitia amoris inter malos, quod quoad Externum hominem ſit geſticulatoria & mimica, ac ſimulatoria moralitatis, propter finem expandendi retia ſua, & explorandi ubi datur copia fruendi jucundis amorum ſuorum, ex quibus Internus illorum homo ardet; eſt ſolum timor legis, & inde famæ & vitæ, qui retrahit & actus inhibet, quare amicitia illorum eſt ſicut aranea in ſaccharo, vipera in pane, pullus crocodili in placenta mellis, & ſerpens in herbis. Talis eſt Amicitia malorum cum quocunque; at inter Malos confirmatos, ut inter fures, latrones & piratas, eſt illa familiaris, quamdiu unanima mente inhiant prædationibus, tunc enim ſe oſculantur ut fratres, jucundant ſe epulis, cantu & choreis, & conjurant in perniciem aliorum; imo etiam quiſque penitus in ſe aſpicit ſodalem, ſicut hoſtis hoſtem, hoc etiam aſtutus prædo in ſodali ſuo videt, & timet. Ex his patet, quod inter tales non ſit amicitia, ſed inteſtinum odium.

455. Omnis homo qui ſe non aperte addixit malefactoribus, & exercuit prædationes, ſed civilem moralem vitam propter varios uſus ut fines egit, & tamen concupiſcentias reſidentes in Interno homine non refrænavit, credere poteſt, quod Amicitia ejus non talis ſit, ſed quod uſque ſit in vario gradu apud omnes, qui fidem rejecerunt, & ſancta Eccleſiæ aſpernati ſunt, & pro nihilo reputaverunt pro ſe, ſed modo pro vulgo, ex pluribus exemplis in Mundo ſpirituali pro certo ſcire datum eſt; apud quoſdam ex illis jucunda amoris infernalis latuerunt ſicut ignes in lignis torridis cortice obductis; apud quoſdam ſicut prunæ ſub favillis; apud quoſdam ſicut faculæ cereæ, quæ admoto igne efflagrant; & apud quoſdam aliter; talis eſt omnis homo, qui e corde ſuo rejecit illa quæ religionis ſunt; horum Internus homo in Inferno eſt, & quamdiu in Mundo vivunt, & tunc propter moralitatem effigiatam in externis id ignorant, non agnoſcunt pro proximo alios quam ſemet & ſuos liberos, & reliquos ſpectant vel ex contemtu, & tunc ſunt ſicut feles inſidiantes avibus in nidis, vel ex odio, & tunc ſunt ſicut lupi dum vident canes quos devorent. Hæc allata ſunt, ut ſciatur qualis eſt Charitas in ſuo oppoſito.

De Conjunctione amoris in Deum, & amoris erga proximum.

456. Notum eſt, quod Lex e Monte Sinai promulgata, inſcripta ſit binis Tabulis, & quod una harum ſit de Deo, & altera de Hominibus, & quod illæ in manu Moſis una Tabula fuerint, a cujus Parte dextra fuit Scriptum de Deo, & a ſiniſtra de hominibus, & quod ſic oblata oculis hominum ſcriptura utriuſque Partis ſimul conſpiceretur, ita fuit una Pars in conſpectu alterius, ſicut Jehovæ loquentis cum Moſe & Moſis cum Jehovah facie ad faciem, ut legitur. Hoc ideo factum eſt, ut Tabulæ ſic unitæ repræſentarent conjunctionem Dei cum hominibus, & reciprocam hominum cum Deo; propter quam cauſam Lex inſcripta vocabatur FÆDUS & TESTIMONIUM, Fædus ſignificat conjunctionem, & Teſtimonium vitam ſecundum pacta. Ex binis his Tabulis ita unitis videri poteſt conjunctio Amoris in Deum, & Amoris erga proximum; Prima Tabula involvit omnia quæ Amoris in Deum ſunt, quæ primario ſunt, quod oporteat agnoſcere Unum Deum, Divinitatem Humani Ipſius, & Sanctitatem Verbi, & quod colendus ſit per Sancta quæ procedunt ab Ipſo; quod hæc Tabula involvat illa, conſtat ex illis, quæ in Capite VTO ſuper Decalogi Præcepta commentata ſunt: Secunda Tabula involvit omnia illa quæ Amoris erga proximum ſunt, quinque priora ejus præcepta illa quæ facti ſunt, & vocantur Opera, & duo poſteriora illa quæ voluntatis ſunt, ita illa quæ Charitatis ſunt in ſua origine, in his enim dicitur non Concupiſces, & cum homo non concupiſcit illa quæ proximi ſunt, tunc bene illi vult; *Quod Decem Præcepta Decalogi contineant omnia quæ Amoris in Deum ſunt, & omnia quæ Amoris erga proximum ſunt*, videatur ſupra n. 329. 330. 331. Ubi etiam oſtenſum eſt, quod conjunctio utriuſque Tabulæ ſit apud illos, qui in Charitate ſunt.

457. Aliter apud illos, qui in ſolo Cultu Dei ſunt, & non ſimul in Bonis operibus ex Charitate, hi ſunt ſimiles illis, qui diſcindunt fædus; adhuc aliter apud illos, qui dividunt Deum in tres, & unumquemvis ſeparatim colunt: adhuc aliter apud illos, qui Deum non in Humano ſuo adeunt, hi ſunt, *Qui non ingrediuntur per januam, ſed aſcendunt aliunde*, Joh. X: 9; & adhuc aliter apud illos, qui Divinitatem Domini ex confirmatione negant; apud hos & illos non eſt conjunctio cum Deo, & inde non ſalvatio; & Charitas illorum non eſt alia quam ſpuria, & hæc non conjungit a facie, ſed a latere, aut a tergo. Quomodo Conjunctio fit, etiam paucis dicetur: Deus influit apud omnem hominem cum agnitione Ipſius in Cognitiones de Ipſo, & ſimul influit cum Amore ſuo erga homines; homo qui recipit modo prius & non poſterius, is recipit Influxum illum in Intellectu & non in Voluntate, & manet in cognitionibus abſque interiore agnitione Dei, & ejus ſtatus eſt ſicut Horti tempore hyemis; at homo qui recipit & prius & poſterius, is recipit influxum in Voluntate & inde Intellectu, ita tota Mente, & ei eſt interior agnitio Dei, quæ cognitiones de Deo apud illum vivificat; hujus ſtatus eſt ſicut Horti tempore veris. Quod conjunctio fiat per Charitatem, eſt cauſa, quia Deus amat unumquemvis hominem, & quia ei benefacere non poteſt immediate, ſed per homines mediate; ideo iis inſpirat ſuum amorem, ſicut inſpirat parentibus amorem erga liberos, & homo qui illum recipit, conjungitur Deo, & amat proximum ex amore Dei; apud hunc eſt Amor Dei intus in Amore hominis erga proximum, qui operatur velle eſt poſſe apud illum. Et quia homo nihil boni facit, niſi ei appareat ſicut poſſe, velle, & facere, ſint a ſe, ideo hoc datum eſt ei, & cum id facit ex libero ut a ſe, ei imputatur illud, & acceptatur ut reciprocum, per quod fit conjunctio; & hoc ſe habet ſicut activum & paſſivum, & hujus coope-

peratio, quod fit ex activo in passivo; & hoc se habet sicut Voluntas in actionibus & Cogitatio in loquelis, & Animæ ab intimo operantis in utramque; & se habet sicut Conatus in motu; & quoque sicut Prolificum seminis, quod ab interiori agit in succis, per quos crescit arbor usque ad fructus, & per fructus producit nova semina: & se habet sicut Lux in lapidibus pretiosis, quæ secundum texturas partium reflectitur, unde varii colores, sicut forent lapidum, cum tamen sunt lucis.

458. Ex his patet, unde & qualis est Conjunctio amoris in Deum & amoris erga proximum, quod sit influxus Amoris Dei erga homines, & quod ejus receptio ab homine, & cooperatio apud illum, sit amor erga proximum; in summa, est conjunctio secundum hoc Verbum Domini, *In illa die cognoscetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis*, Joh. XIV: 20. Et secundum hoc Verbum, *Qui habet præcepta mea & facit illa, ille est qui amat Me, & Ego amabo illum, & manifestabo illi Me Ipsum; & mansionem apud illum faciam*, Joh. XIV: 21. 22. 23. Præcepta Domini omnia se referunt ad amorem erga proximum, quæ in summa sunt, non facere ei malum, sed facere ei bonum; quod illi ament Deum, & Deus amet illos, est secundum illa verba Domini. Quoniam bini illi Amores ita conjuncti sunt, dicit Johannes, *Qui servat mandata Jesu Christi, in Ipso manet, & Ipse in illo. Si quis dicat, omnino amo Deum, sed fratrem suum oderit, mendax est: qui enim non amat fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest amare; hoc mandatum habemus ab Ipso, ut qui amat Deum, amet etiam fratrem suum*, 1 Epist. III: 24, & Cap. IV: 20. 21.

459. His adjicientur hæc Memorabilia: Primum. Vidi e longinque quinque Gymnasia, quæ varia luce circumfusa erant, Primum Luce flammea, Secundum Luce flava, Tertium Luce candida, Quartum Luce media inter meridianam & vespertinam, Quintum vix apparuit, stabat enim sicut in umbra vesperæ. Et vidi in viis aliquos super equis, aliquos in curribus, & aliquos gradientes, & quosdam currentes & festinantes, & hos ad Primum Gymnasium, quod Luce flammea circumtectum erat. His visis cepit & adegit me cupido illuc abeundi, & audiendi, quid ibi ventilabatur, quare propere accinxi me, & associavi me festinantibus ad primum Gymnasium, & una cum illis intravi, & ecce ibi erat Cætus magnus, ex quo pars se contulit ad dextrum, & pars ad sinistrum, sessuri super scamnis, quæ ad parietes; anterius vidi humile suggestum, in quo stetit unus, qui Præsidis munus obivit, cui baculus in manu, pileus super capite, & vestimentum luce Gymnasii flammea tinctum. Hic postquam congregati sunt, extulit vocem, & dixit, Fratres, ventilate hodie quid Charitas; quisque e vobis scire potest, quod Charitas in sua essentia sit spiritualis, & in exercitiis naturalis; & illico unus e primo scamno ad sinistrum, super quo illi qui reputati sunt sapientes sedebant, surrexit, & exorsus loqui dixit; mea Sententia est, Quod Moralitas inspirata fide sit Charitas, & confirmavit id ita, quis non scit, quod Charitas sequatur fidem, sicut pedissequa dominam, & quod homo, cui fides est, faciat legem, ita Charitatem tam sponte, ut non sciat quod Lex & Charitas sit, quam vivit, quoniam si sciret & sic faceret, & simul de salute propter id cogitaret, proprio suo inquinaret sanctam Fidem, & sic ejus efficaciam enervaret; nonne hoc secundum nostratium dogma est; & aspexit ad sedentes ad latera, inter quos erant canonici, & annuerunt. Sed quid Charitas spontanea, nisi Moralitas, in quam quisque ab infantia initiatur, quæ ideo in se naturalis est, sed fit, dum ei inspiratur fides, spiritualis; quis internoscit homines a morali vita illorum, num fides illis sit, vel non, omnis enim moraliter vivit, sed Solus Deus, qui indit & sigillat fidem, cog-

cognoſcit & diſtinguit; quare aſſero, quod Charitas ſit Moralitas inſpirata fide, & quod hæc Moralitas ex fide in ſinu ſuo ſit ſalvifica, at omnis alia inſalutifera, quia meritoria: perdunt itaque omnes oleum, qui commiſcent Charitatem & Fidem, videlicet qui conjungunt illas ab intra, & non adjungunt ab extra; nam commiſcere & conjungere illas, foret ſicut famulum ſtantem a tergo immittere in currum cum Primate, aut ſicut janitorem inducere in cænaculum ad menſam cum Magnate. Poſt hæc ſurrexit unus e ſcamno primo ad dextrum, & loquutus dixit; mea Sententia eſt, QUOD PIETAS INSPIRATA MISERATIONE SIT CHARITAS, & hoc confirmo per hæc, quod non aliud poſſit propitiare Deum plus quam Pietas ex humili corde, ac Pietas orat continue, ut Deus det Fidem & Charitatem, & Dominus dicit, Orate & dabitur vobis, Matth. VII: 7; & quia datur, eſt utraque in illa. Dico quod Pietas inſpirata miſeratione ſit Charitas, omnis enim devota Pietas miſeretur, nam Pietas movet cor hominis, ut ingemiſcat, & quid hoc aliud quam miſeratio; hæc quidem recedit poſt orationem, ſed uſque redit cum illa, & cum redit, pietas in illa eſt, & ſic in Charitate. Sacerdotes noſtri adſcribunt omnia, quæ promovent ſalutem, Fidei, & non aliquid Charitati, quid tunc ſupereſt niſi Pietas miſere orans de utraque. Cum legi Verbum, non potui aliter videre, quam quod Fides & Charitas eſſent duo media ſalutis, ſed cum conſului Miniſtros Eccleſiæ, audivi, quod Fides eſſet unicum medium, & Charitas non aliquid, & tunc mihi viſus ſum tanquam in mari ſuper nave fluctuante inter binos ſcopulos, cujus fracturam cum timui, contuli me in cymbam, & navigavi, cymba mea eſt Pietas; & inſuper Pietas ad omnia utilis eſt. Poſt hunc ſurrexit unus e ſecundo ſcamno ad dextrum, & loquutus dixit, mea Sententia eſt, QUOD CHARITAS SIT BONUM FACERE CUIQUE TAM PROBO QUAM IMPROBO, & hoc confirmo per hæc; quid Charitas niſi cordis bonitas, & Cor bonum vult bonum omnibus tam probis quam improbis; & dixit Dominus, quod inimicis etiam benefaciendum ſit; ſi ergo ſubtrahis Charitatem ab aliquo, fitne tunc Charitas quoad illam partem nulla, & ſic homo ſicut ſuper uno pede ſubſultim ambulans, ablato altero. Improbus eſt homo æque ac probus, & Charitas ſpectat hominem ut hominem, ſi improbus eſt, quid hoc ad me. Cum Charitate eſt ſicut cum Calore ſolis, hic vivificat beſtias tam immites quam mites, æque lupos ac oves, & creſcere facit arbores tam malas quam bonas, ac ſpinas æque ac vites: his dictis, cepit in manu uvam recentem, & dixit, cum Charitate eſt ſicut cum hac uva, ſi dividis illam, diffluit omne quod inibi eſt, ac diviſit & diffluxit. Poſt hujus effatum ſurrexit alius e ſecundo ſcamno ad ſiniſtrum, & dixit; mea Sententia eſt, QUOD CHARITAS SIT OMNI MODO INSERVIRE AGNATIS ET AMICIS, quod confirmo ita; quis non ſcit, quod Charitas inchoet a ſeipſo, eſt enim quiſque ſibi proximus, quare Charitas a ſe progreditur per proximitates, primum ad fratres & ſorores, & ab his ad cognatos & affines, & ſic Charitatis progreſſio a ſeipſa terminatur; illi qui extra ſunt, alieni ſunt, & alieni non interius agnoſcuntur, ita ab interno homine abalienati ſunt; conſanguineos autem & agnatos natura conjungit, & amicos conſuetudo, quæ eſt altera natura, & ſic fiunt proximus; & Charitas unit ſibi alterum ab intra, & ſic ab extra, & qui non ab intra uniti ſunt, modo nominandi ſunt ſocii; nonne omnes aves cognoſcunt cognationem ſuam, non ex plumis, ſed ex ſono, & cum prope ſunt, ex ſphæra vitæ exhalata e corporibus illarum; hæc cognata affectio & inde conjunctio, apud aves vocatur inſtinctus, at eadem apud homines, quæ quando eſt ad ſuos & proprios, eſt vere humanæ naturæ inſtinctus. Quid facit homogeneum niſi ſanguis, hoc hominis mens, quæ etiam eſt ejus ſpiritus, ſentit & ſicut odorat, in hoc homogeneo & inde ſympathia conſiſtit Charitatis eſſentia; vice verſa autem heterogeneum, ex quo etiam exiſtit antipathia, eſt ſicut non ſanguis, & inde non Charitas; & quia conſuetudo eſt altera natura, & hæc quoque facit homogeneum, ſequitur quod Charitas ſit etiam bonum facere

amicis. Quis qui e mari in aliquem portum venit, & audit quod Terra extranea ſit, cujus habitantium linguas & mores non cognoſcit, & tunc non eſt niſi ſicut extra ſe, & nihil ex jucundo amoris erga illos ſentit; verum ſi audit, quod ſit Terra patria, cujus habitantium linguas & mores cognoſcit, eſt ſicut intra ſe, & tunc ſentit jucundum ex amore, quod etiam eſt jucundum Charitatis. Poſtea e ſcamno tertio ad dextrum unus ſurrexit, & alta voce loquutus eſt, dicendo; mea Sententia eſt, QUOD CHARITAS SIT DARE ELEEMOSYNAS PAUPERIBUS, ET OPEM FERRE INDIGENTIBUS; hoc certe eſt Charitas, quia hoc Divinum Verbum docet, cujus dictamen non admittit contradictionem; quid eſt dare divitibus & poſſidentibus opes, niſi vana gloria, in qua non eſt Charitas, ſed viſio remunerationis, & in hac non dabilis eſt genuina affectio amoris erga proximum, ſed affectio ſpuria, quæ valet in Terris, & non in Cælis; quare egeſtas & inopia eſt opitulanda, quia in hanc non intrat idea retributionis. In Urbe commorationis meæ, ubi novi, qui probi & qui improbi ſunt, vidi quod omnes probi ad viſum pauperem in platea ſiſterent gradum, & darent eleemoſynam; at omnes improbi, viſo paupere a latere, præterirent, ſicut cæci, ad aſpectum ejus, & ſicut ſurdi a voce ejus; & quis non ſcit, quod probis ſit charitas, & quod improbis non ſit. Ille qui dat pauperibus, & opitulatur indigentibus, ſimilis eſt Paſtori, qui oves famelicas & ſitientes ducit in paſcuum & ad potum; at illi qui ſolum dat divitibus & abundantibus, ſimilis eſt illi, qui colit deaſtros, ac cibum & vinum urget in illos qui crapulant. Poſt hunc ſurrexit unus e ſcamno tertio ad ſiniſtrum, & loquens dixit; mea Sententia eſt, QUOD CHARITAS SIT HOSPITALIA, NOSOCOMIA, ORPHANOTROPHIA ET XENODOCHIA ÆDIFICARE, AC DONIS SUSTENTARE; hoc confirmo per hæc, quod talia beneficia & auxilia ſint publica, & multis paraſangis excedant privata, inde fit Charitas plus opulenta & referta bonis, quæ bona numero multiplicia ſunt, ac merces ſperata ex promiſſionibus in Verbo fit plus abundans, nam ſicut quis parat agrum & ſerit, ita metit; eſtne hoc in copia dare pauperibus & opitulari egenis: quis non gloriam inde aucupat e Mundo, & ſimul laudes cum humili gratiarum voce ex alumnis; hocne elevat cor, & ſimul affectionem, quæ vocatur Charitas, uſque ad ſuum faſtigium. Divites, qui non ambulant in plateis, ſed vehuntur, non poſſunt advertere oculos ad ſedentes ad latera juxta parietes, & nummulos porrigere, ſed conferunt ſpartas ad talia, quæ pluribus ſimul conducunt; minores autem, qui ſuper plateis ambulant, & quibus non tale eſt penu, faciant alterum. His auditis, ſubito tunc alius ſuper eodem ſcamno vocem ejus per altiorem ſonum ſuppreſſit, & dixit, ne uſque Divites Charitatis ſuæ munificentiam & excellentiam præferant ſtipi, quam pauper dat pauperi, novimus enim, quod omnis qui agit, dignum ſua perſona agat, Rex dignum ſua, Prætor dignum ſua Tribunus dignum ſua, & Satelles dignum ſua; nam Charitas in ſe ſpectata non æſtimatur ſecundum excellentiam perſonæ & inde muneris, ſed ſecundum plenitudinem affectionis, quæ facit illam, & quod ſic mediaſtinus, dum unum nummulum dat, poſſit ex pleniore Charitate largiri, quam Magnas qui dat aut teſtatur theſaurum; quod etiam eſt ſecundum hæc „*Jeſus vidit divites jacientes dona ſua in Gazophylacium, videt etiam quandam viduam pauperem injicientem eo duo minuta; dixit, vere dico vobis, quod vidua pauper hæc plus omnibus injecerit*, Luc. XXI. 1. 2. 3. Poſt hos ſurrexit unus ex ſcamno quarto ad ſiniſtrum, & loquutus eſt, & dixit, Sententia mea eſt, QUOD CHARITAS SIT TEMPLA DITARE, ET MINISTRIS ILLORUM BENEFACERE; quod confirmo per hæc, quod qui illa facit, ſanctum verſet in animo ſuo, & ex ſancto ibi agat, & quoque quod dona ſua ſanctificet, hoc charitas poſtulat, quia illa in ſe ſancta eſt; eſtne omnis cultus in Templis ſanctus, nam Dominus dicit, ubi duo aut tres in Nomine meo congregati ſunt, in medio illorum ſum, ac Sacerdotes ſervi Ipſius miniſtrant illum; inde concludo quod dona, quæ ad hos & ad Templa diſponuntur, ſuperiora ſint donis, quæ ad alios & ad alia dif-

diſpenſantur ; & præterea Miniſtro data eſt copia benedicendi, ex qua etiam ſanctificat illa; & poſtea nihil latius expandit mentem, & lætificat, quam videre ſua donaria ut totidem ſanctuaria. Poſtea ſurrexit unus e ſcamno quarto ad dextrum, & fatus eſt ita ; mea Sententia eſt, QUOD FRATERNITAS VETUS CHRISTIANA SIT CHARITAS, & hoc confirmo per hæc, quod omnis Eccleſia, quæ colit verum Deum, inchoet a Charitate, ſimiliter ut vetus Chriſtiana ; quæ quia Charitas unit mentes, & facit ex multis unam, ideo ſe Fratres vocabant, ſed in JESU CHRISTO Deo illorum; at quia tunc a barbaris gentium circumcincti erant, a quibus timebant, communionem a ſuis bonis fecerunt, ex qua ſimul & unanimiter lætificabantur, & in conſortiis quotidue de Domino Deo Salvatore ſuo Jeſu Chriſto ſermocinabantur, ac in prandiis & cænis de Charitate; inde illorum Fraternitas. At poſt illorum tempora, quando ſchiſmata cæperunt exoriri, & demum nefanda Hæreſis Ariana, quæ apud plures ſuſtulit ideam de Divinitate Humani Domini, Charitas obſolevit, & Fraternitas diſſipata eſt. Verum eſt, quod omnes qui in veritate colunt Dominum, & præcepta Ipſius faciunt, Fratres ſint, Matth. XXIII: 8, ſed fratres ſpiritu; at quia hodie non cognoſcitur aliquis qualis ſpiritu eſt, non opus eſt, ut ſe mutuo nominent fratres. Fraternitas ſolius fidei, & minus adhuc Fidei in alium Deum quam in Dominum Deum Salvatorem, non eſt fraternitas, quia charitas, quæ facit eam, in illa fide non eſt; quare concludo, quod Fraternitas vetus Chriſtiana fuerit Charitas, ſed hæc fuit, & non eſt; at vaticinor, quod ventura ſit. Quando hoc dixit, apparuit lux flammea trans feneſtram ab oriente, & tinxit genas ejus, ex qua viſa obſtupuit Cætus. Ultimo ſurrexit unus e ſcamno quinto ad ſiniſtrum, & petiit ut liceret hujus effatis aliquam ſymbolam adjicere, & poſt aſſenſum dixit, ſententia mea eſt, QUOD CHARITAS SIT REMITTERE CUIQUE SUA DELICTA, hanc Sententiam cepi ex ſolita loquela illorum, qui ad Sanctam Cænam accedunt, aliqui enim tunc dicunt amicis, remittite mihi quæ deliqueram, putantes ſic quod omnia Charitatis officia impleverint; ſed ego mecum cogitavi, quod hoc ſit modo picta Charitatis figura, & non realis forma eſſentiæ ejus, dicunt enim hoc tam qui non remittunt, quam qui charitatem non ſectantur ullo conatu, & hi non ſunt inter illos in Oratione quam ipſe Dominus docuit, Pater remitte nobis delicta noſtra, ſicut nos remittimus delinquentibus contra nos: delicta enim ſunt ſicut ulcera, quæ niſi aperiuntur & ſanantur, coliigitur inibi ſanies, quæ corrumpit vicinias, ac ſerpentis inſtar cinumrepit, & ſanguinem undequaque in ſaniem vertit; ſimile eſt cum delictis contra proximum, quæ niſi removentur per pœnitentiam, & per vitam ſecundum præcepta Domini, remanent & ineſcantur: & illi, qui abſque pœnitentia ſolum orant ad Deum ut remittat illis peccata ſua, ſunt ſimiles civibus urbis contagioſo morbo affectis, qui adeunt Conſulem, & dicunt, Domine, medere nobis, quibus dicturus eſt Conſul, quid mederi, adite Medicum, & diſcite medelas, & a pharmacopola comparate vobis illas, ac aſſumite, & ſanabimini; ac Dominus dicet, qui de remiſſione peccatorum abſque actuali pœnitentia ſupplicant, aperite Verbum, & legite illud quod loquutus ſum apud Eſajam, *Væ Genti peccatrici, gravi iniquitate, unde quando expanditis manus veſtras, occulto oculos meos a vobis, etiam ſi multiplicaveritis orationem, non Ego audio: lavate vos, removete malitiam operum veſtrorum a coram oculis meis, ceſſate malum facere; diſcite bonum facere, & tunc peccata veſtra removebuntur ac remittentur*, Cap. I: 4, 15, 16, 17, 18. His peractis, exporrexi manum, & rogavi, ut liceret mihi, tametſi peregrimus ſum, meam quoque ſententiam adducere, quod Præſes propoſuit, & poſt conſenſum, loquutus ſum hæc, mea Sententia eſt, QUOD CHARITAS SIT EX AMORE JUSTITIÆ CUM JUDICIO IN OMNI OPERE ET OFFICIO AGERE, SED EX AMORE NON ALIUNDE QUAM A DOMINO DEO SALVATORE: Omnia quæ a Sedentibus ſuper ſcamnis a latere dextro & a latere ſiniſtro, audivi, ſunt celebria documenta Charitatis, ſed ſicut Præſes congregationis hujus præfatus eſt, Chari-

tas in ſua origine ſpiritualis eſt, & in ſua derivatione naturalis, & Charitas naturalis, ſi intus eſt ſpiritualis, apparet coram Angelis diaphana ſicut Adamas, at ſi intus non eſt ſpiritualis, & inde mere naturalis, apparet coram angelis ſicut Perla ſimilis oculo piſcis cocti. Meum non eſt dicere, num celebria Charitatis documenta, quæ ordine protuliſtis, ſint Charitate ſpirituali inſpirata, vel non, ſed meum hic eſt dicere, quid ſpirituale quod ineſſe debet, erit, ut ſint Charitatis ſpiritualis formæ naturales; ipſum ſpirituale illorum eſt hoc, ut fiant ex amore juſtitiæ cum judicio, hoc eſt, ut homo in exercitiis Charitatis perſpiciat, num ex juſtitia agat, & hoc perſpicit ex judicio; poteſt enim homo per benefacta malefacere, & quoque per talia, quæ apparent ſicut malefacta benefacere; ut pro exemplo, per benefacta malefacit ille qui latroni egeno ſuppetit opes ut emat ſibi enſem, tametſi hoc non dicit, cum ille ſupplicat; aut ſi illum eripit e carcere, & monſtrat viam ad ſylvam, & dicit ſecum, non mea culpa eſt quod ille latrocinetur, ſuppetias tuli homini: ſit etiam aliud exemplum, ut qui alit ignavum, & cuſtodit ne adigatur ad operas laboris, & dicit, intra in conclave domus meæ, & cuba in lecto, cur te fatigabis, ille enim favet ignaviæ: tum etiam, qui agnatos & amicos indolis improbæ promovet ad functiones honoris, in quibus multa malevolentiæ genera moliri poſſunt; quis non videre poteſt, quod talia Charitatis opera non ſint ex aliquo amore juſtitiæ cum judicio. Viciſſim etiam, quod homo poſſit per talia, quæ apparent ſicut malefacta benefacere, ut pro exemplo, Judex, qui maleficum abſolvit, quia lachrymat, & voces pietatis fundit, ac orat ut condonet quia proximus ejus eſt, cum tamen Judex Charitatis opus præſtat, dum illi irrogat pænam ſecundum legem, ſic enim præmunit, ne ille ulterius malefaciat, ac Societati, quæ in priori gradu proximus eſt, nocumento ſit, ac ne tale Judicium ſcandalo ſit; quis etiam non ſcit, quod cedat bono famulis ſi ab heris ſuis, ac liberis dum a parentibus propter maleficia caſtigantur: ſimile eſt cum illis in Inferno, quibus omnibus amor malefaciendi eſt, quod carceri incluſi teneantur, & dum mala faciunt, puniantur, quæ Dominus permittit propter emendationem, hoc fit quia Dominus eſt ipſa Juſtitia, & ex ipſo Judicio facit quicquid facit. Ex his perſpici poteſt, unde eſt, quod ſicut ſupra dictum eſt, Charitas ſpiritualis fiat ex amore juſtitiæ cum judicio, ſed ex amore non aliunde quam a Domino Deo Salvatore, cauſa eſt, quia omne bonum Charitatis eſt a Domino, dicit enim, *Qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*, Joh. XV: 4; *& quod Ipſi ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, XXVIII: 18; & omnis amor juſtitiæ cum judicio non aliunde eſt, quam ex Deo cæli, qui eſt ipſa Juſtitia, & a quo omne Judicium homini eſt, Jerem. XXIII: 5. Cap. XXXIII: 25. Ex his concluſum fit, quod omnia illa quæ e ſubſelliis ad dextrum & ad ſiniſtrum de Charitate dicta ſunt, quæ ſunt, Quod Charitas ſit Moralitas inſpirata Fide: Quod ſit Pietas inſpirata miſeratione: Quod ſit bonum facere tam probo quam improbo: Quod ſit omni modo inſervire agnatis & amicis: Quod ſit dare pauperibus & opitulari indigentibus: Quod ſit Noſocomia ædificare, & donis ſuſtentare: Quod ſit Templa ditare, & Miniſtris illorum benefacere: Quod ſit Fraternitas vetus Chriſtiana: Quod ſit remittere cuique ſua delicta; hac omnia ſunt egregia Charitatis documenta, dum ex amore juſtitiæ cum judicio fiunt, alioquin non ſunt Charitas, ſed modo ſunt ſicut rivi ſeparati a ſuo fonte, ac ſicut palmites evulſi a ſua arbore; quoniam genuina Charitas eſt, credere in Dominum, ac juſte & recte agere in omni opere & officio. Qui itaque ex Domino amat Juſtitiam, & illam cum judicio facit, ille eſt Charitas in imagine & ſimilitudine ejus. His edictis factum eſt ſilentium, quale eſt illis, qui ex Interno homine vident & agnoſcunt aliquid quod ita ſit, ſed nondum in Externo, hoc animadverti ex facicbus illorum. At ſubito tunc ſublatus ſum e conſpectu illorum, nam ex ſpiritu reintravi in materia-

teriale corpus meum, homo enim naturalis, quia indutus eſt materiali corpore, non apparet alicui ſpirituali homini, hoc eſt, ſpiritui & angelo, nec viciſſim.

460. SECUNDUM MEMORABILE, Quondam cum circumſpexi in Mundo ſpirituali, audivi ſicut ſtridorem dentium, & quoque ſicut pulſatile, & illis intermixtum ſicut raucum, & quæſivi quid illa, & dixerunt Angeli qui apud me erant, ſunt Collegia, quæ a nobis vocantur Diverſoria, ubi inter ſe diſceptant; Diſceptationes illorum ita audiuntur e longinquo, ſed prope non audiuntur niſi diſceptationes; acceſſi, & vidi domunculas contextas ex juncis luto conglutinatis, & volui inſpicere per feneſtram, ſed non erat; non enim licuit intrare per januam, quia ſic Lux e Cælo influeret, & confunderet: at ſubito tunc facta eſt feneſtra a dextro latere, & tunc audivi conqueſtos quod in tenebris eſſent, ſed mox facta eſt feneſtra a latere ſiniſtro, clauſa feneſtra a latere dextro, & tunc paullatim diſcuſſæ ſunt tenebræ, & viſi ſibi in ſua luce; & poſt hæc mihi datum eſt intrare per januam, & audire. Erat Menſa in medio, & ſcamna circum circa, omnes tamen mihi viſi ſunt ſuper ſcamnis ſtare, & acriter inter ſe diſputare de FIDE & CHARITATE, ab una parte, quod Fides eſſet Eſſentiale Eccleſiæ, ab altera, quod Charitas eſſet; illi, qui fecerunt Fidem Eſſentiale, dixerunt, annon Fide agimus cum Deo, & Charitate cum homine, eſtne inde Fides cæleſtis, & Charitas terreſtris, annon per Cæleſtia ſalvamur, & non per Terreſtria; tum, annon Deus poteſt dare Fidem e Cælo, quia eſt Cæleſtis, & annon homo ſibi daturus eſt Charitatem, quia hæc eſt terreſtris, & quod homo ſibi dat, hoc non eſt Eccleſiæ, & ideo non ſalvat, num ſic aliquis poteſt ex operibus, quæ vocantur Charitatis, coram Deo juſtificari; credite nobis, quod per Fidem ſolam non modo juſtificemur, ſed etiam ſanctificemur, ſi non Fides per Meritoria, quæ ſunt ex operibus Charitatis, inquinatur, præter plura. At illi, qui Charitatem faciebant Eſſentiale Eccleſiæ, acriter refellebant illa, dicendo, quod Charitas ſalvet, & non Fides, annon Deus charos habet Omnes, & bonum vult Omnibus, quomodo poteſt Deus hoc facere niſi per homines; num Deus ſolum dat loqui cum hominibus quæ Fidei ſunt, & non dat facere hominibus quæ Charitatis ſunt; videtiſne, quod abſurde loquuti ſitis de Charitate, quod ſit terreſtis, Charitas eſt Cæleſtis, & quia vos non facitis bonum Charitatis, eſt Fides veſtra terreſtris; quomodo accipitis Fidem veſtram, niſi ſicut truncus aut lapis; dicitis per auditum Verbi, at quomodo poteſt Verbum modo auditum operari, & quomodo in truncum aut lapidem, forte vivificamini vobis prorſus inſciis, ſed quæ vivificatio, niſi quod poſſitis loqui, quod ſola Fides juſtificet & ſalvet, at quid Fides, & quæ Fides ſalvans, non ſcitis. Sed tunc ſurrexit unus, qui ab Angelo mecum loquente vocabatur Syncretiſta, hic ſumſit capitium, & poſuit ſuper menſa, ſed illud ſubito repoſuit ſuper Capite, quia calvus erat; ille dixit, audite, erratis omnes; verum eſt, quod Fides ſit ſpiritualis, & Charitas moralis, ſed uſque conjunguntur, & conjunguntur per Verbum, & tunc per Spiritum ſanctum, & per Effectum, qui quidem vocari poteſt Obedientia, ſed in qua homo non aliquam partem habet, quia quando infertur Fides, homo non ſcit plus quam ſtatua: de his mecum diu cogitavi, & inveni tandem, quod homo a Deo poſſit accipere Fidem, quæ ſpiritualis ſit, ſed quod non poſſit moveri a Deo ad Charitatem, quæ ſit ſpiritualis plus quam truncus. His dictis adplaudebant qui in ſola Fide erant, ſed explodebant qui in Charitate; & hi ex indignatione dicebant, audi ſocie, tu non ſcis, quod ſit Vita moralis ſpiritualis, & quod ſit Vita moralis mere naturalis, Vita moralis ſpiritualis apud illos, qui bonum faciunt a Deo, & uſque ſicut a ſe, ac Vita moralis mere naturalis apud illos, qui bonum faciunt ex Inferno, & tamen uſque ſicut a ſe.

Dictum eſt, quod Diſceptatio audita ſit ſicut Stridor dentium, & ſicut pulſatile, quibus intermixtum erat raucum: Diſceptatio audita ſicut Stridor dentium, erat ab illis, qui Fidem fecerunt unicum Eſſentiale Eccleſiæ, ac Pulſatile erat ab illis,

illis, qui Charitatem fecerunt unicum Eſſentiale Eccleſiæ, & Raucum intermixtum erat a Syncretiſta; quod ſoni illorum ita auditi ſint a longinquo, erat cauſa, quia omnes illi in Mundo diſceptarunt, & non aliquod malum fugerunt, & ideo non aliquod bonum ex proſapia ſpirituali fecerunt; & quoque prorſus neſciverunt, quod omne Fidei ſit verum, & omne Charitatis bonum, & quod Verum abſque bono non ſit Verum ſpiritu, & quod bonum abſque vero non ſit Bonum ſpiritu, & quod ſic unum faciat alterum.

461. Tertium Memorabile: Quondam in ſpiritu provectus ſum in Plagam meridionalem in Mundo ſpirituali, & in quendam Paradiſum ibi, ac vidi quod hic excelleret reliquis, quos hactenus luſtravi, cauſa erat, quia Hortus ſignificat Intelligentiam, ac in Meridiem transferuntur omnes, qui præ aliis intelligentia pollent, Hortus Edenis, in quo Adam cum Uxore ſua fuit, nec aliud ſignificat, quare quod expulſi ab illo fuerint, involvit, quod ab intelligentia, at ſic quoque ab integritate vitæ. Dum in meridionali hoc Paradiſo ambularem, animadverti aliquos ſedentes ſub quadam lauru comedentes ficus, ad illos ſeceſſi, & petivi ab illis ficus, & dederunt; & ecce Ficus in manu mea factæ ſunt Uvæ, quod cum miratus ſum, dixit mihi Spiritus angelicus, qui juxta me ſtetit, Ficus in manu tua factæ ſunt Uvæ, quia Ficus ex correſpondentia ſignificant bona Charitatis & inde Fidei in naturali ſeu externo homine, at Uvæ bona Charitatis & inde Fidei in ſpirituali ſeu interno homine; & quia amas ſpiritualia, ideo ita factum eſt tibi; in noſtro enim Mundo omnia fiunt & exiſtunt, & quoque mutantur, ſecundum correſpondentias. Illico tunc ſupervenit me avidum ſciendi, quomodo homo poteſt facere bonum a Deo, & tamen prorſus ut a ſe; quare interrogavi comedentes ficus, quomodo illi id comprehendunt; hi dixerunt, quod non poſſint id aliter comprehendere, quam quod Deus operetur id intus in homine, ac per hominem quando ille id neſcit, quoniam ſi homo id conſciret, & ſic faceret, non faceret bonum niſi modo apparens, quod intus eſt malum; omne enim quod ab homine procedit, procedit a proprio ejus, & hoc a nativitate malum eſt, quomodo poteſt tunc bonum a Deo, & malum ab homine conjungi, & ſic conjunctim procedere in actum; ac proprium hominis in rebus ſalutis continue ſpirat meritum, & quantum hoc facit, tantum derogat Domino Ipſius meritum, quod eſt ſumma injuſtitia & impietas: Verbo, ſi bonum, quod Deus in homine operatur, in hominis velle & inde facere influeret, id bonum omnino conſpurcaretur, & quoque prophanaretur, quod tamen Deus nuſquam permittit: poteſt quidem homo bonum quod facit, cogitare quod ſit a Deo, & id vocare bonum Dei per ſe, at uſque, quod ſit, non comprehendimus. Sed tunc aperui mentem, & dixi, non comprehenditis, quia cogitatis ex apparentia, & cogitatio ex apparentia confirmata eſt fallacia; apparentia & inde fallacia vobis eſt, quia creditis, quod omnia, quæ homo vult & cogitat, & inde facit & loquitur, ſint in ipſo, & conſequenter ex ipſo, cum tamen nihil eorum eſt in illo, præter ſtatum recipiendi quod influit; homo non eſt vita in ſe, ſed eſt organum recipiens vitæ, Dominus eſt Vita in ſe, ut quoque dicit apud Johannem, *Quemadmodum Pater habet Vitam in Seipſo, ita quoque dedit Filio Vitam habere in Seipſo*, Cap. V: 26. præter alibi, ut Joh. XI: 25. Cap. XIV: 6, 9. Sunt duo quæ faciunt Vitam, Amor & Sapientia, ſeu quod idem, Bonum amoris & Verum ſapientiæ, hæc influunt a Deo, & recipiuntur ab homine ſicut forent ejus, & quia ſentiuntur ita, etiam procedunt ab homine ſicut ejus; quod ita ſentiantur ab homine, datum eſt a Domino, ut id quod influit, afficiat illum, & ſic recipiatur ac remaneat. Sed quia omne malum etiam influit, non a Deo, ſed ab Inferno, & hoc recipitur cum jucunditate, quia homo tale Organum eſt natus, quare non plus boni recipitur a Deo, quam quantum mali removetur ab homine ut ab illo, quod fit per Pœnitentiam, & ſimul per Fidem in Dominum. Quod Amor & Sapientia, Charitas & Fides, ſeu communius loquendo,

do, Bonum amoris & Charitatis, ac Verum ſapientiæ & fidei, influant, & quod quæ influunt, appareant in homine prorſus ſicut ejus, & inde procedant ſicut ejus, manifeſte videri poteſt ex viſu, auditu, odoratu, guſtu, & tactu, omnia quæ in illorum ſenſuum Organis ſentiuntur, influunt ab extra, & ſentiuntur in illis; ſimiliter in ſenſuum internorum Organis; cum ſola differentia, quod in hæc influant Spiritualia quæ non apparent, in illa autem Naturalia quæ apparent: verbo, homo eſt Organum recipiens vitæ a Deo, conſequenter eſt recipiens boni, quantum deſiſtit a malo; poſſe deſiſtere a malo, dat Dominus cuivis homini, quia dat velle & intelligere, & quicquid homo ex voluntate ſecundum intellectum, ſeu quod idem, quicquid ex libero voluntatis ſecundum rationem intellectus agit, hoc permanet; per id Dominus inducit homini ſtatum conjunctionis Secum, & in hoc illum reformat, regenerat, & ſalvat. Vita, quæ influit, eſt Vita procedens a Domino, quæ Vita etiam vocatur Spiritus Dei, in Verbo Spiritus Sanctus, de quo etiam dicitur, quod illuſtret & vivificet, imo quod operetur in illo; ſed Vita hæc variatur & modificatur ſecundum Organitazionem inductam per amorem. Poteſtis etiam ſcire, quod omne bonum amoris & charitatis, & omne verum ſapientiæ & fidei influant, & non ſint in homine, ex eo, quod qui cogitat quod tale homini inſit a creatione, denique non poſſit aliter cogitare, quam quod Deus infuderit ſe homini, & ſic quod homines quoad partem forent Dii, & tamen qui hoc ex fide cogitant, fiunt diaboli, & apud nos putent ſicut cadavera. Præterea quid actio hominis niſi Mens agens, quod enim Mens vult & cogitat, hoc agit & loquitur per Corpus ſuum organum, quare dum Mens ducitur a Domino, ducitur etiam Actio & Loquela, ac Actio & Loquela ducuntur a Domino, cum creditur in Ipſum. Niſi ita foret, dicite ſi poteſtis, cur Dominus in Verbo ſuo millenis in locis mandavit, ut homo amaturus ſit proximum, operaturus ſit bona charitatis, ac fructus ſicut arbor, ac facturus præcepta, & hoc & illud, ut ſalvetur; tum cur dixit, quod homo ſecundum facta ſeu opera ſua judicaretur, qui bona facit ad Cælum & Vitam, & qui mala ad Infernum & Mottem; quomodo potuerat Dominus talia loqui, ſi omne, quod procedit ab homine, foret meritorium & inde malum. Sciatis itaque, quod ſi Mens eſt Charitas, etiam Actio ſit Charitas, ſi autem Mens eſt ſola Fides, quæ etiam eſt Fides ſeparata a Charitate ſpirituali, etiam Actio ſit illa Fides. His auditis, dixerunt ſedentes ſub Lauru, comprehendimus quod juſte loquutus ſis, ſed uſque non comprehendimus; quibus reſpondi, comprehenditis quod juſte loquutus ſim ex communi perceptione, quæ eſt homini ex influxu lucis e Cælo, cum aliquod verum audit; at non comprehenditis ex propria perceptione, quæ eſt homini ex influxu lucis e Mundo; binæ illæ perceptiones, nempe interna & externa, ſeu ſpiritualis & naturalis, unam faciunt apud ſapientes; vos quoque poteſtis illas unam facere, ſi ſpectatis ad Dominum, & removetis mala. Hæc quia intellexerunt, deſumſi termites ex quadam Vite, & porrexi illis, & dixi, num creditis quod hoc a me ſit, vel a Domino, & dixerunt, quod ex me a Domino; & ecce termites illi in manibus illorum extruſerunt uvas. At cum receſſi, vidi Menſam cedrinam, ſuper qua erat Liber, ſub Olea virente, cujus truncum circum ligabat Vitis, aſpexi, & ecce erat Liber per me ſcriptus, vocatus ARCANA CÆLESTIA, & dixi, quod in illo Libro plene oſtenſum ſit, quod Homo ſit Organum recipiens vitæ, & non vita; & quod hæc non poſſit creari, & ſic creata ineſſe homini, plus quam lux oculo.

462. QUARTUM MEMORABILE. Proſpexi ad Oram maritimam in Mundo ſpirituali; & vidi magnificum Navale; acceſſi, & introſpexi, & ecce ibi Navigia magna & parva, & in illis merces omnis generis, & ſuper tranſtris ſedentes Pueri & Puellæ diſtribuentes volentibus: & dixerunt, exſpectamus videre pulchras noſtras Teſtudines (Skillepadde), quæ jamjam e mari ad nos exſurgent: & ecce vidi Teſtu-

dines parvas & magnas, ſuper quarum conchis & ſquamis ſedebant Teſtudines infantes, quæ ſpectabant ad Inſulas circum. Teſtudines patres habebant bina Capita, unum magnum, circumductum concha ſimili conchæ corporis illarum, unde rutilabant, & alterum parvum, quale eſt teſtudinibus, quod retrahebant in anteriora corporis, & quoque inſertabant modo inconſpicuo Capiti majori: ſed tenebam oculos in Magno Capite rutilo, & vidi quod hoc haberet faciem ſicut homo, & loqueretur cum pueris & puellis ſuper tranſtris, & lamberet manus eorum, & tunc pueri & puellæ palpabant illos, & dabant illis edulia & opipara, & quoque pretioſa, ut holoſericum ad veſtes, lignum thyinum ad tabulas, purpuram ad decorationes, & COCCINUM AD INFUCATIONES. His viſis, deſiderabam ſcire, quid illa repræſentabant, quia novi quod omnia quæ in Mundo ſpirituali apparent, ſint Correſpondentiæ, & repræſentent ſpiritualia quæ affectionis & inde cogitationis ſunt; & tunc loquebantur mecum e Cælo, & dicebant, noſti ipſe quid repræſentat Navale, tum quid Navigia, ut & quid Pueri & Puellæ ſuper illis, ſed non ſcis qnid Teſtudines; & dixerunt; Teſtudines repræſentant illos e Clero ibi, qui prorſus ſeparant Fidem a Charitate & ejus bonis operibus, affirmantes apud ſe, quod plane non ſit aliqua conjunctio, ſed quod Spiritus ſanctus per Fidem in Deum Patrem propter meritum Filii, intret apud hominem, ac purificet interiora ejus uſque ad propriam Voluntatem ejus, ex qua faciunt ſicut Planum ovale, & quod cum operatio Spiritus ſancti ad illud Planum appropinquat, a parte ejus ſiniſtra circum id deflectat ſe & prorſus illud non tangat, & quod ita Pars interior ſeu ſuperior ingenii hominis ſit pro Deo, & quod Pars exterior ſeu inferior ſit pro homine, & ſic quod non appareat coram Deo aliquid, quod homo facit, neque bonum neque malum, non bonum, quia hoc eſt meritorium, & non malum, quia hoc eſt malum, quoniam ſi illa apparerent coram Deo, homo ex utroque periret: & quia ita eſt, quod liceat homini velle, cogitare, loqui & facere, quicquid lubet, modo caveat ſibi pro Mundo; quæſivi, num etiam aſſerant, quod liceat cogitare de Deo, quod non Omnipræſens & Omniſcius ſit, dixerunt e Cælo, quod hoc quoque illis liceat, quia Deus apud illum, qui Fidem adeptus eſt, & per illam purificatus & juſtificatus, non videt ad aliquod cogitationis & voluntatis ejus, & quod uſque retineat in ſinu interiori aut regione ſuperiori mentis ſuæ ſeu ingenii Fidem, quam in actu ejus receperat, & quod ille actus quandoque poſſit redire, homine neſciente. Hæc ſunt, quæ repræſentat CAPUT PARVUM, quod in anteriora corporis intrahunt, & quoque inſertant CAPITI MAGNO, dum loquuntur cum Laicis; nam ex Parvo Capite non loquuntur cum illis, ſed ex Magno, quod antrorſum apparet ſicut facie humana præditum, & loquuntur cum illis ex Verbo de Amore, de Charitate, de Bonis operibus, de Præceptis Decalogi, de Pœnitentia, & ex Verbo deſumunt pœne omnia quæ ibi ſunt de illis; ſed tunc inſertant Caput parvum in Magnum, ex quo intus apud ſe intelligunt, quod omnia illa non facienda ſint propter Deum & ſalutem, ſed modo propter Bonum publicum & privatum. Verum quia loguuntur de illis ex Verbo, imprimis de Evangelio, Operatione ſpiritus ſancti, & Salvatione, ſuaviter & eleganter, ideo apparent auditoribus ſicut homines pulchri, & præ reliquis in terrarum Orbe ſapientes; quare etiam vidiſti, quod data illis eſſent a pueris & puellis ſedentibus ſuper tranſtris navigiorum opipara & pretioſa: Hi itaque ſunt, quos repræſentatos vidiſti ut Teſtudines. In Mundo tuo parum dignoscuntur ab aliis, ſolum per id, quod credant ſe omnibus ſapientiores eſſe, ac rideant alios, & quoque illos qui in ſimili doctrina quoad Fidem ſunt, ſed non in illis arcanis: ſigillum quoddam ſecum in veſte ferunt, ex quo ſe faciunt ab aliis internoſci. Dixit loquens cum me, non dicam tibi quid ſentiunt de cæteris rebus Fidei, ut quid de Electione, de Libero arbitrio, de Baptiſmo, & de Sacra Cœna, quæ ſunt talia, quæ non evulgant, ſed nos in Cælo ſcimus. Verum, quia

tales

tales ſunt in Mundo, & poſt mortem non licet alicui loqui aliter, quam cogitat, ideo quia tunc non poſſunt aliter quam loqui ex inſaniis cogitationum ſuarum, reputantur ut inſani, ac ejiciuntur e Societatibus, & tandem demittuntur in Puteum abyſſi, de quo in Apocalypſi Cap. IX: 2, & fiunt Spiritus corporei, & apparent ſicut Ægyptiorum Mumia; callus enim inductus eſt interioribus Mentis eorum, quia in Mundo etiam interpoſuerunt ſepem. Societas infernalis ex illis eſt in confinio ad Societatem infernalem ex Machiaveliſtis, ac intrant paſſim ab una in alteram, & vocant ſe Sodales, ſed exeunt, quia diverſitas eſt, ex eo, quod aliquod Religioſum de actu juſtificationis per fidem apud illos fuerit, ſed non aliquod apud Machiaveliſtas.

Poſtquam vidi illos ejectos ex Societatibus, & collectos ut dejicerentur, vidi Navigium in aere cum ſeptem velis volans, & inibi naucleros & nautas indutos veſte purpurea, habentes ſuper pileis magnificas laurus, clamantes, en nos in Cælo, ſumus Doctores purpurati, & præ omnibus laureati, quia ſumus Capita ſapientum ex omni Clero in Europa. Miratus ſum quid hoc, & dictum eſt mihi quod eſſent imagines faſtus, ac cogitationes ideales, quæ vocantur phantaſiæ, ex illis, qui prius viſi ſunt ut Teſtudines, & nunc ut inſani ejecti e Societatibus, & in unum collecti, ac ſtarent ſimul in uno loco: & tunc deſiderabam loqui cum illis, & acceſſi ad locum ubi ſtabant, & ſalutabam illos, & dicebam, eſtis vos qui ſeparaviſtis Interna hominum ab Externis illorum, ac Operationem Spiritus ſancti ſicut in Fide a cooperatione Ejus cum homine extra Fidem, & ſic ſeparaviſtis Deum ab homine; annon vos ita non modo removiſtis ipſam Charitatem & ejus Opera a fide, ſicut multi alii Doctores e Clero, ſed etiam ipſam Fidem quoad manifeſtationem ejus coram Deo ab homine; ſed quæſo, num velitis, ut de illa re loquar vobiscum ex Ratione, vel num ex Scriptura Sacra; dixerunt, loquere primum ex Ratione; & loquutus ſum, dicens; quomodo poteſt Internum & Externum apud hominem ſeparari; quis non ex communi perceptione videt, aut videre poteſt, quod omnia Interiora hominis pergant & continuentur in Exteriora, & uſque in extrema ejus ut efficiant effectus ſuos, & operentur opera ſua; ſuntne Interna propter Externa, ut deſinant in illa, & ſubſiſtant in illis, & ſic exiſtant, vix aliter quam ſicut columna ſuper ſtylobata ſua; poteſtis videre, quod niſi continuatio foret, & ſic conjunctio, extrema diſſolverentur, ac diffluerent ſicut bullæ in aere: quis negare poteſt, quin interiores operationes Dei apud hominem ſint myriades myriadum, de quibus homo nihil ſcit, & quid juvat illa ſcire, modo ſciat extrema, in quibus cum ſua cogitatione & voluntate cum Deo ſimul eſt. Sed hoc illuſtrabitur per Exemplum: num ſcit homo interiores operationes loquelæ ſuæ, ut quomodo Pulmo attrahit aerem, & illo implet veſiculas, bronchias, & lobos; quomodo illum aerem emittit in Tracheam, & ibi vertit illum in ſonum, quomodo ſonus ille in glottide ope laryngis modificatur, & quomodo lingua dein articulat illum, & labia articulationem complent, ut fiat loquela; nonne omnes illæ interiores operationes, de quibus homo nihil ſcit, ſunt propter extremum, ut homo poſſit loqui; remove aut ſepara unum ex internis illis a ſuo continuo cum extremis, num homo potuiſſet loqui plus quam ſtipes. Sit adhuc exemplum, binæ Manus ſunt ultima hominis, nonne Interiora, quæ illuc continuantur, ſunt a Capite per Cervicem, tum per Pectus, Scapulas, Brachia & Ulnas, ſuntque innumeri muſculares textus, innumeræ phalanges fibrarum motricium, innumeri manipuli nervorum & vaſorum ſanguineorum, ac plures ginglymi oſſium cum ſuis ligamentis & membranis, num homo aliquid de illis ſcit, & tamen operantur Manus ejus ex omnibus & ſingulis illis: ſuppone, quod interiora illa circa poplitem manus ſe ſiniſtrorſum aut dextrorſum reflecterent, & non per continuum intrarent, annon manus ab ulna decideret, ac ſicut aliquod avulſum inanimatum putreſceret; imo ſi vultis credere, foret ſicut cum corpore, ſi homo decollaretur. Prorſus

ſus ſimile foret cum Mente humana, ac cum binis ejus Vitis, Voluntate & Intellectu, ſi Divinæ Operationes, quæ Fidei & Charitatis ſunt, deſinerent in media via, & non uſque ad hominem per continuum tenderent, ſane foret tunc homo non modo brutum, ſed putris ſtapes: hæc ſunt ſecundum rationem. Nunc ſi vultis audire, eadem etiam ſunt ſecundum Scripturam Sacram; annon Dominus dicit, *Manete in Me, & Ego in vobis*; *Ego ſum Vitis & vos palmites, qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum*, Joh. XVI: 4. 5; numne fructus ſunt bona Opera, quæ Dominus facit per hominem, & homo ex ſe a Domino. Dominus etiam dicit, *Quod ſtet ad oſtium & pulſet, & quod ad illum qui aperit, ingrediatur, ac cœnet cum illo & ille cum Ipſo*, Apoc. III: 20. Annon *Dominus dat minas & talenta, ut homo negotietur cum illis, & lucretur, & quod ſicut lucratur, det vitam æternam*, Matth. XXV: 14 ad 34. Luc. XIX: 13 ad 26. Tum, *Quod mercedem det cuivis ſecundum laborem in Vinea Ipſius*, Matth. XX: 1 ad 17: ſed hæc pauca ſunt, poſſunt Membranæ impleri ex Verbo, de eo, quod homo facturus ſit fructus ſicut arbor, operaturus ſit ſecundum præcepta, amaturus Deum & proximum, & plura. Sed ſcio, quod propria Intelligentia veſtra cum illis quæ ex Verbo ſunt, non poſſit tale commune habere, quale eſt in ſe, quæ tametſi loquimini, uſque ideæ veſtræ pervertunt illa: & vos non poteſtis aliter, quia removetis omnia Dei ab homine quoad communicationem & inde conjunctionem; quid tunc ſupereſt, niſi etiam omnia Cultus. Poſtea illi mihi viſi ſunt in luce Cæli, quæ detegit & manifeſtat, qualis quiſque eſt; & tunc non viſi ſicut prius in Navigio in aere quaſi in Cælo, nec inibi purpurati quoad veſtes, ac laureati quoad caput, ſed in loco arinoſo, in veſtibus ex fruſtis, ac cincti retibus quaſi piſcatoriis circum lumbos, trans quæ nuditates illorum apparebant; & tunc demiſſi ſunt in Societatem, quæ in confinio ad Machiaveliſtas erat.

CAPUT OCTAVUM

DE

LIBERO ARBITRIO.

463. Antequam accinctus accedo ad tradendum Doctrinale Novæ Ecclesiæ de Libero Arbitrio, necessum est ut præmittantur illa quæ Hodierna Ecclesia in Libris suis dogmaticis de illo tradit, quoniam nisi hoc fiat, potest homo, cui sana ratio & religio est, credere, quod non operis pretium sit de illo aliquod novum scribere, diceret enim secum, quis non scit, quod homini Liberum Arbitrium in spiritualibus sit, quid alioquin foret, quod Sacerdotes prædicarent, ut credant in Deum, ut convertant se, ut vivant secundum præcepta in Verbo, ut pugnent contra concupiscentias carnis suæ, utque se parent novam Creaturam, præter similia plura; quare secum non potest aliter cogitare, quam quod illa modo voces venti essent, si non aliquod Liberum Arbitrium in rebus salutis foret, & quod illud negare esset delirum quia contra sensum communem: at quod usque hodierna Ecclesia in contrarium eat, & illud extra Templa sua ejiciat, constare potest ex Libro Formula Concordiæ appellato, in quem Evangelici jurant, ex illis ibi quæ sequuntur; quod similis Doctrina & inde fides de Libero Arbitrio sit apud Reformatos, ita similis in Universo Christiano Orbe, proinde in Germania, Svecia, Dania, Anglia & Hollandia, constat ex Libris dogmaticis illorum. Hæc itaque sunt Transumpta ex Formula Concordiæ, Editionis Lipsiensis Anno 1756.

464. „ I. Doctores Augustanæ Confessionis asserunt homines ex lapsu primorum „ Parentum ita penitus corruptum esse, ut in rebus Spiritualibus, quæ ad con- „ versionem & salutem nostram spectant, natura cæcus sit, ut Verbum Dei præ- „ dicatum neque intelligat, neque intelligere possit, sed illud ut rem stultam ju- „ dicet, & nunquam a seipso ad Deum appropinquet, sed potius inimicus Dei sit „ & maneat, donec virtute Spiritus Sancti per Verbum prædicatum & auditum, „ ex mera gratia, sine omni sua propria cooperatione convertatur, fide donetur, „ regeneretur, & renovetur, pag. 656. II. Credimus quod hominis non renati „ intellectus, cor & voluntas in rebus spiritualibus & Divinis ex propriis natura- „ libus viribus, prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, in- „ choare, perficere, agere, operari & cooperari possit, sed quod homo ad bonum „ prorsus corruptus & mortuus sit, ita ut in hominis natura post lapsum, ante „ regenerationem, ne scintilla quidem spiritualium virium reliqua manserit, qui- „ bus ille ad gratiam Dei præparare se, aut oblatam apprehendere, aut accom- „ modare se, & per se capax esse possit, aut viribus propriis aliquid ad conver- „ sionem suam vel toto vel ex dimidia vel ex minima parte conferre, agere, ope- „ rari aut cooperari ex seipso, aut tanquam ex seipso possit, sed quod homo sit „ peccati servus & mancipium Satanæ, a quo agitatur, inde adeo naturale ejus „ Liberum arbitrium ratione corruptarum virium & naturæ suæ depravatæ dun- „ taxat ad ea, quæ Deo displicent & adversantur, activum & efficax est, p. 656. „ III. Quod homo in civilibus & naturalibus rebus sit industrius & ingeniosus, sed „ in spiritualibus & Divinis rebus, quæ ad animæ salutem spectant, sit similis „ trunco, lapidi, statuæ salis uxori Lothi, quæ neque oculorum, oris aut ullo-

 „ rum

„ rum ſenſuum uſum habent, pag. 661. IV. Quod homo uſque loco motivam „ potentiam externa membra regere, Evangelium audire, & aliquo modo medi- „ tari poſſit, ſed quod uſque id tacitis cogitationibus ut rem ſtultam ſpernat, ne- „ que credere poſſit, & in hac parte deterior eſt trunco, niſi Spiritus Sanctus in „ illo ſit efficax, & fidem aliaſque Deo probatas virtutes & obedientiam in illo „ accendat & operetur, pag. 662. V. Quadam ratione dici poteſt hominem non „ eſſe lapidem aut truncum, lapis & truncus non reluctatur, nec intelligit aut „ ſentit, quid ſecum agitur, ſicut homo Deo ſua voluntate reluctatur, donec ad „ Deum converſus fuerit; & tamen verum eſt, quod homo ante converſionem ſit „ creatura rationalis, quæ habet intellectum, ſed non in rebus Divinis, & vo- „ luntatem, ſed non ut bonum ſalutare aliquid velit, ſed tamen ad converſionem „ ſuam nihil conferre poteſt, & in hac parte eſt deterior trunco & lapide, pag. „ 672. 673. VI. Quod tota converſio ſit operatio, donum & opus ſolius Spiritus „ Sancti, qui eam virtute & potentia ſua, per Verbum, in intellectu, corde & „ voluntate hominis tanquam in ſubjecto patiente, ubi homo nihil agit, ſed tan- „ tum patitur, efficiat atque operetur; quod tamen non eo modo fit, quaſi cum „ ſtatua e lapide formatur, aut ſigillum in ceram imprimitur, quia cera neque „ notitiam neque voluntatem habet, pag. 681. VII. Secundum dicta quorundam „ Patrum & neotericorum Doctorum eſt, *quod Deus trahat ſed volentem*, ita quod „ hominis voluntas in converſione aliquid agat; ſed hæc non ſunt analoga Sacro- „ rum verborum, confirmant enim falſam opinionem de viribus Humani Arbitrii „ in converſione, pag. 582. VIII. Quod in externis Mundi rebus, quæ rationi ſub- „ jectæ ſunt, relictum ſit homini adhuc aliquid intellectus, virium & facultatum, „ etſi hæ miſeræ reliquiæ valde ſunt debiles, & quidem hæc ipſa, quantulacun- „ que ſunt, per morbum hæreditarium veneno infecta ſunt, atque contaminata, „ ut coram Deo nullius momenti ſint, pag. 641. IX. Quod homo in converſio- „ ne, qua ex filio iræ fit filius gratiæ, non cooparetur Spiritui Sancto, quippe „ cujus unius & ſolius opus eſt hominis converſio, pag. 219. 519 ſeq. 663 ſeq. „ app: p. 143. Quod tamen homo renatus per virtutem Spiritus Sancti cooperari „ poſſit, quamvis multa adhuc infirmitas concurrit; & quod bene operetur, quan- „ tum & quamdiu a Spiritu Sancto ducitur, regitur & gubernatur; ſed uſque non „ cooperatur cum Spiritu Sancto ſicut duo equi una currum trahunt, pag. 674. „ X. Peccatum originis non eſt quoddam delictum, quod actu perpetratur, ſed „ intime inhæret infixum naturæ, ſubſtantiæ & eſſentiæ hominis, quod ſit ſcatu- „ rigo omnium actualium peccatorum, ut ſunt pravæ cogitationes, colloquutio- „ nes, mala opera, pag. 577. Hæreditarius ille morbus, per quem tota natura „ corrupta eſt, eſt horribile peccatum, & quidem principium & caput omnium „ peccatorum, e quo ut radice & ſcaturigine omnes transgreſſiones promanant, „ pag. 640. Quod Natura per id peccatum, tanquam per lepram ſpiritualem to- „ taliter in intimis etiam viſceribus & cordis receſſibus profundiſſimis, tota ſit „ coram Deo infecta & corrupta, & propter hanc corruptionem perſona hominis „ lege Dei accuſatur & damnatur, ita ut natura filii iræ, mortis & damnationis „ mancipia ſimus, niſi beneficio meriti Chriſti ab his malis liberemur & ſervemur, „ pag. 639. Quod ex eo ſit totalis carentia ſeu privatio concreatæ in Paradiſo juſti- „ tiæ originalis ſeu imaginis Dei, & quod inde ſit impotentia, ineptitudo, & „ ſtupiditas, qua homo ad omnia Divina ſeu ſpiritualia prorſus ineptus eſt. Quod „ loco imaginis Dei amiſſæ in homine ſit intima, peſſima, profundiſſima, inſcru- „ tabilis, ineffabilis corruptio totius naturæ, & omnium virium, imprimis ſupe- „ riorum & principalium animæ facultatum, in mente, intellectu, corde & vo- „ luntate, pag. 640.

465. Hæc ſunt hodiernæ Eccleſiæ præcepta, dogmata & ſancita de Libero Arbitrio hominis in ſpiritualibus & in naturalibus, ut & de Peccato originali; hæc ad-

ducta

ducta ſunt ob finem ut evidentius appareant præcepta, dogmata & ſancita Novæ Eccleſiæ de illis, nam ex binis ſic appoſitis formis apparet veritas in luce, ſicut ſit in Picturis, in quibus Facies deformis a latere apponitur Faciei formoſæ, ex quibus ſimul viſis formoſitas unius & deformitas alterius coram oculo clare exſtant. Sancita Novæ Eccleſiæ ſunt hæc quæ ſequuntur.

Quod in Horto Edenis poſitæ ſint duæ Arbores, una vitæ & altera ſcientiæ boni & mali, ſignificet quod homini Liberum Arbitrium in ſpiritualibus datum ſit.

466. Quod per Adamum & Chaivam in Libro Moſis non intelligantur homines primum creati, a multis creditum eſt, & ad confirmandum adduxerunt argumenta de Præadamitis ex computis & Chronologiis apud aliquas Gentes; tum etiam ex effato Caini Primogeniti Adami ad Jehovam, *Vagus & agitatus ero in terra, ut quisquis offenderit me, occidat me*; *quare poſuit Jehovah Caino ſignum, quod non occiſurus ſit illum quisquis offenderit eum*, Geneſ. IV: 14. 15. *& poſtquam exiverat e faciebus Jehovæ, habitaverit in terra Nod, & ædificaverit urbem*, Verſ. 16. 17. conſequenter quod Terra ante Adamum fuerit inhabitata. Quod autem per Adamum & ejus Uxorem intelligatur Antiquiſſima Eccleſia in hac Tellure, in ARCANIS CÆLESTIBUS, a me Londini editis, pluribus demonſtratum eſt, & ibi etiam, quod per Hortum Edenis intelligatur Sapientia hominum illius Eccleſiæ, & per Arborem vitæ Dominus in homine & homo in Domino, & per Arborem ſcientiæ boni & mali, homo non in Domino ſed in ſuo proprio, qualis eſt qui credit quod omnia faciat a ſe, etiam bonum; & quod per eſum ex hac Arbore intelligatur appropriatio mali.

467. In Verbo per Hortum Edenis non intelligitur aliquis Hortus, ſed Intelligentia, nec per Arborem aliquis Arbor ſed homo: quod Hortus Edenis ſignificet Intelligentiam & Sapientiam, conſtare poteſt ex his locis, IN INTELLIGENTIA ET SAPIENTIA TUA *feceras tibi opes*, *in* EDEN HORTO DEI *fuiſti*, & in ſequentibus ibi, *plenus* SAPIENTIA, *In* EDEN HORTO DEI fuiſti, *omnis lapis pretioſus tegumentum tuum*, Ezech. XXVIII: 4. 12. 13. Hæc de Principe & de Rege Tyri, de quo prædicatur ſapientia, quia per Tyrum in Verbo ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri & boni, per quas eſt ſapientia; per lapides pretioſos, qui tegumentum ejus, etiam ſignificantur cognitiones veri & boni; non enim Princeps & Rex Tyri in Horto Edenis fuerunt. Et alibi apud Ezechielem, *Aſchur cedrus in Libano, cedri non occultaverunt illum in* HORTO DEI, *omnis Arbor in* HORTO DEI *non par fuit illi in pulchritudine*, *æmulatæ ſunt illi omnes* ARBORES EDENIS IN HORTO DEI, Cap. XXXI: 1. 8. & porro, *Cui ſimilis factus es ſic in gloria & in magnitudine inter* ARBORES EDENIS, Verſ. 18; hoc dicitur de Aſchure, quia per illum in Verbo ſignificatur Rationalitas & inde Intelligentia. Apud Eſajam, *Conſolabitur Jehovah Zionem, & ponet deſertum ejus in* EDEN, *& ſolitudinem ejus in* HORTUM JEHOVÆ, Cap. LI: 3, Zion ibi eſt Eccleſia, ac Eden & Hortus Jehovæ eſt ſapientia & intelligentia. In Apocalypſi „ *Vincenti dabo edere de* ARBORE VITÆ, *quæ in* MEDIO PARADISI DEI, Cap. III: 7. *In medio plateæ fluvii hinc & illinc erit Arbor vitæ*, Cap. XXII: 2. Ex his patet clare, quod per Hortum in Edene, in quo Adam poſitus fuiſſe dicitur, intelligatur Intelligentia & Sapientia, quia ſimilia dicuntur de Tyro, Aſchure & Zione. Per Hortum ſignificatur Intelligentia etiam alibi in Verbo, ut Eſaj. LVIII: 12. Cap. LXI: 11. Jer. XXXI: 12. Amos IX: 14. Num. XXXV: 6. Hic ſpiritualis intellectus Horti ducit cauſam ex repræſentationibus in Mundo ſpirituali, ibi Paradiſi apparent, ubi Angeli in Intelligentia & Sapientia ſunt;

Ip-

ipſa Intelligentia & Sapientia, quæ illis eſt a Domino, fiſtit talia circum illos; & hoc fit ex correſpondentia, nam omnia, quæ in Mundo ſpirituali exiſtunt, ſunt Correſpondentiæ.

468. Quod Arbor ſignificet hominem, conſtat ex his locis in Verbo, *Cognoſcent omnes Arbores agri quod Ego Jehovah humiliem Arborem altam, exaltem Arborem humilem, & arefaciam Arborem viridem, & germinare faciam Arborem aridam*, Ezech. XVII: 24. *Beatus cujus in Lege beneplacitum, erit ſicut Arbor plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum dabit in tempore ſuo*, Pſalm. I: 3. Jerem. XVII: 8. *Laudate Jehovam Arbores fructus*, Pſalm CXLVIII: 9. *Saturantur Arbores Jehovæ*, Pſalm CIV: 16. *Securis ad radicem Arboris jacet, omnis Arbor non faciens fructum bonum, exſcindetur*, Matth. III: 10. Cap. VII: 16 ad 21. *Aut facite Arborem bonam & fructum bonum, aut facite Arborem putrem, ex fructu enim cognoſcitur Arbor*, Matth. XII: 13. Luc. VI: 43. 44. *Incendam ignem, qui comedet omnem Arborem viridem, & omnem Arborem aridam*, Ezech: XXI: 3. Quoniam Arbor ſignificat hominem, ideo ſtatutum fuit, *Quod fructus arboris inſerviens eſui in Terra Canaane præputiaretur*, Levit. XIX: 23. 24. Quoniam Olea ſignificat hominem Eccleſiæ cæleſtis, dicitur de *binis Teſtibus, qui prophetabant, Quod eſſent duæ Oleæ ſtantes juxta Dominum totius terræ*, Apoc. XI: 4. Similiter Sach. IV: 3. 11. 12. & apud Davidem, *Ego Olea virens in Domo Dei*, Pſalm CII: 10. & apud Jeremiam, *Oleam virentem pulchram fructu vocavit Jehovah nomen tuum*, XI: 16. 17. præter plura, quæ hic propter copiam non afferuntur.

469. Quiſque hodie, qui interius ſapit, poteſt percipere aut divinare, quod per illa, quæ de Adamo & ejus Uxore ſcripta ſunt, involvant ſpiritualia, quæ nemo hactenus novit, quia Senſus ſpiritualis Verbi non prius quam nunc detectus eſt: quis non poteſt e longinquo videre, quod jehovah non poſuiſſet binas Arbores in Horto, & unam ad offendiculum, niſi propter ſpiritualem quandam repræſentationem, & quia ambo ederunt ex aliqua Arbore, maledicti ſint, & quod illa Maledictio adhæreat cuivis homini poſt illos, ita quod totum Genus humanum propter unius hominis culpam, in qua non aliquod malum concupiſcentiæ carnis & iniquitas cordis fuit, damnatum ſit, num hoc cum Divina Juſtitia quadrat, imprimis cur Jehovah non abſtraxit illum ab eſu, cum præſens vidit hoc, & cur Serpentem non dejecit in Orcum antequam perſuaſit. Sed mi amice, hoc Deus non fecit, quoniam ſic Liberum Arbitrium homini ademiſſet, ex quo tamen homo eſt homo, & non beſtia; cum hoc ſcitur, patet in evidentia, quod per binas illas Arbores, unam ad vitam & alteram ad mortem, Liberum hominis Arbitrium in Spiritualibus repræſentatum ſit. Præterea Malum hæreditarium non eſt inde, ſed ex Parentibus, a quibus in liberos traducitur inclinatio ad malum, in quo ipſi fuerunt; quod ita ſit, perſpicitur a quovis, qui perluſtrat mores, animos, & facies liberorum, imo familiarum ex uno Patre; ſed uſque pendet ab unoquovis in familia ſi velit accedere aut recedere, quoniam quiſque ſuo arbitrio relinquitur. Quid autem in ſpecie ſignificat arbor vitæ, & Arbor ſcientiæ boni & mali, plene expoſitum eſt in MEMORABILI ſupra n: 48, quod videatur.

Quod homo non ſit Vita, ſed Receptaculum vitæ a Deo.

470. Communiter creditur, quod Vita ſit in homine, ejus, ita quod non modo ſit receptaculum vitæ, ſed etiam Vita; quod ita communiter credatur, eſt ex apparentia, quia vivit, hoc eſt, ſentit, cogitat, loquitur & agit prorſus ut ex ſe, quare hoc, quod homo ſit Receptaculum vitæ, & non Vita, non poteſt non videri,

ri, quam ut quoddam nondum auditum, aut ſicut paradoxon, ſenſuali cogitationi, quia apparentiæ, advetſum. Cauſam fallacis hujus fidei, quod homo etiam ſit vita, conſequenter quod vita homini ſit increata, & poſtea per traducem ingenerata, deduxi ex apparentia, ſed cauſa fallaciæ ex apparentia eſt, quod plerique hodie ſint naturales, & pauci ſpirituales, & naturalis homo judicat ex apparentiis & inde fallaciis, & hæ e diametro contra hanc veritatem ſunt quod homo ſit modo receptaculum vitæ & non vita. Quod homo non ſit vita, ſed receptaculum vitæ a Deo, conſtat ex evidentibus his teſtimoniis, quod omnia, quæ creata ſunt, in ſe finita ſint, & quod homo, quia finitus, non potuerit creari niſi ex finitis; quare in Libro Creationis dicitur, quod Adam ex terra & ejus pulvere factus ſit, ex quo etiam nominatus eſt, Adam enim ſignificat terræ humum; & omnis homo non actualiter conſiſtit, niſi ex talibus quæ in terra ſunt, & ex terra in athmoſphæris, illa quæ in Athmoſphæris ex terra ſunt, homo inſorbet per pulmones, & per poros totius corporis, & craſſiora per cibos e terrenis confectos. Quod autem Spiritum hominis concernit, etiam ille a finitis creatus eſt, quid ſpiritus hominis niſi receptaculum vitæ mentis; finita ex quibus ille, ſunt ſpirituales ſubſtantiæ, quæ in Mundo ſpirituali ſunt, & in terram noſtram etiam collatæ, & inibi reconditæ; quæ niſi ſimul cum materialibus ineſſent, non aliquod ſemen potuiſſet imprægnari ab intimis, & inde mirabiliter excreſcere abſque ulla deviatione a primo ſtamine uſque ad fructus, & ad nova ſemina; nec aliqui vermes procrearentur ex effluviis e terra, & ex exſpiratione halituum e vegetabilibus, e quibus athmoſphæræ imprægnatæ ſunt. Quis poteſt ex ratione cogitare, quod Infinitum poſſit aliud quam finitum creare, & quod homo, quia eſt finitus, non ſit aliud quam forma, quam Infinitum vivificare poteſt ex vita in ſe; & hoc intelligitur per hæc, *Formavit Jehovah Deus hominem, pulverem de terra, & inſpiravit in nares ejus animam vitarum*, Gen. II: 7. Deus, quia Infinitus eſt, eſt Vita in Seipſo, hanc non poteſt creare & ſic tranſcribere in hominem, nam hoc foret facere illum Deum; quod hoc factum ſit, fuit inſania ſerpentis ſeu diaboli, & ab illo Chaivæ & Adami, nam dixit Serpens, *Quo die comederitis de fructu hujus Arboris, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus*, Gen. III: 5. Quod dira hæc perſuaſio, quod Deus ſe transfuderit & tranſcripſerit in homines, fuerit hominibus Antiquiſſimæ Eccleſiæ in fine ejus quando conſummata eſt, ex ore illorum audivi, & hi propter horrendam illam fidem, quod ſic dii eſſent, jacent profunde occultati in Caverna, ad quam nemo poteſt prope accedere, niſi interiore vertigine actus ſuccumbat. Quod per Adamum & ejus uxorem intelligatur & deſcribatur Antiquiſſima Eccleſia, in præcedente Articulo notum factum eſt.

471. Quis non videt, ſi ex ratione ſupra ſenſualia corporis elevata poteſt cogitare, quod vita non creabilis ſit, nam quid vita, niſi quam intima activitas Amoris & Sapientiæ, quæ ſunt in Deo, & Deus, quæ vita etiam vocari poteſt ipſa vis viva; qui hoc videt, ille etiam poteſt videre, quod illa vita non poſſit tranſcribi in aliquem hominem, niſi una cum amore & ſapientia; quis negat, aut negare poteſt, quin omne bonum amoris & omne verum ſapientiæ, ſint unice a Deo,, & quod quantum homo illa recipit a Deo, tantum vivat a Deo, & dicatur natus a Deo, hoc eſt, regeneratus; ac viciſſim, quod quantum quis non recipit amorem & ſapientiam, ſeu quod ſimile, charitatem & fidem, tantum non recipiat vitam, quæ in ſe vita eſt, a Deo, ſed ab inferno, quæ non alia vita eſt, quam vita inverſa, quæ vocatur mors ſpiritualis.

472. Ex antedictis percipi & concludi poteſt, quod ſequentia hæc non creabilia ſint, videlicet. 1. Quod non Infinitum. 2. Non amor & ſapientia. 3. Et inde non vita. 4. Nec lux & calor 5. Imo nec ipſa activitas in ſe ſpectata; ſed quod Organa recipientia illa ſint creabilia & creata. Hæc per has comparationes illuſtrari poſſunt; quod Lux non creabilis ſit, ſed ejus organum quod eſt oculus;

quod ſonus qui eſt activitas athmoſphæræ, non creabilis ſit, ſed ejus organum quod eſt auris; quod nec calor qui eſt primarium activum, ad quem recipiendum creata ſunt omnia quæ in tribus Regnis naturæ ſunt, quæ ſecundum receptionem non agunt ſed aguntur. Ex Creatione eſt, quod ubi activa ſunt, etiam paſſiva ſimt, & quod duo illa ut in unum ſe conjungant; ſi activa creabilia forent, ſicut paſſiva, non opus fuiſſet Sole, & inde calore & luce, ſed omnia creata abſque illis ſubſiſterent, cum tamen, ſi illa removerentur, caderet Univerſum creatum in Chaos. Ipſe Sol mundi conſiſtit ex ſubſtantiis creatis, quarum activitas producit ignem: hæc illuſtrationis cauſa adducta ſunt. Simile foret cum homine, ſi Lux ſpiritualis, quæ in ſua eſſentia eſt ſapientia, & Calor ſpiritualis, qui in ſua eſſentia eſt amor, non influerent in hominem, & reciperentur ab homine; totus homo non aliud eſt, quam forma organizata ad receptionem duorum illorum, tam e Mundo naturali, quam e Mundo ſpirituali, correſpondent enim ſibi. Si negaretur quod homo ſit Forma recipiens amoris & ſapientiæ a Deo, negaretur etiam influxus, & ſic quod omne bonum ſit a Deo, & quoque negaretur conjunctio cum Deo, & inde vox inanis foret quod homo poſſit eſſe habitaculum & templum Dei.

473. Sed quod homo hoc non ſciat ex aliqua luce rationis, eſt quia fallaciæ ex creditis apparentiis ſenſuum externorum corporis, adumbrant illam lucem. Quod homo non aliter ſentiat, quam quod vivat ex ſua vita, eſt quia inſtrumentale ſentit principale ut ſuum, & non poteſt ideo diſtinguere illa, nam cauſa principalis & cauſa inſtrumentalis unam cauſam ſimul agunt, ſecundum theorema notum in Orbe erudito; cauſa principalis eſt vita, & cauſa inſtrumentalis eſt mens hominis. Apparet ſicut beſtiæ etiam vitam in ſe creatam poſſideant, ſed eſt ſimilis fallacia; ſunt enim Organa creata ad recipiendum lucem & calorem e Mundo naturali & ſimul e Mundo ſpirituali, nam unaquævis ſpecies eſt forma alicujus amoris naturalis, & recipit lucem & calorem e Mundo ſpirituali mediate per cælum & infernum, beſtiæ mites per cælum, ac immites per infernum. Solus homo recipit lucem & calorem, hoc eſt, ſapientiam & amorem, immediate a Domino: hæc differentia eſt.

474. Quod Dominus ſit Vita in Seipſo, ita ipſa Vita, docet Ipſe apud Johannem „ *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, in Ipſo Vita erat & Vita erat Lux hominum*, Joh. I: 1. 4. Apud Eundem „ *Sicut Pater habet Vitam in Se Ipſo, ita dedit Filio vitam habere in Se Ipſo*, Cap. V: 26. Apud Eundem „ *Ego ſum Via, Veritas, & Vita*, Cap. XIV: 6. Apud Eundem „ *Qui Me ſequitur habebit Lucem Vitæ*, Cap. VII: 12.

Quod homo, quamdiu vivit in Mundo, teneatur in medio inter Cælum & Infernum, & ibi in Æquilibrio ſpirituali, quod eſt Liberum arbitrium.

475. Ut ſciatur, quid & quale Liberum Arbitrium eſt, neceſſum eſt ut ſciatur unde illud; ex cognita ejus Origine imprimis noſcitur, non modo quod ſit, ſed etiam quale eſt. Origo ejus eſt ex Mundo ſpirituali, ubi Mens hominis a Domino tenetur, Mens hominis eſt ejus Spiritus qui vivit poſt mortem, & Spiritus ejus eſt continue in conſortio cum ſui ſimilibus in illo Mundo, & ſpiritus ejus per corpus materiale, quo circumcingitur, eſt cum hominibus in Mundo naturali. Quod homo non ſciat quod in medio ſpirituum ſit quoad Mentem ſuam, eſt quia illi ſpiritus, cum quibus in conſortio eſt in Mundo ſpirituali, ſpiritualiter cogitant & loquuntur, ſpiritus autem hominis, quandiu eſt in corpore materiali, naturaliter; ac ſpiritualis cogitatio & loquela non intelligi nec percipi poſſunt ab homine naturali, neque viciſſim, inde eſt quod nec videri poſſint; at cum ſpiritus hominis in ſocie-

ta-

tate cum ſpiritibus in horum Mundo eſt, tunc etiam in ſpirituali cogitatione & loquela cum illis eſt, quia mens ejus interius ſpiritualis eſt, ſed exterius naturalis, quare per ſua interiora cum illis communicat, at per ſua exteriora cum hominibus; per illam communicationem homo percipit res, & analytice cogitat illas; ſi hoc non foret homini, non plus nec aliter cogitaret quam beſtia, ut &, ſi tolleretur illi omne commercium cum ſpiritibus, in inſtanti moreretur. Sed ut poſſit comprehendi, quomodo homo poteſt teneri in medio inter Cælum & Infernum, & per id in Æquilibrio ſpirituali, unde ei Liberum arbitrium eſt, paucis dicetur. Mundus ſpiritualis conſiſtit ex Cælo & Inferno, Cælum eſt ſupra Caput, & Infernum ibi eſt infra pedes, non tamen uſque in medio Telluris ab hominibus habitatæ, ſed infra terras iſtius Mundi, quæ etiam ex origine ſpirituali ſunt, & inde non in extenſo, ſed in apparentia extenſi. Inter Cælum & Infernum eſt magnum Interſtitium, quod illis, qui ibi ſunt, apparet ſicut integer Orbis; in hoc Interſtitium ex Inferno exhalat malum in omni copia, & ex Cælo viciſſim illuc influit bonum, etiam in omni copia; hoc Interſtitium eſt, de quo Abraham dixit ad divitem in Inferno „ *Inter nos & vos Hiatus ingens firmatus eſt, ut qui volunt tranſcendere exhinc ad vos, non poſſint, neque qui ibi ad nos tranſire*, Luc. XVI: 26. In medio hujus interſtitii eſt omnis homo quoad ſpiritum ſuum, unice propter cauſam, ut in libero arbitrio ſit. Hoc Interſtitium, quia eſt tam ingens, & apparet illis qui ibi ſunt, ſicut magnus orbis, vocatur Mundus Sairituum, eſt etiam plenus Spiritibus, quia omnis homo poſt mortem illuc primum venit, & ibi præparatur vel ad cælum vel ad infernum, eſt ibi inter illos in conſortio, ſicut prius inter homines in priori Mundo; nec eſt ibi Purgatorium, hoc eſt fabula a Romano Catholicis inventa. Sed de illo Mundo in ſpecie actum eſt in Opere de Cælo et Inferno, Londini An: 1758, edito, n: 536 ad 603.

476. Omnis homo ab infantia, uſque ad ſenectutem mutat loca ſeu ſitus in hoc Mundo, Infans tenetur in plaga orientali verſus ſeptentrionem ibi; & Puer, ſicut addiſcit rudimenta religionis, ſucceſſive a ſeptentrione recedit ad meridiem; Adolescens, ſicut incipit ex ſua mente cogitare, fertur verſus meridiem; ac poſtea quando ſui judicii & ſui juris factus eſt, ſecundum incrementa in talibus, quæ Deum & amorem erga proximum ſpectant interius, in meridiem ad orientem; at ſi favet malo, & illud inſorbet, progreditur ille verſus occidentem: omnes enim in Mundo ſpirituali, habitant ſecundum plagas; in Oriente illi qui in bono a Domino ſunt, nam ibi eſt Sol, in cujus medio eſt Dominus: in Septentrione illi qui in ignorantia ſunt; in Meridie illi qui intelligentia; & in Occidente illi qui in malo. Ipſe homo quoad corpus non tenetur in illo Interſtitio ſeu Meditullio, ſed quoad ſpiritum ſuum, & ſicut hic mutat ſtatum, accedendo ad bonum aut ad malum, ita transfertur ad loca ſeu ſitus in hac aut illa plaga, & ibi in conſortium venit cum habitatoribus. At ſciendum eſt, quod Dominus non transferat hominem huc aut illuc, ſed homo ſeipſum diverſimode; ſi ille eligit bonum, tunc homo ſimul cum Domino, aut potius Dominus ſimul cum homine, transfert ſpiritum ejus verſus Orientem; ſi autem homo eligit malum, tunc homo una cum diabolo, aut potius diabolus una cum homine, transfert ſpiritum ejus verſus Occidentem. Obſervandum eſt, quod ubi hic dicitur Cælum, etiam intelligatur Dominus, quia Dominus eſt omne in omnibus cæli, & ubi dicitur diabolus, intelligatur Infernum, quia omnes ibi ſunt diaboli.

477. Quod homo teneatur in hoc magno Interſtitio, & ibi continue in ejus medio, eſt unice propter cauſam, ut in libero arbitrio in ſpiritualibus ſit, nam æquilibrium hoc eſt æquilibrium ſpirituale, quia eſt inter Cælum & Infernum, ita inter bonum & malum. Omnes, qui in magno illo Interſtitio ſunt, quoad interiora ſua, conjuncti ſunt vel cum Angelis cæli, vel cum diabolis inferni, at hordie vel cum Angelis Michaelis, vel cum Angelis draconis. Omnis homo poſt mor-

tem ad ſuos in illo Interſtitio ſe confert, & adſociat ſe illis, qui in ſimili amore ſunt, nam Amor conjungit unumquemvis ibi cum ſimilibus, & facit ut libere reſpiret animam, ac ſit in ſtatu vitæ anteactæ; at ſucceſſive tunc exuuntur externa, quæ non unum faciunt cum internis; quo facto bonus elevatur in Cælum, & malus ſe confert in infernum, quiſque ad tales, cum quibus quoad amorem regnantem unum facit.

478. Sed Æquilibrium hoc ſpirituale, quod eſt Liberum Arbitrium, illuſtrari poteſt per æquilibria naturalia. Eſt ſicut æquilibrium hominis circum corpus aut ad brachia ligati inter binos viros ejusdem roboris, quorum unus trahit hominem medium ad dextrum, & alter ad ſiniſtrum, quod tunc homo medius poſſit libere ſe huc illuc ſicut non aliqua vi actus vertere, & ſi confert ſe ad dextrum trahit virum ad ſiniſtrum cum violentia ad ſe, uſque ut vir a ſiniſtro cadat in terram. Similiter ſi aliquis etiam imbellis ligatus foret inter tres viros a dextro, & totidem a ſiniſtro ejuſdem potentiæ; ſimiliter ſi inter camelos aut equos. Æquilibrium Spirituale, quod eſt Liberum arbitrium, comparari poteſt cum bilance, in cujus unaquavis ſcala poſita ſunt pondera æquilibrantia, ſi tunc parum addatur ſcalæ unius lateris, axis trubina ſupra vibrat ſe; ſimile etiam eſt cum vecte, aut cum magna trabe poſita ſuper hypomochlio ſuo; omnia & ſingula quæ intra hominem ſunt, ſicut cor, pulmo, ventriculus, hepar, pancreas, lien, inteſtina, & reliqua, in tali æquilibrio ſunt, inde eſt quod unumquodvis in ſumma quiete poſſit ſuas functiones obire: ſimiliter omnes muſculi, abſque tali horum æquilibrio ceſſaret omnis actio & reactio, & homo non amplius ageret hominem. Cuni itaque omnia quæ in Corpore ſunt in tali æquilibrio ſunt, etiam omnia quæ in Cerebro, in ſimili ſunt, conſequenter omnia quæ in mente ibi; quæ ſe referunt ad voluntatem & intellectum. Eſt quoque liberum beſtiis, avibus, piſcibus & inſectis, ſed hæ feruntur a ſenſibus ſui corporis, ſuggerente appetitu ac voluptate; his non abſimilis eſſet homo, ſi ei liberum faciendi foret ſicut eſt liberum cogitandi, hic quoque ferretur modo a ſenſibus ſui corporis ſuggerente concupiſcentia & voluptate; aliter qui ſpiritualia Eccleſiæ haurit, & liberum ſuum arbitrium per illa coercet, is a Domino a concupiſcentiis & malis voluptatibus, & harum aviditatibus connatis abducitur, ac bonum affectat, & malum averſatur; hic tunc propius ad orientem & ſimul ad meridiem in ſpirituali Mundo a Domino transfertur, & in Liberum cæleſte, quod vere eſt liberum, immittitur.

Quod ex Permiſſione mali, in qua cujuſvis Internus homo eſt, evidenter pateat, quod homini Liberum arbitrium in ſpiritualibus ſit.

479. Quod homini Liberum Arbitrium in ſpiritualibus ſit, primum confirmandum eſt ex Communibus, & poſtea ex particularibus, quæ unuſquiſque ad primum auditum agnoſcet. COMMUNIA ſunt hæc, 1. Quod Sapientiſſimus hominum, Adamus & ejus Uxor, ſe paſſi ſint a Serpente ſeduci. 2. Quod primus eorum filius Cainus occiderit fratrem ſuum Abelem, & Jehovah Deus non abduxerit illos loquendo cum illis, ſed modo poſt facta maledicendo. 3. Quod Gens Iſraelitica in deſerto coluerit Vitulum aureum, cum tamen Jehovah hoc vidit e monte Sinai, & non præcavit. 4. Quod David numeraverit populum, & propterea immiſſa ſit peſtis, e qua tot millia hominum perierunt, & quod Deus non ante, ſed poſt factum ad illum miſerit Gadem prophetam, & denuntiaverit pœnam. 5. Quod Salomoni permiſſum fuerit inſtaurare cultus idololatricos. 6. Et multis regibus poſt illum prophanare Templum, & Sancta Eccleſiæ. 7. Et demum quod Genti iſti per-

permiſſum ſit crucifigere Dominum. Quod permiſſum ſit Mahumedi inſtaurare Religioſum in pluribus non conforme Scripturæ Sacræ. 8. Quod Religio Chriſtiana in plures ſectas diviſa ſit, & quævis in hæreſes. 9. Quod in Chriſtianiſmo tot impii ſint, & quoque gloriationes ex impietatibus, ut & machinationes & doli, etiam contra pios, juſtos & ſinceros. 10. Quod injuſtitia quandoque triumphet ſuper juſtitiam in judiciis & negotiis. 11. Quod etiam impii ad honores evehantur, ac fiant magnates & primates. 12. Quod permittantur Bella, & tunc tot hominum neces, & tot urbium, gentium & familiarum deprædationes, præter plura; num quis talia poteſt aliunde deducere quam ex Libero Arbitrio apud unumquemvis hominem: Permiſſio in toto terrarum orbe nota, non ex alia origine eſt: quod Leges permiſſionis etiam ſint leges Divinæ Providentiæ, videatur in Opere de Divina Providentia Amſtelodami An: 1765 impreſſo, n: 234 ad 274, ubi ſupra allata etiam explicata ſunt.

480. Particularia quod Liberum Arbitrium in ſpiritualibus æque ſit ac in naturalibus, ſunt innumerabilia. Conſulat ſe quiſque, ſi lubet, numne poteſt intra diem ſeptuagies, aut intra ſeptimanam tercenties cogitare de Deo, de Domino, de Spiritu Sancto, deque Divinis quæ vocantur ſpiritualia Eccleſiæ, num tunc ſentit aliquod coactum, ſi ad id ex aliqua voluptate, imo ſi ex aliqua concupiſcentia fertur, & hoc ſive fidem, ſive non fidem habeat: explora etiam, in quocunque ſtatu ſis, num cogitare potes quicquam abſque libero arbitrio, tam in loquelis tuis, quam in orationibus ad Deum, tum in prædicationibus, & quoque in auſcultationibus, numne Liberum Arbitrium in illis fert omne punctum: imo quod abſque Libero Arbitrio in ſingulis imo in ſingulariſſimis, nec reſpirares plus quam ſtatua, nam reſpiratio ſequitur cogitationem & inde loquelam in omni paſſu; dico non plus quam ſtatua, & non plus quam beſtia, quia hæc ex naturali libero arbitrio reſpirat, homo autem ex Libero Arbitrio in naturalibus & ſimul in ſpiritualibus, nam homo non naſcitur ſicut beſtia, beſtia cum omnibus ideis pediſſequis amoris naturalis ſui, in talia quæ nutritionis & prolificationis ſunt, homo autem abſque ideis connatis ſolum in facultatem ſciendi, intelligendi & ſapiendi, & in inclinationem ad amandum ſe & mundum, & quoque proximum & Deum, quare dicitur ſi ei Liberum arbitrium auferretur in ſingulis quæ vult & cogitat, non plus reſpiraret quam ſtatua, & non dicitur non plus quam beſtia.

481. Quod homini ſit Liberum Arbitrium in naturalibus, non negatur, ſed hoc homini eſt ex Libero ejus arbitrio in ſpiritualibus; nam Dominus a ſuperiori ſeu interiori influit apud omnem hominem cum Divino Bono & Divino Vero, ut prius oſtenſum eſt, & per id inſpirat vitam homini diſtinctam a vita beſtiarum, & ad recipiendum illa, & ad agendum ex illis, dat ei poſſe & velle, & hoc nunquam alicui aufert; inde ſequitur, quod Domini perpetua voluntas ſit, ut homo recipiat verum & faciat bonum & ſic fiat ſpiritualis, ad quod natus eſt; ac ſpiritualis fieri abſque libero arbitrio in ſpiritualibus, tam impoſſibile eſt, ſicut eſt trudere camelum per foramen acus netoriæ, aut ſicut manu tangere aliquam ſtellam in Cælo. Quod poſſe intelligere verum & id velle cuivis homini detur, & quoque diabolis, & nuſquam auferatur, per vivam experientiam mihi oſtenſum eſt; unus ex illis qui in Inferno erant, quondam ſublatus eſt in mundum ſpirituum, & ibi ab Angelis e Cælo interrogatus, num poſſit intelligere illa quæ loquebantur cum illo, erant Divina ſpiritualia, reſpondit, quod intelligat; & quæſitus cur non receperit ſimilia, dixit, quod non amaverit illa, & inde quod non voluerit; iterum dictum eſt illi quod potuerit velle, hoc miratus eſt, & dixit quod non, quare Angeli inſpirabant intellectui ejus gloriam famæ cum ejus amæno, quo accepto, etiam voluit, & quoque amavit: ſed mox remiſſus eſt in ſtatum priorem, in quo fuit deprædator, adulter & blaſphemator proximi, & tunc quia non voluit, nec intellexit illa am-

plius. Ex his patet, quod homo ſit homo ex libero arbitrio in ſpiritualibus, & abſque eo homo foret truncus, lapis, aut ſtatua uxor lothi.

482. Quod homini non aliquod liberum arbitrium eſſet in civilibus, moralibus & naturalibus, ſi illi non foret aliquod liberum arbitrium in ſpiritualibus, conſtat ex eo, quod ſpiritualia, quæ vocantur Theologica, reſideant in ſuprema regione mentis hominis, ſicut anima in corpore; quod ibi reſideant, eſt quia ibi eſt oſtium, per quod Dominus ad hominem intrat, ſub illis ſunt civilia, moralia & naturalia, quæ in homine omnem ſuam vitam recipiunt a ſpiritualibus, quæ ſupra illa ſedent, & quia vita a ſupremis influit a Domino, ac vita hominis eſt poſſe libere cogitare, velle, & inde loqui & facere, ſequitur quod inde & non aliunde ſit liberum arbitrium in politicis & naturalibus: ex ſpirituali illo Libero eſt homini perceptio boni & veri, ac juſti & recti in civilibus, quæ perceptio eſt ipſe intellectus in ſua eſſentia. Liberum arbitrium hominis in ſpiritualibus, eſt comparative ſicut aer in pulmone, qui ſecundum omnes vices cogitationis ejus, attrahitur, detinetur & emittitur, & quod abſque eo foret ei pejus quam illi qui incubo, angina & aſthmate laborat. Et quod ſit ſicut ſanguis in corde, qui ſi inciperet deficere, cor primum palpitaret, & poſt convulſiones omnimode quieſceret. Et foret ſicut corpus motum, quod fertur quamdiu ei conatus ineſt, & una ſimul ceſſant; ſic etiam eſt cum libero arbitrio in quo voluntas hominis eſt; utrumque, ſimul liberum arbitrium & voluntas, in homine vocari poteſt conatus vivus, nam ceſſante voluntate ceſſat actio, & ceſſante libero arbitrio ceſſat voluntas. Si auferretur liberum ſpirituale homini, etiam comparative foret, ſicut auferrentur rotæ a machinis, brachia recipientia aerem a molis, ac vela a navibus. Imo foret ſicut cum homine, qui ſpiritum emittit, cum moritur: vita enim ſpiritus hominis in libero ejus arbitrio in ſpiritualibus conſiſtit: Angeli gemunt, dum modo dicitur, quod hoc Liberum arbitrium a multis Miniſtris Eccleſiæ hodie negetur, & vocant negationem ejus, delirium ſupra delirium.

Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, Verbum non foret alicujus uſus, conſequenter Eccleſia nec aliquid.

483. Notum eſt in Univerſo Chriſtiano orbe, quod Verbum ſit in lato Senſu Lex, ſeu Liber legum, ſecundum quas homo victurus eſt, ut vitam æternam ſortiatur; & quid ibi frequentius dicitur, quam quod homo facturus ſit bonum & non malum, & quod crediturus ſit in Deum, & non in idola; & eſt illud plenum mandatis & exhortationibus ad illa, ac benedictionibus ac pollicitis præmiorum pro illis qui faciunt, ac maledictionibus & comminationibus pro illis qui non faciunt; ad quid hæc omnia, ſi non foret homini aliquod Liberum arbitrium in ſpiritualibus, hoc eſt, in talibus quæ ſalutem & vitam æternam concernunt, niſi quam vana, quæ nulli uſui inſervirent; & ſi homo hæreret in idea, quod nulla ei ſit potentia & nulla libertas in ſpiritualibus, ita abſtracte ab aliqua potentia voluntatis in illis, num Scriptura ſacra tunc ei aliter appareret, quam ſicut charta nuda abſque ſyllabis, aut ſicut charta ſuper quam totum atramentarium conjectum eſt, aut ſicut ſoli apices aut jothæ abſque literis, ita ſicut codex inanis. Hoc confirmare ex Verbo quidem non opus foret, ſed quia Eccleſiæ hodie profundarunt ſe in inanitatem mentis in ſpiritualibus, & ad confirmandum illam protulerunt aliqua loca inde, quæ falſe interpretati ſunt, oportet adducere aliqua, quæ mandant homini ut faciat & credat: quæ ſint hæc. Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, Matth. XXI: 43. *Facite fructus dignos pœnitentia, jam*

jam

jam ſecuris ad radicem arboris jacet; omnis igitur Arbor non faciens fructum bonum exſcinditur & in ignem conjicitur, Luc. III: 8. 9. *Jeſus dixit, quid Me vocatis Domine, Domine, & non facitis quæ dico; Omnis qui venit ad Me, & audit ſermones meos, & facit illos, ſimilis eſt homini ædificanti domum, ſuper petra, qui vero audit & non facit, ſimilis homini ædificanti domum ſuper humo abſque fundamento*, Luc. VI: 46 ad 49. *Jeſus dixit, Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui audiunt Verbum Dei, & faciunt illud*, Luc. VIII: 21. *Scimus quod peccatores Deus non audiat, ſed ſi quis Deum colit, & voluntatem ejus facit, hunc audit*, Joh. IX: 31. *Si hæc ſcitis, beati eſtis, ſi feceritis illa*, Joh. XIII: 17. *Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt qui amat Me, & Ego amabo illum*, Joh. XIV: 15. *In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum multum feratis*, Joh. XV: 8. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæcunque mando vobis, Ego elegi vos, ut fructum feratis, & fructus veſter maneat*, Joh. XV: 14. 16. *Facite arborem bonam, ex fructu cognoſcitur Arbor*, Matth. XIII: 12. *Facite fructus dignos pœnitentia*, Matth. III: 12. *Qui in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui Verbum audit, & fructum fert*, Matth. XIII: 23. *Qui metit, mercedem accipit, & colligit fructum in vitam æternam*, Joh. IV: 36. *Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum veſtrorum, diſcite bonum facere*, Eſaj. I: 16. 17. *Venturus eſt Filius hominis in gloria Patris ſui, & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus*, Matth. XVI: 27. *Exibunt qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ*, Joh. V: 29. *Opera illorum ſequuntur cum illis*, Apoc. XX: 12. 13. *Ecce venio cito, & Merces mea Mecum, ut dem unicuique ſecundum opus ejus*, Apoc. XXII: 12. *Jehovah cujus oculi aperti ſunt, ad dandum cuivis ſecundum vias ejus, juxta opera noſtra facit nobiſcum*, Sach. I: 6. Docet etiam idem Dominus in Parabolis, quarum plures involvunt, quod qui bona faciunt, acceptentur, & qui mala, rejiciantur; ut in Parabola de Agricolis in Vinea, Matth. XXI: 33 ad 44. De Talentis & Minis, cum quibus negotiarentur, Matth. XXV: 14 ad 31. Luc. XIX: 13 ad 25. Similiter de Fide, Jeſus dixit, *qui credit in Me, non morietur in æternum*, ſed vivet, Joh. XI: 25. 26. *Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam*, Joh. VI: 40. 16. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, at vero qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Joh. III: 36. *Adeo dilexit Deus Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Joh. III: 15. 16. Et porro, *Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; & amabis proximum ſicut teipſum: ex his duobus mandatis Lex & Prophetæ pendent*, Matth. XXII: 35 ad 38. Sed hæc ſunt perpauca ex Verbo, & ſicut aliqui cyathi aquæ ex mari.

484. Quis non videt inanitatem, non volo dicere fatuitatem, in illis, quæ ſupra 462. ex Libro Eccleſiaſtico Formula Concordiæ vocato, adducta ſunt, poſtquam legit illa, & inſuper aliqua hinc & illinc in Verbo, numne cogitaret ſecum, ſi foret ſicut ibi docetur, quod homini nullum Liberum Arbitrium in ſpiritualibus ſit, quid foret religio, quæ eſt facere bonum, niſi vana vox, & quid Eccleſia abſque religione, niſi ſicut cortex circum lignum, qui non inſervit alii uſui, quam ut comburatur; & inſuper cogitaret, ſi non Eccleſia, quia non religio, quid tunc Cælum & Infernum, niſi fabulæ miniſtrorum & præſulum Eccleſiæ ad captandum plebem, & ad ſe elevandum ad honores ſuperiores: inde eſt deteſtabile illud enuntiatum oris apud plures, quis poteſt bonum facere a ſe, & quis poteſt fidem captare a ſe, & inde omittunt illa, & paganice vivunt.

At mi amice, fuge malum, & fac bonum, & crede in Dominum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & Dominus amabit te, & dabit amorem ad faciendum, & fidem ad credendum, & tunc ex amore facies bonum, & ex fide, quæ eſt fiducia, credes, & ſi perſeveras ita, fiet conjunctio reciproca, & hæc perpetua, quæ eſt ipſa ſalus & vita æterna. Si homo ex datis viribus non faceret bonum, & ex ſua mente crederet in Dominum, quid foret homo niſi ſolitudo & deſertum, & pror-

prorſus ſicut terra ſicca, quæ pluviam non recipit, ſed repercutit. Aut ſicut arenareus campus, ubi oves, quibus non paſcuum. Ac foret ſicut fons exſiccatus; aut ibi ſicut aqua ſtagnata, obſtructa vena; aut ſicut habitatio, ubi nulla meſſis, nec ullus lacus, a quo loco niſi actutum fugeret, & quæreret ſedem habitabilem alibi, fame & ſiti moreretur.

Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritnalibus, non foret aliquid hominis, per quod ſe viciſſim conjungat Domino, & inde non Imputatio, ſed mera Prædeſtinatio, quæ deteſtabilis eſt.

485. Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus non foret charitas nec fides apud ullum hominem, minus conjunctio duarum illarum, in Capite de Fide, plene oſtenſum eſt; ex his ſequitur, quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritnalibus, non foret aliquid hominis, per quod Dominus ſe conjungeret illi, & tamen abſque conjunctione reciproca nulla reformatio & regeneratio, & inde nec ſalvatio dabilis eſt. Quod abſque reciproca conjunctione hominis cum Domino, ac Domini cum homine, non foret aliqua Imputatio eſt conſequens irrefragabile. Sequelæ ex confirmatione, quod nulla ſit imputatio boni & mali, abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, ſunt plures, & illæ enormes, in ultima Parte hujus Operis, ubi de hæreſibus, paradoxis & contradictionibus, promanantibus ex hodierna Fide imputativa meriti & juſtitiæ Domini Dei Salvatoris, agendum eſt, aperiendæ ſunt.

486. Prædeſtinatio eſt fætus fidei hodiernæ Eccleſiæ, quia naſcitur ex fide abſolutæ impotentiæ & nullius arbitrii in ſpiritualibus; ex illa, & quoque ex converſione ſicut inanimata hominis, quod ſit ſicut truncus, & quod dein ex nulla conſcientia ſciat, num ipſe truncus vivificatus ſit ex gratia, vel non, nam dicitur, quod electio ſit ex mera gratia Dei excluſa hominis actione, ſive ex viribus naturæ, ſive rationis, proficiſcatur; & quod electio fiat ubi & quando Deus vult, ita ex beneplacito: Opera, quæ ut teſtimonia ſequuntur fidem, ſunt coram viſu reflectente ſimilia Operibus carnis, ac Spiritus, qui operatur illa, non manifeſtat ex qua origine ſunt, ſed facit illa gratiæ, ſeu beneplaciti ſicut ipſam fidem. Ex his patet, quod hodiernæ Eccleſiæ dogma de Prædeſtinatione, inde ut ex ſemine ſurculus, exiverit; & poſſum dicere, quod ut Conſectarium vix evitabile ex illa fide effluxerit; quod factum eſt primum apud PRÆDESTINATIANOS, inde a GODOSCHALCO, poſtea a CALVINO & ejus aſſeclis, & demum a SYNODO DODRECHTANA valide ſtabilita, & inde ut Palladium religionis, aut potius, ſicut caput Gorgonis aut Meduſæ clypeo Palladis inſculptum, a SUPRA ET INFRA LAPSARIIS in Eccleſiam ſuam exportata. Sed quid damnoſius potuit excludi, & quid crudelius de Deo credi, quam quod aliqui ex Humano genere ex prædeſtinato damnati ſint: crudelis enim fides foret, quod Dominus, Qui eſt Ipſe Amor, & Ipſa miſericordia, velit ut multitudo hominum naſcatur ad Infernum, ſeu quod myriades myriadum naſcantur devoti, hoc eſt, quod naſcantur Diaboli & Satanæ; & quod non ex Divina ſua Sapientia, quæ eſt infinita, providerit & provideat, ne illi qui bene vivunt, & agnoſcunt Deum, in ignem & cruciatum æternum conjiciantur; eſt uſque Dominus omnium Creator & Salvator, & Ipſe Solus ducit omnes, & nullius mortem vult; quid ergo immanius poteſt credi & cogitari, quam quod Cætus gentium & populorum ſub auſpicio & ſub intuitu Ipſius ex prædeſtinato traderentur Diabolo in prædam, ac ſatiaret ingluviem ejus. Sed hoc eſt fætus fidei hodiernæ Eccleſiæ; at Fides novæ Eccleſiæ illud ut monſtrum abhorret.

487. Quoniam cogitavi quod tale cerebroſum nuſquam potuerit ab aliquo Chriſtiano decerni, minus ore effundi, & in publicam lucem evulgari, quod tamen fac-

factum eſt a tot electis ex Clero in Synodo Dordrecti in Hollandia, & poſtea nitide ſcriptum, & in publicum emiſſum; ideo ne dubitarem, aliqui ex illis, qui a decretis illius Synodi fuerunt, ad me arceſſiti ſunt. Quando viſi ſunt prope me ſtare, dixi, quis ex aliqua ratione ſana poteſt concludere Prædeſtinationem, num poteſt aliter quam quod crudeles ideæ de Deo inde profluant, ac flagitioſæ de Religione, num qui Prædeſtinationem per confirmationes cordi ſuo inſculpſit, poteſt quicquam cogitare de omnibus quæ Eccleſiæ ſunt, niſi quod ſint vana, ſimiliter de Verbo; & de Deo, quia tot myriades hominum prædeſtinavit ad Infernum, quam ſicut de Tyranno; his dictis ſatanico vultu me inſpexerunt, dicentes, nos fuimus ex electis in Synodo Dodrechtana, ac tunc & adhuc plus poſtea confirmavimus nos in multis de Deo, de Verbo, & de Religione, quæ non vulgare auſi ſumus, ſed cum loquuti ſumus & docuimus de illa, contexuimus & contorſimus telam ex filis variorum colorum, & ſuper illam ſtravimus plumas ex alis pavonum mutuatas; ſed quia ſimiliter nunc facere volebant, Angeli ex potentia ſibi a Domino data, occluſerunt mentis illorum Externa, & aperuerunt ejus Interna apud illos, & ex his adacti ſunt loqui: & tunc dixerunt; noſtra fides, quam formavimus per concluſiones, unam ſequentem ex altera, fuerat & adhuc eſt hæc 1. Quod non ſit aliquod Verbum Jehovæ Dei, ſed ventoſum quid efflatum ex ore prophetarum: hoc cogitavimus, quia Verbum prædeſtinat omnes ad Cælum, & quod modo homo ſit in culpa ſi non ambulat vias quæ illuc tendunt. 2. Quod Religio ſit, quia oportet eſſe, ſed quod ſit ſicut procella ferens odorem fragrantem pro Vulgo; quod illa ideo a Miniſtris tam parvis quam magnis docenda ſit, & quod ex Verbo, quia hoc receptum eſt; hoc cogitavimus, quia ubi prædeſtinatio, ibi Religio nihil eſt. 3. Quod Leges juſtitiæ civiles ſint Religio; at quod Prædeſtinatio non ſit ſecundum vitam ex illis, ſed ex puro beneplacito Dei, ſicut apud abſolutæ poteſtatis Regem ex ſola viſa facie. 4. Quod ut vanitates explodenda, ac ut quisquiliæ rejicienda ſint omnia quæ Eccleſia docet, præter QUOD DEUS SIT. 5. Quod ſpiritualia, quæ venditantur, non ſint plus quam ætherea ſub Sole, quæ ſi alte penetrant in hominem, inducant ei vertiginem & ſtuporem, & faciant illum deteſtabile monſtrum coram Deo. 6. Interrogati de Fide, ex qua Prædeſtinationem deduxerunt, num crediderint illam ſpiritualem eſſe, dixerunt, quod ſecundum illam fiat, ſed quod cum datur, ſint ſicut trunci, ex quibus quidem vivificantur, ſed non ſpiritualiter. Poſt hæc dira effata voluerunt recedere, ſed dixi illis, manete aliquantum adhuc, & legam coram vobis ex Eſaja, & legi hæc, *Ne læteris Philiſthæa tota, quod fracta ſit virga percutiens te, nam ex radice ſerpentis exivit baſiliſcus, cujus fructus preſter volans*, Cap. XIV: 29; & explicui id per ſenſum ſpiritualem, quod per Philiſthæam intelligatur Eccleſia ſeparata a charitate; quod per baſiliſcum qui ex radice ſerpentis exivit, intelligatur doctrina ejus de tribus Diis, & de fide imputativa cuivis ſingulatim applicata, & quod per fructum ejus qui eſt preſter volans, intelligatur nulla imputatio boni & mali, ſed immediata Miſericordia ſive homo bene ſive male vixerit. His auditis dixerunt, ſit hoc, ſed ex Codice illo, quem vocas Sanctum Verbum, exprome aliquid de Prædeſtinatione, & aperui, & apud Eundem Prophetam offendi hoc quod concordabat „*Ova aſpidis ponebant, & telas araneæ texebant, qui comedit ex ovis illorum, moritur, & quando quis exprimit, excluditur vipera*, Cap. LIX: 5; his auditis non ſuſtinuerunt explicationem, ſed aliqui ex illis, qui arceſſiti ſunt, erant quinque, proripuerunt ſe in Antrum, circum quod apparuit furve ignitum, ſignum quod non fides nec charitas illis. Ex his patet, quod Secretum Synodicum illud de Prædeſtinatione, non modo ſit Hæreſis inſana, ſed etiam Hæreſis crudelis; quare eradicanda eſt e Cerebro adeo, ut ne quidem unus apex ejus reſiduus ſit.

488. Immanis fides, quod Deus prædeſtinet homines ad Infernum, comparari poteſt cum immanitate patrum apud quaſdam barbaras gentes, qui lactantes & infan-

tes ſuos ejiciunt in plateas: & cum immanitate quorundam hoſtium, qui homines interfectos projiciunt in ſylvas a belluis devorandos. Comparari etiam poteſt cum crudelitate tyranni, qui populum ſibi ſubditum dividit in turmas, & ex his quaſdam tradit carnificibus, quaſdam projicit in profundum maris, & quaſdam in ignem. Comparari etiam poteſt cum rabie quarundam ferarum, quæ devorant ſuos pullos: & quoque comparari poteſt cum inſania canum, qui involant in imagines ſuas viſas in ſpeculo.

Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, Deus foret in cauſa mali, & ſic nulla Imputatio.

489. Quod Deus ſit cauſa mali, ſequitur a fide hodierna, quæ primum excluſa eſt ab illis qui ſederunt Concilium in Nicæa urbe; ibi conficta & conflata eſt hæreſis adhuc perſtans, quod tres Perſonæ Divinæ fuerint ab æterno, & quælibet Deus per ſe; quo ovo excluſo aſſeclæ non potuerunt aliter, quam unamquamvis Perſonam ut Deum ſingulatim adire. Compilarunt fidem imputativam meriti ſeu juſtitiæ Domini Dei Salvatoris, & ne quis homo intraret in meritum cum Domino, adempſerunt homini omne Liberum arbitrium in ſpiritualibus, & extremam impotentiam quoad illam fidem induxerunt; & quia omne ſpirituale Eccleſiæ ex ſola illa fide deduxerunt, declaraverunt ſimilem impotentiam quoad omne quod Eccleſia de ſalute docet; inde enatæ ſunt diræ hæreſes, una poſt alteram, ſuper illa fide, & hominis impotentia in ſpiritualibus, fundatæ, & quoque damnoſiſſima illa de Prædeſtinatione, de qua in Articulo præcedente actum eſt; quæ omnes involvunt, quod Deus ſit cauſa mali, aut quod Deus creaverit & bonum & malum. Sed, mi amice, ne fide alicui Concilio, ſed fide Verbo Domini, quod ſupra Concilia eſt; quid non excluſerunt Concilia Romano Catholica, & quid non Dodrectanum, unde Prædeſtinatio, horrenda illa vipera educta eſt. Poteſt cogitari, quod Liberum Arbitrium datum homini in ſpiritualibus, fuerit cauſa media mali, conſequenter, quod ſi tale liberum Arbitrium non ei datum fuiſſet, homo non potuiſſet prævaricari; ſed, mi amice, ſiſte gradum hic, & expende, num aliquis homo, ut ſit homo, potuerit creari abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, ſi illud adimeretur ei, non amplius foret homo, ſed modo ſtatua: quid Liberum Arbitrium niſi poſſe velle & facere, ac cogitare & loqui in omni apparentia ut a ſe; quoniam hoc datum eſt homini, ut viveret homo, ideo poſitæ fuerunt binæ Arbores in Horto Edenis, Arbor vitæ, & Arbor ſcientiæ boni & mali, per quod ſignificatur, quod ex Libero ſibi dato poſſet edere ex fructu Arboris vitæ, & ex fructu arboris ſcientiæ boni & mali.

490. Quod omne quod Deus creavit, fuerit bonum, patet a primo Capite Geneſeos, ubi dicitur Verſ. 10. 12. 18. 21. 25, *videt Deus quod bonum eſſet*, & tandem Verſ. 31, *vidit Deus omne quod fecit, & ecce bonum valde*, & quoque a primævo ſtatu hominis in Paradiſo: at quod malum ortum ſit ab homine, patet a ſtatu Adami ſecundum ſeu poſt lapſum, quod ex Paradiſo expulſus ſit. Ex his patet, quod niſi Liberum Arbitrium in ſpiritualibus homini datum fuiſſet, ipſe Deus cauſa mali fuiſſet, & non homo, & ſic quod Deus creaviſſet & bonum & malum, quod etiam malum, nefandum eſt cogitare. Quod Deus non creaverit malum, quia Liberum Arbitrium in ſpiritualibus homini indiderat, & quod nuſquam inſpiret ei aliquod malum, eſt quia eſt ipſum Bonum, & in hoc Deus omnipræſens eſt, ac continue impellit & flagitat ut recipiatur, & quod ſi non recipitur, uſque non recedat, nam ſi recederet, homo in inſtanti moreretur, imo dilaberetur in non ens, nam vita homini, ac ſubſiſtentia omnium ex quibus conſiſtit, a Deo eſt.

Quod

Quod Deus non creaverit malum, ſed quod homo illud intulerit, eſt cauſa, quia homo vertit bonum, quod a Deo continue influit, in malum, per quod ſe avertat a Deo, & ſe convertat ad ſemet, quod cum fit, remanet jucundum boni, & hoc tunc fit jucundum mali, nam abſque remanente jucundo tanquam ſimili, homo non viveret, nam jucundum facit vitam amoris ejus: ſed uſque jucunda illa ſunt ſibi e diametro oppoſita; verum hoc neſcit homo, quamdiu in Mundo vivit, at poſt mortem id ſciturus eſt, & quoque manifeſte percepturus, nam tunc jucundum amoris boni, vertitur in beatum cæleſte, at jucundum amoris mali in dirum infernale. Ex allatis conſtat, quod omnis homo prædeſtinatus ſit ad Cælum, & nullus ad Infernum, ſed quod homo ſe ipſum addicat Inferno per abuſum Liberi ſui arbitrii in ſpiritualibus, ex quo amplectitur talia quæ ex Inferno exhalant; nam, ut ſupra dictum eſt, omnis homo tenetur in meditullio inter Cælum & Infernum, ut ſit in æquilibrio inter bonum & malum, & inde in Libero arbitrio in ſpiritualibus.

491. Quod Deus indiderit Liberum non modo homini, ſed etiam omni beſtiæ, imo etiam analagon ejus inanimatis, cuilibet ad recipiendum illud ſecundum ſuam naturam, ut & quod proſpiciat omnibus illis bonum, ſed quod objecta vertant illud in malum, illuſtrari poteſt per comparationes; Athmoſphæra dat cuivis homini copiam reſpirandi, ſimiliter cuivis beſtiæ & feræ, & quoque cuivis avi, tam buboni quam columbæ, & quoque copiam volandi, & tamen athmoſphæra non in cauſa eſt, quod copia illa recipiatur a contrariis genio & indole. Oceanus dat habitaculum in ſe, & quoque affert alimoniam omni piſci, ſed non in cauſa eſt, quod unus ibi deglutiat alterum, & quod crocodilus vertat hanc in venenum, quo occidit hominem. Sol proſpicit omnibus luce & calore, ſed objecta, quæ ſunt varia vegetabilia terræ, recipiunt illa diverſimode, aliter Arbor bona, & virgultum bonum, & aliter ſpina & ſentis, aut aliter herba innocua quam toxicata. Pluvia e ſuperiore regione athmoſphæræ ubivis in terras defluit, & terræ ſubminiſtrat aquas inde cuivis arbuſculo, herbæ & gramini, & quodlibet horum applicat illas ſibi ſecundum indigentiam, hoc eſt quod vocatur analogon Liberi arbitrii, quia inſorbent illa libere per oſcula, poros & meatus, qui tempore caloris ſtant aperti, & terra modo ſuggerit & latices & elementa, & virgulta ſecundum quoddam ſimile ſitis & famis illa adducunt. Simile eſt cum hominibus, quod Dominus apud unumquemvis hominem influat cum Calore ſpirituali, qui in ſua eſſentia eſt bonum amoris, & cum luce ſpirituali, quæ in ſua eſſentia eſt verum ſapientiæ, ſed homo recipit illa ſecundum ſuam converſionem, vel ad Deum, vel ad Semet; quare dicit Dominus, ubi de amore erga proximum docet „ *Ut filii Patris ſitis, qui Solem facit exoriri ſuper malos & bonos, & pluviam mittit ſuper juſtos & injuſtos*, Matth. V: 45; & alibi, *quod velit omnium ſalutem.*

492. His adjiciam hoc Memorabile, aliquoties audivi e Cælo demiſſas voces de bono charitatis, quæ pertranſibant Mundum Spirituum, & penetrabant in infernum uſque ad profundum ejus, & quod illæ voces in progreſſione verterentur in talia, quæ plane oppoſita erant bono charitatis, & tandem in illa quæ odii contra proximum erant; indicium, quod omne quod a Domino procedit ſit bonum, & quod a ſpiritibus in inferno vertatur in malum. Simile factum eſt cum aliquibus veris fidei, quæ in procedendo vertebantur in falſa veris oppoſita: ipſa enim forma recipiens vertit incidentia in tale quod ſibi concordat.

Quod omne ſpirituale Eccleſiæ quod in libero intrat, & ex libero recipitur, maneat; non autem quod viciſſim.

493. Quod apud hominem maneat id quod ex libero ab illo recipitur, eſt quia Liberum eſt Voluntatis ejus, & quia eſt Voluntatis, etiam eſt amoris ejus, nam quod voluntas ſit receptaculum amoris, alibi oſtenſum eſt; quod omne id liberum ſit quod eſt amoris, & quod hoc etiam ſit Voluntatis, quiſque intelligit, cum dicitur, Hoc volo quia amo, & quoque viciſſim, hoc quia amo etiam volo: ſed hominis voluntas eſt duplex, interior & exterior, ſeu Interni & Externi hominis, quare poteſt homo ſycophanta aliter agere & loqui coram Mundo, & aliter cum familiaribus; coram Mundo agit & loquitur ex voluntate Externi ſui hominis, & cum familiaribus ex Voluntate Interni; ſed hic intelligitur Voluntas Interni hominis, ubi eſt regnans ejus amor. Ex his paucis conſtat, quod interior Voluntas ſit ipſe homo, eſt enim ibi eſſe & eſſentia vitæ ejus, Intellectus eſt forma ejus, per quam Voluntas ſuum amorem viſibilem ſiſtit. Omne quod homo amat, & ex amore vult, eſt liberum, nam quicquid ex Voluntatis internæ amore procedit, eſt jucundum vitæ ejus; & quia idem eſt eſſe vitæ ejus, eſt quoque proprium ejus, quæ cauſa eſt, quod id quod ex libero hujus Voluntalis recipitur, maneat, addit enim ſe proprio. Contrarium eſt, ſi aliquid in non libero infertur, hoc non ita recipitur; ſed de hoc in ſequentibus.

494. Sed probe ſciendum eſt, quod Spiritualia Verbi & Eccleſiæ, quæ homo ex amore haurit, ac intellectus confirmat, maneant apud hominem, non autem ſimiliter civilia & politica, quia ſpiritualia in ſupremam mentis regionem ſcandunt, & ibi ſe formant; cauſa eſt, quia ibi eſt introitus Domini cum Divinis veris & bonis apud hominem, & ſicut templum in quo eſt; at civilia & politica, quia Mundi ſunt, inferiora mentis occupant, & quædam ibi ſunt ſicut ædiculæ extra templum, & quædam ſicut atria, per quæ intrandum eſt; quod ſpiritualia Eccleſiæ in ſuprema regione mentis habitent, eſt quoque cauſa, quia illa propria ſunt animæ, & ſpectant ejus vitam æternam, & anima eſt in ſupremis, & nutritio ejus non ex aliis cibis quam ex ſpiritualibus eſt; quare Dominus ſe vocat Panem, dicit enim, *Ego ſum Panis vivens, qui e Cælo deſcendit, ſi quis comederit ex hoc Pane, vivet in æternum*, Joh. VI: 5; in illa regione etiam reſidet amor hominis, qui facit ejus beatitudinem poſt mortem, & ibi etiam principaliter reſidet ejus Liberum arbitrium in ſpiritualibus, & ex hoc omne Liberum, quod homini in naturalibus eſt, deſcendit, & quia origo ejus ibi eſt, communicat id cum omnibus liberis Arbitriis in naturalibus, & per illa aſſumit amor in ſupremis regnans omne quod ſibi conducit; eſt communicatio ſicut venæ fontis cum aquis ejus inde, & ſicut ipſum prolificum ſeminis cum omnibus & ſingulis arboris, imprimis cum fructibus, in quibus ſe renovat. Si vero quis negat Liberum arbitrium in ſpiritualibus, & inde rejicit illud, is facit ſibi alium fontem, & illuc aperit venam, & commutat Liberum ſpirituale in Liberum mere naturale, & tandem in infernale: hoc Liberum etiam fit ſicut prolificum ſeminis, quod etiam libere tranſit caudicem & ramos in fructus, qui ex ſcaturigine ſua intus ſunt putres.

495. Omne Liberum, quod a Domino eſt, eſt ipſum Liberum, at quod ab inferno eſt & inde apud hominem, eſt ſervum; at uſque non poteſt aliter, quam quod Liberum ſpirituale illi qui in Libero infernali eſt, appareat ut ſervum, quia ſunt oppoſita; attamen omnes, qui in Libero ſpirituali ſunt, non modo ſciunt, ſed etiam percipiunt, quod Liberum infernale ſervum ſit, quare Angeli averſantur hoc ſicut nidorem cadaverоſum, at Infernales illud idem attrahunt ſicut odorem aromaticum. Notum eſt ex Verbo

Do-

Domini, quod Cultus ex libero ſit vere cultus, & quod ſpontaneum Domino placeat, quare dicitur apud Davidem, *Voluntarium ſacrificabo Deo*, Pſalm LIV: 8: & alibi, *Spontanei populorum cogregati ſunt, populus Dei Abrahami*, Pſalm XLVII: 10; inde apud Filios Iſraelis erant Sacrificia Spontanea, ſacer illorum Cultus principaliter conſiſtebat in ſacrificiis; propter beneplacitum Dei in ſpontaneis mandatum eſt, *Quod omnis vir, quem impulit cor ejus, & omnis, cujus ſpontaneus ſpiritus movit illum, adduceret therumam Jehovæ ad opus Tentorii*, Exod. XXXV: 5. 21. 29; & Dominus dicit „*Si vos manſeritis in Verbo meo, vere diſcipuli mei eſtis; & cognoſcetis veritatem, & veritas liberos facit vos; ſi ergo Filius vos liberos facit, vere liberi eritis; omnis autem faciens peccatum, ſervus peccati eſt*, Joh. VIII: 31 ad 35.

496. Quod id maneat, quod ex libero recipitur, eſt quia voluntas hominis id ſibi adſciſcit & appropriat, & quia intrat in amorem ejus, & amor agnoſcit id ut ſuum, & ſe per id format; ſed hoc per comparationes illuſtrabitur; verum quia hæ aſſumuntur ex naturalibus, erit Calor loco Amoris; notum eſt, quod per calorem & ſecundum ejus gradum aperiantur fores in omni vegetabili, & quod ſicut illæ apertæ ſunt, redeat vegetabile intrinſecus in ſuæ naturæ formam, ac ſpontanee recipiat ſua nutrimenta, ac retineat convenientia, & creſcat. Simile fit cum beſtia, hæc omne id quod ex amore nutritionis, qui vocatur appetitus, eligit & comedit, hoc addit ſe corpori ejus, & ſic manet; quod id quod convenit ſe jugiter addat corpori, eſt quia cuncta quæ componunt illud, perpetuo renovantur; quod ita ſit, notum eſt, ſed paucis. Calor etiam apud beſtias, aperit etiam omnia corporis illarum, & facit ut amor illarum naturalis libere agat; inde eſt, quod tempore veris & æſtatis in inſtinctum prolificationis & quoque educationis prolum ſuarum veniant & redeant, quod fit ex liberrimo, quia eſt regnantis amoris a creatione illis inditi, propter conſervationem univerſi in ſtatu creato. Quod liberum amoris illuſtretur per liberum, quod calor inducit, eſt quia amor producit calorem, quod evidens eſt ex effectibus ejus, ut quod homo incendatur, incaleſcat & inflammetur, ſicut amor exaltatur in zelum, aut in excandeſcentiam iræ; calor ſanguinis ſeu calor vitalis hominum, & in genere animalium non aliunde eſt; ex hac correſpondentia eſt, quod corporea per calorem adaptentur ad libere recipiendum illa, ad quæ amor ſpirat. In tali æquilibrio & inde libero ſunt omnia quæ intus in homine ſunt; in tali libero agit cor ſanguinem ſuum æque ſurſum ac deorſum, meſenterium chylum ſuum, hepar ſangvificat, renes ſecernunt, glandulæ percolant, & ſic porro; ſi æquilibrium pateretur, ægrotaret membrum, & paralyſi vel ataxia laboraret; æquilibrium & liberum hic unum ſunt. In univerſo creato non datur ſubſtantia, quæ non ad æquilibrium tendit, ut ſit in libero.

Quod Voluntas & Intellectus hominis in hoc Libero Arbitrio ſint; ſed quod facere malum in utroque Mundo, Spirituali & Naturali, per leges coercitum ſit, quoniam alioquin Societas utrinque periret.

497. Quod unusquiſque homo ſit in Libero arbitrio in ſpiritualibus, ex ſola obſervatione ſuæ cogitationis ſcire poteſt; quis non ex Libero cogitare poteſt de Deo, de Trinitate, de Charitate & Proximo, de Fide & ejus operatione, de Verbo & omnibus illis quæ inde ſunt; & poſtquam didicit Theologica, de ſingulis ejus; & quis non poteſt cum illis & contra illa cogitare, imo concludere, docere & ſcribere: ſi auferretur uno momento hoc Liberum homini, numne cogitatio ejus ſubſiſteret, lingua muteſceret, & manus obtorpeſceret: quare, mi amice, ſi libet,

ex ſola obſervatione cogitationis tuæ, potes rejicere & devovere abſonam & damnoſam illam hæreſin, quæ hodie in Chriſtianiſmo, cæleſti Doctrinæ de Charitate & Fide, & inde ſalute & de vita æterna lethargiam induxit. Quod Liberum illud arbitrium reſideat in Voluntate & Intellectu hominis, ſunt hæ cauſæ. 1. Quia duæ illæ facultates primum inſtruendæ ſunt, & reformandæ, & per illas binæ facultates externi hominis, quæ faciunt illum loqui & agere. 2. Quod duæ illæ facultates Interni hominis conſtituant ſpiritum ejus, qui vivit poſt mortem, & non ſub alia lege eſt quam Divina, cujus primarium eſt, ut homo cogitet legem, faciat illam, & obediat illi ex ſe, tametſi ex Domino. 3. Quia homo quoad ſpiritum ſuum, eſt in medio inter Cælum & Infernum, ita inter bonum & malum, & inde in æquilibrio, inde ei Liberum arbitrium eſt in ſpiritualibus, de quo æquilibrio videatur ſupra, n: 445 ſeq. at quamdiu in Mundo vivit, eſt quoad Spiritum ſuum in Æquilibrio inter Cælum & Mundum, & homo tunc pæne neſcit, quod quantum e Cælo recedit, & ad Mundum, tantum ad Infernum accedat, hoc neſcit & tamen non neſcit, ob cauſam, ut etiam quoad hoc in libero ſit, & reformetur. 4. Quia duo illa, voluntas & intellectus, ſunt duo receptacula Domini, voluntas receptaculum Amoris & Charitatis, Intellectus receptaculum Sapientiæ & Fidei, & Dominus operatur ſingula illa in pleno libero hominis, ut ſit conjunctio mutua & reciproca, per quam ſalvatio. 5. Quia omne judicium, quod fit homini poſt mortem, fit ſecundum uſurpationem ejus Liberi arbitrii in ſpiritualibus.

498. Ex his reſultat hoc, quod ipſum Liberum arbitrium in ſpiritualibus in anima hominis reſideat in omni perfectione, & inde, ſicut vena in fontem, influat in mentem ejus, in binas ejus partes, quæ ſunt voluntas & intellectus, & per has in ſenſus corporis, inque loquelas & actiones. Sunt enim tres gradus vitæ apud hominem, Anima, Mens, & Corpus ſenſuale, omne id quod in ſuperiori gradu eſt, in perfectione eſt ſupra id quod in inferiori gradu eſt. Hoc hominis Liberum eſt, per quod, in quo, & cum quo Dominus præſens eſt in homine, & urget indeſinenter ſui receptionem, at nuſquam emovet & tollit liberum, quoniam, ut ſupra dictum eſt, omne quod non ex libero ab homine in ſpiritualibus fit, non maneat, quare dici poteſt, quod hoc Liberum hominis ſit, in quo Dominus apud illum in anima ejus habitat. Quod autem facere malum, in utroque Mundo, Spirituali & Naturali, per leges coercitum ſit, quoniam alioquin ſocietas nullibi ſubſtiſteret, abſque explicatione patet; ſed uſque illuſtrabitur, quod ſine externis illis vinculis, non modo ſocietas non ſubſiſteret, ſed etiam totum genus humanum periret; homo enim ineſcatus eſt binis amoribus, qui ſunt amor dominandi ſuper omnes, & amor poſſidendi omnium opes; hi amores, ſi relaxarentur illis fræna, ruunt in infinitum: mala hæreditaria, in quæ homo naſcitur, ex binis illis amoribus principaliter exorta ſunt: nec Adamo fuit aliud, quam ut vellet fieri ſicut Deus, quod malum ſerpens illi infudit, ut legitur, quare in maledictione ejus dicitur, quod terra germinatura ſit ei ſpinam & tribulum, Gen. III: 5. 18, per quæ intelligitur omne malum & inde falſum; omnes qui illis amoribus emancipati ſunt, ſe ſolum ut unicum intuentur, in quo & pro quo omnes alii; talibus non eſt miſeratio, non timor Dei, non amor proximi, & inde eſt illis immiſericordia, immanitas & crudelitas, & infernalis cupiditas & aviditas prædandi & latrocinandi, & in illis efficiendis aſtus & doli; talia beſtiis terræ non innata ſunt, hæ non ex alio amore necant & devorant alias, quam ut ſatient ventrem, & ſe tutentur; quare homo malus quoad amores illos ſpectatus, eſt immanior, ferocior & pejor omni beſtia. Quod homo intus talis ſit, manifeſtat ſe in turbis ſeditioſis, in quibus vincula legis ſoluta ſunt, & quoque in lanienis & latrociniis, quando ſonatur liberum exercendi furorem in victos & obſeſſos, a quo vix unus abſtinet, antequam auditur tympanum, quod deſiſtendum ſit; ex his patet, quod ſi nullus timor pœnarum ex legibus coerceret homines, non ſolum Societas ſed totum Genus humanum deſtru-

cre-

eretur. Sed hæc omnia unice removentur per verum uſum Liberi Arbitrii in ſpiritualibus, qui eſt intendere animum ad cogitandum de ſtatu vitæ poſt mortem.

499. Sed hoc per comparationes adhuc illuſtrabitur, per has; quod niſi quoddam Liberum arbitrium eſſet in omnibus creatis tam animatis quam inanimatis, non potuiſſet fieri aliqua Creatio, nam abſque libero arbitrio in naturalitus quoad beſtias, non foret aliqua electio cibi nutritioni illarum conducibilis, nec aliqua prolificatio & prolum conſervatio, ita non beſtia. Si tale liberum non eſſet piſcibus maris, & conchis fundi ejus, non foret piſcis & concha. Similiter niſi eſſet in quovis inſectulo, non foret bombyx, ex quo ſerica, nec apis en quo inella & ceræ, nec aliquis papilio, qui ludat cum conſorte in aere, & nutrit ſe ſuccis in floribus, & repræſentat ſtatum hominis beatum in cæleſti aura, poſtquam exuvias ſuas ſicut vermis depoſuit. Niſi analogon Liberi arbitrii eſſet in terræ humo, in ſemine ei injecto, inque omnibus arboris inde germinatæ, inque ejus fructibus, & iterum in novis ſeminibus, non foret ullum vegetabile. Si analogon Liberi arbitrii non eſſet in omni metallo, & in omni lapide nobili & ignobili, non foret metallum, nec lapis, imo ne quidem arenula; nam hæc libere inſorbet ætherem, & exſpirat ſua nativa, & rejicit obſoleta, & novis ſe redintegrat, inde eſt ſphæra magnetica circum magnetem, ferrea circum ferrum, cuprea circum cuprum, argentea circum argentum, aurea circum aurum, lapidea circum lapidem, nitroſa circum nitrum, ſulphurea circum ſulphur, ac varia circum omnem pulverem terræ, ex qua ſphæra intimum cujusvis ſeminis imprægnatur, prolificum vegetat, nam abſque tali exſpiratione e quovis pulviſculo terræ, non foret aliquod initium germinationis & inde perpetuum ejus, quomodo alioquin potuiſſet terra in intimum centrale grani ſeminati cum pulvere & aqua, niſi quam per exhalata ex illa penetrare, ſicut in *granum ſinapis, quod minus eſt omnibus ſeminibus, cum autem excrevit, majus eſt oleribus, & fit grandis arbor*, Matth. XIV: 32. Marc. IV: 30. 31. 32. Cum itaque omnibus ſubjectis creatis inditum eſt Liberum, cuivis ſecundum ſuam naturam, quid non homini Liberum arbitrium ſecundum ejus naturam, quæ eſt ut ſit ſpiritualis: inde eſt quod homini datum ſit Liberum arbitrium in ſpiritualibus ab utero uſque ad ultimam ejus ætatem in Mundo, & poſtea in æternum.

Quod ſi hominibus non foret Liberum Arbitrium in ſpiritualibus, potuiſſent omnes in univerſo terrarum orbe intra unum diem adduci ad credendum in Dominum; ſed quod hoc non fieri poſſit, eſt cauſa, quia id quod non ex Libero Arbitrio recipitur ab homine, non maneat.

500. Quod Deus abſque dato hominibus Libero Arbitrio in ſpiritualibus poſſet omnes in univerſo terrarum orbe intra unum diem adducere ad credendum in Se, ſequitur ut verum ex non intellecta Omnipotentia Divina; illi qui Omnipotentiam Divinam non intelligunt, opinari poſſunt, vel quod non ſit ordo, vel quod Deus poſſit facere æque contra ordinem, ac ſecundum illum, cum tamen abſque ordine nulla Creatio dabilis fuit; primarium ordinis eſt, ut homo ſit imago Dei, proinde ut perficiatur amore & ſapientia, & ſic plus & plus fiat illa; hoc Deus operatur continue apud hominem, ſed abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus, per quod homo ſe poſſit convertere ad Deum, & ſe viciſſim conjungere Ipſi, fruſtraneum, quia impoſſibile, foret, nam Ordo eſt, ex quo & ſecundum quem totus Mundus cum omnibus & ſingulis ejus creatus eſt, & quia ex illo & ſecum-

dum

dum illum omnis creatio facta eſt, ideo Deus vocatur ipſe Ordo, quare idem eſt, ſive dixeris facere contra Divinum Ordinem, ſive dixeris facere contra Deum, imo Ipſe Deus non poteſt facere contra Divinum ſuum ordinem, ſiquidem hoc foret facere contra Se Ipſum; quare ducit omnem hominem ſecundum Se illum, & errantes & elapſos in illum, ac reſiſtentes ad illum. Si homo potuiſſet creari abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, quid tunc Omnipotenti Deo facilius foret, quam omnes in univerſo terrarum Orbe adducere ad credendum in Dominum, numne potuiſſet cuivis inferre hanc fidem, tam immediate quam mediate, immediate per abſolutam ſuam potentiam, & irreſiſtibilem ejus operationem, quæ continua eſt, ut homo ſalvetur; aut mediate per cruciatus conſcientiæ ejus injectos, per lethiferas corporis convulſiones, & graves minas mortis, ſi non recipit; ac inſuper per aperitionem inferni, & inde præſentiam diabolorum tenentium in manibus terrificas faces, aut per evocationem mortuorum, quos cognoverant, inde, ſub imagine terribilium ſpectrorum; ſed his reſpondetur ex verbis Abrahami ad divitem in Inferno, *ſi Moſen & Prophetas non audiunt, nec ſi quis e mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur*, Luc. XVI: 31.

501. Quæritur hodie, cur non Miracula fiunt quemadmodum olim, nam creditur, quod ſi fierent, quiſque corde agnoſceret: ſed quod hodie non fiant ſicut prius, eſt cauſa, quia Miracula cogunt, & auferunt liberum arbitrium in ſpiritualibus, & hominem a ſpirituali faciunt naturalem; omnes in Chriſtiano orbe poſt Adventum Domini poteſt ſpiritualis fieri, & ſpiritualis fit unice ab Ipſo per Verbum, & facultas ad hoc periret, ſi homo per Miracula adduceretur ad credendum, quoniam hæc, ut ſupra dictum eſt, cogunt & auferunt ei liberum Arbitrium in ſpiritualibus, & omne coactum in talibus ſe infert in naturalem hominem, & occludit ſicut oſtio ſpiritualem, qui vere eſt Internus homo, & orbat hunc omni potentia videndi aliquod verum in luce, quare poſtea de ſpiritualibus ratiocinaretur ex ſolo naturali homine, qui omne vere ſpirituale videt inverſe. Quod autem ante Adventum Domini facta ſint Miracula, fuit cauſa, quia tunc homines Eccleſiæ erant naturales, quibus ſpiritualia, quæ ſunt internæ Eccleſiæ, non potuerunt aperiri, nam ſi aperirentur, prophanaviſſent illa; quare etiam omnis Cultus illorum conſiſtebat in Ritualibus, quæ Repræſentabant & ſignificabant interna Eccleſiæ, & hi non potuerunt adduci ad illa rite obcunda, quam per Miracula; & quod ne quidem per miracula, quia repræſentativis illis inerat internum ſpirituale, patet a filiis Iſraelis in deſerto, qui tametſi tot Miracula viderunt in Ægypto, & poſtea maximum illud ſuper Monte Sinai, uſque poſt menſem dierum abſente Moſe, ſaltaverunt circum Vitulum aureum, ac vociferati quod ille eduxerit illos ex Ægypto; conſimilia facta ſunt ab illis in terra Canaan, tametſi viderunt excellentia miracula per Eliam & Eliſæum facta, & demum ipſa Divina a Domino. Miracula non fiunt hodie, imprimis propter hanc cauſam, quia Eccleſia omne Liberum arbitrium homini adempſit, & hoc adempſit per hoc, quod ſanciverit, quod homo prorſus nihil conferre poſſit ad accipiendum fidem, nec quiſquam ad converſionem, & in genere ad ſalutem, videatur ſupra, n: 464; homo qui hæc credit, fit plus & plus naturalis, & naturalis homo, ut ſupra dictum eſt, omne ſpirituale ſpectat inverſe, & inde cogitat contra illud, Regio ſuperior mentis hominis, ubi Liberum arbitrium in ſpiritualibus primario reſidet, occluderetur, & ſpiritualia, quæ per miracula quaſi confirmata ſunt, Regionem inferiorem mentis, quæ mere naturalis eſt, occuparent, remanentibus ſic ſupra hanc falſis de fide, converſione & ſalute, inde fieret, quod Satanæ habitarent ſupra, ac Angeli infra, ſicut vultures ſuper gallinis, inde poſt aliquod tempus ſatanæ rumperent repagulum, & cum furore erumperent in ſpiritualia, quæ infra locum ſortita ſunt, & illa non modo negarent, ſed etiam blaſphemarent & prophanarent; inde fore hominis poſterior multo pejor priori fieret.

502.

502. Homo, qui per falſa de ſpiritualibus Eccleſiæ factus eſt naturalis, non poteſt aliter de Divina Omnipotentia cogitare, quam quod ſit ſupra ordinem, ita de Omnipotentia Divina abſque Ordine, quare in veſana hæc laberetur: Cur adventus Domini in Mundum, & cur ſic Redemptio, cum Deus ex ſua Omnipotentia potuiſſet idem e Cælo, ut ſuper terra, efficere; cur per Redemptionem non ſalvaviſſet totum humanum Genus nullo exempto, & cur diabolus poſtea poſſit valere ſupra Redemptorem apud hominem; cur Infernum; numne Deus ex Omnipotentia ſua potuiſſet & poſſit id delere; aut omnes inde educere & facere angelos cæli; cur Ultimum Judicium, numne poteſt omnes hircos e ſiniſtris transferre ad dextrum, & facere illos oves: cur Angelos draconis & ipſum draconem dejecit e Cælo, & non mutavit illos in Angelos Michaelis: cur non his & illis dat fidem, & imputat juſtitiam Filii, & ſic remittit peccata, & illos juſtificat & ſanctificat: cur non beſtias terræ, aves cæli, & piſces maris facit loqui, & illis dat intelligentiam, & ſimul cum hominibus introducit in Cælum: cur non totum orbem terrarum fecerat, aut adhuc facit, Paradiſum, in quo nulla eſſet arbor ſcientiæ boni & mali, nec ſerpens, & ubi omnes colles fluerent generoſis muſtis, & producerent aurum & argentum, utrumque nativum, utque omnes ibi in jubilis & cantibus, & ſic in perpetuis feſtivitatibus & gaudiis, ut imagines Dei, viverent; nonne hæc forent digna Deo Omnipotente; præter ſimilia alia. Sed, mi amice, omnia illa ſunt vaniloquia; Divina Omnipotentia non eſt ſine ordine, Ipſe Deus eſt Ordo, & quia ex Deo, etiam ex Ordine, in Ordine, & ad Ordinem, omnia creata ſunt; eſt ordo in quem homo factus eſt, qui eſt ut ex Libero Arbitrio in ſpiritualibus ejus benedictio aut ejus maledictio pendeat; nam, ut ſupra dictum eſt, homo abſque Libero Arbitrio non potuit creari, ne quidem beſtia, avis & piſcis, ſed Beſtiæ in ſolo Libero Arbitrio naturali, at Homo in Libero Arbitrio naturali & ſimul ſpirituali.

503. His adjicientur hæc MEMORIABILIA; PRIMUM: 'Audivi quod indictum ſit Comitium, in quo diliberaturi eſſent de Libero Arbitrio hominis in ſpiritualibus, hoc fuit in Mundo ſpirituali; aderant ex omni plaga docti, qui in Mundo, in quo prius vixerunt, de illo cogitaverant, ac multi ex illis, qui in Conſiliis & Conciliabulis tam ante Nicænum, quam poſt illud fuerant; congregati ſunt in quodam Templo rotundo ſimili Templo Romæ, quod vocatur Pantheon, quod prius fuerat conſecratum Cultui omnium deorum, & poſtea inauguratum Cultui omnium Sanctorum Martyrum a Solio Papali; in hoc Templo ad parietes etiam erant ſicut Altaria, ſed ad quodlibet ſubſellia, ſuper quæ congregati ſe repoſuerunt, ac cubitis innitebantur altaribus ſicut totidem menſis; non erat deſignatus aliquis Præſes, qui ageret Primatem apud illos, ſed ſinguli, cum lubitus illos afflavit, eruperunt in medium, & ex pectore effuderunt & evulgarunt ſuum ſancitum; & quod miratus ſum, omnes, qui in illo Comitio erant, pleni erant confirmationibus pro plenaria hominis impotentia in ſpiritualibus, ita ſubſannatores Libri Arbitrii in illis. Quando congregati ſunt, en ſubito erupit unus in medium, & alta voce exſpiravit hoc; non eſt aliquod Liberum Arbitrium homini in ſpiritualibus, plus quam fuit uxori Lothi, poſtquam converſa eſt in ſtatuam ſalis, ſi enim homini foret liberum arbitrium plus, ſane ex ſe ſibi vindicaret fidem Eccleſiæ noſtræ, quæ eſt, quod Deus Pater illam gratis ex toto Libero & Beneplacito det cui vult & quando vult, hoc beneplacitum & illud gratuitum nullatenus foret Deo, ſi homo ex quodam libero aut beneplacito illam ſibi quoque poſſet vindicare, ſic etenim Fides noſtra, quæ eſt Sidus lucens coram nobis diu &

noctu, diſſiparetur ſicut ſtella caduca in aerem. Poſt hunc alius ex ſuo ſubſellio erupit, & dixit, non eſt homini plus Liberi arbitrii in ſpiritualibus quam eſt beſtiæ, imo cani; quoniam ſi id foret homini, faceret bonum a ſeipſo, cum tamen omne bonum eſt a Deo, & homo nihil ſibi ſumere poteſt quod non datum ſit e Cælo. Poſt hunc exſiluit unus e ſolio ſuo, & in medio extulit vocem, dicens, quod homini non plus liberi arbitrii ſit in ſpiritualibus, etiam in perſpiciendis illis, quam eſt Noctuæ in die, imo quam eſt pullo adhuc latenti in ovo, eſt omnino in illis cæcus ſicut talpa, nam ſi foret lynceus in perſpiciendo illa, quæ fidei, ſalutis & vitæ æternæ ſunt, credidiſſet quod ipſe ſemet poſſet regenerare & ſalvare, & quoque conaretur id, & ſic cogitata & facta ſua meritis & meritis prophanaret. Iterum alius excurrit in medium, ac edidit hoc effatum, quod qui opinatur, ſe poſſe velle ac intelligere aliquid in ſpiritualibus poſt lapſum Adami, inſaniat & fiat maniacus, quoniam tunc crederet ſe deaſtrum aut numen, poſſidentem partem potentiæ Divinæ in ſuo jure. Poſt hunc anhelavit alter in medium, portans ſub ulna Librum, in cujus orthodoxiam, ut illam vocavit, Evangelici hodie jurant, FORMULA CONCORDIÆ, vocatum, & aperuit illum, & inde legit ſequentia, *Quod homo ad bonum prorſus corruptus & mortuus ſit, ita ut in hominis natura poſt lapſum ante regenerationem ne ſcintilla quidem ſpiritualium virium manſerit aut reſtet, quibus ille ad gratiam Dei præparari, aut oblatam apprehendere, aut ejus gratiæ ex ſe & per ſe capax eſſe, aut in ſpiritualibus, intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, agere, operari, cooperari, aut ſe ad gratiam applicare aut accommodare, aut aliquid ad converſionem, vel ex dimidia, vel ex minima parte ex ſe poteſt. Quodque homo in ſpiritualibus, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, ſit inſtar ſtatuæ ſalis uxoris Lothi, ac ſimilis trunco aut lapidi vita carenti, quæ non oculorum, oris, aut ullorum ſenſuum uſum habent. Quod uſque loco motivam potentiam habeat, ſeu externa membra regere, ad Cœtus publicos accedere, ac Verbum & Evangelium audire poſſit.* (Hæc in mea Editione, p. 656. 658. 661. 662. 663. 671. 672. 673, leguntur). Poſt hæc concurrerunt omnes, & ſimul exclamabant, hoc eſt vere orthodoxum. Ego adſtiti, & illa omnia intenſe audivi, & quia ſpiritu meo excandui, alta voce ſciſcitavi, ſi in ſpiritualibus facitis hominem ſtatuam ſalis, beſtiam, cæcum, & inſanum, quid tunc Theologica veſtra, ſuntne omnia & ſingula illa ſpiritualia; ad hoc poſt aliquod ſilentium reſpondebant; in Univerſa noſtra Theologia nihil quicquam eſt ſpirituale, quod ratio capit; Fides noſtra ibi unice eſt ſpiritualis; ſed hanc probe occluſimus, ne quis introſpiciat, & præcavimus ne aliquis radius ſpiritualis inde effluat, & coram intellectu appareat, & inſuper homo ad illam ne particulam ex aliquo ſuo arbitrio confert: Charitatem etiam ab omni ſpirituali removimus, & fecimus illam mere moralem, ſimiliter Decalogum: de juſtificatione, remiſſione peccatorum, regeneratione, & inde ſalvatione, nec aliquid ſpirituale tradimus, dicimus quod Fides operetur illas, ſed quomodo, prorſus non ſcimus; loco pœnitentiæ ſumſimus contritionem, quæ ne credatur ſpiritualis, removimus illam a fide quoad omnem tactum: de Redemptione nec adoptavimus niſi ideas pure naturales, quæ ſunt, quod Deus Pater Genus humanum concluſerit ſub damnatione, & quod Filius Ipſius damnationem illam in ſe ſuſceperit, & paſſus ſe cruce ſuſpendi, & quod ſic Patrem ſuum ad miſerationem adegerit, præter ſimilia plura, in quibus non deprehendes quicquam ſpirituale, ſed merum naturale. Sed tunc in excandeſcentia prius concepta continuavi dicendo, ſi homini non foret liberum arbitrium in ſpiritualibus, quid tunc foret homo niſi brutum, eminetne homo per illud ſuper brutis beſtiis; quid Eccleſia abſque illo niſi facies fullonis atra, in cujus oculis eſt gutta alba; quid Verbum abſque illo niſi codex inanis; quid frequentius ibi decitur & mandatur, quam quod homo amaturus ſit Deum, & quod amaturus ſit proximum, & quoque quod crediturus ſit, tum quod ſalus & vita ei ſit, quemadmo-

modum amat & credit; quis eſt cui non eſt facultas intelligendi & faciendi illa, quæ præcepta ſunt in Verbo, & quæ in Decalogo; quomodo potuiſſet Deus talia homini præſcribere & mandare, niſi ei data eſſet facultas. Dic alicui ruſtico, apud quem Mens per fallacias in Theologicis non præſtructa eſt, quod ne hilum plus quare truncus & lapis, poſſit intelligere & velle in rebus fidei & charitatis, & inde ſalutis, & ne quidem ad illa ſe applicare & accommodare, annon tunc ille toto pectore riſurus eſſet, & dicturus, quid inſanius, quid mihi tunc cum Sacerdote & ejus prædicatione, quid tunc Templum plus quam ſtabulum, & quid tunc Cultus plus quam aratio, oh quæ dementia ita loqui, eſt fatuitas ſupra fatuitatem; quis negat quod omne bonum ſit a Deo, nonne homini datum eſt facere bonum ex ſe a Deo; ſimile eſt credere. His auditis, clamaverunt omnes, nos loquuti ſumus ex orthodoxis orthodoxe, tu autem ex ruſticis ruſtice: at ſubito tunc fulmen illapſum eſt e cælo, quod ne conſumeret illos, turmatim eruperunt, & fugerunt inde, quiſque ad ſuam domum.

504. SECUNDUM MEMORABILE: Fui in viſu interiori ſpirituali, in quo ſunt ſuperioris Cæli Angeli, at tunc in Mundo ſpirituum; & vidi duos Spiritus non procul a me, a ſe tamen diſtantes, & appercepi, quod unus ex illis amaret bonum & verum, & per id conjunctus Cælo, & quod alter amaret malum & falſum, & per id conjunctus Inferno; acceſſi & convocavi illos, & ex ſonis & reſponſis illorum collegi, quod unus ſicut alter poſſet veritates percipere, perceptas agnoſcere, ita ex intellectu cogitare, & quoque determinare intellectualia ſicut placuit, & voluntaria ſicut lubuit, proinde quod uterque in ſimili libero Arbitrio eſſet quoad rationalia; & inſuper obſervavi, quod ex illo Libero in mentibus illorum appareret lucidum a primo viſu qui erat perceptionis, ad ultimum viſum qui erat oculi; ſed cum ille, qui malum & falſum amavit, ſibi relictus cogitaret, animadverti, quod ſicut fumus ab Inferno aſcenderet, ac lucidum, quod erat ſupra memoriam, exſtingveret, unde illi caligo ibi, ſicut mediæ noctis, tum etiam quod fumus ille accenſus arderet ſicut flamma, quæ illuminabat mentis regionem, quæ ſub memoria erat, ex quo cogitavit enormia falſa ex malis amoris ſui. Apud Alterum autem, qui amavit bonum & verum, cum ſibi relictus erat, vidi ſicut mitem flammam defluentem e Cælo, quæ illuminavit regionem mentis ejus ſupra memoriam, & quoque regionem infra illam uſque ad oculum, & quod lumen ex flamma illa ſplenderet plus & plus, ſicut ex amore boni percepit & cogitavit verum. Ex his viſis patuit mihi, quod cuivis homini, tam malo quam bono eſſet Liberum Arbitrium ſpirituale; ſed quod Infernum aliquoties exſtinguat illud apud malos, & quod Cælum exaltet & accendat illud apud bonos. Poſt hæc loquutus ſum cum utroque, & primum cum illo qui amavit malum & falſum, & poſt aliqua de ſorte ejus, cum nominavi Liberum arbitrium, excanduit, & dixit, ah, quæ veſania eſt credere, quod homini ſit Liberum arbitrium in ſpiritualibus, quis homo poteſt fidem ſibi aſſumere, & bonum facere a ſe, docetne Sacerdotium hodie ex Verbo, quod nemo poſſit ſumere quicquam niſi datum ſit e Cælo, & Dominus Chriſtus dixit ad ſuos Diſcipulos, ſine Me non poteſtis facere quicquam, quibus hoc addo, quod nemo poſſit movere pedem, nec manum ad faciendum aliquod bonum, nec movere linguam ad loquendum aliquod verum ex bono, quare Eccleſia ex ſapientibus ſuis concluſit, quod homo non poſſit velle, intelligere, & cogitare aliquod ſpirituale, & ne quidem ſe accommodare ad volendum, intelligendum & cogitandum illud, plus quam ſtatua, truncus & lapis, & quod ideo a Deo, cui Soli eſt Potentia liberrima & illimitata, ex beneplacito inſpiretur fides, quæ abſque omni opera & potentia noſtra, operante Spiritu Sancto, producit omnia, quæ inerudıti addicunt homini. Deinde loquutus ſum cum Altero, qui amavit bonum & verum, & poſt aliqua de ſorte ejus, cum nominavi Liberum Arbitrium, dixit ille, quæ veſania eſt negare Liberum arbitrium in ſpiritualibus, quis non poteſt

velle & facere bonum, ac cogitare & loqui verum ex ſe a Verbo, ita a Domino qui eſt Verbum; dixit enim, Facite fructus bonos, & credite in Lucem, & quoque amate vos invicem, & amate Deum; tum qui audit & facit præcepta mea, ille amat Me, & Ego amabo illum; præter millia ſimilia in toto Verbo: ad quod itaque Verbum, ſi homo nihil poſſet velle & cogitare, & inde facere & loqui, quod ibi mandatum eſt; abſque illa potentia apud hominem, quid foret Religio & Eccleſia, niſi ſicut navis naufraga, quæ in fundo maris jacet, ſuper cujus mali ſummitate ſtat nauclerus, & clamat, non poſſum quicquam, & videt reliquos nautas in naviculis appenſis velis enavigare: nonne datum eſt Adamo Liberum edendi ex Arbore vitæ, & quoque ex Arbore ſcientiæ boni & mali, & quia ex Libero ſuo edit ex hac Arbore, fumus ex ſerpente, hoc eſt, Inferno, intravit mentem ejus, propter quod ejectus eſt e Paradiſo, & maledictus; & tamen non perdidit Liberum Arbitrium, nam legitur quod cuſtodita ſit a Cherubo via ad Arborem vitæ, quod niſi factum eſſet, potuiſſet adhuc velle ab illa edere. His edictis, Alter qui amavit malum & falſum, dixit, illa quæ audivi relinquo, retineo apud me quæ protuli, ſed quis non novit, quod ſolus Deus ſit vivus & inde activus, & quod homo ex ſe ſit mortuus, & inde mere paſſivus, quomodo talis, qui in ſe mortuus & mere paſſivus eſt, poteſt ſibi aſſumere aliquod vivum & activum: ad hoc reſpondi, homo eſt Organum vitæ, & Deus Solus eſt Vita, & Deus infundit ſuam vitam Organo & ſingulis ejus, ſicut Sol infundit calorem ſuum Arbori & ſingulis ejus, & Deus dat ut homo ſentiat illam vitam in ſe ut ſuam, ac ita ſentire, vult Deus, propter cauſam, ut homo ſecundum Leges ordinis, quæ totidem ſunt quot præcepta in Verbo, ſicut ex ſe vivat, & ſe diſponat ad recipiendum Amorem Dei; at uſque Deus perpetuo tenet digito perpendiculum ſupra libram, & moderatur, at nuſquam violat Liberum arbitrium cogendo: non poteſt Arbor aliquid recipere, quod Calor ſolis per radicem infert, niſi tepeſcat ac caleſcat quoad ſingula fila ſua, nec poſſunt elementa per radicem exſurgere, niſi ſingula fila ejus ex recepto calore etiam calorem exſpirent, & ſic conferant ad tranſitum; ſimiliter homo ex recepto calore vitæ a Deo; ſed hic ſecus ac Arbor ſentit illum ut ſuum, tametſi non eſt ejus; at quantum credit quod ejus ſit, & non Dei, tantum recipit lucem vitæ, non autem calorem amoris a Deo, ſed calorem amoris ab Inferno, qui quia craſſus eſt, obſtruit & occludit puriores ramuſculos Organi, ſicut ſanguis impurus vaſa capillaria corporis; ita homo ſe facit a ſpirituali mere naturalem. Liberum Arbitrium homini inde eſt, quod ſentiat vitam in ſe ſicut ſuam, & quod Deus relinquat homini ita ſentire, ut fiat conjunctio, quæ non dabilis eſt niſi ſit reciproca, ac reciproca fit dum homo ex Libero prorſus ut a ſe agit: ſi Deus id homini non reliquiſſet, homo nec foret homo, neque foret ei vita æterna, nam conjunctio reciproca cum Deo facit ut homo ſit homo & non beſtia, & quoque quod poſt mortem vivat in æternum; Liberum Arbitrium in ſpiritualibus hoc efficit. Hoc audito, malus ille Spiritus ſe removit ad diſtantiam, & tunc vidi ſerpentem volantem, qui vocatur preſter, ſuper quadam arbore, qui porrexit cuidam fructum inde; & tunc in ſpiritu acceſſi ad locum, & ibi loco ſerpentis viſus eſt monſtroſus homo, cujus faciem obtexit barba adeo, ut non exſtaret niſi naſus, ac loco arboris erat torris ignitus, ad quem ſtetit ille, cujus mentem prius intravit fumus, & poſtea Liberum Arbitrium in ſpiritualibus rejecit; & ſubito ſimilis fumus exivit ex torre, & circumfudit utrumque; & quia ſic ſubducti ſunt a viſu meo, abivi; alter vero, qui amabat bonum & verum, & aſſeruit, quod homini ſit liberum arbitrium in ſpiritualibus, me comitatus eſt domum.

505. Tertium Memorabile: Quondam audivi ſtridorem ſicut duorum lapidum molarium collidentium inter ſe; acceſſi ad ſonum, & evaneſcebat, & vidi anguſtam portam tendentem oblique deorſum ad quandam domum lacunatam, in qua erant plures Cameræ, in quibus cellulæ, in quarum unaquavis ſedebant duo, qui ex Verbo colligebant confirmantia pro juſtificatione per ſolam fidem, unus colligebat,

gebat, & alter ſcribebat, & hoc alternis. Acceſſi ad unam Cellulam, quæ prope oſtium erat, & quæſivi, quid vos colligitis & ſcribitis; dicebant, de ACTU JUSTIFICATIONIS ſeu de FIDE ACTU, quæ eſt ipſa Fides juſtificans, vivificans & ſalvans; & Caput doctrinarum Eccleſiæ in noſtro Chriſtianiſmo; & tunc dixi illi, dic mihi aliquod ſignum illius Actus, quando Fides illa in cor ac in animam hominis infertur; reſpondit, ſignum Actus illius eſt in momento, cum homo percitus dolore quod damnatus ſit, & cum in contritione illa eſt, cogitat de Chriſto, quod damnationem Legis abſtulerit, & hoc meritum Ipſius cum fiducia apprehendit, & cum hoc in cogitatione adit Deum Patrem & orat: tunc dixi, fit ita actus, & eſt hoc momentum: & quæſivi, quomodo comprehendam, quod dicitur de hoc Actu, quod ad illum non concurrat aliquid hominis, plus quam concurret, ſi foret ſtipes aut lapis, & quod homo quoad illum Actum nihil poſſit inchoare, velle, intelligere, cogitare, operari, cooperari, ſe applicare & accommodare; dic mihi, quomodo hoc cohæret cum dictis tuis, quod Actus tunc incidat, cum homo cogitat de jure legis, de damnatione ejus a Chriſto ſublata, de fiducia in qua apprehendit id Ipſius meritum, & in cogitatione de hoc adit Deum Patrem & orat, fiuntne omnia illa ab homine; ſed dixit, non fiunt active ab homine ſed paſſive; & reſpondi, quomodo poteſt quis cogitare, fiduciam habere, & orare paſſive; aufer homini activum & cooperativum tunc, annon etiam aufers receptivum, ita omne, & cum omni ipſum Actum, quid tunc fit tuus Actus, niſi pure ideale, quod vocatur ens rationis: ſpero, quod non credas cum quibuſdam talem Actum dari ſolum apud Prædeſtinatos, qui nihil quicquam de infuſione fidei apud ſe ſciunt; hi poſſunt ludere talis, & per id inquirere, num eis fides infuſa ſit vel non: quare, mi Amice, crede quod homo quoad fidem & charitatem operetur ex ſe a Domino, & quod abſque hac operatione tuus actus fidei, quem vocaſti Caput Doctrinarum Eccleſiæ in Chriſtianiſmo, non ſit niſi quam ſtatua uxor Lothi, tinniens ex mero ſale ſtricta penna ſcribæ, aut ungue digiti ejus; Luc. XVI: 32; hoc dixi, quia facitis vosmet ipſos quoad Actum illum ſimiles ſtatuis. Cum hæc dixi, ſumſit lychnuchum vi manus conjecturus in faciem meam, & ſubito tunc exſtincto lychno conjecit in frontem ſodalis, & abivi ridens.

506. QUARTUM MEMORABILE. Viſi ſunt in Mundo Spirituali duo Greges, unus erat ex HIRCIS, & alter ex OVIBUS: miratus ſum, quinam eſſent, quippe novi, quod Animalia viſa in Mundo ſpirituali, non ſint Animalia, ſed quod ſint Correſpondentiæ affectionum & inde cogitationum ex illis qui ibi ſunt; quare acceſſi propius, & ſicut acceſſi, diſparatæ ſunt ſimilitudines animalium, & loco illorum viſi ſunt Homines; & manifeſtatum eſt, quod qui faciebant Gregem hircorum, eſſent, qui ſe confirmaverunt in Doctrina Juſtificationis per Solam Fidem, & qui faciebant Gregem Ovium eſſent, qui crediderunt, quod Charitas & Fides, unum ſint, ſicut Bonum & Verum unum ſunt. Et tunc loquutus ſum cum illis, qui viſi ſunt ſicut Hirci, & dixi, cur ita congregati eſtis; erant plerique ex Clero, qui gloriati ſunt ex fama eruditionis, quia noverunt Arcana juſtificationis per ſolam fidem; dixerunt, quod congregati ſint, ut ſedeant Concilium, quia audiverunt, quod Dictum Pauli Rom. III: 28, *Quod homo Fide juſtificetur ſine Operibus legis*, non rite intellectum ſit, quoniam per Fidem ibi non intellexit Fidem hodiernæ Eccleſiæ, quæ eſt in Tres Perſonas Divinas ab æterno, ſed Fidem in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum; & per Opera Legis non intellexit Opera Legis Decalogi, ſed Opera Legis Moſaicæ quæ pro Judæis, & quod ſic ex paucis illis vocibus binas falſitates enormes per ſiniſtram interpretationem concluſerint, quæ ſunt, quod intellexerint Fidem hodiernæ Eccleſiæ, & quod Opera Legis Decalogi; quod Paulus hæc non intellexerit, ſed Opera Legis Moſaicæ, quæ erant pro Judæis, conſtat clare ex Ipſius verbis ad Petrum, quem increpavit quod Judaizaret, cum tamen ſciret, *quod nemo per Opera Legis juſtificetur, ſed per fidem Jeſu Chriſti*, Gal. II: 14.

14. 15; per fidem Jeſu Chriſti, eſt per fidem in Ipſum & ab Ipſo, videatur ſupra n: 238; & quia per Opera legis intellexit opera Legis Moſaicæ, ideo diſtinxit inter Legem fidei & Legem operum, ac inter Judæos & Gentes, ſeu Circumciſionem & Præputium, & per Circumciſionem ſignificatur Judaismus, ut ubivis alibi, & quoque claudit illa per hæc verba, *Ergone Legem abrogamus per Fidem, abſit, ſed Legem ſtabilimus;* hæc omnia in una ſerie dicit, Rom. III: 27. 8. 29. 30. 31; & quoque dicit in Capite quod præcedit; *Non auditores Legis juſtificabuntur, a Deo, ſed factores Legis juſtificabuntur*, Rom. II: 13; tum, *Quod Deus reddet unicuique ſecuudum Opera ejus*. Rom: II: 6; & adhuc, *Omnes nos manifeſtari oportet coram Tribunali Chriſti, ut reportet quilibet ea, quæ per Corpus fecit, ſive bonum ſive malum*, II. Cor. V: 10; præter plura apud Illum; ex quibus patet, quod Paulus rejecerit Fidem abſque bonis Operibus, æque ac Jacobus, Epiſt. Cap. II: 17 ad 26. Quod a Paulo intellecta ſint Opera Legis Moſaicæ, quæ pro Judæis, inſuper confirmati ſumus ex eo, quod omnia Statuta pro Judæis apud Moſen dicantur Lex, ita Opera legis, quod vidimus ex his, *Hæc lex Minchæ*, Lev. VII: 7. 11 ſeq. *Hæc Lex pro Holocauſto, pro Mincha, pro Sacrificio peccati & reatus, pro Impletionibus*, Lev. VII: 38. *Hæc Lex Beſtiæ & Avis*. Lev. XI: 46 ſeq. *Hæc Lex parientis pro filio aut filia*. Lev. XII: 7. *Hæc Lex lepræ*, Lev. XIII: 59. Cap. XIV: 2. 32. 54. 57. *Hæc Lex fluxu affecti*, Lev. XV: 31. *Hæc Lex Zelotypiæ*, Num. V: 29. 30. *Hæc Lex Naziræi*, Num. VI: 13. 21. *Hæc Lex mundationis* Num. XIX: 14. *Hæc Lex de Vacca rufa*, Num. XIX: 2. *Lex pro Rege*, Deut. XVII: 15 ad 19; imo *totus Liber Moſis vocatur Liber Legis*, Deut. XXXI: 9. 11. 12. 26. & quoque Luc. II: 22. Cap. XXIV: 24. Joh. I: 46. Cap. VII: 22. 23. Cap. VIII: 5. His quoque addiderunt, quod viderint apud Paulum, quod Lex Decalogi vivenda ſit, & quod impleatur a Charitate, Rom. XIII: 8. 9. 10. 11, tum quod dicat, *quod ſint tria, Fides, Spes & Charitas, & quod harum maxima ſit Charitas*, 1 Cor. XIII: 13, ita non Fides. Dixerunt, quod propter hæc convocati fuerint. Sed ne turbarem illos, receſſi; & tunc iterum e longinquo viſi ſunt ſicut Hirci, & quandoque ſicut cubantes, & quandoque ſicut ſtantes, ſed avertebant ſe a Grege ovium; ſicut Cubantes apparebant cum deliberabant, & ſicut Stantes cum concludebant; at viſum meum tenui in Cornibus illorum, & miratus ſum, quod Cornua in frontibus illorum, nunc apparerent ſicut porrecta antrorſum & ſurſum, nunc incurvata retrorſum verſus tergum, & tandem prorſus reflexa; & tunc ſubito ſe convertebant ad Gregem Ovium, ſed uſque apparebant ut Hirci; quare iterum acceſſi, & interrogavi quid nunc; dixerunt quod concluſerint, quod Sola Fides producat Bona Charitatis, ſicut Arbor producit Fructus: at tunc auditum eſt tonitru, & viſum eſt fulmen deſuper; & mox apparuit Angelus, ſtans inter binos illos Greges, & clamavit ad Gregem ovium, ne auſcultate, non receſſerunt a Fide ſua priore, quæ eſt, quod Sola Fides juſtificet & ſalvet, & prorſus nihil actualis Charitas; nec Fides eſt Arbor, ſed homo eſt Arbor; at pœnitentiam agite, & ſpectate ad Dominum, & habebitis Fidem; Fides ante illud, non eſt Fides, in qua aliquod vivum eſt. Voluerunt tunc Hirci reflexe cornuti accedere ad Oves; ſed Angelus ſtans inter illos, dividebat Oves in binos Greges; & dixit illis a ſiniſtris, adjungite vos Hircis, ſed dico vobis, quod venturus ſit Lupus, qui rapiet illos, & vos cum illis.

Sed poſtquam ſeparati ſunt bini Greges ovium, & illi a ſiniſtris audiverunt minacia verba Angeli, inſpexerunt ſe mutuo & dixerunt, colloquamur cum priſtinis conſociis noſtris; & tunc ſiniſter Grex loquebatur ad dextrum, dicens, cur receſſiſtis a Paſtoribus noſtris, annon Fides & Charitas unum ſunt, ſicut Arbor & Fructus unum ſunt, Arbor enim per ramos continuatur in fructus, divellite aliquid e ramo, per quod arbor per continuum influit in fructum, annon periturus eſt fructus, & una cum fructu omne ſemen denuo naſcituræ alicujus Arboris; quærite noſtros Sacerdotes annon ita ſit; & tunc quæſiverunt, & circumſpexerunt

ad

ad reliquos, qui nictabant palpebris, ut dicerent, quod bene loquantur; & poſthac reſponderunt, bene loquuti eſtis, at quod attinet continuationem fidei in bona opera, ſicut arboris in fructus, multa arcana novimus, quæ propalare non hujus loci eſt, in vinculo ſeu filo Fidei & Charitatis, ſunt plures noduli, quos nos ſacerdotes ſolum ſolvere poſſumus. Et tunc unus ex ſacerdotibus, qui erat inter oves a dextris, ſurrexit & dixit, reſponderunt ad vos, quod ita ſit, ſed ad ſuos quod non ita ſit, aliter enim cogitant: quare quæſiverunt, quomodo tunc cogitant, cogitantne ſicut docent; dixit ille, non, cogitant quod omne bonum charitatis, quod vocatur bonum opus, quod fit ab homine propter ſalutem ac vitam æternam, non in minima parte ſit bonum, ex cauſa, quia homo per opus a ſe vult ſemet ipſum ſalvare, vindicando ſibi juſtitiam & meritum unius Salvatoris, & quod ita ſit cum omni bono Opere, in quo homo ſentit ſuam voluntatem, quare aſſerunt quod prorſus nulla conjunctio fidei & charitatis ſit, & ne quidem quod Fides per bona opera retineatur & conſervetur. Sed dixerunt e Grege ſiniſtro, loqueris mendacia contra illos, prædicantne Charitatem & ejus Opera, quæ vocant Opera fidei, coram nobis manifeſte; & ille reſpondit, non intelligitis Prædicationes illorum, ſolum Clericus, qui adeſt, attendit & intelligit, cogitant modo Charitatem moralem, & Bona ejus civilia & politica, quæ vocant fidei, & prorſus non ſunt, homo enim atheus poteſt illa ſimiliter & ſub eadem forma facere; quare unanimiter dicunt, quod nemo per aliqua opera ſalvetur, ſed per ſolam fidem: verum illuſtretur hoc per comparationes; Quod Arbor pomifera producat poma, ſed ſi homo facit bona propter ſalutem, ſicut arbor illa poma per continuum, tunc poma illa intus putida ſunt, & plena vermibus: dicunt etiam quod Vitis producat uvas, ſed ſi homo facturus eſſet bona ſpiritualia, ſicut vitis uvas, faceret labruſcas. At tunc quæſiverunt, qualia illis ſunt bona Charitatis ſeu opera quæ ſunt fructus fidei, reſpondit, quod forte ſint inconſpicua alicubi prope fidem, cui tamen non cohærent, ſunt ſicut umbra, quæ a tergo ſequitur hominem, quando ſpectat ad ſolem, quam umbram non animadvertit, niſi ſe convertat; imo poſſum dicere, quod ſint ſicut caudæ equinæ, quæ hodie pluribus in locis amputantur, dicentes, quid cum illis, ad nihil conducunt, ſi adhærent equo, facile inquinantur; his auditis aliquis ex ſiniſtro grege ovium indignatus dixit, omnino eſt aliqua conjunctio, quomodo alioquin poſſunt vocari opera fidei, forte bona charitatis a Deo inſinuantur in opera voluntaria hominis per aliquem influxum, ut per aliquam affectionem, aſpirationem, inſpirationem, incitationem & excitationem voluntatis, tacitam perceptionem in cogitatione, & inde exhortationem, contritionem & ſic conſcientiam, & inde adactionem, obedientiam Decalogi & Verbi, ſicut infans aut ſicut ſapiens, aut per aliud quoddam medians illis ſimile, quomodo alioquin poſſunt vocari fructus fidei; ad hæc reſpondit Sacerdos, quod non, & ſi dicunt quod per tale quid fiat, uſque confarciunt id in ſermonibus cum vocibus, ex quibus reſultat, quod non ex Fide; quidam uſque tradunt talia, ſed UT SIGNA FIDEI, NON AUTEM UT VINCULA EJUS CUM CHARITATE; Aliqui tamen excogitaverunt conjunctionem per Verbum; & tunc dixerunt, annon ſic conjunctio, ſed reſpondit, non hoc cogitant, ſed modo per auditum Verbi, aſſerunt enim, quod omne rationale, & omne voluntarium hominis in rebus fidei ſit impurum & meritorium, quoniam homo in ſpiritualibus non poteſt aliquod intelligere, velle, operari, cooperari, plus quam ſtipes. Sed unus cum audivit, quod credatur homo talis in omnibus quæ fidei & ſalutis ſunt, dixit, audivi quendam dicentem, plantavi vineam, nunc bibam vinum uſque ad ebrietatem, ſed quæſivit alter, num bibiturus es vinum ex tuo ſchypho per tuam dextram, & dixit, non, ſed ex ſchypho inconſpicuo per manum inconſpicuam, & reſpondit alter, certe tunc non inebriaberis; mox idem vir dixit, ſed me audite quæſo, ego dico vobis, bibite Vinum ex Verbo intellecto, noſtiſne quod Dominus ſit Verbum, eſtne Verbum ex Domi-

ſio,

ſto, eſtne ſic Ipſe in illo, ſi ergo facitis bonum ex Verbo, facitiſne id ex Domino, ex Ipſius ore & voluntate, & ſi tunc ſpectatis ad Dominum, etiam Ipſe vos ducet & docebit, & vos facietis illud ex vobis a Domino; quis poteſt dicere, qui facit aliquid a Rege, illius ore & mandato, hoc facio ex meo ore ſeu mandato, & ex mea voluntate. Poſt hæc convertit ſe ad Clerum, & dixit, Miniſtri Dei, ne ſeducite Gregem. His auditis, maxima pars Gregis ſiniſtri receſſit, & Gregi dextro ſe adunivit. Aliqui tunc ex Clero dicebant, audivimus quæ non prius, ſumus Paſtores, non relinquemus Oves, & receſſerunt una cum illis; & dicebant, hic Vir loquutus eſt Verbum verum, quis dicere poteſt, qui facit ex Verbo, ita ex Domino, Ipſius ore & voluntate, hoc facio ex me; quis dicit, qui facit ex Rege, illius ore & voluntate, hoc facio ex me. Nos videmus nunc Divinam Providentiam, cur non inventa fuit Fidei & bonorum Operum conjunctio, quæ ab Eccleſiaſtica Societate agnita eſt; non potuit inveniri, quia non potuit dari, non enim fuit Fides in Dominum, qui eſt Verbum, & inde nec fuit Fides e Verbo. Sed reliqui Sacerdotes, qui erant ex Grege hircorum, abibant, & vibrabant pileos ſuos, & clamabant, Sola Fides, Sola Fides, vivet uſque.

507. Quintum Memorabile. Eram in ſermone cum Angelis, & denique de Concupiſcentia mali, in qua quiſque homo eſt ex nativitate, dixit unus quod in Mundo ubi eſt, appareant illi qui in concupiſcentia ſunt, nobis angelis ſicut fatui, ſed illi ſibi ipſis tunc ſicut ſumme ſapientes, quapropter ut ex fatuitate ſua extrahantur, per vices remittuntur in illam, & per vices in rationale, quod apud illos in externis eſt, & in hoc ſtatu vident, agnoſcunt & confitentur inſaniam ſuam, at uſque e ſtatu rationali ſuo in ſtatum inſanum ſuum diſcupiunt, & quoque ſe in hunc immittunt, ſicut a coacto & injucundo in liberum & jucundum; ita concupiſcentia interius oblectat illos, & non intelligentia. Sunt tres Amores univerſales, ex quibus a Creatione conflatus eſt omnis homo, Amor proximi, qui etiam eſt Amor faciendi uſus, hic amor eſt ſpiritualis; Amor Mundi, qui etiam eſt amor poſſidendi opes, hic amor eſt materialis; ac Amor ſui, qui etiam eſt amor imperandi ſuper alios, & hic amor eſt corporeus: Homo eſt vere homo, dum Amor proximi, ſeu amor faciendi uſus, facit Caput, & Amor Mundi ſeu amor poſſidendi opes facit Pectus & Ventrem, ac Amor ſui ſeu amor imperandi facit Pedes & Plantas eorum; at ſi Amor mundi facit Caput, homo non eſt homo aliter quam ſicut gibboſus; at ſi Amor ſui facit Caput, non eſt ſicut homo ſtans ſuper pedibus, ſed ſicut ſuper palmis manuum capite deorſum & clunibus ſurſum. Quando Amor faciendi uſus facit Caput, ac reliqui duo amores faciunt ordine corpus & pedes, apparet ille homo in Cælo facie angelica, cum pulchra iride circum caput; at ſi amor Mundi ſeu opum facit Caput, apparet ille e Cælo facie pallida ſicut mortui cum circulo flavo circum Caput; ſi vero amor ſui ſeu imperandi ſuper alios facit Caput, apparet ille e Cælo facie ignitim furva, cum circulo albo circum Caput. Ad hæc quæſivi, quid repræſentant Circuli circum capita, reſpondebant, repræſentant intelligentiam; circulus albus circum Caput faciei ignitim furvæ, repræſentat, quod intelligentia ejus in externis ſit, ſive circum illum, at inſania in internis ſeu in illo; etiam homo, qui talis, ſapit cum in corpore eſt, at inſanit, dum in ſpiritu; & nullus homo ſapit ſpiritu, niſi a Domino, quod fit cum denuo ab Ipſo generatur & creatur. His dictis aperiebatur terra ad ſiniſtrum, & per aperturam vidi aſſurgentem Diabolum facie ignitim furva cum circulo albo circum Caput, & ſciſcitavi, quis es, dixit, ſum Lucifer filius auroræ, & quia ſimilem me feci Altiſſimo, dejectus ſum, ſicut deſcribor Eſaj. XIV; at non fuit ille Lucifer, ſed credidit ſe eſſe illum; & dixi, cum dejectus es, quomodo potes reſurgere ex Inferno, & reſpondit, ſum ibi Diabolus, at hic ſum Angelus lucis, videſne Caput meum cingulo albo cinctum, & quoque, ſi vis, videbis, quod ſim moralis inter morales, ac rationalis inter rationales, imo ſpiritualis inter ſpirituales;

les; potui etiam concionari; quæſivi, quomodo concionatus es, dixit contra defraudatores, contra adulteros, & contra omnes amores infernales, imo tunc me Luciferum vocavi Diabolum, & pejeravi contra me illum, & propterea laudibus evectus ſum ad Cælum, inde eſt quod vocatus ſim filius auroræ; & quod ipſe miratus ſum, cum ſuper pulpito eram, non cogitavi aliter, quam quod recte & rite loquerer; ſed cauſa mihi detecta eſt, hæc, quia in externis fui, & hæc tunc ſeparata fuerunt ab internis meis; & tametſi hoc mihi detectum eſt, uſque non potui immutare me, quia ſupra Altiſſimum me evexi, & contra Illum me extuli; dein quæſivi, quomodo potuiſti ita loqui, cum es ipſe defraudator, & ipſe adulter, reſpondit, ſum alius dum in externis ſeu in corpore ſum, & alius dum in internis ſeu in ſpiritu, in corpore ſum Angelus, ſed in ſpiritu Diabolus, in corpore enim ſum in intellectu, in ſpiritu autem ſum in voluntate, ac intellectus me fert ſurſum, at voluntas me fert deorſum; & dum in intellectu ſum, Cingulum album circumvelat Caput meum, at dum intellectus ſe prorſus emancipat voluntati, & fit ejus, quæ eſt ſors noſtra ultima, tunc nigreſcit cingulum, ac diſparatur, quo facto, non poſſum amplius in lucem hanc aſcendere. Sed ſubito, ut vidit Angelos apud me, inflammatus eſt facie & voce, & factus eſt niger, etiam quoad cingulum circum Caput, & per aperturam, per quam ſurrexit, delapſus eſt in Infernum. Adſtantes ex illis viſis & auditis fecerunt hoc concluſum, quod homo talis ſit, qualis eſt ejus Voluntas, & non qualis eſt ejus Intellectus, quoniam Voluntas Intellectum facile aufert in ſuas partes, & emancipat. Tunc quæſivi Angelos, unde rationalitas eſt diabolis, & dicebant, eſt ex gloria amoris ſui, nam amor ſui circumcingitur gloria, eſt enim hæc ſplendor ignis ejus, & gloria illa elevat intellectum pæne in lucem Cæli; nam Intellectus apud unumquemvis hominem elevabilis eſt ſecundum cognitiones, ſed non Voluntas niſi per vitam ſecundum Eccleſiæ & Rationis vera; inde eſt, quod ipſi Athei, qui in gloria famæ ex amore ſui ſunt, & inde in faſtu propriæ intelligentiæ, gaudeant rationalitate ſublimiore, quam multi alii, ſed tunc cum in cogitatione intellectus ſunt, non autem cum in amore Voluntatis, & amor Voluntatis poſſidet Internum hominem, at cogitatio intellectus Externum. Porro dixit Angelus cauſam, cur homo conflatus eſt ex tribus Amoribus, videlicet ex amore Uſus, ex amore Mundi, & ex amore Sui, cauſa eſt, ut homo cogitet a Deo, tametſi prorſus ut ex ſe; dixit, quod ſuprema in hominis Mente verſa ſint ſurſum ad Deum, media ibi extrorſum ad Mundum, ac infima ibi deorſum in corpus, & quia hæc verſa ſunt deorſum, cogitat homo prorſus ut ex ſe, cum tamen a Deo.

508. „SEXTUM MEMORABILE: Quodam die apparuit mihi Templum magnificum formæ quadratæ, cujus Tectum erat inſtar Coronæ, arcuarum ſupra, & elevatum circum circa; Parietes ejus erant continuæ Feneſtræ ex Chryſtallis, Porta ex ſubſtantia margaritica; intus ad latus meridionale occidentem verſus erat Suggeſtum, ſuper quo ad dextrum jacuit Verbum apertum cinctum ſphæra lucis, cujus ſplendor totum ſuggeſtum circuibat & illuminabat; in medio Templi erat Adytum, ante quod Velum, ſed nunc ſublatum, ubi ſtetit Cherubus ex auro cum enſe huc illuc ſe vibrante in manu. Hæc dum conſpicatus ſum, in meditationem meam, quid ſingula illa ſignificarent, influxit; videlicet, quod Templum illud ſignificaret Novam Eccleſiam; Porta ex ſubſtantia margaritica Introitum in illam; Feneſtræ ex Chryſtallis, Veritates, quæ illuſtrabant illam; Suggeſtum Sacerdotium & prædicationes; Verbum ſuper illo apertum, & ſuperiorem partem ſuggeſti illuminans, Senſum ejus internum qui ſpiritualis eſt, revelatum; Adytum in medio Templi, conjunctionem illius Eccleſiæ cum Cælo angelico; Cherubus ex auro inibi, Verbum in ſenſu literæ; Enſis ſe vibrans in manu ejus; ſignificabat quod hic ſenſus huc illuc verti poſſit, modo hoc fit applicate ad quandam Veritatem; quod Velum ante Cherubum eſſet ſublatum, ſignificabat

„ quod nunc patefactum ſit Verbum. Poſtea, cum propius acceſſi, vidi Scriptu-
„ ram ſuper Porta, hanc, NUNC LICET, quod ſignificabat, quod nunc liceat in-
„ tellectualiter intrare in Arcana fidei. Ex hac Scriptura viſa incidit in cogitatio-
„ nem meam, quod valde diſcriminoſum ſit intellectu intrare in dogmata fidei,
„ quæ ex propria intelligentia, & inde ex falſis, conflata ſunt, & plus adhuc illa
„ ex Verbo confirmare, inde occluditur Intellectus ſuperius, & pedetentim infer-
„ rius, in tantum, ut Theologica non modo faſtidiantur, ſed etiam obliterentur,
„ quemadmodum ſcriptura chartæ tineis, & lana panni blattis, permanente ſolum
„ intellectu in politicis quæ ſpectant vitam ſuam in dominio ubi eſt, & in civilibus
„ quæ functionis ejus ſunt, & in domeſticis quæ ejus domus ſunt, ac in his
„ & illis continue oſculatur naturam, & illam ex illecebris voluptatum ejus a-
„ mat, ſicut Idololatra aureum ſculptile in ſuo gremio. Nunc quia dogmata in
„ Eccleſiis Chriſtianis hodiernis non ex Verbo, ſed ex propria intelligentia, &
„ inde ex falſis, conflata ſunt, & quoque per aliqua ex Verbo confirmata, ideo
„ ex Divina Domini Providentia Verbum apud Romano-Catholicos ademptum eſt
„ Laicis, & apud Proteſtantes illud apertum, ſed uſque occluſum per commune
„ oris illorum effatum, quod Intellectus captandus ſit ſub obedientia fidei illorum.
„ At in Nova Eccleſia fit inverſum, in hac licitum eſt intellectu ingredi & pene-
„ trare in omnia ejus Secreta, & quoque per Verbum confirmare illa, cauſa eſt,
„ quia Doctrinalia ejus ſunt continuæ Veritates a Domino per Verbum detectæ,
„ & confirmationes illarum per rationalia efficiunt, ut Intellectus aperiatur ſupra
„ plus & plus, & ſic elevetur in lucem, in qua ſunt Angeli Cæli, & Lux illa in
„ ſua eſſentia eſt Veritas, & in hac Luce agnitio Domini pro Deo Cæli & Terræ
„ ſplendet in ſua gloria. Hoc intelligitur per Scripturam ſuper porta Templi,
„ NUNC LICET, & quoque per quod Velum adyti ante Cherubum ſublatum ſit; Ca-
„ non enim Novæ Eccleſiæ eſt, quod falſitates occludant intellectum, & quod
„ veritates aperiant illum. Poſt hæc vidi ſicut Infantem ſupra caput, tenens in
„ manu Chartam, ille ſicut ad me appropinquavit, ſuccrevit in ſtaturam mediocris
„ hominis, erat Angelus e Cælo tertio, ubi omnes e longinquo apparent ſicut In-
„ fantes; dum apud me erat, porrexit mihi Chartam, ſed quia literis circinnatis,
„ qualibus in illo Cælo, ſcripta erat, reſtitui, & petii, ut ipſi expromerent ſen-
„ ſum verborum ibi vocibus adæquatis ideis cogitationis meæ, & retulit, hoc ibi
„ ſcriptum eſt, INTRATE POSTHAC IN MYSTERIA VERBI HACTENUS OCCLUSI, NAM
„ SINGULÆ VERITATES EJUS SUNT TOTIDEM SPECULA DOMINI.

CAPUT NONUM

DE

PÆNITENTIA.

509. Poſt tranſactiones de Fide, Charitate, & de Libero Arbitrio, in nexu ſequitur de Pænitentia, quoniam vera Fides & genuina Charitas abſque Pænitentia non dabiles ſunt, & pænitentiam agere abſque Libero arbitrio nemo poteſt: quod hic de Pænitentia agatur, eſt quoque cauſa, quia ſequitur de Regeneratione, & nemo poteſt regenerari, priuſquam graviora mala, quæ hominem coram Deo deteſtabilem faciunt, remota ſunt, & hæc per Pænitentiam removentur; quid irregenitus niſi impænitens, & quid impænitens niſi ſicut qui in lethargia eſt, & ſcit nihil de peccato, & ideo fovet illud in ſinu ſuo, & illud quotidie oſculatur ſicut adulter ſcortum in lecto ſuo. Sed ut ſciatur quid Pænitentia, & quid efficit, tranſactio de illa diſpertienda eſt in Articulos.

Quod Pænitentia ſit Primum Eccleſiæ apud hominem.

510. Communio, quæ vocatur Eccleſia, conſiſtit ex totidem hominibus in quibus eſt Eccleſia; & Eccleſia apud hominem intrat quando regeneratur, & quiſque regeneratur per quod abſtineat a malis peccati, ac fugiat illa ſicut quis dum videt turmas infernales cum facibus in conatu illum adoriendi & ſuper pyram conjiciendi. Sunt plura, quæ hominem progredientem in primas ætates præparant ad Eccleſiam, & introducunt in illam; ſed quæ efficiunt illam apud hominem, ſunt actus pænitentiæ; actus pænitentiæ ſunt omnes illi, qui efficiunt, quod Mala, quæ peccata contra Deum ſunt, non velit, & inde non faciat, nam antequam hoc fit, homo ſtat extra regenerationem, & tunc ſi aliqua cogitatio ſubintrat de ſalute æterna, vertit ſe ad illam, ſed mox ſe avertit ab illa, non enim ulterius in hominem intrat quam in ideas ejus cogitationis, & inde exit in voces loquelæ, & forte etiam in aliquos geſtus loquelæ conformes; at vero dum in voluntatem intrat, tunc in homine eſt, voluntas enim eſt ipſe homo, quia amor ejus ibi habitat, at cogitatio eſt extra hominem, niſi hæc ex Voluntate ejus procedit, ſi hoc fit, tunc voluntas & cogitatio unum agunt, & ſimul faciunt hominem: ex his ſequitur, quod pænitentia ut ſit pænitentia, & efficiens in homine, oporteat ut ſit Voluntatis & inde cogitionis, & non ſolius cogitationis, proinde ut ſit actualis, & non duntaxat oralis. Quod Pænitentia ſit Primum Eccleſiæ, conſtat manifeſte ex Verbo, Johannes Baptiſta, qui fuit præmiſſus ad præparandum homines ad Eccleſiam, quam Dominus inſtauraturus erat, dum baptizavit, ſimul prædicavit pænitentiam, quare ejus Baptiſma vocabatur Baptiſma pænitentiæ, ex cauſa quia per Baptiſma ſignificabatur Lavatio ſpiritualis, quæ eſt ablutio a peccatis; hoc fecit in Jordane, quia Jordanes ſignificabat introductionem in Eccleſiam, erat enim primus terminus terræ Canaanis ubi Eccleſia: Ipſe Dominus etiam prædicavit Pænitentiam in remiſſionem peccatorum, per quod docuit, quod Pænitentia ſit Primum Eccleſiæ, & quod

quantum homo illam agit, tantum apud illum removeantur peccata, quod quantum hæc removentur, tantum remittantur: & insuper Dominus duodecim Apostolis, & quoque Septuaginta quos emisit, mandavit, ut prædicarent Pœnitentiam: ex quibus patet, quod primum Ecclesiæ sit Pœnitentia.

511. Quod apud hominem non prius Ecclesia sit, quam postquam apud illum remota sunt peccata, quisque potest ex ratione concludere, & hæc potest illustrari per has comparationes; quis potest in campos aut sylvas, in quibus sunt feræ omnis generis, introducere oves, hædos & agnos, antequam feras expulerit: & quis potest aliquam terram, spinis, sentibus & urticis obsitam præparare in Hortum, priusquam illas noxas exstirpaverit: quis potest in Urbem ab hostibus possessam inferre formam administrationis justitiæ ex judicio, & civitatem condere, priusquam hostes ejecerit: simile est cum malis apud hominem, quæ sunt sicut feræ, sicut sentes & spinæ, & sicut hostes, cum quibus Ecclesia non cohabitare potest plus quam quis potest habitare in Bestiario ubi sunt tigrides & leopardi; nec plus quam quis potest cubare in lecto, cui herbæ toxicatæ sunt substratæ, ac pulvinaribus insertæ; neque plus quam quis potest noctu dormire in Templo, sub cujus pavimento sunt sepulchra in quibus cadavera, numne illum ibi spectra sicut furiæ infestarent.

Quod Contritio, de qua hodie dicitur quod præcedat Fidem, & quam sequitur consolatio Evangelii, non sit Pœnitentia.

512. In Christiano Reformato Orbe traditur quædam species anxietatis, doloris, & terroris, quam vocant CONTRITIONEM, quæ apud regenerandos præcedit illorum fidem, & quam sequitur consolatio Evangelii; dicunt, quod contritio illa apud eos exoriatur ex timore pro justa ira Dei, & inde æterna damnatione, cuivis ex peccato Adami & inde proclivitate ad mala inhærente, & quod absque illa Contritione, fides, quæ est imputativa meriti & justitiæ Domini Salvatoris, non donetur, & quod illi, qui hanc fidem adepti sunt, consolationem Evangelii recipiant, quæ est, quod justificentur, hoc est, innoventur, regenerentur & sanctificentur, absque ulla illorum cooperatione, & quod sic a damnatione transferantur in æternom benedictionem, quæ est vita æterna. Sed de Contritione hac expendendum est. 1. Num sit pœnitentia. 2. Num sit alicujus momenti. 3. Num detur.

513. NUM CONTRITIO ILLA SIT PŒNITENTIA, VEL NON, concludi potest a Pœnitentiæ descriptione in sequentibus, quod non dabilis sit, nisi homo non modo universaliter sed etiam singulariter sciat quod peccator sit, quod nemo scire potest, nisi exploret se, & videat illa apud se, & propterea se damnet. Contritio autem illa, quæ prædicatur necessaria ad fidem, nihil commune tenet cum illis, nam est modo cogitatio & inde confessio, quod in peccatum Adami, & in proclivitatem ad mala inde scaturientia natus sit, & quod propterea ei sit ira Dei, & inde ex merito damnatio, devotio, & mors æterna: ex quibus patet, quod contritio hæc non sit pœnitentia.

514. Alterum momentum est; quoniam Contritio illa non est Pœnitentia, NUM SIT ALICUJUS MOMENTI; dicitur quod illa conferat ad fidem, sicut præcedens ad sequens, sed quod usque non intret illam, & cum illa se conjungat, miscendo se; sed quid fides, quæ sequitur, aliud quam quod Deus Pater imputet justitiam Filii sui, & tunc hominem non alicujus peccati conscium declaret justum, novum & sanctum, & sic induat stola per sanguinem Agni lavata & candida facta; in qua stola cum incedit, quid tunc mala vitæ ejus, nisi sicut lapides salphurei projecti in fundum maris, & quid tunc peccatum Adami, nisi tale quod vel tectum, vel re-

remotum, vel per imputatam Chriſti juſtitiam abductum ; cum homo ex illa fide in juſtitia & tunc ſimul in innocentia Dei Salvatoris, ambulat, quid tunc Contritio illa inſervit, niſi ad fiduciam quod ſit in ſinu Abrahami, & inde ſpectet non contritos ante fidem, ut miſeros in inferno, aut ut mortuos; nam dicitur; quod fides viva non ſit in illis, qui contritione carent; quare dici poteſt, quod illi ſi ſe immerſerint, aut ſe immergant damnabilibus malis, non plus attendant ad illa, & ſentinat illa, quam catuli porci jacentes in cæno in foſſis plateæ graveolentiam. Ex his patet, quod Contritio illa, dum non eſt Pænitentia, non ſit aliquid.

515. Tertium Momentum, quod expendendum, eſt, NUM CONTRITIO ILLA ABSQUE PÆNITENTIA DETUR; in Mundo ſpirituali quæſivi multos, qui fidem imputativam meriti Chriſti apud ſe confirmaverunt, num aliquam Contritionem habuerint, & reſponderunt, quid Contritio, cum a pueritia pro certo credidimus, quod Chriſtus paſſione ſua omnia peccata illorum ſuſtulerit; cum hac fide non quadrat contritio, Contritio enim eſt ſe conjicere in infernum, & conſcientiam cruciare, cum tamen ſciunt, quod redempti ſint, & ſic exempti inferno, & inde indemnes; his addiderunt, quod ſtatutum Contritionis non ſit niſi figmentum, quod loco Pænitentiæ, quod toties in Verbo memoratur, & quoque injungitur, acceptatum eſt; quod forſitan ſit aliqua emotio mentis apud ſimplices qui non ſciunt niſi parum de Evangelio, quando de cruciatibus in inferno audiunt aut cogitant; & dixerunt, quod conſolatio Evangelii illis a prima adoleſcentia impreſſa, amoverit Contritionem ita, ut corde riſerint ad illam, cum nominabatur, & quod Infernum non potuerit illis terrorem incutere plus quam poteſt ignis Veſuvii & Æthnæ illis qui Warſoviæ & Viennæ habitant; nec plus quam baſiliſci & echidnæ in deſertis Arabiæ, aut tigrides & leones in ſylvis Tartariæ, illis qui in urbe aliqua Europæ in tuto, tranquillo & quieto ſunt: & quod ira Dei non plus terruerit & contriverit illos, quam poteſt ira Regis Perſiæ illos qui in Penſylvania ſunt. Ex his, & quoque ex rationibus deductis ex traditionibus illorum, confirmatus ſum, quod Contritio, niſi ſit Pænitentia, qualis deſcribitur in ſequentibus, non fit aliud quam ludicrum phantaſiæ. Quod Reformati loco pænitentiæ aſſumſerint Contritionem, fuit etiam cauſa, ut a Romano-Catholicis, qui Pænitentiam, & ſimul Charitatem, urgent, divellerentur, & poſtquam confirmaverunt juſtificationem per ſolam fidem, allegarunt rationem, quod per Pænitentiam ſicut per Charitatem, aliquid hominis quod ſapit meritum, in fidem ſuam intraret, & denigraret illam.

Quod ſola Confeſſio oralis, quod Peccator ſit, non ſit Pænitentia.

516. De Orali hac Confeſſione ita tradunt Reformati Auguſtanæ Confeſſioni addicti: „ Nemo uſquam poteſt ſcire ſua peccata, quare non poſſunt enumerari, „ ſunt quoque interiora & recondita, quare confeſſio foret falſa, incerta, man„ ca & mutila; qui autem confitetur totum ſe eſſe merum peccatum, is com„ prehendit omnia peccata, nullum excludit, & nullius obliviſcitur. At uſque „ enumeratio peccatorum, tametſi non neceſſaria eſt, non tollenda eſt, propter teneras & pavidas conſcientias, ſed hæc eſt modo puerilis & communis for„ ma confeſſionis pro ſimplicioribus & rudioribus ". FORMULA CONCORDIÆ pag. 327. 331. 380. Sed hæc Confeſſio loco Pænitentiæ actualis a Reformatis, poſtquam ſe a Romano-Catholicis ſeparaverant, acceptata eſt, quia fundatur ſuper Fide imputativa illorum, quæ ſola abſque Charitate, & ſic quoque abſque Pænitentia, remiſſionem peccatorum operatur, & hominem regenerat; & quoque ſu-

per hoc, quod illius fidei indivulſa appendix eſt, quod nulla ſit Cooperatio hominis cum Spiritu ſancto in actu juſtificationis; & ſuper hoc, quod nulli ſit Liberum arbitrium in ſpiritualibus; & ſuper hoc iterum, quod omnia ſint immediatæ Miſericordiæ, & non hilum mediatæ ab homine & per illum.

517. Quod ſola oralis Confeſſio, quod peccator ſit, non ſit Pœnitentia, inter plures cauſas eſt hæc, quod unusquiſque homo hoc exclamare poſſit, & impius & quoque Diabolus, & hoc cum externa devotione, quando cogitat de cruciatibus imminentibus & præſentibus in inferno; ſed quis non videt quod hoc non ſit ex aliqua devotione interna, proinde quod ſit imaginativum, & inde pulmonicum, non autem voluntarium ab interiori, & inde non cardiacum, nam impius & diabolus uſque intus ardent concupiſcentiis amoris faciendi malum, ex quibus feruntur ſicut molæ procellis actæ, quare talis exclamatio non aliud eſt, quam machinatio ut fallat Deum, aut decipiat ſimplices, propter liberationem: quid enim facilius eſt, quam adigere labra ad vociferandum, & accommodare ei ſpiritum oris, ac tollere oculos, & levare manus ſurſum; hoc idem eſt, quod Dominus dicit, apud Mareum, *Recte prophetavit Eſajas de vobis hypocritis, hic populus labiis Me honorat, cor vero eorum procul abeſt*, VII: 6. & apud Matthæum „ *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero ſunt plena rapina & intemperantia: Phariſæe cæce, purga prius interius poculi & patinæ, ut fiat etiam exterius mundum*, Cap. XXIII: 25. 26., & plura in eodem Capite.

518. In ſimili hypocritico cultu ſunt illi qui apud ſe confirmaverunt Fidem hodiernam, quod Dominus per Paſſionem crucis ſuſtulerit omnia peccata Mundi, & per id intelligunt cujuſvis, modo orent formulas de Propitiatione & Mediatione; quidam ex his poſſunt ſuper Suggeſtis elata voce & ſicut ardente zelo, effundere multa ſancta de Pœnitentia & de Charitate, ac utramque opinantur vanam ad ſalutem, nam pœnitentiam non aliam intelligunt, quam Confeſſionem oralem, & Charitatem non aliam quam forenſem; ſed illud faciunt populi gratia. Hi ſunt, qui per hæc Domini verba intelliguntur „ *Multi dicent Mihi in illo die, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus & in Nomine tuo virtutes multas fecimus, ſed tunc confitebor illis, non novi vos, diſcedite a Me operarii iniquitatis*, Matth VII: 22. 23. Quondam in Mundo Spirituali audivi aliquem orantem ita: Sum plenus ſcabie, leproſus, fœdus ab utero matris, non apud me integrum eſt a capite ad volam pedis, non dignus ſum levare oculos ſurſum ad Deum, ſum reus mortis & damnationis æternæ, miſerere mei propter Filium tuum, ſanguine ejus purifica me, in beneplacito tuo eſt ſalus omnium, imploro miſericordiam. Adſtantes his auditis quæſiverunt, unde ſcis quod talis ſis, reſpondit, ſcio quia audivi; ſed tunc miſſus eſt ad Angelos exploratores, coram quibus ſimilia loquutus eſt, & hi poſt inquiſitionem factam, retulerunt, quod veritates de ſe loquutus ſit; ſed quod uſque non ſciat unum malum apud ſe, quia nuſquam exploraverat ſe, & crediderat, quod mala poſt oralem confeſſionem non eſſent amplius mala coram Deo, tam quia Deus avertit oculos ab illis, quam quia propitiatus eſt, & quod propterea non reſipuerit ab ullo, tametſi eſſet adulter ex propoſito, prædo, doloſus obtrectator, & ardens vindicator, & quod talis eſſet voluntate & corde, & inde talis foret loquelis & factis, niſi timor legis & jacturæ famæ illum inde retraheret; poſtquam compertum eſt, quod talis eſſet, judicatus eſt, & ad hypocitas in Inferno rejectus.

519. Quales illi ſunt, illuſtrari poteſt per Comparationes: ſunt ſicut Templa, in quibus ſunt modo ſpiritus Draconis, & illi qui per Locuſtas in Apocalypſi intelliguntur, congregati; & ſunt ſicut Pulpita ibi, ubi non eſt Verbum, quia repoſtum ſub pedibus. Sunt ſicut Parietes incruſtati, & incruſtatio pulchre colorata; intra quos apertis feneſtris volitant ululæ, & ditæ noctis aves. Sunt ſicut Sepulchra dealbata, in quibus ſunt oſſa mortuorum. Sunt ſicut Monetæ ex amurcis

eis ſcu arefactis fimis factæ & auro obductæ. Sunt ſicut cortices & codices circum putre lignum: ac ſicut veſtes filiorum Aharonis circum leproſum corpus: imo ſicut ulcera, intra quæ ſanies, obducta tenui cute, quæ creduntur ſanata. Quis non ſcit, quod ſanctum externum & prophanum internum non una concordent. Tales etiam præ aliis timent ſe explorare; quare non plus ſentiunt vitioſa in ſe, quam nidoroſa & granveolenta in ventriculis & in iliis, antequam in latrinam ejecta ſunt. Sed tenendum eſt, quod illi, de quibus hactenus dictum eſt, non confundendi ſint cum illis, qui bene agunt & bene credunt; nec cum illis, qui pœnitentiam ab aliquibus peccatis agunt, & ex parili confeſſione orali, dum in cultu, & plus dum in tentatione ſpirituali, ſecum loquuntur aut orant; nam communis illa confeſſio & præcedit & ſequitur reformatiorem & regenerationem.

Quod homo naſcatur ad omnis generis mala, & quod niſi removeat illa quoad partem per pœnitentiam, maneat in illis, & qui manet in illis, non poteſt ſalvari.

520. Quod omnis homo naſcatur ad mala, ita quod ab utero matris non ſit niſi quam malum, in Eccleſia notum eſt; & notum factum eſt ex cauſa, quia a Conciliis & a Præſulibus Eccleſiarum traditum eſt, quod peccatum Adami traductum ſit in omnem poſteritatem, & quod hoc unicum ſit, propter quod omnis homo poſt illum una cum illo damnatus ſit, & quod hoc ſit quod cuivis a nativitate inhæret: præterea ſuper hac aſſertione fundata ſunt plura, quæ Eccleſiæ docent, ut quod Lavacrum regenerationis, quod vocatur Baptiſma, a Domino inſtitutum ſit, ut hoc peccatum removeatur; & quod hoc fuerit cauſa Adventus Domini, & quod Fides in meritum Ipſius, ſit medium per quod removetur, præter plura, quæ Eccleſiæ ſuper hac aſſertione fundaverunt. Sed quod ex illa origine non ſit aliquod malum hæreditarium, conſtare poteſt ex illis, quæ ſupra n: 466 ſeq. oſtenſa ſunt, quod Adamus non fuerit Primus hominum, ſed quod per Adamum & ejus uxorem repræſentative deſcribatur prima Eccleſia in hoc Orbe, & per Hortum Edenis ejus ſapientia, & per Arborem vitæ ejus aſpectus ad Dominum venturum, & per Arborem ſcientiæ boni & mali, ejus aſpectus ad ſe & non ad Dominum; quod hæc Eccleſia per prima Capita Geneſeos repræſentative deſcripta ſit, in Arcanis Cælestibus Londini editis ex multis paralelis locis e Verbo evictum eſt. Ex his intellectis & aſſumptis cadit opinio hactenus fota, quod malum homini a parentibus innatum inde ſit, cum tamen non inde ſed aliunde ſuam originem trahit. Quod Arbor vitæ & Arbor ſcientiæ boni & mali, ſint apud unumquemvis hominem, & quod dicantur poſitæ in aliquo horto, ſignificaverint Liberum arbitrium ſe vertendi ad Dominum, & ſe avertendi ab Ipſo, in Capite de Libero Arbitrio plene demonſtratum eſt.

521. Sed, mi amice, malum hæreditarium non aliunde eſt quam ex Parentibus, non quidem ipſum malum, quod homo actualiter committit, ſed inclinatio ad illud: quod ita ſit, quiſque agnoſcet, modo rationem adjungat experientiis; quis non ſcit, quod filii naſcantur in communem ſimilitudinem ſuorum parentum quoad facies, ac mores & animos, & quoque nepotes & pronepotes in avorum & atavorum, & quod inde a multis internoſcantur familiæ, & quoque nationes, ſicut Africanæ ab Europæis, Neapolitanæ a Germanis, Angli a Gallis, & ſic porro; & quis non cognoſcit Judæum a facie, oculis, loquelis & geſtibus; & ſi potuiſſetis ſentire Sphæram vitæ exundantem ex cujuſvis nativa indole, potuiſſes ſimiliter convinci de ſimilitudine animorum & mentium. Ex his ſequitur, quod homo non na-

naſcatur in ipſa mala, ſed modo in inclinationem ad mala, ſed procliviorem plus aut minus ad particularia; quare poſt mortem nullus judicatur ex aliquo malo hæreditario, ſed ex actualibus, quæ ipſe commiſit; hoc etiam evidens eſt ex hoc ſtatuto Domini, *Non morietur pater propter filium, & filius non morietur propter patrem, quiſque ex peccato ſuo morietur*, Deutr. XXIV: 16. Hoc mihi certum factum eſt in Mundo ſpirituali ex infantibus qui moriuntur, quod modo inclinent ad mala, ita quod velint, at uſque non faciunt illa; educantur enim ſub auſpicio Domini, & ſalvantur. Supradicta illa inclinatio & proclivitas ad mala a parentibus traducta in liberos & in poſteros, unice frangitur per novam nativitatem a Domino, quæ vocatur Regeneratio, abſque hac inclinatio illa non modo non interrupta manet, ſed etiam a ſucceſſivis parentibus accreſcit, & proclivior ad mala fit, & tandem ad omne genus eorum: inde eſt, quod Judæi adhuc ſint imagines Judæ patris eorum, qui Cananitidem in uxorem duxit, & ex adulterio cum Thamare nuru ſua tres eorum ſtirpes genuit; quare hoc hæreditarium ſucceſſu temporis apud illos ita adauctum eſt, uſque ut non poſſint amplecti religionem Chriſtianam ex fide cordis: dicitur, quod non poſſint, quia interior mentis eorum voluntas adverſatur, & hæc voluntas dat non poſſe.

522. Quod omne malum niſi removetur, apud hominem maneat, & quod homo ſi in ſuis malis manet, non poſſit ſalvari, ex ſe conſequitur; quod non aliquod malum poſſit removeri niſi a Domino apud illos qui credunt in Ipſum, & amant proximum, ex anteactis evidenter conſtare poteſt; imprimis ex his in Capite de FIDE, Quod *Dominus, Charitas & Fides unum faciant, ſicut vita, voluntas & intellectus, & ſi dividuntur, unumquodvis pereat ſicut Unio dilapſa in pollinem*. Et ex his ibi, *Quod Dominus ſit Charitas & Fides in homine, & quod homo ſit Charitas & Fides in Domino.* Sed quæritur, quomodo homo in illam unionem intrare poteſt, reſpondetur, quod non poſſit, niſi mala ſua quoad partem removeat per pœnitentiam: dicitur, ut homo removeat, quia Dominus abſque cooperatione hominis non immediate id facit; quod etiam in eodem Capite, & in ſequente de LIBERO ARBITRIO, plene oſtenſum eſt.

523. Perhibetur, quod nemo poſſit implere Legem, & eo minus, quoniam qui prævaricatur contra unum præceptum Decalogi, prævaricatur contra omnia: verum hæc loquutionis formula non eſt ſicut ſonat; nam hoc ita intelligendum eſt, quod qui ex propoſito aut confirmato agit contra unum præceptum, ille agat contra reliqua, quoniam ex propoſito & confirmato agere, eſt prorſus negare quod peccatum ſit, & quod ſi dicitur quod ſit, id ut nihili rejiciat; & qui ita negat & rejicit peccatum, ille nihili pendit omne quod peccatum vocatur. In hoc propoſitum veniunt illi, qui non volunt audire aliquid de Pœnitentia: viciſſim autem in propoſitum credendi in Dominum & amandi proximum veniunt illi, qui per pœnitentiam removerunt aliqua mala quæ peccata ſunt; hi a Domino in propoſito abſtinendi a pluribus tenentur; quare ſi hi ex inſcitia aut ex præpollente aliqua concupiſcentia peccant, hoc illis non imputatur, quia id ſibi non propoſuerunt, nec apud ſe confirmant. Hoc confirmare licet per hæc; in Mundo ſpirituali offendi plures, qui in Mundo Naturali ſimiles aliis vixerant, ſplendide ſe veſtiendo, laute epulando, cum fœnore ſicut alii negotiando, ludos ſcenicos ſpectando, de amatoribus ſicut ex libidine jocando, præter conſimilia alia, & tamen Angeli quibusdam inculbant illa ut mala peccati, & quibusdam non inculpabant illa ut mala, & hos declarabant inſontes, illos autem ſontes: ad interrogationem cur ita, cum tamen parilia fecerunt, reſpondebant, quod ex propoſito, intentione & fine omnes contemplentur, & ſecundum illa diſtinguant, & quod ideo illos, quos finis aut excuſat aut damnat, ipſi excuſent aut damnent, quoniam finis boni eſt omnibus in Cœlo, & finis mali eſt omnibus in Inferno.

524. Sed hæc illuſtrabuntur per Comparationes; cum peccatis retentis apud homi-

minem impænitentem, cum variis morbis apud illum, quibus niſi applicantur medicinæ, & per has auferuntur maligna, homo moritur; imprimis cum morbo gangræna vocato qui niſi in tempore ſanatur, circum ſpargit ſe, & lethum non evitabilam inducit: ſimiliter cum apoſtematibus & abſceſſibus, niſi ſolvuntur & aperiuntur, inde enim empyemata ſeu collectiones puris ſe effuſuræ in vicina, & inde in annexa viſcera, & demum in cor, unde mors. Comparari etiam poteſt cum tigribus, pardis, leonibus, lupis & vulpibus, quæ niſi teneantur in caveis, aut vinciantur catenis vel funibus, invaderent gregem & armentum, & vulpis gallinas, ac trucidarent: & quoque cum ſerpentibus venenatis, qui niſi compreſſi tenerentur paxillis, aut illis dentes auferrentur, homini lethiferos ictus infligerent; totus grex, ſi relinqueretur in campis, ubi ſunt toxicatæ herbæ, periret, niſi a paſtore in paſcua innocua abduceretur: periret etiam bombyx, & ſic omne ſericum, niſi alieni vermes ex foliis ejus arboris excuterentur. Comparari etiam poteſt cum frumentis in hordeis aut domibus, quæ mucilenta & rancida & ſic inutilia redderentur, ſi aeri non daretur copia intermeandi, & damna tollendi. Ignis niſi in primo limine exſtingueretur, totam urbem aut ſylvam depopularetur. Hortus tribulis, carduis & ſentibus totus occuparetur, niſi eradicantur. Hortorum magiſtri ſciunt, quoad arbor a ſemine & radice mala inferat ſuccos ſuos malos in caudicem arboris bonæ inſitæ aut inoculatæ, & quod ſucci mali, qui ſubintrant, vertantur in ſuccos bonos, & producant fructus utiles; ſimile fit homini per remotionem mali media pænitentia, per hanc enim homo inſeritur Domino ſicut ramus Viti, & fert fructus bonos, Joh. XV: 4. 5. 6.

Quod cognitio peccati, & exploratio alicujus apud ſe, pænitentiam inchoet.

525. Cognitio peccati nemini in Chriſtiano Orbe deeſſe poteſt; quiſque enim ibi ab infantia inſtruitur quid malum, & a pueritia quid malum peccati; hoc diſcunt omnes ephebi a parentibus & magiſtris, & quoque ex decalogo, qui eſt Liber initialis omnibus intra Chriſtianiſmum, & in progreſſu poſtea a prædicationibus in Templis, & ab inſtructionibus in Domibus; & in plenitudine e Verbo; & inſuper a legibus juſtitiæ civilibus, quæ ſimilia docent quæ Decalogus, & quæ Verbum alibi: nam malum peccati non aliud eſt, quam malum contra proximum, & malum contra proximum, eſt etiam malum contra Deum, quod eſt peccatum. Sed cognitio peccati non facit quicquam, niſi homo exploret ſuæ vitæ acta, & videat num tale quid in occulto aut in manifeſto fecerit, prius eſt omne id modo ſcientia, & tunc id quod concionator profert, eſt modo ſonans quid in aure ſiniſtra, e qua tranſit in dextram, & aufugit; & tandem fit illud duntaxat cogitativum & devotum pulmonare, & apud plures imaginarium & chimæricum: Sed aliter prorſus, ſi homo ſecundum cognitiones, quid peccatum, explorat ſe, & offendit aliquod apud ſe, & ſecum dicit, hoc malum eſt peccatum, & ex timore pænæ æternæ abſtinet ab illo: tunc primum Prædicatio inſtructiva & oratoria in Templis, recipitur utraque aure, & infertur in cor, & homo ex pagano fit Chriſtianus.

526. Quid notius poteſt eſſe in toto Chriſtiano Orbe, quam quod hominem oporteat ſe explorare, nam ubivis in Imperiis & Regnis tam Romano-Catholicæ quam Evangelicæ Religioni addictis, ante acceſſionem ad Sanctam Cænam docetur & monetur, ut homo exploret ſe, ac cognoſcat & agnoſcat ſua peccata, & e novo vivat aliter; & hoc cum horribilibus minis in Dominiis Angliæ, ubi ex Oratione præcedanea ante Communionem ex Altari ab Antiſtite leguntur & exclamantur hæc „ Hæc eſt via, &

„ & hoc eſt medium, ut fiat dignus particeps ſanctæ Cœnæ: primarium eſt, ut „ exploret ſuæ vitæ facta & commercia ſecundum normam præceptorum Dei, & „ in quibuscunque animadvertit ſe offendiſſe voluntate, loquela aut facto, tunc „ deploret vitioſam ſuam naturam, & confeſſionem faciat coram Omnipotente „ Deo, cum pleno propoſito emendandi vitam; & ſi animadvertit offenſas tales „ eſſe, ut non modo ſint contra Deum, ſed etiam contra proximum, tunc re- „ conciliabit ſe illi, & promptus erit ad reſtitutionem & ſatisfactionem ex omni „ potentia ſua, propter injurias & mala alicui facta, & ſimiliter promptus erit „ ad remittendum aliis offenſas, quemadmodum vult ut offenſæ ſuæ remittan- „ tur a Deo; alioquin receptio Sanctæ Communionis non aliud facit quam quod „ aggravet damnationem. Quapropter, ſi quis veſtrum eſt blaſphemator Dei, „ obtrectator & ſugillator Verbi Ipſius, aut adulter, aut in malitia vel in male- „ volentia, aut in aliquo alio enormi crimine, pœnitentiam a peccato age; ſi „ non, ad ſanctam Communionem ne accedas; alioquin poſt receptionem ejus, „ diabolus intraturus eſt in te, ſicut intravit in Judam, & impleturus eſt te om- „ ni iniquitate, & deſtructurus & corpus & animam ".

527. At uſque ſunt aliqui, qui non poſſunt ſe explorare, ſicut infantes, pueri & puellæ ante advectam ætatem dum ſuæ intuitionis fiunt: pariter ſimplices, qui nullius reflexionis ſunt; tum etium cuncti, quibus non timor Dei; & præter hos aliqui ægroti animo & corpore: & inſuper illi, qui confirmati ex doctrina juſtificationis per ſolam fidem imputativam meriti Chriſti, ſibi perſuaſerunt, quod per explorationem & inde pœnitentiam, aliquid hominis intraret, quod peſſumdaret fidem, & ſic ſalutem extra unicum ſuum focum ejiceret & projiceret. His & illis inſervit modo confeſſio oralis, quæ quod non ſit pœnitentia, ſupra in hoc Capite oſtenſum eſt. Sed illi qui ſciunt quid peccatum, & magis qui ſciunt plura ex Verbo, & docent illa, & non explorant ſe, & inde nullum peccatum in ſe vident, aſſimilari poſſunt illis, qui corradunt opes, & illas reponunt in ſcriniis & arculis, abſque alio uſu ex illis, quam ut ſpectentur & numerentur: & illis qui in theſauraria colligunt Clenodia auri & argenti, & in cellariis occludunt illa, propter ſolum finem opulentiæ; qui ſimiles ſunt negotiatori, qui talentum ſuum recondidit ſub terra, & qui minam ſuam in ſudario, Matth. XXV: 25. Luc. XIX: 20. Sunt etiam ſicut duræ viæ & petræ, in quas ſemen cadit, Matth. XIII: 4. & quoque ſicut ficus luxuriantes foliis, & non ferunt fructus, Marc. XI: 12. Suntque corda adamantina, quæ non fiunt carnea, Sach. VII: 12. Sunt *ſicut perdices, quæ colligunt & non pariunt, faciunt divitias ſed non cum judicio, in medio dierum ſuarum deſerunt illas, & in poſtremitate ſua fiunt ſtulti*, Jerem. XVII: 11. Sunt ſicut quinque virgines, quibus lampades & non oleum, Matth: XXV: 1 ad 12. Illi qui ex Verbo hauriunt multa de charitate & de pœnitentia, & ſciunt præcepta in copia, & non vivunt ſecundum illa, comparari poſſunt cum voracibus, qui cibaria in fruſtis ingerunt in buccam, & non comminuta dentibus inferunt in ventrem, ubi indigeſta morantur, & inde expreſſa inquinant chylum, & inducunt lentos morbos, a quibus tandem miſere moriuntur. Tales quia ſunt abſque ſpirituali calore, utcunque in luce, vocari poſſunt hyemes, terræ frigidæ, climata arctica, imo nives & glacies.

Quod actualis Pœnitentia ſit explorare ſe, cognoſcere & agnoſcere ſua peccata, ſupplicare ad Dominum, & novam vitam inchoare.

528. Quod Pœnitentia omnino agenda ſit, & quod inde pendeat ſalus hominis, ex multis locis & evidentibus effatis Domini in Verbo, conſtat, e quibus hæc in præſenti adducentur, *Johannes prædicavit baptiſma pœnitentiæ, & dixit, facite fructus dignos pœnitentia*, Luc. III: 3. 8. Marc. I: 9. *Incepit Jeſus prædicare & dicere, pœniteat vos*, Matth. IV: 17. *& dixit, quia appropinqvavit Regnum Dei, pœnitentiam agite*, Marc. I: 14. 15. tum, *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis*, Luc. XII: 5. *Jeſus præcepit diſcipulis, quod oporteret prædicari in Nomine Ipſius Pœnitentiam & Remiſſionem peccatorum omnibus gentibus*, Luc. XXIV: 47. Marc: VI: 12. Quare *Petrus prædicavit pœnitentiam & baptiſma in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*, Act. II: 38. & quoque dixit, *Agite pœnitentiam, & convertite vos, ut deleantur vobis peccata veſtra*, Act. III: 19. Paulus *prædicavit omnibus ubivis, ut pœnitentiam agerent*, Act. XVII: 30. Paulus *etiam in Damaſco, in Hieroſolyma, per totam regionem Judææ, & gentibus, annuntiavit, ut pœnitentiam agerent, & converterent ſe ad Deum, ac ut digna pœnitentia opera facerent*, Act. XXVI: 20. Et *quoque conteſtatus & Judæis & Græcis pœnitentiam ad Deum, & fidem in Dominum Jeſum Chriſtum*, Act. XX: 21. Dominus dixit ad Eccleſinam Epheſinam, *habeo contra te, quod charitatem primam reliqueris, age pœnitentiam, ſin minus emoveboj candelabrum tuum e loco ſuo, ſi non pœnitentiam egeris*, Apoc. II: 2. 4. 5. Ad Eccleſiam in Pergamo, *Novi opera tua, pœnitentiam age*, Apoc. II: 16. Ad Eccleſiam in Thyatyris, *Tradam illam in afflictionem, ſi non pœnitentiam egerit ex operibus ſuis*, Apoc. II: 19. 22. 23. Ad Eccleſiam Laudicenſium, *Novi opera tua, zelum exerce, & age pœnitentiam*, Apoc. III: 15. 19. *Eſt gaudium in Cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; Luc. XV: 7. præter alibi. Ex his patet, quod Pœnitentia omnino agenda ſit, ſed qualis & quomodo, in ſequentibus manifeſtabitur.

529. Quis non poteſt ex ratione ſibi data intelligere, quod non ſit pœnitentia ſolum ore confiteri quod peccator ſit, ac enuntiate plura de eo, ſicut hypocrita, de quo ſupra n: 518, memoratum eſt, nam quid facilius homini cum in angore & agone eſt, quam ex pulmone exſpirare, & inde per labra effundere ſuſpiria & gemitus, & quoque pulſare pectus, & facere ſe reum omnium peecatorum, cum tamen nullius apud ſe conſcius eſt; num ſimul tunc cum ſuſpirio diabolica turba, quæ amoribus ejus ineſt, exit, numne hæc potius ſibilat ad illa, & remanet in illo ut prius ſicut in ſua domo. Ex his patet, quod talis pœnitentia non intellecta ſit in Verbo, ſed quod ab operibus malis, ut dicitur.

530. Quæritur itaque quomodo Pœnitentia agenda eſt, reſpondetur, quod actualiter, & hoc eſt, explorare ſe, cognoſcere & agnoſcere ſua peccata, ſupplicare ad Dominum, & novam vitam inchoare: quod Pœnitentia non dabilis ſit abſque exploratione, in Articulo, qui præcedit, oſtenſum eſt; ſed ad quid exploratio, niſi ut cognoſcat ſua peccata, & ad quid cognitio niſi agnoſcat quod illa in illo ſint, & ad quid tria illa, niſi ut confiteatur illa coram Domino, & ſupplicet de ſuppetiis, & ab hoc inchoare novam vitam, quæ eſt finis propter quem; hæc eſt actualis pœnitententia. Quod ita progrediendum & faciendum ſit, ſcire poteſt unusquiſque homo poſt primam ætatem, & plus & plus ſicut ſui juris & ſuæ rationis fit ex Baptiſmo, per cujus lavationem intelligitur Regeneratio, nam in illo patrini pro

illo ſpoſponderunt, quod rejecturus ſit diabolum, & omnia ejus opera: ſimiliter ex Sancta Cæna, ante cujus aceſſionem dignam præmonentur omnes, ut a peccatis pœnitentiam agant, & ſe ad Deum convertant, & novam vitam ingrediantur: & præterea ex Decalogo ſeu Cathechiſmo, qui in omnium Chriſtianorum manibus eſt, ubi in ſex præceptis Decalogi non aliud mandatur, quam ut non mala faciant; quæ niſi quis per pœnitentiam removet, non poteſt amare proximum, & minus Deum; cum tamen ex duobus his mandatis pendent Lex & Prophetæ, hoc eſt, Verbum, proinde ſalus. Actualis pœnitentia, ſi alternis vicibus agitur, nimirum quoties homo ad communionem ſanctæ Cænæ ſe præparat, ſi poſtea ab uno ſeu ultero peccato, quod tunc deprehendit apud ſe, abſtineat, ſatis eſt ad initiandum ſe in actualitatem, in qua cum eſt, in via eſt ad Cælum, nam tunc homo incipit a naturali ſpiritualis fieri, & naſci novus a Domino.

531. Hoc per ſequentes Comparationes illuſtrari poteſt: Homo ante pœnitentiam eſt tanquam deſertum, in quo ſunt terribiles feræ, dracones, bubones ululæ, echidnæ & hæmorrhoides, & in dumetis ibi ochim & tziim, & ſaltant ſatyri; at poſtquam hæc induſtria & opera hominum ejecta ſunt, deſertum illud poteſt exarari & excoli in arva, & eis infeminari primum avenæ, fabæ & linum, & poſtea hordea & tritica. Et quoque comparari poteſt cum malitia, quæ in copia regnat apud homines, niſi malitioſi ſecundum leges caſtigarentur ac punirentur plagis aut morte, nulla urbs conſiſteret, pariter nullum regnum: Homo eſt ſicut ſocietas in minima forma, niſi ſimiliter ſecum ageret ſpirituali modo, ſicut agitur cum malitioſis in magna Societate naturali modo, ille poſt mortem caſtigaretur & puniretur, & hoc uſque eo dum ex timore pœnæ malum non facit, tametſi nuſquam redigi poteſt ad bonum faciendum ex amore boni.

Quod vera Pœnitentia ſit explorare non modo acta vitæ ſuæ, ſed etiam intentiones voluntatis ſuæ.

532. Quod vera Pœnitentia ſit explorare non modo acta ſuæ vitæ, ſed etiam intentiones ſuæ voluntatis, eſt quia *Intellectus* & *Voluntas* faciunt acta; loquitur enim homo ex cogitatione, & agit ex voluntate, quare loquela eſt cogitatio loquens, & actio eſt voluntas agens, & quia inde ſunt loquelæ & actiones, indubie ſequitur, quod illa duo ſint, quæ peccant quando corpus; & quoque poteſt homo pœnitentiam agere a malis quæ corpore egerat, & uſque cogitare & velle malum; ſed hoc eſt ſicut amputare truncum arboris malæ, & relinquere radicem ejus in terra, ex qua excreſcit eadem arbor mala, & ſe circum ſpargit: aliter vero cum etiam radix evellitur, & hoc fit in homine, quando ſimul intentiones voluntatis ſuæ explorat, & mala per pœnitentiam amovet. Homo explorat intentiones voluntatis ſuæ, dum explorat cogitationes ſuas, nam intentiones ſe in illis manifeſtant; quemadmodum dum cogitat, vult & intendit vindictas, adulteria, furta, & teſtificationes falſas, & cupiditates ad illa, & quoque blaſphemias contra Deum, ſanctum Verbum & Eccleſiam, & ſic porro; hic ſi illuc uſque intendit animum, & ſcrutatur num facturus ſit illa ſi non timor legis & famæ obſtaret, qui tunc poſt ſcrutinium cogitat, quod non velit illa, quia peccata ſunt, ille veram & interiorem pœnitentiam agit; & adhuc plus dum in jucundo illorum malorum eſt, & ſimul in libero faciendi illa, & tunc reſiſtit & abſtinet; qui hoc iteratis vicibus excercet, ille jucunda malorum, dum redeunt, ut injucunda percipit, & demum damnat illa ad infernum: hoc eſt, quod intelligitur per hæc Domini verba, *Quiſquis vult invenire animam ſuam, perdet eam, & quiſquis perdiderit animam ſuam propter Me, inveniet illam*, Matth. X: 39. Ille qui mala voluntatis ſuæ per hanc pœ-

pœnitentiam removet, ſimilis eſt illi, qui zizania a Diabolo inſeminata ex agro in tempore evellit, unde ſemina a Domino Deo Salvatore implantata nanciſcuntur liberam humum, & germinant in meſſem, Matth. XIII: 25 ad 31.

533. Sunt duo amores qui e longævo tempore generi humano irradicati ſunt, amor dominandi ſuper omnes, & amor poſſidendi omnium bona; prior amor, ſi ei relaxantur fræna, ruit eo uſque ut velit eſſe Deus cæli, & poſterior amor, ſi ei relaxantur fræna, ruit eo uſque ut velit eſſe Deus mundi; his duobus amoribus ſubordinati ſunt omnes reliqui amores mali, qui ſunt exercitus: ſed illos duos explorare, perquam difficile eſt, quia intime reſident, & ſe abſcondunt, ſunt enim ſicut viperæ in petra foraminoſa occultatæ, quæ venenum ſuum retinent, ut dum quis ſuper petra illa cubat, lethales ictus infligunt, & ſe retrahunt. Sunt etiam ſicut veterum Sirenes, quæ cantu allectabant homines, & per illum necabant: illi bini amores etiam ſe exornant illuſtribus togis & tunicis, ſicut diabolus ex magica phantaſia inter ſuos, & inter alios quos vult illudere. Sed probe ſciendum eſt, quod illi bini amores poſſint plus regnare apud parvos quam apud magnos, apud inopes quam apud opulentos, apud ſubditos quam apud Reges, hi enim nati ſunt ad dominium & ad gazas, quæ tandem illa non aliter aſpiciunt, quam ſicut alius ſua famulitia & poſſeſſionata, prætor ſua, adminiſtrator ſua, navarchus ſua, imo ſicut pauper colonus ſua: aliter vero Reges qui ad dominium ſuper aliorum Regna. Quod intentiones Voluntatis explorandæ ſint, eſt cauſa, quia in Voluntate reſidet amor, eſt enim Voluntas receptaculum ejus, ut ſupra oſtenſum eſt, omnis amor inde exſpirat jucunda ſua in intellectus perceptiones & cogitationes, nam hæ non agunt quicquam ex ſe, ſed ex Voluntate, favent enim ei, ac conſentiunt & confirmant omnia quæ amoris ejus ſunt; quare Voluntas eſt ipſa domus, in qua homo habitat, ac Intellectus eſt atrium, per quod exit & intrat. Inde eſt, quod dictum ſit, quod intentiones Voluntatis explorandæ ſint; quæ cum exploratæ ac remotæ ſunt, homo elevatur e naturali Voluntate, cui mala hæreditaria & actualia inſident, in Voluntatem ſpiritualem, per quam Dominus reformat & regenerat naturalem, & hac media ſenſualia & voluntaria corporis, ita totum hominem.

534. Illi, qui non explorant ſe, in ſimilitudine ſunt ſicut ægri, apud quos ſanguis ex occluſis minimis vaſis vitioſus eſt, unde atrophia, ſomnolentia membrorum, ac morbi acuti Chronici, ex ſpiſſitudine, tenacitate, acrimonia & aciditate humorum, & inde ſanguinis oriundi; at vero illi qui explorant ſe etiam quoad intentiones Voluntatis, in ſimilitudine ſunt ſicut illi, qui a morbis illis ſanati ſunt, & redeunt in vitam, in qua fuerunt dum juvenes. Illi qui rite explorant ſe, ſunt ſicut naves ex Ophiro, auro, argento & pretioſis refertæ, at antequam exploraverunt ſe, ſunt ſicut naves onuſtæ immundis, quibus exportantur platearum cœna & ſtercora. Illi qui interius explorant ſe, fiunt ſicut fodinæ, quarum omnes parietes ſplendent mineris nobilis metalli, prius autem ſicut paludes nidoroſæ, in quibus ſunt coluri & ſerpentes venenati, qui corufcant ſquamis, & inſecta noxia quæ nitent alis. Illi qui non explorant ſe, ſunt ſicut Oſſa arida in valle, at poſtquam exploraverunt ſe, ſunt ſicut eadem oſſa, ſuper quæ Dominus Jehovih dedit nervos, aſcendere fecit carnem, quæ obduxit cute, & in quæ dedit ſpiritum, & vixerunt, Ezech. XXVII: 1 ad 14.

Quod etiam Pœnitentiam agant illi, qui non explorant ſe, ſed uſque a malis, quia peccata ſunt, deſiſtunt: & quod hæc pœnitentia fiat ab illis, qui Charitatis opera ex religione faciunt.

535. Quoniam Pœnitentia actualis, quæ eſt explorare ſe, cognoſcere & agnoſcere ſua peccata, ſupplicare ad Dominum, & novam vitam inchoare, in Chriſtiano Reformato Orbe maxime difficilis eſt, propter plures cauſas, de quibus in ultimo hujus Capitis Articulo, ideo facilior ſpecies Pœnitentiæ adducetur, quæ eſt, ut quando quis malum verſat animo, & illud intendit, ſibi dicat, cogito hoc, & intendo hoc, ſed quia peccatum eſt, non faciam illud; per hoc injecta ab Inferno tentatio infringitur, & ulterior ejus ingreſſus inhibetur. Hoc mirabile eſt, quod quiſque poſſit increpare alium, qui malum intendit, & dicere, ne fac illud quia peccatum eſt, & tamen difficulter ipſe ſibi id poteſt dicere, cauſa eſt, quia hoc movet voluntatem, illud autem modo cogitationem auditui proximam. Inquiſitum eſt in Mundo ſpirituali, quinam hoc alterum poſſunt facere, ac inventi ſunt tam pauci, ſicut columbæ in ſpatioſo deſerto; & aliqui dixerunt, quod quidem id poſſint, ſed quod explorare ſe, & peccata ſua confiteri coram Deo, non poſſint; At uſque omnes illi, qui bonum faciunt ex religione, evitant actualia mala, at quam rariſſime ſuper interiora, quæ Voluntatis ſunt, reflectunt, credentes, quod in malis non ſint quia in bonis, imo quod bona contegant mala; ſed, mi amice! primarium Charitatis eſt fugere mala, hoc docet Verbum, hoc Decalogus, hoc Baptiſmus, hoc Sancta Cœna, hoc etiam Ratio, nam quomodo aliquis poteſt effugere mala, & illa abalienare abſque aliqua intuitione ſui, & quomodo bonum poteſt fieri bonum, niſi interius purificatum eſt. Scio quod omnes pii, & quoque ſani ratione, dum hæc legunt, annuituri ſint, & viſuri id ut genuinum verum, ſed quod uſque pauci ita facturi.

536. Sed uſque omnes, qui bonum faciunt ex religione, non modo Chriſtiani, ſed etiam pagani, accepti ſunt Domino, & poſt mortem adoptantur; nam dixit Dominus „*Eſurivi, & dediſtis Mihi edere; ſitivi & potaſtis Me; peregrinus fui, & induiſtis Me; ægrotus fui, & viſitaſtis Me, in cuſtodia fui & veniſtis ad Me, & dixit, in quantum feciſtis uni ex fratribus meis minimis, Mihi feciſtis; venite benedicti, & tanquam hæreditatem poſſidete paratum vobis Regnum a fundatione Mundi*, Matth. XXV: 31 ſeq. His addam hoc Novum; omnes illi, qui bonum faciunt ex religione, poſt mortem rejiciunt doctrinam hodiernæ Eccleſiæ de Tribus perſonis Divinis ab æterno, & quoque ejus Fidem applicatam tribus illis in ordine, & ſe convertunt ad Dominum Deum Salvatorem, & cum voluptate hauriunt illa quæ Novæ Eccleſiæ ſunt. Reliqui autem qui non Charitatem ex religione exercuerunt, ſunt corda adamantina, ita dura, hi primum adeunt tres Deos, poſtea Patrem ſolum, & denique nullum, Dominum Deum Salvatorem ut ſolum Mariæ filium ex toro cum Joſepho natum; & non ut Dei Filium, aſpiciunt, & tunc omnia Novæ Eccleſiæ bona & vera excutiunt, & mox adjungunt ſe ſpiritibus draconis, & cum illis abiguntur in deſerta, aut in cavernas, quæ in ultimis terminis orbis nuncupati Chriſtiani ſunt, & poſt tempus, quia ſeparati a Cœlo Novo, in facinora ruunt, & ideo demittuntur in Infernum. Talis ſors eſt illis, qui non Charitatis opera ex religione faciunt, ex fide quod nemo poſſit bonum facere a ſe niſi ſit meritorium, & inde omittunt illa, & ſe aggregant hircis, qui damnati ſunt, & in ignem æternum paratum diabolo & angelis ejus, conjecti, propterea quia non fecerunt illa, quæ oves, Matth. XXV: 41 ſeq. non dicitur ibi, quod fecerint mala, ſed quod non

non fecerint bona, & qui bona non ex religione faciunt, illi mala faciunt, *quoniam nemo potest servire duobus Dominis, quin unum odio habeat, & alterum amet, & uni adhæreat & alterum negligat*, Matth. VI: 24: dicit Jehovah per Esajam, *Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis, cessate malum facere, discite bonum facere; & tunc si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt*, Cap. I: 16. 17. 18; & ad Jeremiam, *Sta in porta domus Jehovæ, & proclama ibi verbum hoc; sic dixit Jehovah Zebaoth Deus Israelis, bonas reddite vias vestras & opera vestra; ne confidite vobis super verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ hic* (hoc est, Ecclesia); *num furando, occidendo, ac jurando per mendacium, deinde venietis & stabitis coram Me in Domo hac, super qua nominatur Nomen meum, & dicetis, erepti sumus, dum facitis omnes abominationes illas. Num spelunca latronum facta est Domus hæc: etiam Ego, ecce, vidi, dictum Jehovæ*, Cap. VII: 2. 3. 4. 9. 10. 11.

537. Sciendum est, quod illi, qui ex sola bonitate naturali bonum faciunt, & non simul ex religione, post mortem non acceptentur, quia solum bonum naturale & non simul spirituale charitati illorum inest, & spirituale est, quod conjungit Dominum homini, & non naturale absque illo. Bonitas naturalis est solius carnis, adnata a parentibus, at Bonitas spiritualis est spiritus e novo nata a Domino. Illi, qui bona Charitatis ex religione faciunt, & inde non mala, antequam Doctrinam Novæ Ecclesiæ de Domino acceptarunt, assimilari possunt arboribus, quæ bonos fructus, tametsi paucos, ferunt, & quoque arboribus quæ fructus nobiles parvos, quæ nihilominis in hortis custodiuntur: & quoque assimilari possunt oleis & ficubus in sylvis: tum etiam herbis fragrantibus & arbustis balsamicis super Collibus: sunt sicut parvæ ædes seu domus Dei, in quibus pius cultus agitur: nam sunt oves a dextris, & arietes quos hirci impugnant, secundum Danielem Cap. VIII: 2 ad 14. In Cælo amicti sunt vestibus coloris rubri, & postquam initiati sunt in bona Novæ Ecclesiæ, amiciuntur vestibus coloris purpurei, quæ, sicut vera etiam recipiunt, pulchre fulvescunt.

Quod Confessio coram Domino Deo Salvatore oporteat fieri, & tunc supplicatio de ope & potentia resistendi malis.

538. Quod Dominus Deus Salvator adeundus sit, est quia est Deus Cæli & Terræ, Redemptor & Salvator, cui Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, Ipsa Misericordia & simul Justitia, & quia homo est Ipsius Creatura, & Ecclesia Ipsius Ovile, ac ut Ipsum adeant, colant & adorent, pluries in Novo Fœdere mandavit; quod Solus adeundus sit, his verbis injunxit apud Johannem „*Amen, amen dico vobis, qui non ingreditur per januam in Ovile, sed ascendit aliunde, is est fur & latro, qui vero ingreditur per januam, pastor est ovium. Ego sum Janua, per Me si quis introiverit, salvabitur, & pascuum inveniet; fur non venit nisi ut furetur, macet & perdat; Ego veni ut vitam habeant & abundantiam, Ego sum Pastor bonus*, Cap. X: 1. 2. 9. 10. 11. Quod homo non aliunde ascendere debeat, est ne ad Deum Patrem, quia Ille est invisibilis, & inde inaccessilis & inconjungibilis, & ideo Ipse in Mundum venit, & se fecit visibilem, accessibilem, & conjungibilem, quod fuit unice propter finem, ut homo posset salvari; nam nisi Deus ut homo in cogitatione aditur, perit omnis idea de Deo, cadit sicut visus in universum, ita in inane nullum, aut in naturam, aut in obvia intra naturam. Quod Ipse Deus, Qui ab æterno est Unus, in Mundum venerit, patet clare a nativitate Domini Salvatoris, quod

quod a virtute Altiſſimi per Spiritum Sanctum conceptus ſit, & quod inde Humanum Ipſius a Maria Virgine natum ſit, unde ſequitur, quod Anima Ipſius fuerit Ipſum Divinum, quod Pater vocatur, eſt enim Deus individuus, & quod Humanum inde natum, ſit Humanum Dei Patris, quod vocatur Filius Dei, Luc. I: 32. 34. 35: ex his iterum ſequitur, quod dum Dominus Deus Salvator aditur, etiam Deus Pater adeatur; quare reſpondit Philippo petenti ut monſtraret Patrem „*Qui videt Me, videt Patrem, qnomodo ergo tu dicis, monſtra nobis Patrem, nonne credis quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit, credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit*, Joh. XIV: 6 ad 11. Sed de his videantur plura in Capitibus de Deo, Domino, Spiritu Sancto, & de Trinitate.

539. Sunt duo Debita, quæ homini incumbunt facere poſt explorationem, Supplicatio & Confeſſio. Supplicatio erit, ut miſereatur, det potentiam reſiſtendi malis, quorum pœnituit, & ſuppeditet inclinationem & affectionem faciendi bonum, *Quoniam homo ſine Ipſo non poteſt facere quicquam*, Joh. XV: 5. Confessio erit, quod videat, cognoſcat & agnoſcat ſua mala, & deprehendat ſe miſerum peccatorem. Coram Domino non opus eſt Enumeratione peccatorum, nec ſupplicare de Remiſſione illorum; quod non opus ſit Enumeratione peccatorum, eſt cauſa, quia illa apud ſe exploravit & vidit, & inde illa apud Dominum præſentia ſunt quia apud ſe; Dominus etiam in Exploratione duxit illum, & aperuit illa, & inſpiravit mærorem, & una cum hoc conatum deſiſtendi ab illis, & inchoandi novam vitam. Quod coram Domino ſupplicatio de Remiſſione peccatorum non fieri debeat, ſunt hæ cauſæ: Prima, quia peccata non abolentur, ſed removentur, & removentur ſicut homo poſtea deſiſtit ab illis, & novam vitam ingreditur; ſunt enim innumeræ Concupiſcentiæ, quæ cuivis malo, ut in glomo, inhærent, quæ non poſſunt momento amoveri, ſed ſucceſſive ſicut homo ſe patitur reformari & regenerari. Altera cauſa eſt, quod Dominus, quia eſt Ipſa Miſericordia, remittat omnibus ſua peccata, nec unum alicui imputet, dicit enim, non ſciunt quid faciunt, ſed uſque non ideo ablata ſunt, nam Petro interroganti, quoties remitteret fratri ſuo delicta, num uſque ad ſepties, dixit, non dico tibi ad ſepties, ſed uſque ad ſeptuagies ſepties, Matth. XVIII: 21. 22; quid non Dominus. Sed uſque non nocet, quod quis gravatus conſcientia, ut levetur, coram Miniſtro Eccleſiæ peccata ſua enumeret, cauſa abſolutionis; quia ſic introducitur in habitum explorandi ſe, & ſuper mala quotidiana reflectendi: ſed hæc Confeſſio eſt naturalis, ſupra deſcripta autem eſt ſpiritualis.

560. Adorare aliquem Vicarium ſuper terra, aut invocare aliquem Sanctum, ut Deum, non plus valet in Cælo, quam ſicut ſupplicare ad Solem, Lunam, & Aſtra, & quærere Divinatorem de reſponſo, & credere effato ejus, quod vanum eſt; hoc foret etiam ſicut adorare Templum & non Deum in Templo: & foret ſicut ſupplicare ſervum Regis, portantem manu ſceptrum & coronam ejus, de homoribus gloriæ, & non ipſum Regem: & hoc irritum foret, ſicut abſtracte a ſubjectis oſculari ſplendorem purpuræ, gloriam, lucem, aureos radios ſolis, & ſolum nomen: Pro illis, qui talia faciunt, ſint hæc, apud Johannem, *Manemus in veritate in Jeſu Chriſto, Hic eſt verus Deus & Vita æterna; filioli, cavete vobis ab idolis*, 1 Epiſt. V: 20. 21.

Quod actualis Pœnitentia facilis ſit apud illos, qui aliquoties illam egerunt, ſed ſumme refractaria illis, qui non egerunt.

561. Actualis pœnitentia eſt ſe explorare, cognoſcere ſua peccata, confiteri ſe coram Domino, & ſic novam vitam inchoare; eſt illa ſecundum deſcriptionem ejus in antecedentibus; hæc in Chriſtiano Reformato Orbe, per quem intelliguntur omnes ab Eccleſia Romano-Catholica ſeparati, & quoque ei addicti, qui non aliquam actualem pœnitentiam egerunt; his & illis eſt Pœnitentia actualis ſumme refractaria; cauſa eſt quia aliqui non volunt, & aliqui timent, & deſuetudo inveterat hominem, ac inducit noluntatem, & tandem conſenſum ex intellectu ratiocinante, & apud quoſdam mœrorem, formidinem & terrorem pro illa. Cauſa primaria, quod actualis Pœnitentia in Chriſtiano Reformato Orbe ſit ſumme refractaria, eſt Fides illorum, quod pœnitentia & charitas nihil conferant ad ſalutem, ſed Fides ſola, ex cujus imputatione ſequitur remiſſio peccatorum, juſtificatio, innovatio, regeneratio, ſanctificatio, & ſalus æterna, præter quod homo ex ſe, aut ſicut ex ſe cooperetur, hoc vocant dogmatici illorum irritum, ac merito Chriſti obvium, repugnabile, & injurioſum; & hoc Vulgo, tametſi ignorant myſtica iſtius fidei, inſeminatum eſt per ſolas has voces, quod ſola fides ſalvet, & quis poteſt bonum facere a ſe: inde eſt quod Pœnitentia apud Reformatos, ſit ſicut nidus cum pullis relictus ab avibus ab aucupe captis ac occiſis. Huic cauſæ accedit hæc, quod homo reformatus ita dictus, quoad ſpiritum ſuum non aliis in Mundo ſpirituali interſit, quam ſimilibus, qui tale inferunt in ideas cogitationum ejus, & abducunt illum a veſtigio ad introſpiciendum ſe & explorandum.

562. Quæſivi multos ex Reformatis in Mundo ſpirituali, cur non pœnitentiam actualem egerunt, cum tamen hoc illis injunctum fuit, tam in Verbo, quam in Baptiſmate, & quoque ante ſanctam Communionem in omnibus illorum Eccleſiis; & reſponderunt varia; QUIDAM, quod ſatis ſit contritio, & tunc oralis Confeſſio, quod peccator ſit. QUIDAM, quod talis pœnitentia, quia fit operante homine ex ſua voluntate, non coincidat cum fide univerſaliter recepta. QUIDAM, quis poteſt ſe explorare cum ſcit quod merum peccatum ſit; hoc foret ſicut immittere rete in lacum a fundo ad ſuperficiem plenum cœno, in quo vermes noxiæ. QUIDAM, quis poteſt tam penitus ſe introſpicere, ut videat in ſe peccatum Adami, ex quo omnia actualia ſua mala ſcaturiverunt, ſuntne hæc una cum illo per aquas baptismatis abluta, & per meritum Chriſti abſterſa & contecta; quid tunc pœnitentia niſi impoſitio, quæ conſcientioſos graviter turbat; ſumuſne ex Evangelio ſub gratia, & non ſub dura iſtius pœnitentiæ lege: præter plura. QUIDAM dixerunt, quod dum intendunt ſe explorare, occupet illos formido & terror, ſicut viderent monſtrum juxta lectum tempore diluculi. Ex his patefactæ ſunt cauſæ, cur Pœnitentia actualis in Chriſtiano Reformato Orbe ſit ſicut in ſitu & rejecta. Et quæſivi in præſentia illorum quoſdam Romano-Catholicæ religioni addictos de Actuali illorum Confeſſione coram ſuis miniſtris, num illa refractaria fuerit, & reſponderunt, quod poſtquam initiati ſunt in illam, non timuerint recenſionem delictorum ſuorum coram Confeſſionario non ſevero, & quod cum quadam voluptate collegerint illa, & hilariter enuntiaverint leviora, at graviora aliquantum timide; & quod quotannis ad conſtitutum ſuum ex more libere redierint, & quod poſt abſolutionem in feſtivitatem: tum quod omnes aſpiciant ſicut impuros, qui non aperire cordis ſui inquinamenta volunt. His auditis Reformati, qui præſentes erant, aufugerunt, quidam ridentes & cachinnantes, quidam ſtupeſcentes & tamen laudantes. Poſtea

acceſſerunt aliqui eidem Eccleſiæ adſcripti, ſed commorati in Regionibus ubi Reformati, qui ex uſu ibi ſolenni, non ſpecialem, ut fratres illorum alibi, ſed modo communem Confeſſionem coram Clavigero ſuo ediderunt; hi dixerunt, quod ſcrutari ſe, eveſtigare & evulgare mala ſua actualia & ſereta cogitationis prorſus non potuerint, & quod ſenſiverint id ita repugnabile & terrificum, ſicut velle tranſire foſſam ad vallum, ubi ſtat miles armatus & clamat, ne accede. Ex his nunc patet, quod actualis Pœnitentia facilis ſit apud illos, qui aliquoties illam egerunt, ſed ſumme refractaria illis qui non egerunt.

563. Notum eſt, quod Conſuetudo faciat alteram naturam, & quod inde facile ſit uni, quod alteri difficile, ita quoque explorare ſe, & explorata confiteri; quid facilius eſt mercenario, bajulo & colono, quam laborare brachiis a mane ad veſperam, cum viciſſim honoratus & delicatus abſque laſſitudine & ſudore idem non poteſt facere ſemiſſe horæ. Facile eſt præcurſori cum baculo & in mollibus calceis carpere viam millenaris, quam aſſuefactus vehi curru, vix poteſt lente currere ab una platea in alteram. Omnis artifex aſſiduus operi ſuo facile & libenter id peragit, & abiens ab illo avet redire, cum alius ejuſdem artificii gnarus, ſed ſocors, vix tandem cogi ad illud poteſt: ſimiliter omnis qui in aliqua functione aut in aliquo ſtudio eſt. Quid pietatis ſtudioſo facilius eſt quam orare ad Deum, & quid impietati emancipato difficilius, & viciſſim. Quis ſacerdos prima vice concionans coram Rege, non timet, at poſtquam inſtauratus eſt, intrepide pergit. Quid facilius eſt homini Angelo quam elevare oculos ad Cælum, & homini diabolo dejicere oculos ad infernum, at ſi hic hypocrita fit, poteſt ſimiliter ſuſpicere ad Cælum, ſed averſo corde: finis propter quem, & inde habitus unumquemvis imbuit.

Quod qui Pœnitentiam nuſquam egit, aut ſe non introſpexit & ſcrutatus eſt, tandem non ſciat quid malum damnabile, & quid bonum ſalutare.

564. Quoniam pauci in Chriſtiano Reformato Orbe pœnitentiam agunt, ideo adjectum eſt hoc, quod qui non ſe introſpexit & ſcrutatus eſt, ille tandem non ſciat quid malum damnabile, & quid bonum ſalutare; non enim ei Religio eſt, unde hoc ſciat; malum enim, quod homo non videt, cognoſcit & agnoſcit, manet, & quod manet, radicatur plus & plus, uſque dum obſtruat interiora mentis ejus, ex quo homo fit primum naturalis, deinde ſenſualis, & demum corporeus, & hic & ille non ſcit aliquod malum damnabile, nec bonum ſalutare; fit ſicut arbor ſuper dura petra, quæ inter foramina ejus ſpargit radices, & tandem, quia defeit humor marceſcit. Omnis homo rite educatus, eſt rationalis & moralis, ſed ad rationalitatem ſunt duæ viæ, una e Mundo, altera e Cælo: ille qui rationalis & moralis factus eſt e Mundo, & non etiam e Cælo, non rationalis & moralis eſt niſi ore & geſtu, ac intus eſt beſtia, imo fera, quia unum agit cum illis qui in Inferno ſunt, ubi omnes tales ſunt: at qui rationalis & moralis etiam eſt e Cælo, hic vere rationalis & moralis eſt, quia ſimul ſpiritu, ore & corpore, in his binis eſt ſpirituale intus ſicut anima, quod actuat naturale, ſenſuale & corporeum, unum etiam agit cum illis qui in Cælo ſunt: quare datur ſpiritualis rationalis & moralis homo, & quoque mere naturalis rationalis & moralis, & unus ab altero non internoſcitur in Mundo, imprimis ſi hypocriſin exercitio imbuit, ſed ab Angelis in Cælo internoſcuntur tam probe, ſicut columbæ a bubonibus, & ſicut oves a tigribus. Mere naturalis homo poteſt mala & bona videre apud alios, & quoque redarguere illos, ſed quia non ſemet introſpexerat & ſcrutatus eſt, non videt aliquod.

quod malum apud ſe, & ſi aliquod ab alio detegitur, medio ſuo rationali obvelat illud, ſicut ſerpens ſuum Caput pulvere, ac immergit ſe illi, ſicut craber ſe fimo. Hoc facit jucundum mali, quod circumfundit illum, ſicut nimbus paludem, ac abſorbet & ſuffocat radios lucis; jucundum infernale non aliud eſt; hoc inde exhalatur & influit in omnem hominem, ſed in plantas pedum, tergum & occipitium ejus; ſed ſi hoc recipitur Capite in frontiſpicio, ac corpore in pectore, homo ille inferno emancipatur; cauſa eſt, quia Cerebrum humanum dicatum eſt intellectui & ibi ſapientiæ, Cerebellum autem voluntati & ejus amori; inde eſt quod duo Cerebra ſint. Sed illud jucundum infernale unice per Spirituale rationale & morale emendatur, reformatur & invertitur.

565. Sequitur nunc aliqua deſcriptio mere naturalis rationalis & moralis hominis, qui in ſe ſpectatus eſt ſenſualis, & ſi pergit, fit corporeus ſeu carneus: ſed deſcriptio hæc fiet in ſciagraphia diviſa in partes. Senſuale eſt ultimum vitæ mentis hominis, adhærens & cohærens quinque ſenſibus corporis ejus. Is ſenſualis homo dicitur, qui omnia judicat ex ſenſibus corporis, & qui non credit, niſi quod oculis videre, & manibus tangere poteſt, hæc dicens eſſe aliquid, reliqua rejiciens. Interiora mentis ejus, quæ vident ex luce Cæli, clauſa ſunt, ut nihil veri, quod Cæli & Eccleſiæ eſt, videat. Talis homo cogitat in extremis, & non interius ex aliqua luce ſpirituali, quia in craſſo lumine naturali eſt: inde eſt, quod interius ſit contra illa, quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt, tametſi exterius poteſt loqui pro illis, ardenter ſecundum ſpem dominationis & opulentiæ per illa. Quod Docti & Eruditi, qui ſe confirmaverunt profunde in falſis, & plus qui contra vera Verbi, præ cæteris ſenſuales ſint. Quod ſenſuales homines ratiocinentur acriter & ſolerter, quia cogitatio illorum eſt prope loquelam, ut pæne in illa, & ſicut in labiis, & quia in loquela ex ſola memoria ponunt omnem intelligentiam: tum quod dextre poſſint confirmare falſa, & quod poſt confirmationem credant illa vera eſſe: ſed quod ex fallaciis ſenſuum ratiocinentur & confirment, a quibus captatur & perſuadetur vulgus. Quod ſenſuales homines aſtuti & malitioſi ſint præ reliquis. Quod avari, adulteri & doloſi, imprimis ſenſuales ſint, tametſi coram Mundo apparent ſicut ingenioſi. Quod interiora mentis eorum ſint fæda & ſpurca; quod per illa communicent cum infernis: quod in Verbo dicantur mortui. Quod illi, qui in Infernis ſunt, ſenſuales ſint, & eo plus, quo profundius: quod ſphæra ſpirituum infernalium, conjungat ſe cum ſenſuali hominis a tergo; & quod in luce Cæli occipitium eorum appareat excavatum. Quod illi qui ratiocinati ſunt ex ſolis ſenſualibus, ab antiquis dicti fuerint ſerpentes Arboris ſcientiæ. Quod ſenſualia ultimo loco eſſe debeant, & non primo, & quod apud hominem ſapientem & intelligentem ultimo loco ſint, & ſubjecta interioribus, at quod apud hominem inſipientem primo loco ſint, & dominantia. Si ſenſualia ultimo loco ſunt, quod per illa aperiatur via ad intellectum, ac elimentur vera per modum extractionis. Quod ſenſualia illa proxime exſtent mundo, & admittant quæ e Mundo alluunt, & quaſi cribrent illa. Quod homo per ſenſualia communicet cum Mundo, & per rationalia cum Cælo. Quod ſenſualia ſubminiſtrent illa, quæ inſerviunt interioribus mentis. Quod ſint ſenſualia ſubminiſtrrntia parti intellectuali, & ſubminiſtrantia parti voluntariæ. Quod niſi cogitatio ſupra ſenſualia elevatur, homo parum ſapiat: quod homo cum cogitatio ejus ſupra ſenſualia elevatur, in lumen clarius veniat, & tandem in lucem cæleſtem, & tunc percipiat talia quæ defluunt e Cælo. Quod ultimum intellectus ſit ſcientificum naturale, & quod ultimum voluntatis ſit jucundum ſenſuale.

566. Homo quoad naturalem hominem eſt ſimilis beſtiæ, adſciſcit imaginem beſtiæ per vitam; quapropter circum tales in Mundo ſpirituali apparent beſtiæ omnis generis, quæ ſunt correſpondentiæ; nam naturale hominis in ſe ſpectatum eſt mere animale, ſed quia ſpirituale illi ſuperadditum eſt, poteſt fieri homo, &

ſi non ſit ex facultate quod poſſit, poteſt mentiri hominem, ſed uſque eſt beſtia loquens; loquitur enim ex rationali naturali, ſed cogitat ex mania ſpirituali, ac agit ex morali naturali, ſed amat ex ſatyria ſi ſpirituali, ſunt actus ejus a rationali ſpirituali homine ſpectati vix aliud quam ſicut ſaltus ejus qui ictus eſt a taratantula, & vocatur S. Vitis ſeu Gui. Quis non ſcit quod hypocrita poſſit loqui de Deo, latro de ſinceritate, adulter de caſtitate, & ſic porro; ſed niſi foret homini dos claudendi & aperiendi januam inter cogitationes & loquelas, ac inter intentiones & actiones, & janitor ibi prudentia aut aſtutia, rueret ferocius omni fera in nefaria & crudelia; ſed illa janua aperitur cuivis poſt mortem, & tunc apparet qualis fuit; verum tenetur in vinculo per pænas & cuſtodias in Inferno. Quapropter, benevole Lector, introſpecta te, & expiſcare unum alterumve malum apud te, & averte illud ex Religione, ſi ex alio propoſito aut fine, non illa aliter avertis, quam ut non appareant coram Mundo.

❁ ❁ ❁ ❁ ❁

567. His adjicientur ſequentia MEMORABILIA: PRIMUM hoc. Subito correptus ſum morbo pæne lethali, totum Caput ingravatum erat, immiſſus fuit fumus peſtilentus ex Hieroſolyma, quæ vocatur Sodoma & Ægyptus, Apoc. XI: 8; fui ſemimortuus cum ſævo dolore, exſpectavi extremum; ita jacui in meo lecto per tres dies & dimidium; ſpiritus meus talis factus eſt, & ex illo corpus meum: & tunc audivi circum me voces dicentium, en jacet in platea Urbis noſtræ mortuus, qui prædicavit Pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, & ſolum Chriſtum hominem: & interrogabant aliquos e Clero, num ille ſepultura dignus ſit, dixerunt quod non, jaceat ac ſpectetur, & abibant, redibant, ſubſannabant: ex veritate ita mihi contigit, cum explicabatur Caput XI^mum^ Apocalypſeos. Auditæ ſunt tunc voces ſubſannantium graves, imprimis hæ; quomodo poteſt Pœnitentia agi abſque fide, quomodo poteſt Chriſtus homo adorari ut Deus; dum gratis ſalvamur abſque ullo noſtro merito, quid opus tunc niſi ſola fide quod Deus Pater miſerit Filium, qui damnationem Legis auferret, imputaret nobis meritum Ipſius, & ſic coram Se juſtificaret nos, & abſolveret nos præcone Sacerdote a peccatis, & tunc daret Spiritum ſanctum, qui omne bonum in nobis operetur; annon hæc ſunt ſecundum Scripturam, & quoque ſecundum rationem; his Cohors adſtans adplaudebat. Audiebam hæc, nec potui reſpondere, quia jacui pæne mortuus: at poſt tres dies & dimidium Spiritus meus convaluit, & quoad illum exivi e platea in Urbem, & dixi iterum, Pœnitentiam agite, & credite in Chriſtum, & remittentur vobis peccata, & ſalvabimini, & ſi non, peribitis; annon Ipſe Dominus prædicavit pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, ac ut crederent in Ipſum; annon mandavit Diſcipulis ut idem prædicarent; anne plenaria ſecuritas vitæ ſequitur veſtræ fidei dogma: ſed dixerunt, quid garris, Filiusne ſatisfecit, Paterne id imputat, nos qui credidimus hoc, juſtificat; ducimur ſic ſpiritu gratiæ, quid tunc in nobis peccatum, quid tunc cum nobis mors; capis hoc Evangelium, præco peccati & pœnitentiæ: ſed tunc exivit vox e Cælo, dicens, quid fides impœnitentis niſi mortua, venit finis, venit finis ſuper vos ſecuros, in oculis veſtris inculpatos, in fide veſtra juſtificatos, Satanæ; & ſubito tunc barathrum aperiebatur in medio Urbis, ſeque dilatavit, & domus ſuper domum cecidit, & abſorpti ſunt, & mox e lata voragine ebullivit aqua, & inundavit vaſtitatem.

Quando ita demerſi ſunt, & viſi inundati, deſiderabam ſcire ſortem illorum in profundo, & dictum eſt mihi e Cælo, videbis & audiés; & tunc coram oculis meis diſparatæ ſunt aquæ, quibus inundati viſi ſunt, quia Aquæ in Mundo ſpirituali ſunt Correſpondentiæ, & inde apparent circum illos qui in falſis ſunt; & tunc

mihi

mihi viſi in Fundo arenoſo, ubi ſtrues e lapidibus congeſtæ, inter quas currebant, & lamentabantur quod ex magna ſua Urbe conjecti eſſent, & vociferabantur & clamabant, cur hoc nobis, annon ſumus per Fidem noſtram mundi, puri, juſti, ſancti; annon ſumus per Fidem noſtram, mundati, purificati, juſtificati, ſanctificati; & alii, annon ſumus per fidem noſtram tales facti, ut coram Deo Patre appareamus, videamur, reputemur, & coram Angelis declaremur mundi, puri, juſti & ſancti, ſumusne reconciliati, propitiati, expiati, & ſic exſoluti, abluti, & abſterſi a peccatis, ſublatane eſt a Chriſto damnatio Legis, cur itaque ut damnati huc conjecti ſumus; audivimus ab audace præcone peccati in magna noſtra Urbe, *credite in Chriſtum, & agite pœnitentiam*, annon credidimus in Chriſtum, cum in Meritum Ipſius; & annon egimus pœnitentiam, cum confeſſi ſumus quod ſimus peccatores; cur itaque hoc nobis evenit. Sed tunc audita eſt vox ad illos a latere, an ſcitis ullum peccatum in quo eſtis, an uſquam exploraviſtis vos, an ideo fugiſtis aliquod malum ut peccatum contra Deum, & qui non fugit illud, eſt in illo; eſtne peccatum diabolus, quare eſtis de quibus Dominus dicit, *Tunc incipietis dicere, edimus coram Te & bibimus, & in plateis noſtris docuiſti, ſed dicet, dico vobis, non novi vos unde eſtis, diſcedite a Me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XIII: 26. 27. ut & de quibus Matth. VII: 22. 23. abite itaque, quiſque in ſuum locum, videtis aperturas in Cavernas, intrate illuc, & dabitur ibi cuique veſtrum ſuum opus ad faciendum, & tunc cibus ad menſuram operis, ſi non, uſque fames urgebit vos ad intrandum.

Poſtea vox e Cælo facta eſt ad quoſdam ſuper terra, qui extra Urbem illam magnam fuerunt, de quibus etiam Cap. XI: 13, dicens alte, cavete vobis, cavete vobis a conſociatione cum ſimilibus; annon poteſtis intelligere, quod mala, quæ vocantur peccata & iniquitates, immundum & impurum reddant hominem, quomodo poteſt homo ab illis mundari & purificari, quam per actualem pœnitentiam, & per fidem in Dominum Jeſum Chriſtum: actualis pœnitentia eſt, explorare ſe, cognoſcere & agnoſcere ſua peccata, ſe reum facere, confiteri illa coram Domino, implorare opem & potentiam reſiſtendi illis, & ſic deſiſtere ab illis, & novam vitam agere, & hæc omnia ſicut a vobis; facite ita ſemel aut bis in anno, quando acceditis ad Sanctam Communionem, & poſtea cum peccata, quorum reos vos feciſtis, recurrunt, tunc vobiſcum dicatis, non volumus illa, quia ſunt peccata contra Deum; hæc eſt Pœnitentia actualis. Quis non poteſt intelligere, quod qui non explorat & videt ſua peccata, maneat in illis, omne enim malum a nativitate jucundum eſt, jucundum enim eſt, vindicare, ſcortari, defraudare, blaſphemare, imprimis dominari ex amore ſui, annon jucundum facit ut non videantur, & ſi forte dicitur quod peccata ſint, annon ex jucundo illorum excuſatis illa, imo per falſa confirmatis quod peccata non ſint, & ſic manetis in illis, & facitis illa poſtea plus quam prius, & hoc eouſque, dum non ſcitis quid peccatum, imo num ſit peccatum. Aliter fit cuivis, qui Pœnitentiam actualiter egit, ille mala ſua, quæ cognovit & agnovit, vocat peccata, ac ideo incipit illa fugere & everſari, & tandem jucundum illorum ſentire injucundum; & quantum hoc fit, tantum videt & amat bona, & tandem ſentit horum jucundum, quod eſt jucundum Angelorum Cæli; verbo, quantum quis rejicit diabolum ad tergum, tantum adoptatur a Domino, & ab Ipſo docetur, ducitur, detinetur a malis, & tenetur in bonis; hæc via eſt, & non alia ab Inferno ad Cælum. Hoc mirabile eſt, quod quædam inſita renuentia, tergiverſatio & averſatio pro Pœnitentia actuali ſit Reformatis, quæ tanta eſt, ut non poſſint adigere ſemet ad explorandum ſe, & ad videndum ſua peccata, & ad confitendum ea coram Deo; eſt ſicut horror invadat illos dum id intendunt; quæſivi permultos in Mundo ſpirituali de eo, & dixerunt omnes, quod hoc ſit ſupra vires illorum: cum audiverunt quod Pontificii uſ-

uſque hoc faciant, hoc eſt, quod explorent ſe, & palam confiteantur peccata ſua coram Monacho, valde mirati ſunt, & inſuper quod Reformati non poſſint id facere in occulto coram Deo, tametſi id illis æque injunctum eſt antequam ad Sacram Cænam accedunt; & quidam ibi inquiſiverunt cur hoc, ac invenerunt quod ſola Fides talem impænitentiæ ſtatum & tale cor induxerit: & tunc datum eſt illis videre, quod illi ex Pontificiis, qui adorant Chriſtum, & non invocant Sanctos, ſalventur.

Poſt hæc auditum eſt ſicut tonitru, & vox loquens e Cælo, dicens, miramur; dic ad Cætum Reformatorum, credite in Chriſtum, & agite Pænitentiam, & ſalvabimini: & dixi, & inſuper; eſtne Baptismus Sacramentum Pænitentiæ, & inde Introductio in Eccleſiam, quid aliud Patrini pro Baptizando ſpondent, quam ut abdicet diabolum & ejus opera. Eſtne Sacra Cæna Sacramentum pænitentiæ, & inde Introductio in Cælum; diciturne ad Communicantes, ut omnino ante acceſſionem pænitentiam agant. Eſtne Catechismus Doctrina Univerſalis Eccleſiæ Chriſtianæ docens pænitentiam, diciturne ibi in ſex Præceptis Secundæ Tabulæ, hoc & illud Malum non facies, & non dicitur, hoc & illud Bonum facies: inde poteſtis ſcire, quod quantum quis Malum abdicat & averſatur, tantum Bonum affectet & amet, & quod prius non ſciat quid Bonum, imo nec quid Malum.

568. Secundum Memorabile. Quis pius & ſapiens non vult ſcire ſortem vitæ ſuæ poſt mortem, quare manifeſtabo communia ut ſciat. Omnis homo poſt mortem, cum ſentit quod adhuc vivat, & quod in alio Mundo ſit, ac audit quod ſupra illum ſit Cælum ubi æterna gaudia, & infra illum ſit Infernum, ubi æterni dolores, primum remittitur in externa ſua in quibus fuit in Mundo priori, & tunc credit quod certe in Cælum venturus ſit, ac loquitur intelligenter & agit prudenter; & dicunt aliqui, moraliter viximus, honeſta ſectavimus, ex propoſito non fecimus malum; & alii dicunt, frequentavimus templa, miſſas auſcultavimus, ſancta ſculptilia oſculati ſumus, ſuper genubus fudimus preces; & quidam dicunt, pauperibus dedimus, opitulati ſumus egenis, libros pietatis legimus, & quoque Verbum, præter plura ſimilia; at poſtquam hæc dixerunt, adſtant Angeli, & dicunt, illa omnia quæ memoraviſtis, feciſtis in Externis, ſed neſcitis adhuc, quales eſtis in Internis, nunc eſtis Spiritus in Corpore ſubſtantiali, ac Spiritus eſt Internus veſter homo, eſt hic in vobis qui cogitat quod vult, & vult quod amat, & hoc eſt jucundum vitæ ejus, omnis homo ab infantia inchoat vitam ab Externis, ac diſcit moraliter agere, ac intelligenter loqui, & cum ideam Cæli & beatitudinis ibi cæpit, inchoat orare, frequentare templa, & ſolennia cultus obire, & uſque mala, dum e ſuo fonte nativo ſcaturiunt, in ſinu mentis ſuæ recondere, & quoque ingenioſe circumvelare ratiociniis ex fallaciis, uſque adeo, ut ipſe non ſciat quod malum ſit malum; & tunc mala quia circumvelata ſunt & contecta ſicut pulvere, non amplius cogitat de illis, cavendo ſolum ne appareant coram Mundo; ita modo ſtudet vitæ morali in externis, & ſic fit homo duplex, fit ovis in externis, & lupus in internis; & ſicut pyxis aurea in qua intus eſt venenum; & fit ſicut fæde reſpirans aromaticum in ore tenens ne ab adſtantibus ſentiatur; & fit ſicut pellis muris quæ balſamice olet. Dixiſtis, quod moraliter vixeritis, & quod ſtudia pietatis ſectaveritis, ſed quæro, num uſquam exploraviſtis Internum veſtrum hominem & percepiſtis aliquas concupiſcentias vindicandi uſque ad necem, libidinandi uſque ad adulterium, defraudandi uſque ad furtum, mentiendi uſque falſum teſtimonium, in quatuor Decalogi Præceptis dicitur illa non facies, & in duobus ultimis dicitur illa non concupiſces, num creditis, quod Internus veſter homo in his ſimilis fuerit Externo veſtro, ſi hoc creditis, forte fallimini. Sed ad hæc reſponderunt, quid Internus homo; eſtne hic & Externus unus idem; audivimus a Miniſtris noſtris, quod Internus homo non aliud

liud ſit quam Fides, & quod pietas oris & moralitas vitæ ſignum ejus ſit, quia operatio ejus; ad quæ reſponderunt Angeli, Fides ſalvifica eſt in Interno homine, pariter Charitas, & inde eſt Fidelitas & Moralitas Chriſtiana in Externo homine, at ſi concupiſcentiæ ſupradictæ in Interno homine, ita in voluntate & inde in cogitatione manent, proinde ſi interius amatis illas, & tamen aliter in externis agitis & loquimini, tunc apud vos malum eſt ſupra bonum, & bonum eſt infra malum, quapropter utcunque ſicut ex intellectu loquimini, & ex amore agitis, interius eſt malum, & hoc ita circumvelatum; & tunc eſtis ſicut Fingæ aſtutæ, quæ fingunt actus ſimiles humanis, ſed cor eorum longe abeſt. Sed qualis Internus veſter homo eſt, de quo nihil ſcitis, quia non exploraviſtis vos, & poſt explorationem non pœnitentiam egiſtis, poſt tempus viſuri eſtis, quando exuenimi Externo homine, ac intromittemini in Internum, & cum hoc fit, non amplius agnoſcemini a conſociis veſtris, nec a vobis ipſis; vidi morales malos tunc ſicut feras, intuentes proximum truculentis oculis, flagrantes odio internecimo, & blaſphemantes Deum, quem in Externo homine adoraverunt: his auditis receſſerunt, & Angeli tunc dicebant, videbitis ſortem vitæ veſtræ poſthac, nam brevi auferetur vobis Externus homo, ac intrabitis in Internum, qui nunc eſt Spiritus veſter.

569. Tertium Memorabile. Omnis Amor apud hominem exſpirat jucundum, per quod ſe facit ſentiri, & exſpirat id proxime in ſpiritum, & inde in corpus, & jucundum amoris ejus una cum amæno cogitationis facit vitam ejus: illa jucunda & æmæna non ſentiuntur niſi oſcure ab homine, quamdiu vivit in Corpore naturali, quia hoc Corpus abſorbet & hebetat illa, at poſt mortem, cum Corpus materiale ablatum eſt, & ſic operimentum ſeu indumentum ſpiritus remotum, tunc jucunda amoris & amæna cogitationis ejus plene ſentiuntur & percipiuntur, & quod mirabile, quandoque ſicut odores; inde eſt, quod omnes in Mundo Spirituali conſocientur ſecundum amores ſuos, in Cælo ſecundum ſuos, in Inferno ſecundum ſuos; odores, in quos vertuntur jucunda amorum in Cælo, ſentiuntur omnes ſicut tales fragrantiæ, ſuaveolentiæ, amænæ ſpirationes, & delitioſæ perceptiones, quales ſentiuntur in hortis, floretis, agris & ſylvis in matutis, tempore veris; odores autem in quos vertuntur jucunda amorum illorum, qui in Inferno ſunt, ſentiuntur ut nidores, fætores & putores, quales e latrinis, cadaveribus, & ſtagnis quisquiliis & ſterquilineis oppletis; & quod mirabile, diaboli & ſatanæ ibi ſentiunt illa ut balſama, aromata & thura, quæ nares & corda illorum refocillant. In Mundo naturali datum etiam eſt beſtiis, avibus & vermibus conſociari ſecundum odores, ſed non hominibus tunc, priuſquam depoſuerint corpora ut exuvias. Inde eſt, quod Cælum diſtinctiſſime ordinatum ſit ſecundum omnes varietates amoris boni, ac Infernum ex oppoſito ſecundum omnes varietates amoris mali; propter hanc oppoſitionem eſt, quod inter Cælum & Infernum ſit Hiatus, qui tranſiri non poteſt; illi enim qui in Cælo ſunt non ſuſtinent aliquem odorem Inferni, excitat enim nauſeam & vomitum, & minatur deliquium, ſi attrahunt; ſimile ſit illis qui in Inferno ſunt, ſi meditullium iſtius Hiatus transſcendunt. Quondam vidi aliquem diabolum apparentem e longinquo ut Pardum, qui ante aliquot dies inter Angelos ultimi Cæli viſus eſt, & calluit artem ſe Angelum lucis facere, tranſeuntem Meditullium, & ſtantem inter binas oleas, & non ſentientem aliquem odorem vitæ ſuæ infeſtum; cauſa erat, quia Angeli non aderant; at vero ut primum aderant, convulſionibus actus eſt, ac decidit quoad omnes artus contractus, & tunc viſus eſt ſicut magnus Serpens ſe contorquens in volvulos, & tandem ſe per Hiatum devolvens, & exceptus a ſuis, & deportatus in Cavernam, ubi a graveolente odore ſui Jucundi revixit. Quondam etiam vidi quendam Satanam punitum a ſuis, quæſivi cauſam, & dicebatur, quod ille obturatis naribus acceſſerit ad illos qui in odore Cæli erant, & quod redierit, & odorem illum ſuper veſtibus

ſuis

ſuis ſecum tulerit. Aliquoties contigit, quod ex Caverna aliqua Inferni aperta putor ſicut cadaveris ſtrinxerit nares meas, & civerit vomitum. Ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod in Verbo Olfactus ſignificet perceptionem, nam dicitur ſæpius, quod Jehovah ex Holocauſtis odoratus ſit odorem gratum; tum quod Oleum unctionis, & quod Thura parata ſint ex fragrantibus: & viciſſim, quod mandatum ſit filiis Iſraelis, ut immunda e caſtris eorum exportarentur extra caſtra, & quod excrementa alvi defoderent & contegerent, Deutr. XXIII: 14. 15; cauſa erat, quia Caſtra Iſraelis repræſentabant Cælum, ac Deſertum extra caſtra repræſentabat Infernum.

570. QUARTUM MEMORABILE. Quondam loquutus ſum cum Spiritu novitio, qui dum fuit in Mundo, de Cælo & Inferno multum meditatus eſt; per Spiritus novitios intelliguntur homines noviter defuncti, qui quia tunc ſunt homines ſpirituales, vocantur Spiritus. Ille, ut primum intravit in Mundum ſpiritualem, cæpit de Cælo & Inferno ſimiliter meditari, & ſibi viſus, cum de Cælo, in lætitia, & cum de Inferno in triſtitia. Ille cum animadverit ſe in Mundo ſpirituali eſſe, ſtatim quæſivit, ubi Cælum & ubi Infernum, tum quid & quale unum & alterum; & reſponderunt, Cælum eſt ſupra Caput tuum, & Infernum eſt infra pedes tuos, nunc enim es in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum; ſed quid & quale Cælum & quid & quale Infernum eſt, non poſſumus paucis deſcribere: & tunc quia flagrabat deſiderio cognoſcendi, projecit ſe ſuper genua, & oravit devote ad Deum, ut inſtrueretur: & ecce apparuit Angelus ad dextram ejus & elevavit illum, & dixit, ſupplicaviſti ut inſtruereris de Cælo & Inferno, INQUIRE ET DISCE QUID JUCUNDUM ET COGNOSCES, & Angelus his dictis ſublatus eſt: tunc Spiritus novitius ſecum dixit, quid hoc, *Inquire & diſce quid Jucundum, & cognoſces quid & quale Cælum & Infernum eſt:* mox e loco illo abiens circumvagatus eſt, & obvios alloquutus dixit, dicite quæſo, ſi placet, quid Jucundum; & dicebant aliqui, quæ qualis hæc quæſtio, quis non ſcit quid Jucundum, eſtne gaudium & lætitia, quare jucundum eſt jucundum, unum ſicut alterum, non ſcimus diſcrimen; alii dicebant, quod Jucundum eſſet riſus mentis, dum enim mens ridet, eſt facies hilaris, loquela jocularis, geſtus ludens, & totus homo in jucundo; aliqui autem dicebant, Jucundum nihil aliud eſt, quam epulari & edere lautitias, ac bibere & generoſo vino inebriari, & tunc confabulari de rebus variis, imprimis de ludis Veneris & Cupidinis: his auditis, Spiritus novitius indignatus ſecum dixit, hæc Reſponſa ſunt ruſticalia & non civilia, hæc Jucunda non ſunt Cælum nec Infernum, utinam conveniam Sapientes, & abivit ab illis & quæſivit ubi ſapientes; & tunc viſus eſt a quodam Spiritu angelico, qui dixit, percipio quod accenſus ſis deſiderio ſciendi id quod eſt univerſale Cæli, & Univerſale Inferni, & quia hoc eſt JUCUNDUM, deducam te ſuper Collem, ubi quotidie conveniunt illi, qui rimantur Effectus, & illi qui inveſtigant Cauſas, & illi qui explorant Fines, illi ibi qui rimantur Effectus vocantur Spiritus ſcientiarum, & abſtracte Scientiæ, & illi qui inveſtigant Cauſas, vocantur Spiritus intelligentiæ, & abſtracte Intelligentiæ; & illi qui explorant Fines, vocantur Spiritus Sapientiæ, abſtracte Sapientiæ; directe ſupra illos in Cælo ſunt Angeli, qui ex finibus vident cauſas, & ex cauſis effectus; ex his Angelis eſt tribus illis Cætibus illuſtratio. Ille tunc Spiritum novitium prehendens manu duxit ſuper Collem, & ad Cætum, qui erat ex illis, qui explorant Fines & vocantur Sapientiæ; his dixit, ignoſcite quod ad vos aſcenderim, cauſa eſt, quia a pueritia mea meditatus ſum de Cælo & Inferno, & in hunc Mundum nuper veni, & quidam mihi tunc aſſociati dixerunt, quod hic Cælum ſit ſupra caput meum, ac Infernum ſub pedibus meis, ſed non dixerunt quid & quale unum & alterum, quare ex conſtante cogitatione de illis anxius factus oravi ad Deum, & tunc adſtitit

ſtitit Angelus, & dixit, INQUIRE ET DISCE QUID JUCUNDUM ET COGNOSCES, inquiſivi, ſed adhuc in vanum; peto itaque, ut ſi libet, doceatis me quid Jucundum: ad hæc Sapientiæ reſpondebant, Jucundum eſt omne vitæ omnibus in Cælo, & omne vitæ omnibus in Inferno; illis qui in Cælo ſunt, eſt Jucundum boni & veri, illis autem qui in Inferno ſunt, eſt Jucundum mali & falſi; omne enim Jucundum eſt amoris, & Amor eſt Eſſe vitæ hominis, quare ſicut homo eſt homo ſecundum quale ſui Amoris, ita eſt homo ſecundum quale ſui Jucundi; activitas amoris facit ſenſum jucundi, activitas ejus in Cælo eſt cum ſapientia, & activitas ejus in Inferno eſt cum inſania, utraque in ſuis Subjectis ſiſtit Jucundum; ſunt autem Cæli & Inferni in oppoſitis Jucundis, Cæli in Amore boni & inde Jucundo benefaciendi, Inferni autem in amore mali, & inde in Jucundo malefaciendi, ſi itaque cognoſcis quid Jucundum, cognoſces quid & quale eſt Cælum & Infernum. Sed inquire & diſce adhuc quid Jucundum ab illis, qui inveſtigant cauſas, & vocantur Intelligentiæ, ſunt abhinc ad dextrum & abivit, & acceſſit, & dixit cauſam adventus, & petiit, ut inſtruerent quid Jucundum, & hi gaviſi ab interrogatione dixerunt, verum eſt, quod qui cognoſcit Jucundum, cognoſcat quid & quale eſt Cælum & Infernum; Voluntas, ex qua homo eſt homo, ne quidem punctulum fertur, niſi a Jucundo, nam Voluntas in ſe ſpectata, non eſt niſi quam affectio alicujus amoris, ita jucundi, eſt enim aliquod volupe & inde placitum, quod facit velle; & quia Voluntas agit Intellectum ad cogitandum, non datur minimum cogitationis, niſi ab influo voluntatis jucundo; quod ita ſit eſt cauſa, quia Dominus per influxum a ſe actuat omnia animæ, & omnia mentis apud Angelos, ſpiritus & homines, & actuat per influxum amoris & ſapientiæ, & hic influxus eſt ipſa activitas, ex qua omne jucundum eſt, quod in origine ſua vocatur beatum, fauſtum & felix, & in derivatione jucundum, æmænum, & volupe, & in univerſali ſenſu Bonum: ſed Spiritus Inferni invertunt apud ſe omnia, ita Bonum in Malum, & Verum in Falſum, permanente jugiter Jucundo, nam abſque permanentia Jucundi non foret illis Voluntas, nec Senſatio, ita non vita; ex his patet, quid & quale, & unde Jucundum Inferni, tum quid, quale, & unde Jucundum Cæli eſt. His auditis, deductus eſt ad Tertium Cætum, ubi erant qui rimantur Effectus, & vocantur Scientiæ, & hi dicebant, deſcende in Terram inferiorem, & aſcende in Terram ſuperiorem, in his percepturus & ſentiturus es Jucunditates & Cæli & Inferni. Sed ecce tunc ad diſtantiam ab illis hiabat terra, & per hiatum aſcendebant tres Diaboli, apparentes igniti ex jucundo amoris illorum, & quia Angeli conſociati cum novitio Spiritu percipiebant, quod illi Tres ex Proviſo ex Inferno aſcenderint, clamabant ad diabolos, ne accedite propius, ſed e loco ubi eſtis, narrate aliquid de Jucundis veſtris; & reſpondebant, ſcitote quod unusquiſque, ſive bonus ſive malus dicatur, in ſuo Jucundo ſit, Bonus ita dictus in ſuo, & Malus ita dictus in ſuo; & quæſiverunt, quid veſtrum Jucundum, dicebant, quod eſſet Jucundum ſcortandi, vindicandi, defraudandi, blaſphemandi; & iterum quæſiverunt, qualia ſunt vobis Jucunda illa, dicebant quod ſentiantur ab aliis ſicut fætores ex ſtercoribus, & ſicut putores ex cadaveribus, & ſicut nidores ex urinis ſtagnatis; & quæſiverunt, ſunt illa vobis jucunda, dicebant, ſunt jucundiſſima, & dixerunt, tunc eſtis ſicut immundæ beſtiæ, quæ in illis degunt; & reſponderunt, ſi ſimus ſumus, ſed talia ſunt deliciæ narium noſtrarum; & quæſiverunt, quid plura; dicebant, quod cuivis liceat in ſuo Jucundo eſſe, etiam immundiſſimo, ut illud vocant, modo non infeſtet bonos Spiritus & Angelos; ſed quia ex Jucundo noſtro non potuimus aliter, quam illos infeſtare, conjecti ſumus in Ergaſtula, ubi dura patimur; inhibitio & retractio Jucundorum noſtrorum ibi, eſt quod vocatur cruciatus Inferni, eſt quoque interior dolor; & quæſiverunt, cur infeſtaviſtis bonos, dicebant quod non potuerint aliter, eſt ſicut furor nos invadat,

dat, dum videmus aliquem Angelum, & ſentimus ſphæram Divinam Domini circum illum; ad quod diximus, tunc eſtis etiam ſicut feræ: & mox cum viderunt novitium Spiritum cum Angelis, ſupervenit diabolos furor, qui apparuit ſicut Ignis odii, quare ne damnum inferrent, in Infernum rejecti ſunt. Poſt hæc apparebant Angeli qui ex finibus videbant Cauſas, & per Cauſas effectus, qui in Cælo ſupra tres illos Cætus erant, & hi viſi ſunt in candida luce, quæ per ſpirales flexus ſe devolvens, ſecum tulit rotundum Sertum ex floribus, & poſuit ſuper Caput novitii Spiritus, & tunc ad illum facta eſt vox inde, hæc Laurea tibi datur propter cauſam, quia a pueritia meditatus es de Cælo & Inferno.

CAPUT DECIMUM

DE

REFORMATIONE ET REGENERATIONE.

571. Poſtquam de Pænitentia actum eſt, ſequitur in ſuo ordine de Reformatione & Regeneratione, quia hæ Pænitentiam ſequuntur, & per Pænitentiam promovent gradus. Sunt duo Status, quos homo ingreſſurus & ſubiturus eſt, dum a Naturali fit Spiritualis, Primus Status vocatur REFORMATIO, & Alter REGENERATIO; homo in Primo ſtatu a Naturali ſuo ſpectat ad Spiritualem, & hunc deſiderat, in altero ſtatu fit Spiritualis naturalis; Primus ſtatus formatur per vera quæ erunt fidei, per quæ ſpectat ad Charitatem, Alter ſtatus formatur per bona charitatis, & ab his intrat in vera fidei; ſeu quod idem eſt, Primus ſtatus eſt cogitationis ex intellectu, Alter autem eſt Amoris ex Voluntate; quando hic ſtatus inchoat & progreditur, fit mutatio in Mente, nam fit verſura, quia tunc Amor voluntatis influit in Intellectum, ac agit & ducit illum ad cogitandum concorditer & congrue ſuo amori; quare quantum tunc Bonum amoris primas partes agit, & vera fidei ſecundas, tantum eſt homo ſpiritualis, & eſt nova Creatura, & tunc ex Charitate agit, & ex fide loquitur, & ſentit bonum charitatis, & percipit verum fidei, & eſt tunc in Domino, inque Pace, & ſic Regeneratus. Homo, qui in Mundo Primum ſtatum inchoavit, ille poſt mortem poteſt introduci in Alterum, at qui non in Primum ſtatum in Mundo intravit, ille poſt mortem non poteſt in Alterum introduci, ita non regenerari. Duo hi Status comparari poſſunt cum progreſſione Lucis & Caloris in diebus tempore veris, Primus cum diluculo ſeu gallinaceo, Alter cum mane & aurora, & progreſſio hujus ſtatus cum progreſſione diei ad meridiem, & ſic in Lucem & Calorem. Comparari etiam poteſt cum Meſſe, quæ primum eſt herba, deinde creſcit in ariſtas & ſpicas, & poſtea in his fit frumentum. Tum etiam cum Arbore, quæ primum ex ſemine e terra excreſcit, poſtea fit caulis, e quo exeunt rami, & hi exornantur foliis, & dein efflorescit, & ex intimo florum initiat fructus, qui ſicut matureſcunt, nova ſemina, ſicut novas proles, producunt. Status primus, qui eſt Reformationis, etiam comparari poteſt cum Statu bombycis, quando extrahit ex ſe & evolvit ſtamina ſerici, & poſt induſtrium ſuum laborem evolat in aerem, & ſe, non ut prius ex foliis, ſed ex ſuccis in floribus, nutrit.

Quod homo niſi denuo generatur, & ſicut e novo creatur, non poſſit ingredi in Regnum Dei.

572. Quod homo niſi denuo generatur, non poſſit ingredi in regnum Dei, eſt Doctrina Domini apud Johannem, ubi hæc „ *Jeſus dixit Nicodemo, amen, amen, dico tibi, niſi quis generetur denuo, non poteſt videre regnum Dei:* & iterum „ *amen, amen,*

amen dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei; quod natum est ex carne. Caro est, & quod generatum est ex spiritu, Spiritus est, Cap. III: 3. 5. 6. per Regnum Dei intelligitur & Cælum & Ecclesia, nam Regnum Dei in terris est Ecclesia, similiter alibi ubi nominatur regnum Dei, ut Matth. XI: 11. Cap. XII: 28. Cap. XXI: 43. Luc. IV: 43. Cap. VI: 20. Cap. VIII: 1. 10. Cap. IX: 11. 60. 62. Cap. XVII: 21, & alibi: generari per aquam & spiritum, significat per vera Fidei, & per vitam secundum illa; quod aqua significet vera, videatur in Apocalysi Revelata, n: 50. 614. 615. 685. 932: quod spiritus significet vitam secundum Divina vera, patet a Domini verbis apud Johannem Cap: VI: 63: per amen, amen, significatur, quod sit veritas, & quia Dominus fuit ipsa veritas, ideo toties id dixit; Ipse vocatur etiam Amen, Apoc. Cap. III: 14. Regenerati in Verbo vocantur Filii Dei, & Nati a Deo; ac Regeneratio describitur per novum cor & novum spiritum.

573. Quoniam creari etiam significat regenerari, ideo dicitur qui denuo generatur & sicut e novo creatur; quod creari id in Verbo significet, constat ex his locis „ *Cor mundum* CREA *miki Deus, & spiritum firmum innova in medio mei*, Psalm LI: 12. *Aperis manum, saturantur bono, emittis spiritum, Creantur*, Psalm: CIV: 28. 30. *Populus, qui Creabitur, laudabit Jah*, Psalm CII: 19. *Ecce Ego Creaturus sum Hierosolymam exultationem*, Esaj. LXV: 18. *Sic dixit Jehovah, Creator tuus Jacob, Formator tuus Israel, redemi te, omnem vocatum a nomine meo, in gloriam meam Creavi eum*, Esaj. XLIII: 1. 7. *Ut videant, cognoscant, attendant & intelligant, quod Sanctus Israelis Creaverit hoc*, Esaj. XLI: 19; præter alibi, & ubi Dominus vocatur Creator, Formator & Factor. Inde patefit, quid intelligitur per hæc Domini ad discipulos „ *Euntes in Mundum Universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ*, Marc. XVI: 15; per Craaturas intelliguntur omnes qui regenerari possunt, pariter Apoc. III. 14. II Cor. V: 16. 17.

474. Quod homo regenerandus sit, patet ex omni ratione; nascitur enim in mala omnis generis a parentibus, & hæc insident naturali ejus homini, qui ex se e diametro est contra spiritualem hominem; & tamen natus est ad Cælum, & ad Cælum non venit, nisi spiritualis fiat, quod unice fit per regenerationem: inde necessario sequitur, quod naturalis homo cum suis concupiscentiis sit domandus, subjugandus, & invertendus, & quod alioquin nullo passu appropinquare ad Cælum possit, sed plus & plus se in infernum demittat: quis hoc non videt, qui credit quod in mala omnis generis natus sit, & qui agnoscit quod bonum & malum sint, & quod unum sit contra alterum; & si credit vitam post mortem, ac infernum & cælum, quod mala faciant infernum, & bona Cælum. Naturalis homo in se spectatus quoad naturam suam ne hilum differt a natura bestiarum, est similiter ferus, sed talis est quoad voluntatem; at differt a bestiis quoad intellectum, hic potest elevari supra concupiscentias voluntatis, & non modo videre illas, sed etiam moderari illas; inde est, quod homo possit ex intellectu cogitare, & ex cogitatione loqui, quæ bestiæ nequeunt. Qualis homo est a nativitate, & qualis foret si non regeneraretur, videri potest ab omnis generis belluis, quod foret tigris, panthera, pardus, porcus sylvestris, scorpius, taratantula, vipera, crocodilus, etc; quare nisi per regenerationem transformaretur in ovem, quid aliud esset quam diabolus inter diabolos in inferno: annon tunc, si non leges regni coercerent tales, a ferocitatibus connatis, irrueret unus in alterum, & se mutuo tracidarent, aut usque ad femoralia despoliarent. Quot ex humano genere sunt, qui non nati sunt satyri & priapi, aut quadrupedes lacerti, & quis non ex his & illis, nisi regeneretur, fit simia; moralitas externa, quæ addiscitur causa operiendi interna sua, hoc facit.

575. Qualis homo non regeneratus est, ulterius describi potest per comparationes & similitudines has, apud Esajam „ Possidebunt illum platea & anataria, „ & noctua, ac corvus, ibi habitabunt; extendet super illum lineam inanitatis, &

„ per-

„ perpendicula vaſtitatis; unde aſcendent altaria ejus ſpina, carduus & ſentis in „ munitionibus ejus, & fit habitaculum draconum; atrium filiabus noctiæ: occur- „ rentque ziim cum ijim, & ſatyrus ſocio ſuo obviabit, imo quieſcet ibi lilith; „ ibi nidificabit merula, & ponet, & colliget, & excludet in umbra ejus, imo ibi „ congregabuntur milvi, unus cum ſocio ſuo; Cap. XXXIV: 11. 13. 14. 15.

Quod nova Generatio ſeu Creatio fiat a Solo Domino per Charitatem & Fidem, ut duo Media, cooperante homine.

576. Quod Regeneratio fiat a Domino per Charitatem & Fidem, ſequitur ex demonſtratis in Capp. de Charitate & de Fide, & in ſpecie ab hoc ibi, Quod Dominus, Charitas & Fides unum faciant, ſicut vita, voluntas & intellectus, & quod ſi dividuntur, unumquodvis ex illis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem. Hæc duo, Charitas & Fides, vocantur media, quia conjungunt hominem cum Domino, & faciunt, quod charitas ſit charitas, & quod fides ſit fides, & hoc fieri non poteſt, niſi homo etiam partem habeat in Regeneratione, quare dicitur cooperante homine. In Tranſactionibus, quæ præcedunt, aliquoties de cooperatione hominis cum Domino, actum eſt; ſed quia Mens humana talis eſt, ut non aliter percipiat id, quam quod homo ex ſuamet potentia id efficiat, quare id iterum illuſtrabitur. In omni motu, & inde in omni actione, eſt activum & paſſivum, hoc eſt, quod agens agat, ac patiens agat ex agente, inde ex utroque fit una actio; comparative ſicut mola a rota, currus ab equo, motus a conatu, effectus a cauſa, vis mortua a viva, in genere, ſicut inſtrumentale a principali, quod hæc duo ſimul faciant unam actionem, quiſque novit: quoad Charitatem & Fidem, Dominus agit, & homo agit ex Domino, eſt enim activum Domini in paſſivo hominis; quare potentia bene agendi eſt a Domino, ac inde voluntas agendi eſt ſicut hominis, quæ eſt in libero arbitrio, ex quo poteſt una agere cum Domino, & ſic ſe conjungere, & poteſt ex potentia inferni, quæ eſt extra, agere, & ſic ſe ſeparare. Actio hominis concors cum actione Domini eſt quæ hic intelligitur per Cooperationem; ut hoc evidentius percipiatur, illuſtrabitur adhuc per comparationes infra.

577. Ex his ſequitur etiam hoc, quod Dominus continue ſit in actu regenerandi hominem, quia continue eſt in actu ſalvandi illum, & nullus ſalvari poteſt, niſi regeneretur, ſecundum ipſa Domini verba apud Johannem; *Quod qui non generatur denuo, non poſſit videre regnum Dei*, Cap. III: 3. 5. 6: eſt itaque Regeneratio medium ſalvationis, ac Charitas & Fides ſunt media regenerationis. Quod Regeneratio ſequatur fidem hodiernæ Eccleſiæ, quæ eſt abſque cooperatione hominis, eſt vanitas vanitatum. Actio & cooperatio qualis deſcripta eſt, videri poteſt in omni re, quæ in aliqua activitate & mobilitate eſt: talis actio & cooperatio eſt cordis & omnis ejus arteriæ, Cor agit & Arteria ex ſuis involucris aut tunicis cooperatur, inde circulatio: ſimile eſt cum Pulmone, aer ex incumbentia ſecundum altitudinem ſuæ athmoſphæræ agit, & coſtæ cum pulmone primum cooperantur, & mox poſtea pulmo cum coſtis; inde reſpiratio omnis membranæ in corpore; ita meninges cerebri, pleura, peritonæum, diaphragma, & reliquæ, quæ viſcera tegunt, & quæ intus componunt, agunt & aguntur, & ſic cooperantur, ſunt enim elaſticæ, inde exiſtentia & ſubſiſtentia; ſimile eſt in omni fibra & nervo, inque omni muſculo, imo in cartilagine, quod in ſingulis illis fit actio & cooperatio, notum eſt. Talis cooperatio eſt quoque in omni ſenſu, nam ſenſoria ſicut motoria corporis, ex fibris, membranis & muſculis conſiſtunt, ſed cujuſvis cooperationem deſcribere, ſupervacaneum eſt; ſcitur enim quod lux agat in oculum, ſonus in aurem,

rem, odor in narem, & ſapor in linguam, & quod organa illis ſe adaptent, unde ſenſatio: quis non inde poteſt percipere, quod niſi talis actio & cooperatio cum influa vita in ſpirituali organiſmo Cerebri foret, non poſſet exiſtere cogitatio & voluntas; vita enim a Domino in organiſmum illum influit, qui quia cooperatur, percipitur id quod cogitatur, ſimiliter id quod ibi expenditur, concluditur, & in actum determinatur; ſi ſola vita ageret, & non homo cooperaretur ſicut ex ſe, non poſſet plus cogitare quam truncus, aut quam templum, cum concionatur Minister, hic quidem ex repercuſſione ſoni e valvis ejus poteſt ſentire ſicut echo, ſed nihil ſermonis: talis foret homo niſi cooperaretur cum Domino quoad charitatem & fidem.

578. Illuſtrari per comparationes etiam poteſt, qualis homo foret, ſi non cooperaretur cum Domino, foret dum percipit & ſentit aliquid ſpirituale Cæli & Eccleſiæ, ſicut antipathicum aut diſcors quid influeret, & ſicut putidum in naſum, diſſonum in aurem, monſtroſum in oculum, ac tetrum in linguam; ſi jucundum charitatis & amænum fidei, influerent in ſpiritualem organiſmum mentis illorum, qui in jucundo mali & falſi ſunt, hi ſi jucunda & amæna illa intruderentur, angerentur & cruciarentur, & tandem caderent in deliquium; organiſmus ille quia ex perpetuis helicibus conſiſtit, hic apud tales ſe involveret in ſpiras, & torqueretur ſicut ſerpens ſuper acervo formicarum. Quod ita ſit, ex multa experientia in Mundo ſpirituali mihi teſtatum factum eſt.

Quod omnes, quia omnes redempti ſunt, regenerari poſſint, quiſque ſecundum ſuum ſtatum.

579. Ut hæc intelligantur, præmittendum eſt aliquid de Redemptione; Dominus in mundum venit, principaliter propter hæc duo, ut removeret infernum ab angelo & ab homine, ac ut glorificaret Humanum ſuum, nam ante adventum Domini, infernum ſuccrevit, uſque ut infeſtaret angelos cæli, ut & per interpoſitionem inter cælum & mundum interciperet communicationem Domini cum hominibus telluris, ex quo non potuit aliquod Divinum Verum & Bonum a Domino ad homines pertranſire: inde totalis Damnatio imminuit univerſo Generi humano, & quoque nec Angeli cæli in integritate ſua potuerunt diu ſubſiſtere. Ut itaque ſubmoveretur infernum, & ſic imminens illa damnatio tolleretur, Dominus in Mundum venit, & removit infernum, & ſubjugavit illud, & ſic aperuit Cælum, ut poſtea poſſet præſens eſſe apud homines telluris, & ſalvare illos, qui ſecundum præcepta Ipſius viverent, conſequenter illos regenerare & ſalvare, nam ſalvantur qui regenerantur: ita intelligitur hoc, quod omnes, quia omnes redempti ſunt, regenerari poſſint, & quia regeneratio & ſalvatio unum faciunt, quod omnes poſſint ſalvari: hoc itaque, quod Eccleſia docet, quod abſque adventu Domini nemo potuerit ſalvari, ita intelligendum eſt, quod nemo abſque adventu Domini regenerari potuerit. Quod alterum finem, propter quem Dominus in mundum venit, attinet, qui eſt, ut glorificaret Humanum ſuum, fuit, quia ſic factus eſt Redemptor, Regenerator & Salvator in æternum; nam non credendum eſt, quod per Redemptionem ſemel factam in Mundo, omnes poſt illam redempti ſint, ſed quod perenniter redimat illos, qui in Ipſum credunt, & verba Ipſius faciunt. Sed plura de his videantur in Capite de Redemptione.

580. Quod quiſque ſecundum ſuum ſtatum regenerari poſſit, eſt quia aliter ſimplices quam docti, aliter qui in diverſis ſtudiis ſunt, & quoque in diverſis officiis, aliter qui in ſcrutiniis de Verbi externis, & de ejus internis, aliter qui a parentibus in bono naturali ſunt, quam qui in malo, aliter qui ab infantia in Mundi vanitates ſe intulerunt, & aliter qui citius aut ſeriu ab illis ſe removerunt; verbo, aliter qui externam

Do-

Domini Eccleſiam conſtituunt, & aliter qui internam; eſt hæc varietas infinita, ſicut eſt facierum & animorum; ſed uſque unusquiſque ſecundum ſuum ſtatum regenerari & ſalvari poteſt. Quod ita ſit, conſtare poteſt ex Cælis, in quos omnes regenerati veniunt, quod ſint tres, Supremus, Medius, & Ultimus, & in Supremum veniunt illi, qui per regenerationem recipiunt amorem in Dominum, in Medium qui amorem erga proximum, in Ultimum, qui modo operantur Charitatem externam, & ſimul agnoſcunt Dominum pro Deo Redemptore & Salvatore. Omnes hi ſalvati ſunt, ſed diverſimode. Quod omnes poſſint regenerari & ſic ſalvari, eſt quia Dominus cum Divino ſuo Bono & Vero eſt præſens apud omnem hominem, inde eſt vita cujuſvis, & inde eſt facultas intelligendi & volendi, & his Liborum arbitrium in ſpiritualibus; hæc nulli homini deſunt; & quoque data ſunt media, Chriſtianis in Verbo, & Gentilibus in cujuſvis religione, quæ docet quod Deus ſit, & præcepta de bono & malo. Ex his ſequitur hoc, quod quiſque poſſit ſalvari; conſequenter quod Dominus non in culpa ſit, ſed homo ſi non ſalvatur, & homo in culpa, quod non cooperetur.

581. Quod Redemptio & Paſſio crucis ſint duæ res diſtinctæ, & prorſus non confundendæ, & quod Dominus per utramque, ſe miſerit in potentiam regenerandi & ſalvandi homines, in Capite d REDEMPTIONE oſtenſum eſt. Ex fide hodiernæ Eccleſiæ recepta de Paſſione crucis, quod fuerit ipſa Redemptio, obortæ ſunt phalanges horribilium falſitatum, de Deo, de Fide, de Charitate, & de reliquis quæ ab illis tribus in continente catena pendent; ut de Deo, quod damnationem generis humani concluſerit, & quod ad miſericordiam reduci voluerit per damnationem Filio impoſitam, aut a Filio in ſe receptam, & quod ſalventur ſolùm, quibus meritum Chriſti vel ex præviſo, vel ex prædeſtinato donatur; ex illa fallacia etiam excluſum eſt hoc illius fidei, quod illi qui illa fide donati ſunt, inſimul regenerati ſint, præter quod aliquid cooperati ſint, imo quod ſic a legis damnatione abſoluti ſint, & quod amplius non ſub lege ſint, ſed ſub gratia, & hoc tametſi Dominus dixit, *quod ne quidem apicem legis ſuſtulerit*, Matth. V: 18. 19. Luc. XVI: 17: tum quod mandaverit diſcipulis, *ut prædicarent pœnitentiam in remiſſionem peccatorum*, Luc. XXV: 47. Marc. VI: 12; & quoque Ipſe dixerit, *Appropinquavit Regnum Dei, pœnitentiam agite, & credite Evangelio*, Marc. I: 15; per Evangelium intelligitur, quod poſſint regenerari & ſic ſalvari; quod non potuit fieri, niſi Dominus Redemptionem fecerit, hoc eſt, niſi potentiam Inferno per pugnas contra illud, & per victorias ſuper illud, adempſerit, & niſi Humanum ſuum glorificaverit, hoc eſt, Divinum fecerit.

582. Dicite ex rationali cogitatione, quale foret univerſum Genus humanum, ſi perſtaret fides hodiernæ Eccleſiæ, quæ eſt, quod ſint redempti per ſolam Paſſionem crucis, & quod qui illo Domini merito donati ſunt, non ſint ſub legis damnatione; tum, quod fides illa, de qua homo ne hilum ſcit num ineſt, remittat peccata, ac regeneret, & quod cooperatio hominis in actu ejus, qui eſt dum datur & intrat, peſſumdaret fidem illam, & cum illa auferret ſalutem, quoniam ſuum meritum merito Chriſti commiſceret; dicite inquam ex cogitatione rationali, annon ita totum Verbum rejectum fuiſſet, ubi principaliter docetur Regeneratio per ſpiritualem lavationem a malis, & per excercitia charitatis: quid tunc Decalogus, principium reformationis, plus quam charta, quæ venditur in cauponis, & formatur in volvulos circum aromata: quid tunc Religio, niſi quædam lamentatio quod peccator ſit, & ſupplicatio, ut Deus Pater miſereatur propter paſſionem Filii ſui, ita ſolius oris ex pulmone, & nihil facti ex corde: & quid tunc Redemptio niſi indulgentia papalis; aut plus quam flagellatio monachi pro toto Cætu, ut fit. Si ſola illa fides regeneraret hominem, ac nihil Pœnitentia & Charitas, quid tunc internus homo, qui eſt ſpiritus ejus vivens poſt mortem, niſi ſicut urbs incenſa, cujus rudera faciunt externum hominem; aut ſicut ager vel campus ab erucis & loeuſtis devaſta-

tus.

tus. Talis homo coram Angelis non apparet aliter, quam ſicut gremio foveret ſerpentem, & ſuperinduceret veſtem ne appareat: tum etiam ſicut qui dormit ut ovis cum lupo, aut ſicut qui cubat ſub pulchro velamento in induſio ex telis araneæ contexto: & quid tunc vita poſt mortem, quando omnes diſtinguuntur ſecundum diſcrimina regenerationis in Cælo, & ſecundum diſcrimina rejectionis ejus in Inferno, niſi quam vita carnea, & ſic qualis vita piſcis aut caneri.

Quod Regeneratio fiat ad inſtar ſicut homo concipitur, geſtatur in utero, naſcitur, & educatur.

583. Apud hominem eſt perpetua correſpondentia inter illa quæ naturaliter fiunt, & quæ ſpiritualiter, ſeu quæ fiunt corpore, & quæ ſpiritu; cauſa eſt, quia homo natus eſt ſpiritualis quoad animam, & induitur naturali quod facit ejus materiale Corpus; quare cum hoc deponitur, anima ejus induta ſpirituali corpore, in Mundum, in quo omnia ſpiritualia ſunt, venit, & ibi conſociatur ſui ſimilibus. Nunc quia Spirituale corpus formandum eſt in materiali corpore, ac formatur per vera & bona, quæ influunt a Domino per ſpiritualem Mundum, ac recipiuntur ab homine intus in talibus ejus quæ ſunt e naturali Mundo, quæ vocantur civilia & moralia, patet qualiter formatio ejus fit; & quia, ut dictum, eſt perpetua correſpondentia apud hominem inter illa quæ naturaliter fiunt & quæ ſpiritualiter, conſequitur quod ſit ſicut conceptio, geſtatio in utero, partus & educatio. Ex illa cauſa eſt, quod in Verbo per Nativitates naturales intelligantur Nativitates ſpirituales, quæ ſunt boni & veri, nam quicquid in ſenſu literæ Verbi, qui eſt naturalis, exſtat, involvit & ſignificat ſpirituale: quod in omnibus & ſingulis ſenſus literæ Verbi ſit Senſus ſpiritualis, in Capite de SCRIPTURA SACRA, plene oſtenſum eſt. Quod Nativitates naturales in Verbo nominatæ involvant Nativitates ſpirituales, manifeſte conſtat ex his ibi „*Concepimus, parturivimus, quaſi peperimus, ſalutes non fecimus*, Eſaj. XXVI: 16. *A coram Domino parturit terra*, Pſalm CXIV: 7. *Num parturivit terra die uno, num Ego frangam & non generem, & generari faciam, & non concluſerim*, Eſaj. LXVI: 7 ad 10. *Parturit Sin & non erit ad perrumpendum*, Ezech. XXX: 15. 16. *Dolores parturientis venient Ephraimo, ille filius non ſapiens, quia tempus non ſtat in utero filiorum*, Hoſch. XIII: 12. 13; pariter alibi multoties. Quoniam naturales generationes ſignificant ſpirituales in Verbo, & hæ ſunt a Domino, inde Ipſe vocatur Formator & Eductor ab utero, quod patet ex his „*Jehovah Factor tuus, & Formator ab utero*, Eſaj. XLIV: 2. *Eductor meus ab utero*, Pſalm XXII: 10. *Super Te impoſitus ſum ab utero, e viſceribus matris meæ Tu eductor meus*, Pſalm LXXI: 6. *Atte dite ad Me, portati ab utero, lati a vulva*, Eſaj. XLVI: 3; præter alibi. Inde eſt quod Dominus dicatur Pater, ut Eſaj. IX: 5. Cap. LXIII: 16. Joh. X: 30. Cap. XIV: 8. 9; & quod illi, qui in bonis & veris ſunt ab Ipſo, dicantur filii & nati a Deo, & inter ſe fratres, Matth. XXIII: 8, tum quod Eccleſia dicatur Mater, Hoſch. II: 2. 5. Ezech. XVI: 45.

584. Ex his nunc patet, quod Correſpondentia ſit inter Generationes naturales & Generationes ſpirituales; & quia Correſpondentia eſt, ſequitur quod de nova Generatione non modo prædicari poſſint conceptio, geſtatio in utero, partus & educatio, ſed etiam quod actualiter ſint; quales autem ſunt, in ſuo ordine in hoc Articulo de Regeneratione videndum exhibetur. Hic ſolum, quod ſemen hominis concipiatur interius in intellectu, ac formetur in voluntate, & inde transferatur in teſtem, ubi induit ſe velamine naturali; & ſic effertur in uterum, ac intrat Mundum. Præterea eſt correſpondentia regenerationis hominis cum omnibus quæ in Regno vegetabili ſunt; quare etiam in Verbo homo deſcribitur per Arborem, verum ejus

per ſemen, & bonum ejus per fructum. Quod mala arbor poſſit e novo ſicut generari, & poſtea ferre bonum fructum & bonum ſemen, conſtat ex inſitionibus & inoculationibus, quod tunc tametſi idem ſuccus e radice per ſtapidem uſque ad inſitum aut inoculatum aſcendit, uſque ille vertatur in ſuccum bonum, & faciat arborem bonam. Simile eſt in Eccleſia cum illis qui inſeruntur Domino, quod Ipſe docet his verbis „*Ego ſum Vitis, vos palmites, qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum: niſi quis manſerit in Me, ejectus eſt foras ſicut palmes, & arefactus conjicitur in ignem*, Joh. XV: 5. 6.

585. Quod vegetationes non modo arborum, ſed etiam omnium virgultorum, correſpondeant prolificationibus hominum, a multis Eruditis traditum eſt, quare coronidis loco de his aliquid adjiciam. In arboribus & in omnibus reliquis ſubjectis Regni vegetabilis, non ſunt duo Sexus, maſculinus & fæmininus, ſed unumquodvis ibi eſt maſculinum, ſola Terra ſeu humus eſt communis Mater, ita ſicut Fæmina; hæc enim recipit omnium fruticum ſemina, aperit illa, geſtat illa ſicut in utero, & tunc alit illa, & parit illa, hoc eſt, in diem educit, & poſtea veſtit illa, & ſuſtentat illa. Terra quando primum aperit ſemen, inchoat a radice, quæ eſt inſtar cordis, ex illa ſuccum, ſicut ſanguinem, emittit & tranſmittit, & ſic facit ſicut corpus inſtructum membris; corpus ejus eſt ipſe caudex, ac rami & horum termites ſunt ejus membra; folia, quæ ſtatim poſt partum educit, ſunt loco pulmonis, nam ſicut cor abſque pulmone non producit motum & ſenſum, & per hos vivificat hominem, ita non radix vegetat arborem aut virgultum abſque foliis: flores qui præcedunt fructum, ſunt media decantandi ſuccum, ejus ſanguinem, & ſeparandi craſſiora ejus a purioribus, & pro influxu horum in ſinu ſuo formandi novum caudicillum, per quem ſuccus decantatus influat, & ſic initiet & ſucceſſive conformet fructum, qui comparari poteſt teſti, in quo ſemina perficiuntur: anima vegetativa, quæ intime in omni particula ſucci regnat, ſeu eſſentia prolifica ejus, non aliunde eſt, quam ex calore Mundi ſpiritualis, qui quia eſt ex ſpirituali Sole ibi, non ſpirat aliud quam generationem, & per hanc creationis continuationem, & quia eſſentialiter ſpirat generationem hominis, ideo quodcunque generat, ei quandam ſimilitudinem hominis inducit. Ne quis miretur, quod dictum ſit, quod ſubjecta Regni vegetabilis non ſint niſi maſculina, & quod ſola Terra ſeu humus ſit ſicut communis Mater, ſeu ſicut fæmina, illuſtrabitur hoc per ſimile in Apibus, illis ſecundum autopſiam SWAMMERDAMI in ejus BIBLIIS NATURÆ, eſt modo una communis mater, ex qua omnis progenies totius alvearis producitur; cum his animalculis non datur niſi una communis mater, quid non omnibus fruticibus. Quod Terra ſit communis mater etiam ſpiritualiter illuſtrari poteſt, & illuſtratur per hoc, quod Terra in Verbo ſignificet Eccleſiam, & Eccleſia eſt communis Mater, ut quoque illa vocatur in Verbo; quod Terra ſignificet Eccleſiam, conſule APOCALYPSIN REVELATAM, n: 285. 902, ubi id oſtenſum eſt. Quod autem terra ſeu humus poſſit intrare in intimum ſeminis uſque ad prolificum ejus, & hoc educere & circumferre, eſt quia unusquiſque pulviſculus ſeu pollen ex eſſentia ſua exſpirat aliquod ſubtile ſicut effluvium, quod penetrat; hoc fit ex vi activa caloris e ſpirituali Mundo.

586. Quod homo non poſſit regenerari niſi ſucceſſive, illuſtrari poteſt ab omnibus & ſinqulis, quæ in Mundo naturali exiſtunt; Arbor non poteſt in arborem creſcere intra unum diem, ſed primum ex ſemine, poſtea ex radice, & deinde ex ſurculo, ex quo fit caudex, & ex hoc procedunt rami cum foliis, & demum flores & fructus: nec ſurgit triticum ac hordeum in meſſem uno die; non ædificatur domus una die; nec aſſurgit homo in ſtaturam uno die, minus in ſapientiam: nec Eccleſia inſtauratur & perficitur uno die; nec datur aliqua progreſſio ad finem, niſi ſit initium a quo. Qui aliter concipiunt Regenerationem, non ſciunt aliquid de Charita-

te & Fide, & de creſcentia utriuſque ſecundum cooperationem hominis cum Domino. Ex his patet, quod Regeneratio fiat, adinſtar ſicut homo concipitur, geſtatur in utero, naſcitur & educatur.

Quod primus actus novæ generationis dicatur Reformatio, qui eſt intellectus, & quod ſecundus actus dicatur Regeneratio, qui eſt voluntatis & inde intellectus.

587. Quoniam hic & in ſequentibus agitur de Reformatione & de Regeneratione, ac Reformatio adſcribitur Intellectui, & Regeneratio Voluntati, neceſſum eſt ut ſciantur diſcrimina quæ ſunt inter Intellectum & Voluntatem, & illa deſcripta ſunt ſupra n: 397, quare conſultum eſt, ut illa primum legantur, & poſtea quæ in hoc Articulo: Quod mala, in quæ naſcitur homo, Voluntati naturalis hominis ingenerata ſint, & quod Voluntas ferat intellectum ad favendum ſibi, cogitando congrue, ibi etiam oſtenſum eſt, quapropter ut homo regeneretur, neceſſarium eſt, ut hoc fiat per Intellectum, ut per cauſam mediam, & hoc fit per informationes, quas Intellectus recipit, quæ fiunt primum a parentibus & magiſtris, poſtea ex lectione Verbi, prædicationibus, libris & colloquiis; illa, quæ intellectus inde recipit, vocantur vera; quare idem eſt, ſive dicatur, quod Reformatio fiat per Intellectum, ſive dicatur quod fiat per Vera, quæ intellectus recipit; vera enim docent hominem, in Quem, & quid credendum, tum quid faciendum, ita quid volendum, nam quod quis facit, hoc ex voluntate ſecundum intellectum facit. Cum itaque ipſa Voluntas hominis a nativitate mala eſt, & quia Intellectus docet quid malum & bonum, ac unum poteſt velle & alterum non velle, ſequitur quod homo per Intellectum reformandus ſit; ſed quamdiu quis videt & agnoſcit mente quod malum ſit malum, & bonum bonum, & cogitat quod bonum eligendum ſit, tamdiu ſtatus ille vocatur Reformatio; at quando vult fugere malum & facere bonum, inchoat ſtatus Regenerationis.

588. Propter hunc finem data eſt homini facultas elevandi intellectum pæne in lucem, in qua ſunt Angeli cæli, ut videat quid illum oportet velle & inde facere, ut proſper ſit in Mundo ad tempus, & beatus poſt mortem in æternum; proſper & beatus fit, ſi comparat ſibi ſapientiam, ac voluntatem ſub ejus obedientia tenet; at improſper & infelix, ſi intellectum ſuum mittit ſub obedientiam voluntatis: cauſa eſt, quia Voluntas a nativitate inclinat ad mala, etiam enormia, quare niſi illa refrænetur per intellectum, homo libero voluntatis ſuæ relictus rueret in nefaria, & ex inſita ferina natura depopularetur & trucidaret ſui cauſa quoſcunque, qui ſibi non favent & cupiditatibus ejus indulgent. Præterea niſi Intellectus ſeparatim potuiſſet perfici, & Voluntas per illum, homo non foret homo, ſed beſtia, non enim abſque ſeparatione illa, & abſque aſcenſu intellectus ſupra voluntatem, potuiſſet cogitare, & ex cogitatione loqui, ſed ſolum ſonare ſuam affectionem; nec potuiſſet ex ratione agere, ſed ex inſtinctu; minus potuiſſet cognoſcere illa quæ Dei ſunt, & per illa Deum, & ſic conjungi Ipſi, & vivere in æternum; cogitat enim & vult homo ſicut a ſe, & hoc ſicut a ſe, eſt reciprocum conjunctionis, nam conjunctio abſque reciproco non dabilis eſt, ſicut non conjunctio activi cum paſſivo abſque adaptatione ſeu applicatione; ſolus Deus agit, & homo ſe patitur agi, & cooperatur in omni apparentia ſicut a ſe, tametſi interius a Deo. Sed ex his rite perceptis videri poteſt, qualis eſt amor voluntatis hominis, ſi elevatur per intellectum, tum qualis eſt ſi non elevatur, ita qualis eſt homo.

589.

589. Sciendum eſt, quod facultas elevandi intellectum uſque ad intelligentiam in qua ſunt Angeli Cæli, a creatione cuivis homini inſit, tam malo quam bono, imo etiam omni diabolo in inferno, nam omnes qui in inferno ſunt fuerunt homines; hoc mihi per vivam experientiam ſæpius oſtenſum eſt; aſt quod non ſint in intelligentia, ſed in inſania in ſpiritualibus, eſt quia non volunt bonum ſed malum, inde averſantur ſcire & intelligere vera, nam vera ſunt pro bono, & contra malum. Ex his etiam patet, quod Primum novæ generationis ſit receptio veritatum intellectu, & quod Secundum ejus ſit, quod velit facere ſecundum veritates, & tandem facere illas. Verum enim vero non poteſt aliquis dici reformatus per ſolas cognitiones veritatum, nam homo ex facultate elevandi intellectum ſupra amorem voluntatis poteſt apprehendere illas, & quoque loqui, docere & prædicare illas; ſed ille Reformatus eſt, qui in affectione veritatis eſt propter veritatem, nam hæc affectio conjungit ſe cum voluntate, & ſi pergit, conjungit voluntatem intellectui; & tunc incipit Regeneratio: quomodo autem Regeneratio poſtea progreditur & perficitur, in ſequentibus dicetur.

590. Sed hoc, qualis homo eſt, cujus intellectus elevatus eſt, & non per hunc amor voluntatis, illuſtrabitur per comparationes: eſt ſicut aquila volans in alto, ſed ut primum videt eſcas infra, ut gallinas, pullos olerum, imo catulos ovium, momento ſe dejicit, & devorat. Eſt etiam ſicut adulter, qui inferius in cella recondit ſcortum, & per vices ſurgit in ſupremam regionem domus, & cum commorantibus ibi in præſentia uxoris ſuæ loquitur ſapienter de caſtitate, ac alternis ex conſortiis ſe proripit, & laſciviam ſuam infra ſatiat cum ſcorto. Eſt quoque ſimilis muſcis paludis, quæ in columna volant ſuper Capite equi currentis, quæ quieſcente equo decidunt, & immergunt ſe paludi ſuæ; talis eſt homo, qui in elevatione eſt quoad intellectum, at amor voluntatis infra ad pedem ſubſiſtit immerſus immundis naturæ, & libidinoſis ſenſuum. At quia lucent ſicut ex ſapientia quoad intellectum, & voluntas eſt contra illam, poſſunt aſſimilari etiam ſerpentibus qui lucent ſquamis, & cantharidibus quæ fulgent ſicut ex auro, tum etiam, ignibus fatuis in paludibus, lignis putribus lucentibus, & phoſphoris: inter illos ſunt, qui poſſunt mentiri angelos lucis, tam inter homines in Mundo, quam poſt mortem apud angelos cæli, ſed hi poſt brevem explorationem deprivantur veſtibus, & nudi dejiciuntur; ſimile tamen non fieri poteſt in Mundo, quia ibi non apertus eſt ſpiritus illorum, ſed ſuperinductus vultu, qualis eſt commædis ſuper theatro; quod facie & ore mentiri poſſint angelos lucis, eſt cauſa & quoque indicium, quod intellectum poſſint elevare pæne ad ſapientiam angelicam, ſupra amorem voluntatis, ut dictum eſt; nunc quia internum & externum hominis poſſunt ita in contrarium abire, & quia corpus projicitur & ſpiritus manet, conſtat quod furvus ſpiritus poſſit habitare ſub candida facie, & igneus ſub blando ore; quare, mi amice, cognoſcite hominem non ex ejus ore ſed ex ejus corde, hoc eſt, non ex ſermone, ſed ex factis; nam dicit Dominus „ *Cavete vobis a pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in indumentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; e fructibus eorum cognoſcite eos*, Matth. VII: 15. 16.

Quod Internus homo primum reformandus ſit, & per hunc Externus, & quod homo ſic regeneretur.

591. Quod Internus homo primum regenerandus ſit & per illum Externus, in Eccleſia hodie communiter dicitur, ſed per Internum hominem non aliud cogitatur, quam fides, quæ eſt, ut Deus Pater imputet meritum & juſtitiam Filii ſui, & mittat Spiritum ſanctum; hanc fidem credunt facere Internum hominem, & ex

illo profluere Externum, qui eſt moralis naturalis homo, & quod hic ſit appendix ejus, comparative ſicut cauda equi aut bovis, aut ſicut cauda pavonis vel avis paradiſiacæ, quæ continuatur volis ejus, præter quod cohæreat, nam dicitur, quod charitas ſequatur fidem illam, ſed ſi charitas ex voluntate hominis intrat, fides illa pereat. Verum quia non alius Internus homo in Eccleſia hodie agnoſcitur, non eſt aliquis Internus homo, nam nemo ſcit, num fides illa ei donata ſit; quod etiam non dabilis ſit, & inde imaginaria, ſupra oſtenſum eſt: inde ſequitur, quod hodie apud illos, qui ſe in fide illa confirmaverunt, non ſit alius Internus homo, quam naturalis ille, qui a nativitate ſcatet malis in omni copia; accedit, quod regeneratio & ſanctificatio ſequatur fidem illam ex ſe, & quod cooperatio hominis, per quam unice fit regeneratio, excludenda ſit; inde eſt, quod Regeneratio non ſit ſcibilis in Eccleſia hodierna, cum tamen Dominus dicit, quod qui non regeneratur, non videre poſſit regnum Dei.

592. Sed Internus & Externus homo novæ Eccleſiæ ſunt prorſus alii; Internus homo eſt ejus Voluntatis, ex qua cogitat, dum ſibi relictus eſt, quod fit domi; at Externus homo eſt ejus actio & loquela, quæ ab illo fiunt in Cætu, ita foris; proinde Internus homo eſt charitas, quia hæc eſt voluntatis, & ſimul fides quæ eſt cogitationis: uterque ille ante regenerationem facit naturalem hominem, qui ſic eſt diviſus in internum & externum, hoc patet ex eo, quod non liceat homini agere & loqui in Cætu aut foris, ſicut dum ſibi relictus eſt, ſeu domi; cauſa diviſionis hujus eſt, quia Leges civiles præſcribunt punitiones pro illis qui male agunt, & remunerationes pro illis qui bene, & ſic ſe cogunt ad ſeparandum Externum hominem ab Interno, nam nullus vult puniri, & unusquiſque vult remunerari, quod fit per opes & honores; utrumque hoc non aſſequitur homo, ſi non ſecundum illas leges vivit; inde eſt, quod detur moralitas & benevolentia in externis, etiam apud illos, quibus nulla moralitas & benevolentia eſt in internis; ex hac origine eſt omnis hypocriſis, aſſentatio & ſimulatio.

593. Quod diviſionem naturalis hominis in binas formas attinet, eſt actualis diviſio tam voluntatis quam cogitationis ibi, nam omnis actio hominis proficiſcitur a voluntate ejus, & omnis loquela a cogitatione, quare alia voluntas ab homine formata eſt infra priorem, ſimiliter alia cogitatio, ſed uſque utraque hæc conſtituit naturalem hominem; hæc voluntas quæ ab homine formatur, vocari poteſt voluntas corporea, quia agit corpus ad geſticulandum ſe moraliter, & illa cogitatio vocari poteſt cogitatio pulmonaris, quia agit linguam & labra ad loquendum talia quæ intellectus ſunt. Hæc cogitatio & illa voluntas ſimul comparari poſſunt philyræ quæ intus adhæret cortici arboris, ac membranæ quæ teſtæ ovi, inter quas eſt internus naturalis homo, qui ſi malus, comparari poteſt ligno arboris putris, circum quod dictus ille cortex cum ſua philyra apparet integer, & quoque ovo putido intra teſtam albam. Qualis autem internus naturalis homo eſt a nativitate, dicetur; voluntas ejus inclinat ad mala omnis generis, & cogitatio inde ad falſa etiam omnis generis; hic itaque internus homo eſt, qui regenerandus eſt, nam niſi hic regeneratur, non eſt niſi odium contra omnia quæ charitatis ſunt, & inde excandeſcentia contra omnia quæ fidei ſunt. Inde ſequitur, quod primum regerandus ſit naturalis internus homo, & per hunc externus, hoc enim ſecundum ordinem eſt, at regenerare internum per externum contra ordinem eſt; internum enim eſt ſicut anima in externo, non modo in communi, ſed etiam in omni particulari, proinde in ſingulis quæ loquitur, ineſt illis, præter quod homo id ſciat; inde eſt, quod Angeli ex una actione hominis percipiant qualis ejus voluntas eſt, & ex una loquela ejus qualis ejus cogitatio, ſive infernalis ſive cæleſtis ſit, inde noſcunt totum hominem, ex ſono percipiunt affectionem ejus cogitationis, & ex geſtu ſeu forma actionis amorem ejus voluntatis; illa percipiunt, utcunque ſimulat Chriſtianum & civem moralem.

594

594. Regeneratio hominis deſcribitur apud Ezechielem per Oſſa arida, ſuper quæ inducebantur nervi, poſtea caro, & cutes, & demum inſpiratus eſt ſpiritus, per quæ revixerunt, Cap. XXXVII: 1 ad 14, quod per illa repræſentata ſit Regeneratio, patet clare ab his ibi, *Oſſa hæc ſunt tota domus Iſraelis*, Verſ. 11. Comparatur etiam ibi cum ſepulchris, nam legitur, *quod aperturus ſit ſepulchra, & aſcendere facturus oſſa inde, & daturus ſpiritum in illis, & collocaturus illos ſuper terra Iſraelis*, Verſ. 12. 13. 14; per terram Iſraelis intelligitur ibi & alibi Eccleſia. Quod repræſentatio regenerationis facta ſit per oſſa & ſepulchra, eſt quia homo non regeneratus vocatur mortuus, & regeneratus vivus, in hoc enim eſt vita ſpiritualis, in illo autem mors ſpiritualis.

595. In omni creato in Mundo tam vivo quam mortuo eſt Internum & Externum, non datur unum ubi non alterum, ſicut non effectus abſque cauſa, & omne creatum æſtimatur ſecundum bonitatem internam, & vilipenditur ex malignitate interna, ſimiliter bonitas externa in qua eſt malignitas interna; omnis ſapiens in Mundo, & omnis Angelus in Cælo ita judicat, ſed qualis homo non regeneratus eſt, & qualis regeneratus, illuſtrari poteſt per comparationes; homo non regeneratus, qui ſimulat civem moralem & hominem Chriſtianum, comparari poteſt cadaveri, quod aromaticis involvitur, quod uſque ſpargit putorem, quo aromatica inficit, & in nares ſe inſinuat, & lædit cerebrum: & quoque comparari poteſt cum Mumia inaurata, aut in cippo Argenteo locata, qui cum introſpicitur, in aſpectum venit corpus deformiter nigrum. Comparari poteſt cum oſſibus ſeu ſceletis in ſepulchro ex lapide lazuli & pretioſitatibus aliis exornato: comparari etiam poteſt diviti, qui induebatur purpura & byſſo, cujus tamen internum fuit infernale, Luc. XVI. Comparari ulterius poteſt veneno ſaccharini ſaporis; cicutæ floreſcenti; fructibus in cruſtis nitentibus quorum nuclei a vermibus eroſi ſunt; & quoque ulceri obducto emplaſtro & poſtea levi cute, in quo non niſi quam ſanies eſt. Internum poteſt ab externo æſtimari in Mundo, ſed modo ab illis quibus non internum bonum eſt, & qui ideo judicant ex apparentia; aliter vero in Cælo; nam cum corpus verſatile circum ſpiritum, & flexibile a malo ad bonum, per mortem ſeparatur, tunc manet internum, hoc enim facit Spiritum ejus, & tunc appareret & e longinquo ſicut ſerpens depoſitis exuviis, aut ſicut lignum putre nudatum libro ſeu cortice, in quo ſplenduit. Aliter vero regeneratus, hujus Internum eſt bonum, & Externum ſimile externo alterius, hujus externum a prioris, differt ſicut cælum ab inferno, quoniam anima boni ineſt, & nihil refert, ſive ſit magnas, & habitet in palatio, ac incedat cinctus ſatellitiis, ſive habitet in caſa, & ſerviatur a puero: imo ſive ſit Primas incinctus pallio ex purpura, & cidari duorum graduum, ſive ſit paſtor aliquot ovium in ſylva, & integatur toga laxa ruſtica, & quoad caput tectus capapello. Aurum uſque eſt aurum, ſive admotum igni fulgeat, ſive ſuper fumo quoad ſuperficiem denigratum ſit; tum ſive fuſum ſit in formam pulchram ſicut infantis, ſive in formam impulchram ſicut muris; mures ex auro facti, & juxta arcam poſiti, etiam acceptabantur & placabant, I Sam. VI: 3. 4. 5. ſeq. Aurum enim ſignificat internum bonum. Adamas & Rubinus, in quacunque matrice, calcaria & lutea, exempti, ex bonitate ſua interna ſimiliter æſtimantur, ſicut illa in collario Reginæ, & ſic porro; ex his patet, quod externum æſtimetur ab interno, & non viciſſim.

Quod cum hoc fit, pugna inter Internum & Externum hominem oriatur, & tunc qui vincit, dominatur ſuper alterum.

596. Cauſa, quod pugna tunc oriatur, eſt quia Internus homo reformatus eſt per vera, & ex his videt quid malum & falſum eſt, & hæc ſunt adhuc in Externo ſeu naturali homine, quare primum oritur diſſenſio inter voluntatem novam, quæ eſt ſupra, & inter voluntatem veterem, quæ eſt infra, & quia eſt inter voluntates, eſt inter jucunda utriusque, nam notum eſt, quod caro ſit contra ſpiritum, & ſpiritus contra carnem, & quod caro cum ejus concupiſcentiis domanda ſit, antequam ſpiritus poteſt agere, & homo novus fieri; poſt hanc diſſenſionem voluntatum, exoritur pugna, quæ eſt quæ vocatur Tentatio ſpiritualis; ſed hæc tentatio ſeu pugna non fit inter bona & mala, ſed inter vera boni & falſa mali; bonum enim non poteſt ex ſe pugnare, ſed pugnat per vera, nec malum ex ſe ſed per ſua falſa, ſicut nec voluntas poteſt pugnare ex ſe ſed per intellectum, ubi ejus vera ſunt. Homo non ſentit pugnam illam aliter quam in ſe, & ſicut morſus conſcientiæ; attamen eſt Dominus & diabolus, hoc eſt infernum, qui in homine pugnant, & pugnant de dominio ſuper hominem, ſeu quis poſſidebit illum; diabolus ſeu infernum aggreditur hominem & evocat ejus mala, & Dominus tutatur illum, & evocat ejus bona. Sed tametſi illa pugna fit in ſpirituali Mundo, uſque tamen fit in homine inter vera boni & falſa mali, quæ in illo ſunt, quare homo pugnaturus eſt prorſus ut a ſe, eſt enim in libero arbitrio agendi pro Domino, & quoque agendi pro diabolo; pro Domino eſt, ſi in veris ex bono manet, & pro diabolo ſi in falſis ex malo: Ex his ſequitur, quod qui vincit, ſive internus homo ſive externus, dominetur ſuper alterum; prorſus ſicut duo hoſtes, qui pugnant, quis futurus eſt Dominus alterius regni, qui vincit accipit regnum, & omnes ibi mittit ſub ſuam obedientiam; hic itaque, ſi Internus homo vincit, imperat & omnia mala externi hominis ſubjugat, & tunc continuatur regeneratio; at ſi externus homo vincit, imperat ille, & omnia bona Externi hominis diſſipat, & tunc perit regeneratio.

597. Hodie quidem ſcitur, quod dentur Tentationes, ſed vix aliquis ſcit, unde & quales ſunt, & quid boni producunt; unde & quales ſunt, mox ſupra oſtenſum eſt, tum etiam quid boni producunt; ſcilicet, quod dum Internus homo vincit, ſubjugetur Externus, quo ſubjugato diſcutiuntur concupiſcientiæ, & loco illarum implantantur affectiones boni & veri, & ordinantur ita, ut bona & vera, quæ homo vult & cogitat, etiam faciat illa, & ex corde loquatur illa: præter hæc, homo per victoriam ſuper externum hominem, fit ſpiritualis, & a Domino tunc conſociatur Angelis Cæli, qui omnes ſunt ſpirituales. Quod Tentationes hactenus non notæ fuerint, & quod vix aliquis ſciverit, unde & quales ſunt, & quid boni producunt, eſt cauſa, quia Eccleſia hactenus non in veris fuit, in veris nemo eſt, niſi qui immediate adit Dominum, & fidem priorem rejicit, & novam amplectitur, inde eſt, quod non aliquis in quandam ſpiritualem tentationem a fæculis numeratis a fæculo, quando Synodus Nicæna introduxit fidem trium Deorum, admiſſus ſit, nam ſi admiſſus fuiſſet, illico ſuccubuiſſet, & ſic in infernum ſe profundius præcipitaviſſet: Contritritio quæ perhibetur præcedere hodiernam Fidem, non eſt Tentatio, quæſivi permultos de illa, & dixerunt, quod ſit vox & præterea nihil, niſi forte ſit aliqua timida cogitatio de igne inferni apud ſimplices.

598. Homo poſt tranſactam Tentationem eſt quoad Internum hominem in Cælo, & per Externum in Mundo, quare per tentationes apud hominem fit conjunctio

Cæli

Cæli & Mundi, & tunc Dominus apud illum ſecundum ordinem regit ejus mundum e Cælo. Contrarium fit, ſi homo manet naturalis, tunc diſcupit ille regere Cælum e Mundo; talis fit omnis qui in amore dominandi ex amore ſui eſt, hic ſi intrinſecus exploratur, non credit in aliquem Deum ſed in ſe; & poſt mortem credit illum Deum eſſe, qui potentia ſuper alios valet; talis inſania eſt in inferno, quæ eo uſque ſe profundavit, ut aliqui ſe dicant Deum Patrem eſſe, aliqui Deum Filium, & aliqui Deum ſpiritum ſanctum, & inter Judæos aliqui ſe eſſe Meſſiam. Inde patet, qualis homo fit poſt mortem, ſi naturalis homo non regeneratur, proinde qualis fieret in phantaſia, ſi non nova Eccleſia a Domino inſtauraretur, in qua genuina vera docentur: tale intelligitur per hæc Domini verba „ *In conſummatione ſæculi*, hoc eſt, in fine Eccleſiæ hodiernæ, *talis afflictio erit, qualis ab initio Mundi non fuit, nec fiet: quare niſi abbreviarentur dies illi, non conſervaretur ulla caro*, Matth. XXIV: 21. 22.

599. Dominus in pugnis ſeu tentationibus hominum agit Redemptionem particularem, ſicut totalem cum fuit in Mundo, Dominus in Mundo per pugnas & tentationes glorificavit Humanum ſuum, hoc eſt, Divinum illud fecit; ſimiliter nunc in particulari apud hominem, dum in tentationibus eſt, in his pro illo pugnat, & vincit ſpiritus infernales, qui illum infeſtant, & illum poſt tentationem glorificat, hoc eſt, ſpiritualem reddit. Dominus poſt univerſalem ſuam Redemptionem, omnia in Cælo & in Inferno, in ordinem redegit; ſimiliter cum homine poſt tentationem facit, videlicet redigit in ordinem omnia quæ Cæli & Mundi ſunt apud illum. Dominus poſt Redemptionem novam Eccleſiam inſtauravit, ſimiliter etiam inſtaurat illa quæ Eccleſiæ ſunt apud hominem, & facit ut ſit Eccleſia in particulari. Dominus poſt redemptionem illos qui crediderunt in Ipſum donavit Pace, nam dixit, *Pacem meam relinquo vobis, Pacem meam do vobis, non ſicut Mundus dat, do vobis* Joh. XIV: 27, ſimiliter dat homini poſt tentationem ſentire pacem, hoc eſt, lætitias animi, & ſolatia. Ex his patet, quod Dominus Redemptor ſit in æternum.

600. Internus homo regeneratus & non ſimul externus, comparari poteſt avi volanti in aere abſque ſede in terra ſicca, ſed ſolum in palude, ubi a ſerpentibus & ranis infeſtatur, quare avolat & moritur. Comparari etiam poteſt olori in medio mari natanti, qui non poteſt attingere litus, & nidum ponere, quare ova quæ parit, immergit aquis, ubi a piſcibus devorantur. Comparari etiam poteſt militi ſuper muro, qui hoc ſub pedibus ejus ſubruto cadit deorſum, & in ruina exſpirat. Comparari etiam poteſt cum Arbore pulchra tranſlata in terram putidam, ubi vermes in caterva exedunt radicem, ex quo illa emarceſcit & perit. Comparari etiam poteſt domui abſque fundamento, & quoque columnæ abſque ſtylobata: Talis eſt Internus homo ſolum reformatus, & non ſimul externus, nam nulla eſt ei determinatio ad faciendum bonum.

Quod Homini regenerato ſit nova Voluntas & novus Intellectus.

601. Quod homo regeneratus ſit homo innovatus ſeu novus, ſcit Eccleſia hodierna tam ex Verbo, quam ex ratione, ex VERBO ex his, *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum quare moriemini domus Iſraelis*, Ezech. XVIII: 31. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum in medio veſtri, & removebo cor lapidis e carne veſtra, & dabo vobis cor carnis, & ſpiritum meum dabo in medio veſtri*, Ezech. XXXVI: 27. *Ex nunc neminem novimus ſecundum carnem; quare ſi quis in Chriſto eſt, nova Creatura eſt*, II Cor. V: 16. 17; per cor novum ibi intelligitur voluntas no-

nova, & per ſpiritum novum intellectus novus, nam Cor in Verbo ſignificat voluntatem, & ſpiritus, dum conjungitur cordi, intellectum. Ex Ratione, quod homini regenerato ſit nova voluntas & novus intellectus, eſt quia hæ duæ facultates faciunt hominem, & hæ ſunt quæ regenerantur; quare omnis homo talis eſt, qualis eſt quoad illas, malus cui voluntas mala eſt, & plus malus, ſi intellectus illi favet; viciſſim autem bonus. Sola religio renovat & regenerat hominem, hæc ſupremam ſedem in mente humana ſortitur, & ſub ſe videt civilia quæ mundi ſunt, & quoque tranſcendit per hæc ſicut purus ſuccus per Arborem uſque in apicem ejus, & ex altitudine illa proſpicit naturalia, ſicut qui e turri aut monte proſpicit campeſtria infra.

602. At ſciendum eſt, quod homo quoad intellectum aſſurgere poſſit pæne in lucem, in qua ſunt Angeli Cæli, ſed ſi non etiam aſſurgit quoad voluntatem, uſque eſt vetus homo, & non novus: quomodo autem intellectus elevat voluntatem in altitudinem ſecum plus & plus, prius oſtenſum eſt; quare regeneratio primario prædicatur de voluntate, & ſecundario de intellectu: nam intellectus apud hominem eſt ſicut lux in Mundo, & voluntas ſicut calor ibi, quod lux abſque calore non vivificet & vegetet, ſed lux conjuncta calori, notum eſt; intellectus etiam quoad inferiorem regionem in mente, eſt etiam actualiter in luce Mundi, & in luce cæli quoad ſuperiorem, quare niſi voluntas elevetur e regione inferiore in ſuperiorem, & ibi conjungitur intellectui, manet in Mundo, & tunc intellectus volat ſurſum & deorſum, at omni nocte ad voluntatem infra, ac ibi cubat, & ſe conjungunt ſicut vir & ſcortum, & pariunt fætus bicipites. Ex his etiam patet, quod niſi homini nova voluntas & novus intellectus ſit, non regeneratus ſit.

603. Mens humana diſtincta eſt in tres regiones, infima vocatur naturalis, media ſpiritualis, & ſuprema cæleſtis, homo per regenerationem elevatur ab infima regione, quæ eſt naturalis, in ſuperiorem quæ eſt ſpiritualis, & per hanc in Cæleſtem: quod tres regiones mentis ſint, in ſequente Articulo demonſtrabitur: inde eſt, quod homo non regeneratus dicatur naturalis, & homo regeneratus ſpiritualis; ex quo patet, quod mens hominis regenerati ſit elevata in regionem ſpiritualem, & ibi e ſuperiori videat illa quæ in mente inferiori ſeu naturali verſantur. Quod in Mente humana ſit Regio inferior & ſuperior, quiſque poteſt ex levi attentione ad ſuas cogitationes videre & agnoſcere; videt enim quid cogitat, quare dicit, quod hoc aut illud cogitaverit ac cogitet, hoc non dari poteſt, niſi interior cogitatio ſit quæ vocatur perceptio, quæ introſpicit in inferiorem, quæ vocatur cogitatio. Judex cum audivit aut legit cauſas in longa ſerie ab advocato collatas, congregat illas in unum intuitum in ſuperiore mentis ſuæ regione, ita in univerſalem ideam, & poſtea inde demittit viſum in inferiorem regionem, quæ eſt cogitationis naturalis, & ibi argumenta diſponit in ordinem, & ſecundum ſuperiorem profert ſententiam & judicat: quis non ſcit, quod homo poſſit uno momento aut duobus cogitare & concludere, quæ non poteſt per cogitationem inferiorem tempore horulæ eloqui. Hæc allata ſunt, ut ſciatur, quod Mens humana in regiones inferiores & ſuperiores diſtincta ſit.

604. Quod novam Voluntatem attinet, eſt illa ſupra veterem voluntatem, in regione ſpirituali, ſimiliter novus Intellectus, hic cum illa, & illa cum hoc; in regione illa ſe conjungunt, ac conjunctim inſpiciunt in veterem ſeu naturalem, & diſponunt omnia ibi, ut obtemperent. Quis non videre poteſt, quod ſi in Mente humana foret modo una Regio, & ibi committerentur & commiſcerentur mala & bona, ac falſa & vera ſimul, fieret conflictio ſicut in unam caveam committerentur lupi & oves, tigrides & vituli, & accipitres & columbæ ſimul, quid tunc fieret ibi niſi crudelis laniena, & immanes feræ diſcinderent manſvetas beſtias; quare proviſum eſt, ut bona cum ſuis veris colligantur in ſuperiorem regionem, ut in tuto poſſint ſubſiſtere, ac inhibere aſſultum, & quoque per catenas & alia me-

media ſubjugare, & poſtea diſcutere mala cum ſuis falſis. Hoc itaque eſt, quod in ſuperiore Articulo dictum eſt, quod Dominus per Cælum regat illa quæ Mundi ſunt apud hominem regeneratum. Superior ſeu ſpiritualis Regio mentis humanæ eſt quoque in minima effigie Cælum, ac inferior ſeu naturalis Regio eſt in minima effigie Mundus, quare homo ab antiquis dictus eſt microcoſmus, & quoque vocari poteſt microuranos.

605. Quod homo regeneratus, hoc eſt, quoad voluntatem & intellectum renovatus, ſit in calore Cæli, hoc eſt, in amore ejus, & ſimul in luce Cæli, hoc eſt, in ſapientia ejus, & viciſſim, quod homo non regeneratus ſit in calore inferni, hoc eſt, in amore ejus, & ſimul in tenebris inferni, hoc eſt, in inſaniis ejus, eſt hodie notum & uſque ignotum; cauſa eſt, quia Eccleſia, quæ hodie eſt, regenerationem fecit appendicem fidei ſuæ, in quam non aliqua ratio immittenda eſt, conſequenter nec in aliquid quod eſt appendicis ejus, quod, ut dictum, eſt regeneratio & renovatio, hæ cum ipſa fide ſunt illis ſicut domus, cujus januæ & feneſtræ clauſæ ſunt, quare neſcitur quid intus in domo illa eſt, num modo vacuum, vel num plenum geniis ab inferno aut angelis e Cælo. Accedit, quod fallacia hoc confuderit, quæ eſt, quod quia homo intellectu aſcendere poteſt, pæne in lucem Cæli, & inde ex intelligentia cogitare & loqui de ſpiritualibus, qualiscunque Amor voluntatis ejus ſit; ex hujus veritatis ignorantia etiam ignotum factum eſt omne quod regenerationem & renovationem concernit.

606. Ex his concludi poſſunt hæc, quod homo non regeneratus ſit ſicut qui videt phaſmata in nocte, & credit eſſe homines, & deinde cum regeneratur ſicut idem qui illa quæ vidit in nocte, in primo mane videt quod fuerint ludibria, & poſtea dum regeneratus eſt, & in die eſt, ut deliria. Homo non regeneratus eſt ſicut qui ſomniat, & homo regeneratus eſt, ſicut qui vigilat, in Verbo etiam vita naturalis aſſimilatur ſomno, & vita ſpiritualis vigiliæ. Homo non regeneratus intelligitur per Virgines ſtultas, quæ habebant lampades, & non oleum, & regeneratus per Virgines prudentes quæ habebant lampades & ſimul oleum; per lampades intelliguntur talia quæ intellectus ſunt, & per oleum quæ amoris ſunt. Regenerati ſunt ſicut Lucernæ candelabri in Tabernaculo; ſuntque ſicut Panes facierum cum thure ſuper illis ibi: & ſunt qui ſplendebunt ſicut ſplendor expanſi, & lucebunt ſicut ſtellæ in ſæculum & æternitatem, apud Danielem Cap. XII: 3. Homo non regeneratus eſt ſicut qui in horto Edenis eſt, ac edit ex Arbore ſcientiæ boni & mali, & propterea ex horto ejectus, imo eſt ipſa illa Arbor; at homo regeneratus eſt ſicut qui in horto illo eſt, ac edit ex Arbore vitæ, quod detur ex illa edere, conſtat ex his in Apocalyſi „ *Vincenti dabo edere ex Arbore vitæ, quæ in medio Paradiſi Dei*, Cap. II: 7., per hortum Edenis intelligitur intelligentia in ſpiritualibus ex Amore veri, videatur Apocalypsis Revel: n: 90. Verbo, non regeneratus eſt Filius mali, & regeneratus eſt Filius Regni, Matth. XIII. 38, filius mali ibi eſt filius diaboli, & filius Regni ibi eſt Filius Domini.

Quod Homo regeneratus ſit in communione cum Angelis cæli, & non regeneratus in communione cum Spiritibus inferni.

607. Quod omnis homo ſit in communione, hoc eſt, in conſociatione cum Angelis Cæli, aut cum Spiritibus inferni, eſt cauſa, quia natus eſt ut fiat ſpiritualis, & hoc non poſſibile eſt, niſi ut cum illis, qui ſpirituales ſunt, in quadam conjunctione ſit; quod homo in utroque Mundo, naturali & ſpirituali, quoad mentem ſit, in Libro de Cælo et Inferno, oſtenſum eſt; ſed de hac conjunctione

ne non Homo, nec Angelus ac Spiritus ſcit, ex cauſa, quia homo, quamdiu vivit in Mundo, eſt in ſtatu naturali, ac Angelus & Spiritus in ſtatu ſpirituali, & propter diſcrimen inter naturale & ſpirituale, non apparet unus alteri, hoc diſcrimen, quale eſt, diſcriptum eſt in Libro de AMORE CONJUGIALI In Memorabili ibi, n: 326 ad 329; ex quo patet, quod non ſint conjuncti quoad cogitationes, ſed quoad affectiones, & ſuper his vix aliquis reflectit, quia non ſunt in luce, in qua eſt intellectus & inde ejus cogitatio, ſed in calore in quo eſt voluntas & inde amoris ejus affectio; conjunctio per affectiones amoris inter homines ac inter Angelos & Spiritus, tam arcta eſt, ut ſi ſcinderetur, & illi inde ſepararentur, homines actutum caderent in deliquium, & ſi non refarciretur, & illi conjungerentur, homines exſpirarent. Quod dictum ſit, quod homo per regenerationem fiat ſpiritualis, non intelligitur quod fiat ſpiritualis qualis eſt Angelus in ſe, ſed quod fiat ſpiritualis naturalis, hoc eſt, quod intus in ejus naturali ſit ſpirituale, ad ſimilitudinem ſicut cogitatio eſt in loquela, & ſicut voluntas in actione, nam ceſſante una ceſſat altera; ſimiliter eſt Spiritus hominis in ſingulis quæ fiunt in corpore, & hic eſt qui agit naturale ad faciendum quod facit; naturale in ſe ſpectatum eſt paſſivum ſeu vis mortua, ſpirituale autem eſt activum ſeu vis viva, paſſivum ſeu vis mortua non poteſt agere ex ſe, ſed agendum eſt ab activo ſeu vi viva. Quoniam homo in communione cum indigenis Mundi ſpiritualis continue vivit, ideo etiam, cum e Mundo naturali excedit, ſtatim inſeritur ſimilibus, cum quibus fuerat in Mundo; inde eſt, quod unusquisque poſt mortem videatur ſibi ſicut adhuc viveret in Mundo, nam tunc cum ſimilibus quoad affectiones ſuæ votatis, in conſortium venit, quos tunc agnoſcit, ſimiliter ut propinqui & affines agnoſcunt ſuos in Mundo: & hoc eſt, quod in Verbo dicitur de illis qui moriuntur, quod congregati & collecti ſint ad ſuos. Ex his nunc conſtare poteſt, quod homo regeneratus ſit in communione cum Angelis Cæli, & non regeneratus cum ſpiritibus inferni.

608. Sciendum eſt, quod tres Cæli ſint, & illi inter ſe diſtincti ſecundum tres gradus amoris & ſapientiæ, & quod homo ſecundum regenerationem ſit in communione cum Angelis ex tribus illis cælis; & quia ita eſt, quod Mens humana diſtincta ſit in tres gradus ſeu regiones ſecundum cælos; ſed de tribus his cælis, & de diſtinctione illorum ſecundum tres gradus amoris & ſapientiæ, videatur in Libro de CÆLO ET INFERNO, n: 29. ſeq. & quoque in Codicillo de COMMERCIO ANIMÆ ET CORPORIS, n: 16. 17. Hic ſolum per aliquam ſimilitudinem illuſtrandum eſt, quales tres gradus ſunt, ſecundum quos Cæli illi diſtincti ſunt; ſunt ſicut in homine ſuat caput, corpus & pedes, ſupremum Cælum facit Caput, medium facit Corpus, ac Ultimum facit Pedes; nam eſt Univerſum Cælum coram Domino ſicut unus Homo: quod ita ſit, detectum eſt mihi per autopſiam; datum enim eſt mihi videre unam Societatem Cæli, quæ ex myriade conſtabat, ſicut unum hominem ſimul, quid non univerſum Cælum coram Domino; de hac viva Experiantia videatur in Libro de CÆLO ET INFERNO, n: 59 ſeq. Inde etiam patet, quomodo intelligitur hoc notum in Chriſtiano Orbe, quod Eccleſia faciat Corpus Chriſti, & quod Chriſtus ſit vita iſtius corporis: per id etiam illuſtrari poteſt hoc, quod Dominus ſit omne in omnibus Cæli, nam eſt vita in illo corpore; ſimiliter eſt Dominus Eccleſia apud illos qui Ipſum Solum pro Deo Cæli & Terræ agnoſcunt, & in Ipſum credunt; quod Ipſe ſit Deus Cæli & Terræ, docet Ipſe apud Matthæum XXVIII: 18. & quod in Ipſum credendum ſit, Joh. III: 15. 15. 36. Cap. VI: 40. Cap. XI: 25. 26.

609. Tres illi gradus in quibus Cæli ſunt, conſequenter in quibus Mens humana, poteſt etiam aliquatenus illuſtrari per comparationes cum materialibus in Mundo; illi tres gradus ſunt ſicut nobilitate inter ſe ſunt Aurum, Argentum & Cuprum, cum quibus Metallis itiam fit comparatio in Statua Nebuchadnezaris, Dan.

Dan. II: 31. seq. Tres illi gradus etiam inter se distincti sunt, sicut inter se puritate & bonitate, Rubinus, Sapphirus & Achates: & quoque sicut Olea, Vitis & Ficus, & sic porro; etiam Aurum, Rubinus & Olea in Verbo significant bonum cæleste, quod est bonum supremi cæli, & Argentum, Sapphirus & Vitis significant bonum spirituale, quod est bonum medii Cæli; & cuprum, Achates & Ficus bonum naturale, quod est bonum ultimi Cæli; quod sint tres gradus, cælestis, spiritualis, & naturalis, supra dictum est.

610. Supradictis adjicietur hoc; quod Regeneratio hominis non fiat uno momento, sed quod successive a principio ad finem vitæ in Mundo, & quod post hunc continuetur & perficiatur; & quia homo per pugnas & victorias super mala carnis suæ reformatur, ideo dicit Filius hominis ad quamlibet e septem Ecclesiis, quod qui vicerit ei daturus sit dona; ut ad Ecclesiam Ephesinam, *qui vicerit, dabo ut comedat de Arbore vitæ*, Apoc. II: 7. Ad Ecclesiam Smyrnæorum, *Qui vicerit, damnum non patietur in morte altera*, Vers. 11. Ad Ecclesiam in Pergamo, *Qui vicerit, dabo ut comedat de manne abscondito*, Vers. 17. ad Ecclesiam in Thyatiris, *Qui vicerit, dabo potestatem super gentes*, Vers. 25. Ad Ecclesiam in Sardibus, *Qui vicerit, induetur vestibus albis*, Cap. III: 5. Ad Ecclesiam in Philadelphia, *Qui vicerit, eum dabo columnam in Templo Dei*, Vers. 12. Ad Ecclesiam Laodicensium, *Qui vicerit, illi dabo ut sedeat Mecum in Throno meo*, Vers. 21. Ultimo addetur hoc, quod quantum homo regeneratur, seu quantum regeneratio apud illum perficitur, tantum non sibi trabuat aliquid boni & veri, hoc est, charitatis & fidei, sed Domino; vera enim quæ successive haurit, illud manifeste docent.

Quod quantum Homo regeneratur, tantum removeantur peccata, & quod remotio illa sit Remissio peccatorum.

611. Quod quantum homo regeneratur, tantum peccata removeantur, est quia regeneratio est compescere carnem ne dominetur, ac veterem hominem cum ejus concupiscientiis domare ne exsurgat, & intellectuale perdat, quo deperdito homo non amplius est reformabilis; quæ reformatio non potest fieri, nisi spiritus hominis, qui supra carnem est, instruatur & perficiatur. Quis, cui intellectus adhuc integer est, ex illis non potest concludere, quod talia non possint uno momento fieri, sed quod successive, sicut homo concipitur, gestatur in utero, nascitur & educatur, secundum illa quæ supra ostensa sunt; nam illa, quæ carnis seu veteris hominis sunt, inhærent a nativitate, & construunt primam ejus mentis domum, in qua concupiscentæ habitant, sicut feræ in suis caveis, ac inhabitant primum in atriis, ac subintrant per vices sicut in istius domus mansiones sub terra, & postea per scalas assurgunt, & cameras sibi formant; quod fit successive sicut infans crescit, fit puer, & dein adolescens, & tunc ex proprio intellecta incipit cogitare, & ex propria voluntate agere: quis non videt, quod hæc domus in mente huc usque exstructa, in qua concupiscentiæ, ut ochim, ghoim & satyri junctis manibus ludunr choreas, possit uno momento destrui, & nova domus loco ejus exstrui; numne concupiscentiæ tenentes se manibus, & sic ludentes, prius removendæ sunt, ac nova desideria quæ sunt boni & veri, loco cupiditatum, quæ sunt mali & falsi, introducenda sunt; quod hæc non possint momento fieri, potest omnis sapiens videre, ex hoc solo, quod omne malum conflatum sit ex innumeris concupiscentiis, & quod sit sicut fructus intra superficiem plenus vermibur corpore albis ac capite nigris, & quoque quod mala sint numerosa, & inter se conjuncta, sicut est progenies araneæ ex ventre ejus primum excluſa, quare nisi unum malum post alterum educitur, & hoc usque dum liga perrupta est, homo non potest novus fieri.

Hæc allata ſunt ob cauſam, ut ſciatur, quod quantum quis regeneratur, tantum removeantur peccata.

612. Homo a nativitate inclinat ad omnis generis mala, & ex inclinatione concupiſcit illa, & quantum in libero eſt etiam facit illa, nam a nativitate concupiſcit dominari ſuper alios, & poſſidere bona aliorum, quæ duo diſcindunt amorem erga proxinum, & tunc odio habet quemcunque qui ſe opponit, & ex odio ſpirat vindictam, quæ intus fovet necem; inde quoque eſt, quod nihili faciat adulteria, nihili deprædationes quæ ſunt clandeſtina furta, & nihili blaſphemias quæ etiam ſunt falſa teſtimonia, & qui hæc & illa nihili facit, ille etiam corde atheus eſt; talis eſt homo a nativitate; ex quibus patet, quod ex hac ſit in minima effigie infernum. Nunc quia homo quoad interiora mentis ſuæ natus eſt ſpiritualis, ſecus ac beſtiæ, conſequenter natus ad cælum, & tamen naturalis ſeu externus ejus homo, eſt ut dictum eſt, in minima effigie infernum, ſequitur quod cælum non implantari poſſit inferno, niſi hoc removeatur.

613. Qui novit, quomodo Cælum & Infernum inter ſe ſunt, & quomodo removetur unum ab altero, ille noſſe poteſt quomodo homo regeneratur, ut & qualis homo regeneratus eſt; ut hoc intelligatur, in ſummario propalabitur hoc, quod omnes qui in Cælo ſunt, aſpiciant Dominum a facie, & omnes qui in Inferno ſunt, avertant faciem a Domino, quare dum e Cælo inſpicitur infernum, apparent modo occipitio & tergo; imo etiam apparent ſicut inverſi ut antipodes pedibus ſurſum & capitibus deorſum, & hoc tametſi ambulant ſuper pedibus, & facies circumvertunt, nam eſt directio oppoſita interiorum mentis eorum, quæ illum viſum producit; hæc mirabilia ex autopſia refero. Ex his mihi detectum eſt, quomodo fit regeneratio, quod fiat prorſus ſicut Infernum removetur & ſic ſeparatur a Cælo, nam, ut ſupra dictum, homo quoad primam naturam, quam trahit ex nativitate, in minima effigie eſt Infernum, & quoad alteram naturam, quam trahit ex ſecunda nativitate, in minima effigie eſt Cælum. Ex his ſequitur, quod mala apud hominem ſimiliter removeantur & ſeparentur ſicut Infernum & Cælum in magna effigie, & quod mala ſicut removentur avertant ſe a Domino, & ſe ſucceſſive invertant, & quod hoc fiat in eo gradu, quo implantatur Cælum, hoc eſt, ſicut homo ſit novus. His *illuſtrationis gratia adjicietur hoc*, quod unumquodvis malum apud hominem conjunctionem habeat cum talibus in inferno, qui in ſimili malo ſunt, & viciſſim quod unumquodvis bonum apud hominem conjunctionem habeat cum talibus in Cælo qui in ſimili bono ſunt.

614. Ex adductis conſtare poteſt, quod peccatorum remiſſio, non ſit illorum exſtirpatio & abſterſio, ſed quod ſit illorum remotio & ſic ſeparatio; tum quod omne malum, quod homo actualiter ſibi appropriavit, remaneat; & quia remiſſio peccatorum eſt illorum remotio & ſeparatio, ſequitur, quod homo a Domino detineatur a malo, & contineatur in bono; & quod hoc ſit quod datur homini per regenerationem. Quondam audivi quendam in Ultimo Cælo diceatem, quod immunis a peccatis ſit, quia illa abſterſa ſunt, adjecit per ſanguinem Chriſti; ſed quia intra Cælum ille erat, & ex ignorantia in illo errore, immiſſus eſt in ſua peccata propria, quæ ſicut redierunt, agnovit illa; ex quo fidem novam acceptavit, quæ erat, quod omnis homo, ſicut omnis Angelus, ex Domino detineatur a malis, & teneatur in bonis. Ex his patet, quid Remiſſio peccatorum, quod non ſit inſtantanea, ſed quod ſequatur regenerationem, ſecundum ejus progreſſus. Remotio peccatorum, quæ vocatur remiſſio eorum, comparari poteſt cum ejectione ſordium e Caſtris filiorum Iſraelis in deſerto, quod circum illa erat, nam Caſtra illorum repræſentabant Cælum, & Deſertum Infernum. Comparari etiam poteſt cum remotione gentium a filiis iſraelis, in terra Canaane, & Jebuſæorum a Hieroloſolyma, quæ non ejectæ ſunt ſed ſeparatæ. Comparari poteſt cum Dagone Deo Philiſtæorum, quod cum introducta eſt Arca, primum jacuerit ſuper fa-

faciebus ſuis in terra, & poſtea cum capite & volis manuum ejus abſciſſis ſuper limine, ita non ejectus, ſed remotus. Comparari poteſt cum dæmonibus miſſis in porcos a Domino, qui ſe poſtea immerſerunt mari, per mare hic & alibi in Verbo ſignificatur infernum. Comparari atiam poteſt cum turba draconis, quæ ſeparata e Cælo primum invaſit terram, & poſtea dejecta eſt in infernum. Compaiari etiam poteſt ſylvæ, ubi ſunt multiplices feræ, qua abſciſſa aufugiunt feræ in Dumeta circum circa, & tunc terra complanata in medio excolitur in agrum.

Quod Regeneratio non dabilis ſit abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus.

615. Quis præter ſtupidum non poteſt videre, quod homo abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus non poſſit regenerari, num abſque illo poteſt Dominum adire, & Ipſum agnoſcere Redemptorem & Salvatorem, & pro Deo Cæli & Terræ, ſicut Ipſe docet Matth. XXVIII: 18. Quis abſque Libero Arbitrio illo poteſt Credere, hoc eſt, ex fide aſpicere & colere Ipſum, & ſe applicare ad recipienda media & beneficia ſalutis ab Ipſo, & ad illa recipienda ex Ipſo cooperari: quis abſque Libero arbitrio poteſt facere aliquod bonum proximo, & exercere Charitatem, præter plura, quæ Fidei & Charitatis ſunt, inferre in cogitationem & voluntatem, & expromere illa, & emittere in actum; quid alioquin Regeneratio niſi mera vox elapſa ex ore Domini, Joh. III; quæ vel in aure ſubſiſtit, vel in ore ex cogitatione proxima loquelæ elapſa fit ſonus articulatus ex ſolis undecim literis, qui ſonus per aliquem ſenſum non poteſt in aliquam ſuperiorem mentis regionem elevari, ſed cadit in aerem ubi diſſipatur.

616. Dicite ſi poteſtis, num uſquam dari poſſit ſtupiditas cæcior de Regeneratione, quam qualis eſt apud illos, qui ſe in hodierna Fide confirmant, quæ eſt, quod fides infundatur homini cum eſt ſicut truncus aut lapis, & quod tunc illam infuſam ſequatur juſtificatio, quæ eſt, remiſſio peccatorum, regeneratio, præter plura dona; & quod operatio hominis prorſus excludenda ſit, propter cauſam, ne merito Chriſti aliquam vim inferat; quod dogma ut adhuc firmius ſtabiliretur, homini omne liberum arbitrium in ſpiritualibus præripuerunt, inducendo plenariam impotentiam in illis; & tunc ſicut Deus ſolum operaretur a ſua parte, & nulla potentia data foret homini cooperandi a ſua, & ſic ſe conjungendi; quid tunc homo quoad regenerationem, niſi ſicut vinctus quoad manus & pedes, ſimilis vinctis in navibus, galeres, vocatis, qui ſi manicis & pedicis ſe exſolverent, ſimiliter ut illi puniretur & morti damnaretur, hoc eſt, ſi ex libero arbitrio bonum faceret proximo, & ex ſe crederet in Deum, ſalutis cauſa. Quid foret homo in talibus confirmatus, & tamen in pio deſiderio Cæli, niſi ſicut larva ſtans in viſione, num fides illa cum ſuis beneficiis infuſa ſit, aut ſi non, num infundatur, proinde num Deus Pater miſertus ſit, aut num Filius Ipſius interceſſerit, aut num Spiritus ſanctus alibi occupatus non operetur; & tandem ex plenaria ignorantia de hoc recederet, & ſe conſolaretur per hoc, quod forte gratia illa moralitati vitæ meæ, in qua ſum & maneo ſicut prius, inſit, & ſic illa in me ſancta, at in illis, qui fidem illam non adepti ſunt, prophana; quare ut ſanctitas in moralitate mea remaneat, cavebo poſthac ne ex me operer fidem, nec charitatem; præter plura; talis larva, aut ſi mavis, talis ſtatua ſalis ſit omnis, qui cogitat de Regeneratione abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus.

617. Homo, qui credit Regenerationem dari abſque ullo libero arbitrio in ſpiritualibus, ita abſque cooperatione, fit quoad omnia vera Eccleſiæ frigidus ſicut fa-

ſaxum, & ſi calidus, eſt ſicut torris in foco ignitus, qui flagrat ex combuſtibilibus in illo, quia ex concupiſcentiis. Ille comparative ſit ſicut palatium ſubſidens in terram uſque ad tectum ejus, & inundatur aquis lutulentis, & poſt hoc habitat ſuper nudo tecto, & ibi ſibi facit tentorium ex cannis paluſtribus, & demum etiam tectum ſubſidet, & ipſe ſubmergitur. Eſt quoque ſimilis navi, in qua omnis generis pretioſæ merces ex Verbo ut theſaurario ſunt, quæ vel a muribus & blattis corroduntur, vel a nautis projiciuntur in mare, & ſic mercatores defraudantur ſuis bonis. Eruditi ſeu opulenti ex fidei iſtius arcanis ſunt ſimiles inſtitoribus in Cauponis, qui vendunt ſtatuas idolorum, fructus & flores cereos, conchilia, viperas in phialis, & ſimilia alia. Illi, qui ex nulla ſpirituali potentia homini applicata & data a Domino, non volunt ſpectare ſurſum, ſunt actualiter ſicut beſtiæ, quæ Capite ſpectant deorſum, & modo paſcua in ſylvis quærunt, & ſi in hortos veniunt, ſunt ſicut vermes qui folia arborum conſumunt, & ſi fructus oculis vident, & plus ſi manibus palpant, implent illos vermicoſis: & tandem fiunt ſicut ſerpentes ſquamoſi, quorum fallaciæ ſonant & fulgent, ſicut illorum ſquamæ, & ſic porro.

Quod Regeneratio non dabilis ſit abſque veris, per quæ formatur Fides, & cum quibus ſe conjungit Charitas.

618. Sunt tria per quæ homo regeneratur, Dominus, Fides & Charitas, hæc tria laterent ſicut celſiſſimæ pretioſitates infoſſæ terræ, ſi non Divina vera ex Verbo aperirent illa, imo laterent coram illis, qui negant cooperationem, ſi vel centies vel millies legerent Verbum, tametſi ibi in clara luce exſtant. Quod Dominum attinet, quis confirmatus in hodierna fide, aperto oculo videt hæc ibi, quod Ipſe & Pater unum ſint, & quod Ipſe ſit Deus Cæli & Terræ, & quod Voluntas Patris ſit, ut credant in Filium, præter innumera ſimilia de Domino in utroque Fœdere; cauſa eſt, quia non in veris ſunt, & inde non in luce, ex qua hujuscemodi poſſunt videri; & ſi daretur lux, uſque falſa exſtinguerent illam, & tunc præterirentur ſicut talia, quæ lituris deleta ſunt, aut ſicut ſubterraneæ foſſæ, quæ calcantur & tranſeuntur: hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod abſque veris hoc primarium regenerationis non videatur. Quod Fidem attinet, nec illa abſque veris poteſt dari, fides enim & verum faciunt unum rem; eſt enim bonum fidei ſicut anima, & vera faciunt ejus corpus; quare dicere quod credat ſeu fidem habeat, & nulla vera ejus ſcire, eſt ſicut animam ex corpore extrahere, & cum illa inconſpicua loqui: præterea omnia vera, quæ fidei corpus faciunt, lucem a ſe emittunt, & illuſtrant, & ſiſtunt faciem ejus videndam. Simile eſt cum charitate, hæc a ſe emittit calorem, cum quo lux veri ſe conjungit, ſicut facit calor cum luce tempore veris in Mundo; ex quorum conjunctione animalia & vegetabilia terræ in ſua prolifica redeunt: ſimile eſt cum Calore & Luce ſpirituali, hæc ſe ſimiliter conjungunt in homine, dum hic in veris fidei & ſimul in bonis charitatis eſt; nam ut ſupra in Capite de Fide dictum eſt, ex ſingulis veris fidei effluit lux quæ illuſtrat, & ex ſingulis bonis charitatis effluit calor qui accendit; tum quod Lux ſpiritualis in ſua eſſentia ſit Intelligentia, & Calor ſpiritualis in ſua eſſentia ſit Amor, & quod Solus Dominus conjungat illa duo apud hominem, cum regenerat illum; dixit enim Dominus, *Verba quæ Ego loquor, ſpiritus & vita ſunt*, Joh. VI: 63. *Credite in Lucem, ut filii lucis ſitis, Ego Lux in Mundum veni*, Joh. XII: 36. Dominus eſt Sol in Mundo ſpirituali, inde omnis lux & calor ſpiritualis eſt ac lux illa illuſtrat, & calor ille accendit, & per conjunctionem utriuſque hominem vivificat & regenerat.

619

619. Ex his conſtare poteſt, quod abſque veris non ſit cognitio Domini, tum quod abſque veris non ſit Fides, & ſic non Charitas, conſequenter quod abſque veris non ſit aliqua Theologia, & ubi hæc non eſt, nec eſt Eccleſia: talis eſt Cætus populorum hodie, qui ſe vocant Chriſtianos, & ſe dicunt in luce Evangelii eſſe, cum tamen in ipſa caligine ſunt; vera enim ſub falſis ita abſcondita latent, tanquam aurum, argentum, & lapides pretioſi ſepulta inter oſſa in valle hinnomi: quod ita ſit, patuit mihi clare a Sphæris in Mundo ſpirituali, quæ ex hodierno Chriſtianiſmo effluunt & ſe propagant. Una Sphæra eſt de Domino, hæc e Plaga meridionali, ubi ſunt docti e Clero, & eruditi e Laicis, exſpirat & ſe effundit; hæc ubicunque vadit, ſubintrat ideas, & fidem de Divinitate Humani Domini apud plures aufert, apud plures infirmat, & apud plures infatuat, cauſa eſt, quia ſimul in infert fidem trium Deorum, & ſic confunditur. Altera Sphæra, quæ affert fidem, eſt ſicut atra nubes tempore hyemis, quæ inducit tenebras, vertit pluvias in nives, denudat arbores, & congelat aquas, & omne paſcuum ovibus aufert; hæc ſphæra conjuncta priori inſinuat ſicut lethargiam de Deo uno, deque Regeneratione, & de Salutiferis. Tertia ſphæra eſt conjunctionis fidei & charitatis, quæ tam valida eſt, ut ei non reſiſti poſſit, ſed hodie nefanda eſt, & ſicut peſtis quemcunque aſpirat, inficit, & divellit omne vinculum inter bina ille ſalutis media a creatione Mundi conſtabilita, & a Domino integrata; hæc ſphæra invadit etiam homines in Mundo naturali, & exſtinguit tædas conjugiales inter vera & bona; hanc ſphæram ſenſi, & tunc cum cogitavi de Conjunctione fidei & charitatis, ſe interpoſuit inter illa, ac violenter conata eſt ſeparare: de his Sphæris conqueruntur Angeli, & orant ad Dominum ut diſſipentur, ſed reſponſum tulerunt, quod diſſipari nequeant, quamdiu Draco eſt ſuper terra, quoniam a Draconicis eſt illa; nam dicitur de Dracone, quod projectus ſit in terram, & tunc ita, *propter hoc gaudete Cæli, & væ habitantibus terram*, Apoc. XII. Tres illæ ſphæræ ſunt ſicut athmoſphæræ tempeſtate actæ ex ſpiraculis Draconum oriundæ, quæ, quia ſpirituales ſunt, invadunt mentes & adigunt. Sphæræ veritatum ſpiritualium ibi adhuc paucæ ſunt, duntaxat in Novo Cælo, & apud illos ſub Cælo, qui ſeparati a Draconicis ſunt: quæ cauſa eſt quod Veritates illæ hodie in Mundo apud homines tam inconſpicuæ ſint, quemadmodum Naves in mari Orientali ſunt Navarchis & Naucleris, qui in mari Occidentali navigant.

620. Quod Regeneratio abſque veris, per quæ formatur fides, non dabilis ſit, illuſtrari poteſt per has comparationes; non plus dabilis eſt quam Mens humana abſque intellectu, intellectus enim formatur per vera, & ideo docet quid credendum, & quid faciendum eſt, & quid Regeneratio, & quomodo fiat. Regeneratio abſque veris nec plus dabilis eſt, quam vivificatio animalium & vegetatio arborum abſque luce e ſole, nam niſi ſol ſimul daret lucem ſicut dat calorem, fieret ſol, ſicut deſcribitur in Apocalypſi, tanquam ſaccus piloſus, Cap. VI: 12. ac atratus Joel III: 11. & ſic meræ tenebræ forent ſuper terra, Joel IV: 15, ſimiliter foret cum homine abſque veris, quæ lucem a ſe emittunt; Sol enim a quo luces veritatum profluunt, eſt Dominus in Mundo ſpirituali, niſi inde ſpiritualis lux in mentes humenas influerent, foret Eccleſia in meris tenebris, aut in umbra ex perpetua Eccliſi. Regeneratio, quæ fit per fidem & charitatem, abſque veris quæ docent & ducunt, foret ſicut navigatio in magno Oceano abſque gubernaculo, aut abſque cyſti nautica & mappis: ac foret ſicut equitatio in opaca ſylva tempore noctis. Viſus internus mentis apud illos, qui non in veris ſunt, ſed in falſis, & hæc credunt eſſe vera, comparari poteſt cum viſu illorum, apud quos nervi optici obſtructi ſunt, & oculus uſque apparet integer & videns, tametſi nihil videt, quæ cæcitas a Medicis vocatur Amauroſis & Gutta ſerena; eſt enim rationale ſeu intellectuale apud illos ſuperius obſtructum, & modo inferius apertum, ex quo lux rationalis fit ſicut lux ocularis, & inde omnia judicia modo imaginatia, & ex meris

falſis

fallaciis connexa: & tunc homines ſtarent ſicut in foris Aſtrologi cum longis tubis opticis, & vana vaticinia edunt; tales fierent omnes ſtudioſi Theologiæ, niſi genuina Vera ex Verbo a Domino aperirentur.

✿ ✿ ✿ ✿ ✿

621. His adjicientur hæc MEMORABILIA. PRIMUM; Vidi Cætum Spirituum, omnes ſuper genubus, orantes ad Deum, ut mitteret ad ſe Angelos, cum quibus loquantur ore ad os, & quibus aperiant cordis ſui cogitata; & cum ſurrexerunt, viſi ſunt tres Angeli in byſſino ſtantes in conſpectu illorum, & dixerunt, audivit Dominus Jeſus Chriſtus preces veſtras, & ideo nos miſit ad vos, aperite nobis cordis veſtri cogitata, & reſponderunt; dixerunt nobis Sacerdotes, quod in rebus Theologicis non valeat Intellectus ſed Fides, & quod Fides Intellectualis in illis non conducat, quia hæc trahit & ſapit ex homine & non a Deo. Nos ſumus Angli, & audivimus plura ex Sacro noſtro Miniſterio, quæ credidimus, ſed cum loquuti ſumus cum aliis, qui etiam ſe vocabant Reformatos, & cum aliis qui ſe vocabant Romano-Catholicos, & porro cum Sectariis, apparebant omnes docti, & tamen in rebus multis non unus conſenſit cum altero, & uſque omnes dixerunt. CREDITE NOBIS, & aliqui, SUMUS MINISTRI DEI ET SCIMUS: at quia novimus, quod Divinæ Veritates, quæ vocantur fidei & ſunt Eccleſiæ, non ſint alicui ex Solo natali, nec ex hæreditario, ſed e Cælo a Deo; & quia illæ monſtrant viam ad Cælum, ac intrant vitam una cum bono charitatis, & ſic ducunt ad vitam æternam, anxii facti ſumus, & ſuper genubus oravimus ad Deum. Tunc reſponderunt Angeli, legite Verbum, & credite in Dominum, & videbitis Veritates, quæ fidei & vitæ veſtræ erunt, omnes in Chriſtiano Orbe ex Verbo ut ex unico Fonte hauriunt ſua Doctrinalia; at duo ex Cætu dixerunt, legimus ſed non intelleximus; & reſponderunt Angeli, non adiviſtis Dominum, qui eſt Verbum, & quoque prius confirmaviſtis vos in falſis: & porro dixerunt Angeli, quid fides abſque luce, & quid cogitare abſque intelligere, hoc non eſt Humanum, corvi & picæ etiam poſſunt diſcere loqui abſque intellectu; poſſumus vobis aſſeverare, quod unusquiſque homo, cujus anima deſiderat, poſſit videre veritates Verbi in luce; non datur animal, quod non ſcit ſuæ vitæ cibum, dum videt illum, & homo eſt Animal rationale & ſpirituale, hic videt ſuæ vitæ, non ita corporis, ſed animæ cibum, qui eſt verum fidei, ſi eſurit illum, & petit illum a Domino; quicquid etiam non recipitur intellectu, hoc nec inhæret memoriæ quoad rem, ſed ſolum quoad voces; quare cum deſpeximus e Cælo in Mundum, non vidimus quicquam, ſed modo audivimus ſonos, pleroſque disharmonicos: ſed enumerabimus aliqua, quæ Docti e Clero removerunt ab intellectu, non ſcientes quod binæ viæ ad Intellectum ſint, una e Mundo & altera e Cælo, & quod Dominus ſubducat intellectum e Mundo, dum illuſtrat illum; at ſi Intellectus clauditur ex Religione, clauditur ei via e Cælo, & tunc homo non plus videt in Verbo quam cæcus; vidimus plures tales cecidiſſe in foveas, e quibus non ſurrexerunt. Sint Exempla illuſtrationi, annon intelligere poteſtis quid Charitas & quid Fides, quod Charitas ſit bene cum proximo agere, & quod Fides ſit recte de Deo, & de eſſentialibus Eccleſiæ cogitare, & inde quod qui bene agit & recte cogitat, hoc eſt, qui bene vivit & recte credit, ſalvetur; ad hæc dixerunt quod intelligant. Porro dixerunt Angeli, quod Pœnitentia a peccatis agenda ſit, ut homo ſalvetur, & quod niſi homo pœnitentiam agit, maneat in peccatis, in quæ natus eſt, & quod pœnitentiam agere, ſit non velle mala quia ſunt contra Deum, ac ſemel aut bis in anno ſcrutari ſe, videre ſua mala, confiteri illa coram Domino, implorare opem, deſiſtere ab illis, & vitam novam inire, & quantum hoc facit, & credit in Do-

Dominum, tantum peccata remittantur; tunc dixerunt e Cætu, hæc intelligimus, & ſic etiam quid Remiſſio peccatorum. Et tunc rogaverunt Angelos ut informarent illos amplius, & quidem nunc de Deo, de Immortalitate animæ, de Regeneratione, & de Baptiſmo; Angeli ad hæc reſpondebant, non dicemus quicquam niſi quod intelligitis, alioquin cadit ſermo noſter, ſicut pluvia in arenam, & in ſemina ibi, quæ utcunque e Cælo irrigata, uſque emarceſcunt & pereunt. Et dixerunt de Deo; omnes qui in Cælum veniunt, ibi ſortiuntur locum, & inde æternum gaudium ſecundum ideam Dei, quia hæc idea univerſaliter regnat in omnibus Cultus; idea de Deo ut Spiritu, dum ſpiritus creditur ſicut æther aut ventus, eſt idea inanis; at idea de Deo ut Homine, eſt idea juſta; Deus enim eſt Divinus Amor & Divina Sapientia, cum omni quali eorum, & horum Subjectum eſt Homo, & non æther aut ventus; idea Dei in Cælo eſt idea Domini Salvatoris, Ipſe eſt Deus Cæli & Terræ, ut ipſe docuit; ſit veſtra idea Dei ſimilis noſtræ, & conſociabimur; cum hæc dixerunt, exſplenduerunt facies illorum. De Immortalitate animæ dixerunt; homo vivit in æternum, quia poteſt conjungi Deo per amorem & fidem, hoc poteſt unusquiſque, quod hoc Poſſe faciat immortalitatem animæ, poteſtis intelligere, ſi aliquantum altius de eo cogitatis. De Regeneratione, quis non videt, quod ſit cuivis homini liberum cogitare de Deo, & non cogitare de Illo, modo inſtructus eſt, quod Deus ſit, ita liberum cuivis eſt in ſpiritualibus æque ut in civilibus & naturalibus; Dominus hoc dat continue omnibus, quare reus fit ſi non cogitat; homo eſt homo ex poſſe hoc, at beſtia eſt beſtia ex non poſſe hoc; quare homo ſe poteſt reformare & regenerare ſicut a ſe, modo corde agnoſcat, quod ſit a Domino; omnis qui pœnitentiam agit, & credit in Dominum, reformatur & regeneratur, utrumque faciet homo ſicut a ſe, ſed Sicut a se eſt a Domino. Verum eſt, quod homo ex ſe ad id non quicquam poſſit conferre, ne hilum, attamen non creati eſtis ſtatuæ, ſed creati eſtis Homines, ut faciatis id a Domino ſicut a vobis; hoc unicum reciproeum amoris & fidei eſt, quod Dominus omnino vult ut fiat Ipſi ab homine; verbo, facite a vobis, & credite quod a Domino, ſic facitis ſicut a vobis: at tunc quæſiverunt, num facere ſicut a ſe, ſit inditum homini a creatione, reſpondit Angelus, non inditum eſt, quia facere a ſe eſt Solius Dei, ſed datur continue, hoc eſt adjungitur continue, & tunc quantum homo facit bonum & credit verum ſicut a ſe, eſt Angelus Cæli, at quantum facit malum & inde credit falſum, quod etiam eſt ſicut a ſe, tantum eſt Spiritus Inferni; quod hoc etiam ſit ſicut a ſe, miramini, ſed uſque videtis hoc, dum oratis ut a diabolo cuſtodiamini ne vos ſeducat, ne intret in vos ſicut in Judam, impleat vos omni iniquitate, ac deſtruat & animam & corpus; ſed omnis reus fit, qui credit quod faciat a ſe, ſive ſit bonum ſive ſit malum, ſed non reus fit qui credit quod faciat ſicut a ſe; nam ſi credit quod bonum ſit a ſe, vindicat ſibi id quod Dei eſt; & ſi credit quod malum ſit a ſe, attribuit ſibi id quod diaboli eſt. De Baptismo dixerunt, quod ſit Lavatio ſpiritualis, quæ eſt Reformatio & Regeneratio, & quod Infans reformetur & regeneretur, dum adultus factus facit illa, quæ Patrini pro illo ſpoſponderunt, quæ ſunt duo, Pœnitentia & Fides in Deum; nam Primum ſpondent, ut abdicet diabolum & omnia ejus opera; Secundum, ut credat in Deum; omnes Infantes in Cælo in illa duo initiantur, ſed his diabolus eſt infernum, ac Deus eſt Dominus: præterea Baptismus eſt ſignum coram Angelis, quod homo ſit ab Eccleſia: his auditis dixerunt e Cætu, hæc intelligimus. Sed tunc audita eſt vox a latere, clamans, non intelligimus, & alia vox, non volumus intelligere; & inquiſitum a quibus illæ voces, & compertum quod ab illis, qui apud ſe confirmaverunt falſa fidei, & qui voluerunt credi ut oracula, & ſic adorari; dixerunt Angeli, ne miremini, tales ſunt hodie permulti, apparent nobis e Cælo ſicut Sculptilia tali arte facta, ut poſſint movere labia, ac ſonare ſicut organa, & non ſciunt, num halitus, ex quo ſonant, ex Inferno ſit, vel num e

Cælo, quia non ſciunt num falſum ſit, vel num verum, ratiocinantur & ratiocinantur, tum confirmant & confirmant, nec vident quicquam num ita ſit: ſed ſciatis quod Ingenium humanum poſſit confirmare quicquid vult, uſque ut appareat ſicut ita ſit, quare hoc poſſunt hæretici, hoc impii, imo athei quod Deus non ſit ſed Natura ſola. Poſt hac Cætus ille ex Anglis accenſus deſiderio ſapiendi, dixit ad Angelos, loquuntur tam varia de SACRA CÆNA, dicite nobis quid Veritas; reſponderunt Angeli, Veritas eſt, quod homo, qui ſpectat ad Dominum, & pænitentiam agit, per ſanctiſſimum illud conjungatur Domino, ac introducatur in Cælum; ſed dixerunt e Cætu, hoc myſterium eſt, & reſponderunt Angeli, eſt myſterium, ſed uſque tale, ut poſſit intelligi; Panis & Vinum hoc non faciunt, non aliquid ſanctum eſt ab illis, ſed correſpondent ſibi mutuo Panis Materialis & Panis ſpiritualis, ac Vinum materiale & Vinum ſpirituale, & Panis ſpiritualis eſt Sanctum amoris, & Vinum ſpirituale eſt Sanctum fidei, utrumque a Domino, & utrumque Dominus, inde conjunctio Domini cum homine, & hominis cum Domino, non cum pane & vino, ſed cum amore & fide hominis qui pænitentiam egerat, & conjunctio cum Domino eſt quoque introductio in Cælum; & poſtquam Angeli docuerunt illos aliquid de Correſpondentia, dixerunt e Cætu, nunc primum etiam hoc poſſumus intelligere; & cum hoc dixerunt, ecce flammeum e Cælo cum luce deſcendens conſociavit illos cum Angelis, & amaverunt ſe mutuo.

622. SECUNDUM MEMORABILE. Omnes qui ad Cælum præparati ſunt, quod fit in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, poſt exactum tempus, deſiderant cum ſuſpirio Cælum, & mox aperiuntur oculi illorum, & vident viam, quæ tendit ad aliquam Societatem in Cælo, hanc viam intrant & aſcendunt; & in aſcenſu eſt porta, & ibi cuſtos, hic aperit portam, & ſic ingrediuntur; tunc obviam fit eis Inquiſitor, qui illis a Moderatore dicit, ut penitius intrent & inquirant, num alicubi Domus ſint, quas agnoſcant ut ſuas, nam pro quovis novitio Angelo eſt nova domus, & ſi inveniunt, renuntiant hoc, & manent ibi; at ſi non inveniunt, redeunt, & dicunt, quod non viderint; & tunc a quodam Sapiente ibi exploratur, num Lux quæ in illis eſt, concordat cum luce quæ in ſocietate eſt, & imprimis num Calor; Lux enim Cæli in ſua eſſentia eſt Divinum Verum, & Calor Cæli in ſua eſſentia eſt Divinum Bonum, utrumque procedens a Domino ut Sole ibi; ſi alia Lux & alius Calor, quam Lux & Calor illius Societatis in illis ſunt, hoc eſt, ſi aliud Verum & Bonum, non recipiuntur, quare abeunt inde, & per vias inter Societates in Cælo apertas vadunt, & hoc uſque dum inveniunt Societatem affectionibus illorum prorſus congruam, & ibi fit habitatio illorum in æternum; ſunt enim ibi inter ſuos, quemadmodum inter affines & amicos, quos, quia in ſimili affectione ſunt, ex corde amant, & ibi ſunt in vitæ ſuæ fauſtitate, & in totius pectoris ſui ex pace animæ jucunditate, eſt enim in Calore & Luce Cæli delitium ineffabile, quod communicatur; ita fit cum illis qui Angeli fiunt. Sed qui in malis & falſis ſunt, illis ex venia licet aſcendere in Cælum, ſed cum intrant, incipiunt trahere animam, & reſpirare cum lucta; & mox obſcuratur viſus illorum, & caligat intellectus, & ceſſat cogitatio, ac ſicut lethus obverſatur oculis, & ſic ſtant ſicut ſtipites; & tunc incipit cor pulſare, pectus anguſtari, & mens corripi angore, & plus & plus cruciari, & in eo ſtatu ſe contorquent ſicut ſerpentes admoti foco, quare devolvunt ſe inde, & per præcipitium, quod tunc apparet, ſe dejiciunt, nec quieſcunt, quam in Inferno apud ſui ſimiles, ubi poſſunt animam trahere, & ubi cor illorum libere vibratur. Poſtea odio habent Cælum, & rejiciunt Verum, ac corde blaſphemant Dominum, credentes quod cruciatus & tormina illorum in Cælo ab Ipſo fuerint. Ex his paucis videri poteſt, qualis ſors illorum eſt, qui floccipendunt Veritates quæ fidei ſunt, quæ tamen faciunt lucem in qua ſunt Angeli Cæli, & qui floccipendunt Bona, quæ amoris & Charitatis ſunt, quæ tamen faciunt calorem vitæ in quo ſunt Angeli

Cæ-

Cæli: tum ex his videri poteſt, quantum errant, qui credunt, quod quiſque poſſit frui beatitudine Cæleſti, modo admittatur in Cælum; Fides enim hodie eſt, quod in Cælum recipi, ſit ex ſola Miſericordia; & quod receptio in Cælum ſit, ſicut qui in Mundo in Domum Nuptiarum venit, & tunc ſimul in gaudia & lætitias ibi; at ſciant, quod communicatio affectionum amoris & inde cogitationum ſit in Mundo ſpirituali, quoniam Homo tunc Spiritus eſt, & Vita Spiritus eſt affectio amoris & inde cogitatio; & quod affectio homogenea conjungat, & affectio heterogenea ſeparet, & quod heterogeneum cruciet, diabolum in Cælo, & angelum in Inferno; quamobrem ſeparati ſunt juſte ſecundum diverſitates, varietates, & differentias affectionum quæ amoris ſunt.

623. TERTIUM MEMORABILE. Quondam datum eſt videre Trecentos ex Clericis & ſimul Laicis, omnes doctos & eruditos, quia ſciverunt ſolam Fidem confirmare uſque ad juſtificationem, & quidam ultra; & quia apud illos erat fides, quod Cælum ſit modo admiſſio ex gratia, data eſt illis venia aſcendendi in unam Cæli Societatem, quæ tamen inter ſuperiores non erat; & cum aſcenderunt, tunc e longinquo viſi ſunt ſicut Vituli, & cum intrabant Cælum, recepti ſunt ab Angelis civiliter, ſed cum colloquebantur, occupavit illos tremor, poſtea horror, & demum cruciatus ſicut mortis, & tunc dejecerunt ſe præcipites, & in dejectione viſi ſunt ſicut Equi mortui. Quod apparuerint ſicut Vituli in aſcenſu, erat quia affectio naturalis videndi & ſciendi exultans apparet ex correſpondentia ſicut Vitulus; & quod in dejectione apparuerint ſicut Equi mortui, erat quia Intellectus veri apparet ex correſpondentia ſicut Equus, ac Intellectus nullus veri, quod Eccleſiæ eſt, ſicut Equus mortuus.

Erant Pueri infra, qui videbant illos deſcendentes, ac in deſcenſu viſos ut Equos mortuos; & tunc avertebant facies, & dicebant Magiſtro ſuo, qui cum illis erat, quid hoc portentum, vidimus homines, & nunc pro illis Equos mortuos; quos quia non potuimus aſpicere, avertimus facies; Magiſter, ne moremur in hoc loco, ſed abeamus, & abiverunt. Et tunc Magiſter in via illos inſtruxit, quid Equus mortuus, dicens, Equus ſignificat Intellectum veri ex Verbo, omnes Equi quos vidiſtis, illum ſignificaverunt; quando enim homo vadit meditans ex Verbo, tunc Meditatio ejus e longinquo apparet ſicut Equus, generoſus & vivus ſicut ſpiritualiter meditatur, ac viciſſim miſer & mortuus, ſicut materialiter: tunc pueri quærebant, quid eſt ſpiritualiter & materialiter meditari ex Verbo; & reſpondit Magiſter, illuſtrabo hoc per exempla; quis dum ſancte legit Verbum, non interius in ſe cogitat de Deo, de Proximo, & de Cælo; omnis qui cogitat de Deo ſolum ex Perſona & non ex Eſſentia, is materialiter cogitat: tum qui cogitat de Proximo ſolum ex forma externa, & non ex qualitate, is materialiter cogitat; & qui cogitat de Cælo ſolum ex loco, & non ex amore & ſapientia, ex quibus Cælum eſt Cælum, is quoque materialiter cogitat: ſed dixerunt pueri, nos cogitavimus de Deo ex Perſona, de Proximo ex Forma quod ſit homo, & de Cælo ex Loco quod ſupra nos ſit, num ideo cum legimus Verbum, apparuimus tunc alicui ſicut Equi mortui; dixit Magiſter, non, eſtis adhuc pueri, ac non poteſtis aliter; at percepi affectionem ſciendi & intelligendi apud vos, quæ quia eſt ſpiritualis, cogitaviſtis etiam ſpiritualiter, latet enim ſpiritualis aliqua cogitatio intus in veſtra materiali, quod adhuc neſcitis. Sed redibo ad priora quæ dixi, quod qui cogitat materialiter, dum legit Verbum, aut meditatur ex Verbo, appareat e longinquo ſicut Equus mortuus, at qui ſpiritualiter, ſicut Equus vivus; & quod materialiter cogitet de Deo, qui ſolum ex Perſona & non ex Eſſentia; ſunt enim Attributa Divinæ Eſſentiæ plura, ut Omnipotentia, Omniſcientia, Omnipræſentia, Æternitas, Amor, Sapientia, Miſericordia & Gratia, & alia; & ſunt Attributa procedentia ex Divina Eſſentia, quæ ſunt Creatio & Conſervatio, Redemptio & Salvatio, Illuſtratio & Inſtructio; omnis qui de Deo ex Perſona cogitat, facit

tres Deos, dicens, quod unus Deus ſit Creator & Conſervator, alter Redemptor & Salvator, ac tertius, Illuſtrator & Inſtructor, at omnis qui de Deo ex eſſentia cogitat, facit Unum Deum, dicens, Deus nos creavit, & idem nos redemit & ſalvat, & quoque illuſtrat & inſtruit; inde cauſa, quod qui de Trinitate Dei cogitant ex Perſona, & ſic materialiter, non poſſint aliter ex ideis cogitationis ſuæ, quæ materialis eſt, quam facere ex uno Deo Tres, ſed uſque contra cogitationem ſuam tenentur dicere, quod Trium illorum ſit Unio per Eſſentiam, quia ſicut per tranſennam etiam cogitaverunt de Deo ex Eſſentia; quare, mei Diſcipuli, cogitate ex Eſſentia, & ex hac de Perſona; cogitare enim ex Perſona de Eſſentia, eſt materialiter cogitare etiam de Eſſentia, at cogitare ex Eſſentia de Perſona, eſt ſpiritualiter cogitare eriam de Perſona: Gentiles Antiqui, quia materialiter cogitaverunt de Deo, & ſic etiam de Attributis Dei, non modo fecerunt tres Deos, ſed plures uſque ad centum, ex unoquovis enim Attributo fecerunt unum Deum: ſciatis quod materiale non intret in ſpirituale, ſed ſpirituale in materiale. Simile eſt cum cogitatione de Proximo ex forma externa & non ex qualitate ejus; ut & cum cogitatione de Cælo ex loco, & non ex Amore & Sapientia, ex quibus eſt Cælum. Simile eſt cum omnibus & ſingulis, quæ in Verbo ſunt; quare qui materialem ideam de Deo fovet, & quoque de Proximo, & de Cælo, non poteſt quicquam ibi intelligere, eſt illi Verbum litera mortua, & ipſe apparet e longinquo, dum legit illud, aut meditatur ex illo, ſicut Equus mortuus: illi, quos vidiſtis deſcendentes e Cælo factos coram oculis veſtris ſicut Equos mortuos, fuerunt qui occluſerunt viſum rationalem quoad Theologica ſeu ſpiritualia Eccleſiæ apud ſe & apud alios per peculiare dogma, Quod Intellectus captandus ſit ſub obidientia fidei eorum; non cogitantes, quod Intellectus a Religione occluſus ſit cæcus ſicut talpa, & in illo mera caligo, & talis caligo, quæ rejicit a ſe omnem lucem ſpiritualem, obſtipat influxum ejus a Domino & e Cælo, & ponit pro illo obicem in ſenſuali corporeo, longe infra rationale in rebus fidei, hoc eſt, ponit illum juxta naſum, & figit illum in Cartilagine ejus, ex quo poſtea ne quidem odorari poteſt ſpiritualia; unde quidam tales facti ſunt, ut dum ſentiunt odorem ex ſpiritualibus, cadant in deliquium; per odorem intelligo perreptionem: Hi ſunt qui faciunt Deum Tres, dicunt quidem ex Eſſentia, quod Deus Unus ſit, at uſque dum ex Fide ſua orant, quæ eſt ut Deus Pater miſereatur propter Filium, & mittat Spiritum Sanctum, manifeſte faciunt tres Deos; non poſſunt aliter, orant enim ad Unum, ut miſereatur propter Alterum, & mittat Tertium; & tunc Magiſter illorum docuit illos de Domino, quod Ille Deus Unus ſit, in Quo Divina Trinitas.

624. Quartum Memorabile. In media nocte experrectus e ſomno, vidi in aliqua altitudine verſus Orientem Angelum tenentem in manu dextra Chartam, quæ ex Sole apparuit in illuſtri candore, in cujus medio erat Scriptura ex literis aureis, & vidi ſcriptum Conjugium Boni et Veri; ex Scriptura emicuit ſplendor, qui abivit in latum circulum circum Chartam, circulus ille ſeu ambitus apparuit inde ſicut apparet aurora verno tempore. Poſt hæc vidi Angelum cum Charta in manu deſcendentem, & ſicut deſcendit, apparuit Charta minus & minus lucida, & Scriptura illa, quæ erat Conjugium Boni et Veri, converſa a colore aureo in argenteum, & deinde in cupreum, poſtea in ferreum, & demum in ferruginoſum & æruginoſum; ac ultimo viſus eſt Angelus intrare in Nimbum obſcurum, & trans Nimbum ſuper Terram, & ibi Charta illa, tametſi in manu Angeli adhuc tenebatur, non viſa eſt; fuit hoc in Mundo ſpirituum, in quem omnes homines poſt obitum primo conveniunt; & tunc Angelus loquutus eſt ad me, dicens, quære illos, qui huc veniunt, num videant me, vel aliquid in manu mea; venit multitudo, cætus ab oriente, cætus a meridie, cætus ab occidente, cætus a ſeptentrione, & quæſivi advenientes ex Oriente & Meridie, qui erant qui in Mundo ſtuduerunt eruditioni, num videant hic apud me aliquem, aut aliquid in manu ejus, dixerunt om-

omnes, quod prorſus nihil; quæſivi dein illos qui advenerunt ex Occidente & Septentrione, qui erant qui in verba eruditorum in Mundo crediderant, hi dixerunt, quod nec aliquid: attamen ultimi ex his, qui in Mundo fuerant in ſimplici fide ex charitate, ſeu in aliquo vero ex bono, poſtquam abiverunt priores, dixerunt, quod videant Virum cum Charta, Virum in habitu decoro, & Chartam ſuper qua literæ exaratæ, & cum admoverunt oculos, dicebant quod legerent CONJUGIUM BONI ET VERI; & hi alloquebantur Angelum, rogantes ut diceret, quid hoc; & dixit, quod omnia quæ in Univerſo Cælo ſunt, & omnia quæ in Univerſo Mundo, a creatione non ſint niſi quam Conjugium boni & veri; quoniam omnia & ſingula, tam quæ vivunt & animant, quam quæ non vivunt & animant, ex Conjugio boni & veri, & in illud creata ſunt; non datur quicquam creatum in ſolum Verum, nec quicquam in ſolum Bonum, hoc & illud ſolitarium non eſt aliquid, ſed exiſtunt & fiunt per Conjugium tale aliquid, quale eſt conjugium: In Domino Deo Creatore eſt Divinum Bonum & Divinum Verum in ipſa ſua Subſtantia, Subſtantiæ Ipſius Eſſe eſt Divinum Bonum, & Subſtantiæ Ipſius Exiſtere eſt Divinum Verum, & quoque ſunt in ipſa ſua Unione, nam in Ipſo infinite unum faciunt; quoniam duo illa in Ipſo Deo Creatore unum ſunt, ideo etiam in omnibus & ſingulis creatis ab Ipſo unum ſunt; per id quoque Creator cum omnibus a ſe creatis æterno fœdere ſicut Conjugii conjunctus eſt. Porro dixit Angelus, quod Scriptura Sacra, quæ a Domino dictata eſt, ſit in communi & in parte Conjugium boni & veri, videatur ſupra n: 248 ad 253; & quia Eccleſia, quæ formatur per Vera Doctrinæ, & Religio, quæ formatur per Bona vitæ ſecundum Vera Doctrinæ, apud Chriſtianos unice eſt ex Scriptura Sacra, conſtare poteſt, quod etiam Eccleſia in communi & in parte ſit Conjugium Boni & Veri. Idem hoc quod ſupra dictum eſt de Conjugio Boni & Veri, dictum etiam eſt de CONJUGIO CHARITATIS ET FIDEI, quoniam Bonum eſt Charitatis, & Verum eſt Fidei. Poſtquam hæc dicta ſunt, Angelus extulit ſe e terra, & vectus trans nimbum aſcendit in Cælum, & tunc Charta ſecundum gradus aſcenſus, fulgebat ſicut prius; & ecce tunc Circulus, qui prius apparuit ſicut aurora, ſe demiſit, & diſpulit Nimbum, qui tenebras induxit Terræ, & factum eſt apricum.

625. QUINTUM MEMORABILE. Quondam cum de Secundo Adventu Domini meditabar, ſubito apparuit jubar lucis fortiter ſtringens oculos meos, quare ſuſpexi, & ecce totum Cælum ſuper me apparuit luminoſum, & ab Oriente in Occidentem ibi in longa ſerie audita eſt GLORIFICATIO, & adſtitit Angelus, & dixit, Glorificatio illa eſt Glorificatio Domini propter Adventum Ipſius, quæ fit ab Angelis Cæli Orientalis & Occidentalis: e Cælo Meridionali & Septentrionali non audiebatur niſi facetum murmur; & quia Angelus audivit omnia, dixit mihi primum, quod Glorificationes & Celebrationes illæ Domini fiant ex Verbo; & mox dixit, nunc in ſpecie glorificant & celebrant Dominum per hæc, quæ apud Danielem Prophetam dicta ſunt, *Vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, ſed non cohærebunt: verum in diebus illis ſurgere faciet Deus Cælorum Regnum, quod in ſæcula non peribit; conteret & conſumet omnia illa Regna, ipſum autem ſtabit in ſæcula*, Dan. II: 43. 44. Poſt hæc audivi ſicut vocem cantus, & penitius in Oriente vidi coruſcum lucis priori ſplendentius; & quæſivi Angelum, quid ibi glorificant, dixit quod per hæc apud Danielem, *Videns fui in viſionibus noctis, & ecce cum Nubibus Cæli* FILIUS HOMINIS *veniens fuit; & Huic datum eſt Dominium & Regnum, & omnes populi & gentes Ipſum colent; Dominium Ipſius Dominium ſæculi, quod non tranſibit; & Regnum Ipſius quod non peribit*, Dan. VII: 13. 14. Præter illa celebrant Dominum ex his in Apocalypſi, *Jeſu Chriſto ſit gloria & Robur; ecce venit cum Nubibus; Ipſe eſt Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, Qui Eſt, Qui Fuit, & Qui Venturus eſt, Omnipotens: Ego Johannes audivi hoc ex* FILIO HOMINIS *e medio ſeptem Candelabrorum*, Apoc. I: 5. 6. 7. 10. 11. 12. 13. Cap. XXII: 13: tum ex

Matth. XXIV: 30. 32. Spectavi iterum in Cælum Orientale, & illuxit a latere dextro, & Luminoſum intravit in Expanſum Meridionale, & audivi ſonum ſuavem; & quæſivi Angelum, quid Domini ibi glorificant, dixit quod per hæc in Apocalypſi, *Vidi Cælum Novum & Terram Novam, & vidi Urbem Sanctam Hieroſolymam Novam deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut* SPONSAM MARITO SUO; *& audivi vocem magnam e Cælo, dicentem, ecce Tabernaculum Dei cum* HOMINIBUS, *qui habitabit cum illis. Et loquutus eſt mecum Angelus, & dixit, veni oſtendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM; *& abſtulit me in ſpiritu ſuper Montem magnum & altum, & oſtendit mihi Urbem Sanctam Hieroſolymam*, Apoc. XII: XXI: 1. 2. 9. 10. Etiam per hæc verba, *Ego Jeſus ſum Stella ſplendida & matutina; ac Spiritus &* SPONSA *dicent*, VENI, *& dixit* VENIO CITO: *Amen etiam*, VENI DOMINE JESU, Apoc. XXII: 16. 17. 20. Poſt hæc & plura, audita eſt communis Glorificatio ab Oriente in Occidentem Cæli, & quoque a Meridie in Septentrionem; & quæſivi Angelum, quid nunc, & dixit, ſunt ex Prophetis hæc. *Sciat omnis Caro, quod Ego* JEHOVAH SALVATOR TUUS ET REDEMPTOR TUUS, Eſaj. XLIX: 26. *Sic dixit Jehovah Rex Iſraelis, &* REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus &* ULTIMUS, ET PRÆTER ME NON DEUS, Eſaj. XLIV: 6. *Dicetur in die illo*, ECCE DEUS NOSTER HIC, *quem exſpectavimus ut liberet nos*, HIC JEHOVAH QUEM EXSPECTAVIMUS, Eſaj. XXV: 9. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Jehovæ*, ECCE DOMINUS JEHOVIH IN FORTI VENIT, *ſicut* PASTOR *gregem ſuum paſcet*, Eſaj. XL: 3. 5. 10. 11. *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, cujus Nomen Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, Eſaj. IX: 5. *Ecce dies venient, & ſuſcitabo Davidi Germen juſtum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipſius*, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jer. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, &* REDEMPTOR TUUS SANCTUS ISRAELIS, DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Eſaj. LIV: 5. IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH IN REGEM SUPER TOTAM TERRAM, IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM; Sach. XIV: 9. Ex his auditis ac intellectis exultavit cor meum, & in gaudio ivi domum, & ibi e ſtatu ſpiritus redii in ſtatum corporis, in quo hæc, quæ viſa & audita ſunt, conſcripſi.

CAPUT UNDECIMUM

DE

IMPUTATIONE.

Quod Fides hodiernæ Eccleſiæ, quæ perhibetur ſola juſtificare, & Imputatio, unum faciant.

626. Quod Fides hodiernæ Eccleſiæ, quæ perhibetur ſola juſtificare, ſit Imputatio, ſeu quod fides & imputatio in hodierna Eccleſia unum faciant, eſt quia unum eſt alterius, ſeu unum ingreditur alterum mutuo & viciſſim, & facit ut ſit, ſi enim dicitur fides & non adjicitur imputatio, fides eſt mere ſonus, & ſi dicitur imputatio, & non adjicitur fides, eſt quoque mere ſonus, at ſi duo illa dicuntur conjunctim, fit articulatum quid, ſed adhuc abſque intellectu, quare ut intellectus percipiat aliquid, neceſſario adjicietur tertium, quod eſt meritum Chriſti, inde fit ſententia, quam homo poteſt eloqui cum aliqua ratione: fides enim hodiernæ Eccleſiæ eſt, quod Deus Pater imputet juſtitiam Filii ſui, & mittat ſpiritum Sanctum ad operandum effectus ejus.

627. Sunt itaque illa tria, Fides, Imputatio, & Meritum Chriſti, in hodierna Eccleſia unum, & vocari poſſunt triunum, nam ſi aufertur unum ex illis tribus, fieret Theologia hodierna non aliquid, nam hæc a tribus illis ut unum perceptis pendet ſicut longa catena ab Unco fixo; prout ſi auferretur vel fides, vel imputatio, vel meritum Chriſti, fierent omnia quæ dicuntur de Juſtificatione, de remiſſione peccatorum, de vivificatione, innovatione, regeneratione, ſanctificatione, deque evangelio, de libero arbitrio, de charitate & bonis operibus, imo de vita æterna, ſicut urbes deſolatæ, aut ſicut rudera Templi, & ipſa fides anteſignana non aliquid, & ſic univerſa Eccleſia foret deſertum & deſolatio. Ex his patet, ſuper qua columna Domus Dei hodie fundata eſt, quæ ſi avelleretur, ſubrueret illa ſicut Domus, in qua fuerunt Satrapæ Philiſthæorum & populus ad tria millia ludentes, cujus binas columnas ſimul Schimſon evulſit, qui tunc mortui & occiſi ſunt, Judic. XVI: 29. Hoc dicitur, quia in antecedentibus oſtenſum eſt, & in Appendice oſtendendum eſt, quod Fides illa non ſit Chriſtiana, quia diſſidet a Verbo, & quod imputatio illius fidei ſit vana, quia meritum Chriſti non eſt imputabile.

Quod Imputatio, quæ eſt hodiernæ fidei, ſit duplex, una Meriti Chriſti, & altera Salutis inde.

528. In univerſa Eccleſia Chriſtana traditur, quod juſtificatio & inde ſalvatio fiat a Deo Patre per imputationem meriti Chriſti Filii ſui, & quod imputatio fiat ex gratia QUANDO ET UBI VULT, ita ex arbitrio, & quod illi, quibus meritum Chriſti imputatur, adoptentur in numerum filiorum Dei; & quia duces Eccleſiæ non

non ultra Imputationem illam promoverunt pedem, aut ſupra illam elevarunt mentem, ex ſtatuta Electione Dei ex arbitrio lapſi ſunt in enormes & fanaticos errores, & tandem in deteſtabilem de Prædeſtinatione, & quoque in abominabilem hanc, quod Deus non attendat ad facta vitæ hominis, ſed modo ad fidem interioribus mentis ejus inſcriptam; quapropter niſi aboletur error de Imputatione, totum Chriſtianiſmum invaderet Atheiſmus, & tunc regnaret ſuper illos Rex abyſſi, cujus *nomen hebraice Abaddon, & in Græca nomen habet Apollyon*, Apoc. IX: 11; per Abaddon & Apollyon ſignificatur perditor Eccleſiæ per falſa, & per Abyſſum ubi illa falſa ſunt, videatur APOCALYPSIS REVEL: n: 421. 440. 442. ex quibus patet, quod illud falſum & inde ſequentia falſa in extenſa ſerie ſint, ſuper quæ Perditor ille regnat, nam, ut ſupra dictum eſt, ex illa Imputatione hodie univerſum ſyſtema Theologicum pendet ſicut longa catena ex unco fixo, & ſicut homo cum omnibus ſuis membris a Capite; & quia Imputatio illa ubivis regnat, eſt ſicut Eſajas dicit „ *Exſcindet Dominus ex Iſraele caput & caudam, honoratus eſt caput, & doctor mendacii cauda*, Cap. IX: 13. 14.

629. Dicitur, quod Imputatio hodiernæ fidei ſit duplex, ſed non ita duplex ſicut Deus & Miſericordia erga omnes, ſed ſicut Deus & Miſericordia erga quoſdam; aut non ſicut parens & ejus amor erga omnes a ſe progenitos, ſed ſicut parens & ejus amor erga unum alterumve a ſe genitum; aut non ſicut Lex Divina & ejus mandatum ad omnes, ſed ſicut Lex Divina & ejus mandatum ad paucos, quare una duplicitas eſt extenſa & inſeparata, altera eſt reſtricta & ſeparata, & hæc eſt duplicitas, illa autem unitas; nam docetur, quod Imputatio meriti Chriſti ſit ex arbitraria electione, & quod his ſit imputatio ſalutis, ita quod quidam adoptentur, & reliqui rejiciantur; quod foret, ſicut Deus quoſdam in ſinum Abrahami elevaret, & quoſdam ſicut offas diabolo traderet; cum tamen veritas eſt, quod Dominus neminem rejiciat & tradat, ſed quod homo ſeipſum.

630. Accedit, quod Imputatio hodierna auferat homini omnem potentiam ex libero aliquo arbitrio in ſpiritualibus, & ne quidem relinquat tantillum, ut poſſit ignem ex veſtibus excutere, & corpus ſuum indemniſare; aut domum ſuam incenſam per aquas exſtinguere, & familiam ſuam eripere, cum tamen Verbum a principio ad finem docet, ut quiſque fugiat mala, quia ſunt diaboli & a diabolo, & faciat bona quia ſunt Dei & a Deo, & quod illa facturus ſit a ſe, operante Domino. Sed Imputatio hodierna proſcribit potentiam ad ita faciendum ſicut internecinum fidei & inde ſaluti, propter cauſam, ne aliquid hominis intret imputationem, & ſic meritum Chriſti, ex qua ſtabilita profluxit ſatanicum hoc, quod homini abſoluta impotentia ſit in ſpiritualibus, quod ſimile eſt, ſicut diceretur, progredere, tametſi non tibi ſunt pedes, ne quidem unus; lava te, & tamen ambæ manus ſunt amputatæ; aut fac bonum ſed dormi; aut nutri te ſed abſque lingua; & quoque ſimile eſt, ſicut data ſit voluntas quæ non eſt voluntas, poteſtne dicere, non poſſum plus quam ſtatua ſalis uxor Lothi, nec plus quam Dagon Deus Philiſtæorum, quum in fanum ejus introducta eſt arca Dei, timeo ne mihi ſicut illi evellatur caput, & volæ manuum projiciantur ſuper limen, I Sam. V: 4. nec plus quam Beelſchebub Deus Ekronis, qui ex ſignificatione nominis ſui ſolum poteſt abigere muſcas. Quod talis impotentia in ſpiritualibus hodie credatur, ex Collectis ſupra de Libero Arbitrio n: 464. videatur.

631. Quod primam partem duplicitatis iſtius Imputationis de Salvatione hominis attinet, quæ eſt Imputatio meriti Chriſti ex arbitrio, & Imputatio ſalutis inde, dogmatici in diverſum eunt, quidam tradunt, quod Imputatio illa ſit abſoluta ex libera poteſtate, & fiat illis, quorum forma externa aut interna beneplacet; aut quod Imputatio fiat ex præſcientia illis, quibus gratia infuſa eſt, & fides illa applicari poteſt: ſed uſque duæ illæ opiniones collimant ad unam metam, & ſunt ſicut bini oculi, qui pro objecto habent unum lapidem, aut ſicut binæ aures, quæ

pro

pro objecto habent unum cantum: ad primum viſum apparet ſicut a ſe mutuo abeant, ſed uſque in fine ſe conjungunt, & colludunt; nam cum utrinque plenaria impotentia in ſpiritualibus traditur, & omne hominis excluditur a fide, ſequitur quod gratia illa receptrix fidei, ex arbitrio aut ex præſcientia, infuſa, ſit ſimilis electio, nam ſi gratia illa, quæ vocatur præveniens, foret univerſalis, accederet applicatio hominis ex aliqua ſua potentia, quæ tamen ut lepra rejicitur. Inde eſt, quod nemo ſciat, num fides illa ſit ex gratia ei donata, plus quam truncus aut lapis, qualis fuit cum infuſa eſt, non enim datur ſignum teſtificans illam, quando charitas, pietas, ſtudium novæ vitæ, & libera facultas faciendi bonum ſicut malum, homini denegatur: ſigna teſtificantia fidem illam in homine, quæ traduntur, ſunt omnia ludicra, & non alia quam auguria veterum ex voſatu avium, aut dignoſtica aſtrologorum ex aſtris, aut ludificatorum ex talis. Hujusmodi, & ludicriora adhuc ſequuntur ex imputata juſtitia Domini, quæ una cum fide, quæ vocatur illa juſtitia, electo homini infertur.

Quod Fides, quæ eſt imputativa meriti & juſtitiæ Chriſti Redemptoris, primum exorta ſit a decretis Synodi Nicenæ de Tribus Perſonis Divinis ab æterno, quæ Fides a tempore illo ad præſens a toto Chriſtiano Orbe recepta eſt.

632. Quod ipſam Synodum Nicenam attinet, illam Imperator Conſtantinus magnus ſuaſu Alexandri Epiſcopi Alexandrini ex omnibus Epiſcopis in Aſia, Africa & Europa convocatis, in Regia ſua Niceæ urbis Bithyniæ habuit, ut hæreſin Arii presbyteri Alexandrini, qui Divinitatem Jeſu Chriſti negabat, ex ſacris literis convincerent & damnarent; hoc factum eſt Anno Chriſti 1318. Quod convocati illi concluſerint, quod tres Perſonæ Divinæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ab æterno fuerint, apprimis conſtare poteſt a duobus Symbolis, Nicenum & Athanaſianum, dictis; in Niceno legitur „ *Credo in unum Deum Patrem, Omnipotentem, Factorem Cæli & terræ; & in unum Dominum, Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum a Patre, natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, conſubſtantialem Patri, qui deſcendit de Cælis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine; & in Spiritum Sanctum, Dominum & Vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre Filioque ſimul adoratur & glorificatur.* In Symbolo Athanaſiano ſunt hæc „ *Fides Catholica eſt hæc, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur, neque confundentes Perſonas, neque Subſtantiam ſeparantes. Sed quia ſingulatim unamquamque Perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos aut tres Dominos dicere Catholica Religione prohibemur* „ hoc eſt, quod confiteri tres Deos & Dominos, ſed non dicere liceat, & quod hoc ſit quia religio vetat, illud autem quia veritas dictat: Symbolum hoc Athanaſianum ſtatim poſt Concilium Niceæ habitum, ab uno aut pluribus, qui Concilio interfuerant, conſcriptum eſt, & quoque ut Oecumenicum ſeu Catholicum acceptatum. Ex his patet, quod tunc decretum fuerit, quod tres Perſonæ Divinæ ab æterno agnoſcendæ ſint, & quamvis unaquævis Perſona ſingulatim per ſe eſſet Deus, quod uſque non dicendi ſint tres Dii & Domini, ſed Unus.

633. Quod fides trium Perſonarum Divinarum ab illo tempore recepta ſit, & ab omnibus Epiſcopis, Hierarchis, Dynaſtis Eccleſiæ, & Presbyteris uſque ad præſens tempus confirmata & prædicata ſit, in Chriſtiano Orbe notum eſt; & quia inde emanavit perſuaſio mentalis de tribus Diis, non potuit alia Fides excludi, quam

quæ Tribus illis in ſuo ordine applicata eſſet, quæ eſt, quod Deus Pater adeundus ſit, & implorandus, ut imputet juſtitiam Filii ſui, aut ut miſereatur propter paſſionem crucis Filii, & mittat Spiritum Sanctum ut operetur ſalutis effectus medios & ultimos. Hæc fides eſt fætus ex duobus illis Symbolis enatus; ſed dum faſciæ evolvuntur, in conſpectum non venit unus ſed tres, primum conjuncti ſicut amplexu, at mox ſeparati, ſtatuunt enim, quod Eſſentia conjungat illos, ſed proprietates, quæ ſunt creatio, redemptio, operatio, ſeu imputatio, juſtitia imputata & effectuatio, ſeparent illos: quæ cauſa eſt, quod tametſi ex tribus unum Deum compoſuerunt, uſque tamen ex tribus Perſonis non fecerint unum, propter cauſam, ne idea trium Deorum obliteraretur; nam quamdiu unaquævis Perſona ſingulatim creditur Deus, ut in Symbolo dicitur, ſi tunc conſequenter tres Perſonæ fierent una, tota Domus ſuper tribus ſicut columnis fundata in acervum deeideret. Quod Synodus illa introduxerit tres Perſonas Divinas ab æterno, fuit cauſa, quia non rite ſcrutati ſunt Verbum, & inde non aliud azylum contra Arianos invenerunt. Quod poſtea tres illas Perſonas, quarum quælibet eſt Deus per ſe, contulerint in unum Deum, fuit ex timore, ne ab omni rationali religioſo in tribus Orbis Partibus inculparentur Fidei trium deorum, & blaſphemarentur: Quod tradiderint fidem applicatam tribus in ordine, fuit cauſa, quia non alia ex illo principio profluit: huic accedit, ſi unus ex tribus præteriretur, non mitteretur tertius, & ſic omnis operatio Divinæ gratiæ incaſſum iret.

634. Sed propalabitur veritas; quando Fides in tres Deos in Chriſtianas Eccleſias introducta eſt, quod factum eſt a tempore Synodi Nicenæ, omne bonum charitatis & omne verum fidei exulaverunt, illa duo enim nullatenus conſiſtunt cum cultu mentali trium deorum, & ſimul cum cultu orali unius Dei, Mens enim negat quod os loquitur, & os negat quod mens cogitat, inde fit, quod nec ſit fides trium Deorum, neque fides Unius. Ex hoc patet, quod Templum Chriſtianum ab eo tempore non modo rimas duxerit, ſed collapſum ſit in ruder; & quod ab eo tempore apertus ſit puteus abyſſi, ex quo aſcendit fumus ſicut fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol & aer, & e quo locuſtæ exiverunt in terram, Apoc. Cap. IX: 2. 3; videatur Explicatio illorum in APOCALYPSI REVELATA; imo ab illo tempore incepta eſt & increvit Deſolatio prædicta a Daniele, Matth. XXIV: 15, & ad fidem illam & ejus imputationem congregatæ ſunt aquilæ, Verſ. 28. ejuſdem Capitis; per aquilas ibi intelliguntur Primores Eccleſiæ ſicut lyncei. Si dicitur, quod Concilium, in quo conſederunt tot Epiſcopi ac viri laureati, unanimis ſuffragiis illud decreverint, ſed quid fidendum eſt Conciliis, cum Concilia Romano Catholica etiam unanimis ſuffragiis concluſerunt Vicariatum Papalem, invocationem ſanctorum, venerationem ſimulachrorum & oſſium, diviſionem Sanctæ Euchariſtiæ, purgatorium, indulgentias, & plura. Et quid fidendum eſt Conciliis, cum Dodrectanum etiam unanimis ſuffragiis decrevit deteſtabilem Prædeſtinationem, & extulit illam ut Palladium religionis. Sed mi Lector! ne crede Conciliis, ſed ſancto Verbo, & adi Dominum, & illuſtraberis; Ille enim eſt Verbum, hoc eſt, Ipſum Divinum Verum ibi.

635. Ultimo detegetur hoc Arcanum: in Septem Capitibus in Apocalypſi deſcribitur Conſummatio hodiernæ Eccleſiæ, ſimiliter ſicut deſcribitur devaſtatio Ægypti, ac utraque per ſimiles plagas, quarum unaquævis ſpiritualiter ſignificat aliquod falſum, quod promovit devaſtationem ejus uſque ad interitum, quare etiam hæc Eccleſia, quæ hodie deperdita eſt, vocatur Ægyptus ſpiritualiter intellecta, Apoc. XI: 8. Plagæ in Ægypto fuerunt hæ, quod aquæ verſæ ſint in ſanguinem, unde mortuus eſt omnis piſcis, & fætuit flumen, Exod. VII: ſimiliter dicitur in Apocalypſi Cap. VIII: 8. Cap. XVI: 3.; per ſanguinem ſignificatur Divinum Verum falſificatum, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 379. 404. 681. 687. 688; & per piſces, qui tunc mortui, vera in naturali homine ſimiliter, n: 290. 405. In

Ægyp-

Ægypti terram productæ ſunt ranæ, Exod. VIII: aliquid de ranis etiam dicitur in Apocalypſi Cap. XVI: 13. per ranas ſignificantur ratiocinationes ex cupiditate falſificandi vera, videatur Apoc: Revel: n: 702. In Ægypto ulcera noxia facta ſunt ſuper homine & beſtia, Exod. IX: ſimiliter in Apocalypſi Cap. XVI: 2; per ulcera ſignificantur interiora mala & falſa deſtructiva boni & veri in Eccleſia, videatur Apoc: revel: n: 678. In Ægypto facta eſt grando mixta igne, Exod. IX: ſimiliter in Apocalypſi, Cap. VIII: 7. Cap. XVI: 21; grando ſignificat falſum infernale, videatur Apoc. revel. n: 399. 714. In Ægyptum immiſſa eſt locuſta, Exod. X: ſimiliter in Apocalypſi Cap. IX: 1 ad 11., locuſtæ ſignificant falſa in extremis, videatur Apoc. revel. n: 424. 430. In Ægyptum graves tenebræ inductæ ſunt, Exod. X: ſimiliter in Apocalypſi, Cap. VIII: 12. tenebræ ſignificant falſa oriunda vel ex ignorantia, vel ex falſis religionis, vel ex malis vitæ, videatur Apoc. revel. n: 110. 413. 695. Quod tandem Ægyptii perierint in Mari Suph, Exod. XIV: in Apocalypſi autem Draco & Pſeudopropheta in ſtagno ignis & ſulphuris, Cap. XIX: 20. Cap. XX: 10; utrumque, mare Suph & Stagnum illud, ſignificat Infernum. Quod de Ægypto & de Eccleſia, cujus conſummatio & finis deſcribitur in Apocalypſi, ſimilia dicantur, eſt quia per Ægyptum intelligitur Eccleſia, quæ in principio ſuo fuit præſtans, quare Ægyptus, antequam Eccleſiæ ejus devaſtata eſt, æquiparatur horto Edenis, & horto Jehovæ, Geneſ. XIII: 10. Ezech. XXXI: 8. & quoque vocatur Lapis angularis tribuum, Filius ſapientum, & regum antiquitatis, Eſaj. XIX: 11. 13. plura de Ægypto in ſtatu primævo ejus, & in ſtatu devaſtato, videatur Apocalypsis Revelata, n: 503.

Quod Fides imputativa meriti Chriſti non fuerit nota in Eccleſia Apoſtolica, quæ præceſſit; & nullibi intellecta in Verbo.

636. Eccleſia, quæ Synodum Nicænam præceſſit, vocata eſt Eccleſia Apoſtolica, quæ quod fuerit ampla, & in tres partes Orbis, Aſiam, Africam & Europam propagata, conſtat non modo ex Imperatore Conſtantino magno, & ejus Monarchia ſuper plura Regna Europæ poſtea diviſa, ſed etiam ſuper viciniora extra Europam, quod fuerit Chriſtianus, ac Zelotes pro religione; quare, ut ſupra dictum eſt, convocavit Epiſcopos ex Aſia, Africa & Europa in Regiam ſuam Niceæ urbis Bithyniæ, ut Arii ſcandala ex Imperio ſuo ejiceret. Hoc factum eſt ex Divina Domini Providentia, quoniam ſi negatur Divinitas Domini, Eccleſia Chriſtiana emoritur, & fit ſicut ſepulchrum ornatum Epitaphio hoc, hic jacet. Eccleſia, quæ fuit ante hoc tempus, vocata eſt Apoſtolica; & Scriptores inſignes iſtius Eccleſiæ dicti ſunt Patres, ac veri Chriſtiani a latere fratres. Quod hæc Eccleſia non agnoverit tres Perſonas Divinas & inde nec Filium Dei ab æterno, ſed modo Filium Dei natum in tempore, conſtat ex Symbolo, quod ab Eccleſia illorum vocatum eſt Apoſtolicum, ubi hæc leguntur „ *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ. Et in Jeſum Chriſtum Filium Ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Virgine Maria. Credo in Spiritum ſanctum; ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem.* Ex quo patet, quod non alium Filium Dei agnoverint, quam conceptum de ſpiritu ſancto, & natum ex Maria Virgine; & prorſus non aliquem Filium Dei natum ab æterno. Hoc Symbolum, ſicut duo altera, pro ſincero Catholico ab univerſa Eccleſia Chriſtiana ad hodienum diem, agnitum eſt.

637. Quod in primævo illo tempore, omnes in Chriſtiano iſto Orbe agnoverunt, quod Dominus Jeſus Chriſtus eſſet Deus, Cui data eſt omnis poteſtas in Cælo & in

Terra, & poteſtas omnis carnis, ſecundum ipſiſſima Ejus verba, Matth. XXVIII: 18. Joh. XVII: 2; & quod crediderint in Ipſum, ſecundum mandatum Ipſius ex Deo Patre, Joh. III: 15. 16. 36. Cap. VI: 40. Cap. XI: 25. 26. idem hoc etiam manifeſte patet ex convocatione omnium Epiſcoporum ab Imperatore Conſtantino magno, propter cauſam, ut Arium & ejus aſſeclas, qui negabant Divinitatem Domini Salvatoris a Maria Virgine nati, ex ſacris literis convincerent & damnarent; quod quidem factum, ſed hi vitaturi lupum inciderunt in leonem, aut ſicut dicitur in provervio, cupiens vitare charybdin incidit in ſcyllam; fingendo Filium Dei ab æterno, qui deſcendit & aſſumſit Humanum, credentes quod ſic vindicaverint & reſtituerint Domino Divinitatem; non ſcientes quod Ipſe Deus Creator univerſi deſcenderit, ut fieret Redemptor, & ſic e novo Creator, ſecundum hæc manifeſta in Veteri Teſtamento, Eſaj. XXV: 9. Cap. XL: 3. 5. 10. 11. Cap. XLIII: 24. Cap. XLIV: 6. 24. Cap. XLVII: 4. Cap. XLVIII: 17. Cap. XLIX: 7. 26. Cap. LX: 16. Cap. LXIII: 16. Jerem. L: 34. Hoſch. XIII: 4. Pſalm. XIX: 15. his adde Joh. IX: 15.

638. Eccleſia illa Apoſtolica, quia coluit Dominum Deum Jeſum Chriſtum, & ſimul tunc in Ipſo Deum Patrem, poteſt aſſimilari Horto Dei, & Arius, qui tunc ſurrexit, ſerpenti emiſſo ex Inferno, & Concilium Nicænum Uxori Adami quæ porrexit fructum marito ſuo & perſuaſit, poſt cujus eſum apparuerunt ſibi nudi, & texerunt nuditatem foliis ficus; per nuditatem illorum intelligitur innocentia in qua prius fuerunt, & per folia ficus vera naturalis hominis, quæ ſucceſſive falſificata ſunt. Primitiva illa Eccleſia etiam æquiparari poteſt diluculo & matutæ, ex qua dies proceſſit ad decimam horam, ſed tunc denſa nubes intervenit, ſub qua dies proceſſit ad veſperam, & poſt hanc in noctem, in qua pro quibuſdam exorta eſt Luna, ex cujus lumine aliqui aliquid viderunt ex Verbo, & reliqui in caliginem nocturnam progreſſi ſunt eo uſque, ut nihil Divinitatis in Humanitate Domini viderent, tametſi Paulus dicit, quod in *Jeſu Chriſto omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter*, Coloſſ. II: 9.; & Johannes, quod *Filius Dei miſſus in Mundum ſit verus Deus & vita æterna*, 1 Epiſt. V: 20. 21. Eccleſia primitiva ſeu Apoſtolica, nuſquam potuit ominari, quod ſucceſſura ſit Eccleſia, quæ plures Deos corde, & unum ore colceret; quæ ſepararet charitatem a fide; remiſſionem peccatorum a pœnitentia & ſtudio novæ vitæ; quæque induceret totalem impotentiam in ſpiritualibus; & minime, quod aliquis Arius elevaret caput, & quando eſt mortuus, reſurgeret, & dominaretur clanculum uſque ad finem.

639. Quod non aliqua Fides imputativa meriti Chriſti intellecta ſit in Verbo, patet clare exinde, quod illa fides in Eccleſia prius non nota fuerit, quam poſtquam Nicæna Synodus tres Perſonas Divinas ab æterno introduxit; & cum hæc fides introducta eſt, & pervaſit totum Orbem Chriſtianum, rejecta eſt omnis alia fides in tenebras; quare quicunque tunc legit Verbum, & videt fidem, imputationem, & meritum Chriſti, ex ſe incidit in illud, quod credidit unicum; ſicut qui ſcripturam unius paginæ videt, & ibi ſubſiſtit, & non vertit illam, & videt aliud. Aut ſicut qui perſuadet ſibi, quod hoc ſit verum, tametſi falſum, & id ſolum confirmat, tunc videt falſum ut verum, & verum ut falſum, hic poſtea comprimeret dentes, & ſibilaret ore ad omnem qui id impugnat, & diceret non intelligens es; mens ejus tota eſt in illo, circumducta callo, qui ſicut heterodoxa rejicit omnia quæ cum ſuis orthodoxis ita vocatis non conſonant; eſt enim memoria ejus ſicut tabula, cui unicum hoc Theologicum dominans inſcriptum eſt; ſi intrat aliquod aliud, non locum habet ubi inſeratur, quare id ejicit ſicut os ſpumam. Pro exemplo, dic ad confirmatum Naturaliſtam, qui vel credit, quod Natura ſeipſam creaverit, vel quod poſt naturam exſtiterit Deus, vel quod Natura & Deus unum ſint, quod prorſus contrarium ſit, numne ille aſpiceret te vel ſicut a fabulis presbyterorum deluſum, vel ut ſimplicem, vel ut hebetem, vel ut demen-

tem;

tem; ſimile eſt cum omnibus, quæ perſuaſio & confirmatio fixant, quæ apparent demum ſicut picti tapetes parieti ex lapillis obſoletis conglutinato multis clavis affixi.

Quod Imputatio meriti & juſtitiæ Chriſti ſit impoſſibilis.

610. Ut ſciatur quod Imputatio Meriti & Juſtitiæ Jeſu Chriſti ſit impoſſibilis, neceſſum eſt ſcire, quid Meritum & Juſtitia Ipſius ſunt; Meritum Domini noſtri Salvatoris eſt Redemptio, quæ qualis fuit, in ſuo Capite ſupra n: 114 ad 133, videatur, quæ quod fuerit ſubjugatio Infernorum & ordinatio Cælorum, & poſtea inſtauratio Eccleſiæ, ibi deſcribitur, & ſic quod Redemptio fuerit Opus pure Divinum: ibi etiam oſtenſum eſt, quod Dominus per Redemptionem ſe miſerit in potentiam regenerandi & ſalvandi homines, qui credunt in Ipſum, & faciunt præcepta Ipſius, & quod abſque Redemptione illa nulla Caro ſalvari potuerit. Quoniam nunc Redemptio fuit Opus pure Divinum, & ſolius Domini, ac illa eſt Meritum Ipſius, ſequitur quod hoc nulli homini applicabile, addicabile, & imputabile ſit, non plus quam Creatio & Conſervatio Univerſi, Redemptio etiam fuit quædam Creatio Cæli Angelici e novo, & quoque Eccleſiæ. Quod Eccleſia hodierna attribuat illud meritum Domini Redemptoris illis, qui ex gratia Fidem adipiſcuntur, patet ex dogmatibus illorum, inter quæ hoc principale eſt, nam dicitur ab Eccleſiæ iſtius Hierarchis & ab illorum Clientibus, tam in Eccleſia Romano-Catholica, quam in Eccleſiis Reformatorum, quod per Imputationem Meriti Chriſti, illi qui Fidem adepti ſunt, non modo juſti & ſancti reputentur, ſed etiam quod ſint, & quod peccata illorum non ſint peccata coram Deo, quia remiſſa, & illi juſtificati, hoc eſt, reconciliati, innovati, regenerati, ſanctificati, & Cælo adſcripti. Quod univerſa Eccleſia Chriſtiana eadem illa hodie doceat, manifeſte conſtat ex Synodo Tridentina, Confeſſionibus, Auguſtana & Augsburgenſi, & a commentationibus allegatis & ſimul receptis. Quid aliud ex ſupradictis, & in fidem illam tranſlatis, fluit, quam quod poſſeſſio iſtius fidei, ſit illud meritum, & illa juſtitia Domini, conſequenter quod poſſeſſor ejus ſit Chriſtus in alia perſona, nam dicitur quod Ipſe Chriſtus ſit Juſtitia, & quod fides illa ſit juſtitia, & quod imputatio, per quam etiam intelligitur addicatio & applicatio, faciat ut non modo juſti & ſancti reputentur, ſed quod ſint. Adde modo imputationi, applicationi & addicationi TRANSCRIPTIONEM, & eris vicarius Papa.

641. Cum itaque Meritum & Juſtitia Domini ſunt pure Divina, & pure Divina ſunt talia, ut ſi applicarentur & addicarentur, homo in inſtanti emoretetur, & ſicut ſtipes injectus nudo ſoli, conſumeretur ita, ut vix remaneret favilla de illo; quare Dominus cum ſuo Divino accedit ad Angelos & ad homines per lucem temperatam & moderatam ad facultatem & qualitatem cujuſvis, ita per adæquatum & accommodatum; ſimiliter per calorem. In Mundo ſpirituali eſt Sol, in cujus medio eſt Dominus; ex illo Sole influit Ille per lucem & calorem in totum Mundum ſpiritualem, & in omnes qui ibi ſunt, omnis lux & omnis calor ibi inde eſt; Dominus ab illo Sole cum eadem luce & eodem calore influit etiam in animas & mentes hominum; calor ille in ſua eſſentia eſt Divinus Ipſius Amor, & Lux illa in ſua eſſentia eſt Divina Ipſius Sapientia, hanc lucem & illum calorem adaptat Dominus ad facultatem & qualitatem angeli & hominis recipientis, quod fit per auras ſeu athmoſphæras ſpirituales, quæ vehunt & transferunt illa: ipſum Divinum immediate ambiens Dominum facit illum Solem. Hic Sol diſtat ab Angelis, ſicut Sol Mundi naturalis ab hominibus, propter cauſam, ne nude & ſic immediate tangeret illos, nam ſic conſumerentur, ſicut ſtipes injectus nudo ſoli, ut dictum eſt. Ex his

his conſtare poteſt, quod meritum & juſtitia Domini, quia ſunt pure Divina, haudquaquam poſſint per imputationem in aliquem angelum aut hominem inferri, imo ſi aliqua ſtilla ejus non ita moderata, ut dictum eſt, tangeret illos, illico ſicut laborantes cum morte torquerentur, luxando pedibus, divaricando oculos, & exanimarentur. Hoc in Eccleſia Iſraelitica notum factum eſt per hoc, quod nemo poſſit videre Deum & vivere. Deſcribitur etiam Sol Mundi ſpiritualis, qualis eſt poſtquam Jehovah Deus aſſumſit Humanum, & Huic adjecit Redemptionem & Juſtitiam novam, his verbis apud Eſajam „ *Lux Solis erit ſeptupla, ſicut Lux ſeptem dierum, in die quo Jehovah obligabit fracturam populi*, Cap. XXX: 26; in quo Capite a principio ad finem agitur de adventu Domini. Deſcribitur etiam quid fieret, ſi Dominus deſcenderet, & appropinquaret ad aliquem impium, per hæc in Apocalypſi „ *Abſconderunt ſe in ſpeluncis & petris montium, & dicebant montibus & petris, abſcondite nos a facie Sedentis ſuper Throno, & ab ira Agni*, Cap. VI: 15, 16; ira Agni dicitur, quia illis ita apparet terror & cruciatus appropinquante Domino. Hoc adhuc evidenter concludi poteſt ex hoc, quod ſi aliquis impius intromittitur in Cælum, ubi charitas & fides in Dominum regnant, invadat oculos ejus caligo, mentem ejus vertigo & inſania, corpus ejus dolor & cruciatus, & fiat ſicut exanimis; quid tunc ſi Ipſe Dominus cum Divino ſuo merito, quod eſt Redemptio, & cum Divina ſua Juſtitia, hominem intraret. Ipſe Johannes Apoſtolus nec ſuſtinuit præſentiam Domini, nam legitur, quod *cum vidit Filium Hominis in medio ſeptem Candelabrorum, ceciderit ad pedes Ipſius ſicut mortuus*, Apoc. I: 17.

642. Dicitur in Decretis Conciliorum & in Articulis Confeſſionum, in quos Reformati jurant, quod Deus per meritum Chriſti infuſum juſtificet impium, cum tamen impio ne quidem communicari, minus conjungi poteſt bonum alicujus Angeli, quin rejiciatur & reſiliat ſicut globus elaſticus conjectus in parietem, aut abſorbeatur ſicut adamas immiſſa in paludem, imo ſi aliquod vere bonum intruderetur, foret ſicut margarita alligaretur naribus porci; nam quis non ſcit, quod clementia non poſſit injici in immiſericordiam, innocentia in vindictam, amor in odium, concordia in diſcordiam, quod foret ſicut commiſcere Cælum & Infernum: homo non renatus eſt quoad ſpiritum ſuum ſicut panthera aut ſicut bubo, & aſſimilari poteſt ſenti & urticæ, at homo renatus eſt ſicut ovis aut ſicut columba, & aſſimilari poteſt oleæ aut viti; cogitate, quæſo, ſi libet, quomodo poteſt homo panthera converti in hominem ovem, aut bubo in columbam, aut ſentis in oleam, aut urtica in vitem, per aliquam imputationem, addicationem, applicationem Divinæ juſtitiæ, quæ potius illum damnaret, quam juſtificaret; annon ut converſio fiat, ferinum pantheræ & bubonis, aut noxium ſentis & urticæ, prius auferendum eſt, & loco ejus vere humanum & innocuum implantandum eſt: quomodo hoc fit, etiam docet Dominus apud Johannem Cap. XV: 1 ad 7.

Quod ſit Imputatio, ſed boni & mali, & ſimul fidei.

643. Quod ſit Imputatio boni & mali, quæ in Verbo, ubi nominatur, intelligitur, conſtat ex innumeris locis ibi, quæ quidem prius ad partem allata ſunt, ſed ut quiſque certus fiat, quod non alia Imputatio detur, aliqua etiam hic ex Verbo afferentur, quæ ſunt, *Venturus eſt Filius hominis, & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus*, Matth. XVI: 27. *Exibunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt in reſurrectionem judicii*, Joh. V: 29. *Liber apertus eſt qui eſt vitæ, & judicati ſunt omnes ſecundum Opera illorum*, Apoc. XX: 12. 13. *Ecce venio cito, & merces mea Mecum, ut dem unicuique ſecundum Opus ejus*, Apoc. XXII: 12. *Viſitabo ſecundum vias ejus, Opera ejus retribuam illi*, Hoſch. IV: 9. Sach. I: 6. Jerem. XXV: 14. Cap. XXXII: 19. *Deus in die iræ & juſti Judicii ſui, reddet unicui-*

cuique ſecundum Opera ejus, Rom. II: 5. 6. *Omnes nos manifeſtari oportet coram Tribunali Chriſti, ut reportet illa, quæ per corpus prout ea fecit, ſive bonum ſive malum*, II Cor. V: 10. Non alia Lex imputationis fuit in principio Eccleſiæ, nec alia futura eſt in fine ejus; quod in principio Eccleſiæ, patet ex Adamo & ejus Uxore, quod quia malum fecerunt, comedendo ex Arbore ſcientiæ boni & mali, damnati ſint, Gen. II. & III; & quod nec alia futura ſit in fine Eccleſiæ, patet ex his Domini verbis, *Quando venerit Filius hominis in gloria Patris ſui, tunc ſedebit ſuper Throno gloriæ ſuæ, & dicet Ovibus a dextris, venite benedicti, & tanquam hæreditatem poſſidete paratum vobis Regnum a fundatione Mundi; Nam eſurivi, & dediſtis Mihi edere, ſitivi & potaſtis Me. Peregrinus fui & collegiſtis Me. Nudus fui & induiſtis Me. Ægrotus fui & viſitaſtis Me. In Cuſtodia fui & veniſtis ad Me. At vero Hircis a ſiniſtris, quia non fecerunt bona, dixit, diſcedite a Me maledicti, in Ignem æternum paratum diabolo & angelis ejus*, Matth. XXV: 33 ſeqq. Ex his quiſque apertis oculis videre poteſt, quod ſit Imputatio boni & mali. Quod etiam ſit Imputatio Fidei, eſt quia Charitas quæ eſt boni, & Fides quæ eſt veri, una ſunt in bonis Operibus, & quod niſi una ſunt, Opera non ſint bona, videatur ſupra, n: 373 ad 377; quare dicit Jacobus, *Abraham Pater noſter nonne ex Operibus juſtificatus eſt, cum obtulit Filium ſuum ſuper altare, videsne quod Fides cooperata ſit Operibus, & ex Operibus Fides pro perfecta cognita ſit, ac impleta eſt Scriptura, quæ dicit, credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi in juſtitiam*, Epiſt. II: 21. 22. 23.

644. Cauſa, quod Præſules Eccleſiarum Chriſtianarum, & inde ſubalterni illorum per Imputationem in Verbo intellexerint imputationem Fidei, cui Juſtitia & Meritum Chriſti inſcripta ſunt, & ſic homini adſcripta, eſt quia non de alia fide per quatuordecem Sæcula, hoc eſt, a tempore Synodi Nicenæ, voluerunt ſcire; quare illa ſola inſedit memoriæ & inde menti illorum, ſicut organizata, quæ ab eo tempore fænerata eſt lucem, qualis eſt ex incendio tempore noctis, ex qua luce illa fides viſa eſt tanquam ipſum verum Theologicum, ex qua pendent omnia reliqua in ſerie concatenata, quæ dilaberentur, ſi illud caput, ſeu illa columna amoveretur: quare ſi aliam Fidem, quam imputativam illam cogitarent, cum legerunt Verbum, lux illa una cum omni Theologico illorum, exſtingueretur, & oborirentur tenebræ, e quibus tota Eccleſia Chriſtiana evaneſceret, quare relicta eſt illa, *ſicut ſtirps radicum in terra, exciſa & deperdita arbore, uſque dum ſeptem tempora tranſirent*, Dan. IV: 20; quis inter confirmatos antiſtites Eccleſiæ hodie, dum impugnatur illa fides, non obturat aurem ſicut goſſypio ad audiendum aliquid contra illam. Sed, mi Lector, aperi aures, & lege Verbum, & clare percipies aliam fidem & aliam imputationem, quam hactenus tibi perſuaſeras.

645. Mirabile eſt, quod tametſi Verbum a principio ad finem plenum eſt teſtimoniis & confirmationibus, quod cuivis imputetur ejus bonum aut malum, uſque dogmatici Religionis Chriſtianæ obturaverint ſicut cera aures, ac inunxerint ſicut collyrio oculos, ut non audiverint aut viderint, nec audiant aut videant aliam Imputationem quam ſuæ Fidei ſupra memoratæ; & tamen Fides illa rite comparari poteſt cum Morbo oculi, qui vocatur GUTTA SERENA, imo merito nominanda ita, quæ eſt abſoluta oculi cæcitas, oriunda ex obſtructione Nervi optici, & tamen Oculus apparet ſicut plenarie videns; ſimiliter illi qui in fide iſta ſunt, vadunt ſicut apertis oculis, & apparent coram aliis ſicut omnia videant, cum tamen nihil vident, quoniam homo nihil ſcit de illa dum intrat, eſt enim tunc ſicut truncus, nec deinde ſcit num ineſt, neque ſcit num aliquid in illa eſt; ac poſtea illi quoque ſicut claris oculis vident Fidem illam parturientem & gignentem nobiles fœtus Juſtificationis, videlicet Remiſſionem peccatorum, Vivificationem, Innovationem, Regenerationem, Sanctificationem, cum tamen non ullius illarum ſignum viderunt, nec videre poſſunt.

646. Quod bonum quod eſt charitas, & malum quod eſt iniquitas, poſt mortem im-

imputentur, ex omni experientia de ſorte illorum, qui ex hoc Mundo in alterum tranſeunt, teſtatum mihi factum eſt, quiſque poſtquam aliquot dies ibi moratus eſt, exploratur qualis eſt, ita qualis fuit in priori Mundo quoad religionem, quo facto, exploratores renuntiant hoc ad Cælum, & tunc transfertur ad ſimiles, ita ad ſuos, ita fit Imputatio. Quod imputatio boni ſit omnibus qui in Cælo ſunt, & imputatio mali omnibus qui in inferno, patuit mihi ex ordinatione utriuſque a Domino; Univerſum Cælum ordinatum eſt in Societates ſecundum omnes varietates amoris boni, & Univerſum Infernum ſecundum omnes varietates amoris mali. Similiter ordinatur Eccleſia in terris a Domino, hæc enim correſpondet Cælo; ejus religio eſt bonum. Præterea quære quemcumque libet religione & ſimul ratione præditum, ſit ex hac aut ex binis alteris partibus Orbis, quem credit venturum in Cælum, & quem in Infernum, & reſpondebunt conſentienter, quod illi qui bonum faciunt in Cælum, & quod qui malum in infernum. Inſuper quis non ſcit, quod omnis verus homo amet hominem, Cætum ex pluribus, Civitatem, & Regnum ex bono eorum, imo non modo homines, ſed etiam beſtias, & quoque inanimata, ut domus, poſſeſſiones, agros, hortos, arbores, ſylvas, terras; imo metalla & lapides, ex bonitate & uſu illorum, bonum & uſus unum ſunt; quid non Dominus amaret hominem & Eccleſiam ex bono.

Quod Fides & Imputatio Novæ Eccleſiæ nequaquam poſſint una eſſe cum fide & imputatione prioris Eccleſiæ, & quod, ſi una ſunt, fiat colliſio & conflictio talis, ut pereat amne Eccleſiæ apud hominem.

647. Quod Fides & Imputatio novæ Eccleſiæ non poſſit una eſſe cum fide & imputatione prioris ſeu adhoc perſtantis Eccleſiæ, eſt cauſa, quia non in uno tertio, ne quidem in uno decimo conveniunt: Nam fides prioris Eccleſiæ docet, quod ab æterno exſtiterint tres Perſonæ Divinæ, quarum unaquævis ſingulatim ſeu per ſe eſſet Deus, totidem etiam Creatores; fides autem novæ Eccleſiæ eſt, quod modo una Perſona Divina, ita unus Deus ab æterno fuerit, & quod præter Ipſum non alius Deus ſit: quare fides prioris Eccleſiæ tradidit Divinam Trinitatem diviſam in tres Perſonas; at fides novæ Eccleſiæ tradit Divinam Trinitatem unitam in una Perſona. Fides prioris Eccleſiæ fuit in Deum inviſibilem, inacceſſibilem & inconjungibilem, de quo idea fuit qualis eſt de Spiritu, quæ eſt ſicut eſt de æthere aut vento; at fides novæ Eccleſiæ eſt in Deum viſibilem, acceſſibilem, & conjungibilem, in quo ut anima in corpore eſt Deus inviſibilis, inacceſſibilis & inconjungibilis, de quo eſt idea hominis, quia Deus unus, qui fuit ab æterno, factus eſt homo in tempore. Fides prioris Eccleſiæ tribuit Deo inviſibili omnem potentiam, & hanc Deo viſibili derogat, nam tradit quod Deus Pater imputet fidem, & per illam donet vitam æternam, & quod viſibilis modo intercedat, & quod uterque, aut ſecundum Græcam Eccleſiam, Deus Pater Spiritui Sancto, qui eſt tertius in ordine Deus per ſe, det omnem potentiam operandi iſtius fidei effectus; at fides novæ Eccleſiæ tribuit Deo viſibili, in quo inviſibilis, omnipotentiam imputandi, & quoque operandi effectus ſalutis. Fides prioris Eccleſiæ eſt primario in Deum Creatorem, & non ſimul in Illum ut Redemptorem & Salvatorem; at fides novæ Eccleſiæ eſt in unum Deum, qui ſimul eſt Creator, Redemptor & Salvator. Fides prioris Eccleſiæ eſt, quod fidem donatam & imputatam ſequantur ex ſe Pœnitentia, Remiſſio peccatorum, Renovatio, Regeneratio, Sanctificatio, & Salus, præter quod aliquid hominis illis commiſceatur

aut

aut conjungatur; at fides novæ Eccleſiæ docet pœnitentiam, reformationem, regenerationem, & ſic remiſſionem peccatorum, cooperante homine. Fides prioris Eccleſiæ tradit imputationem meriti Chriſti, quam donata fides amplectitur; at fides novæ Eccleſiæ docet imputationem boni & mali, & ſimul fidei, & quod hæc imputatio ſit ſecundum Scripturam ſacram, illa autem contra eam. Prior Eccleſia tradit donationem fidei in qua meritum Chriſti, quando homo eſt ſicut truncus & lapis, & quoque tradit totalem impotentiam in ſpiritualibus; Nova autem Eccleſia docet prorſus aliam fidem, quæ non eſt in meritum Chriſti, ſed in Ipſum Jeſum Chriſtum Deum Redemptorem & Salvatorem, & liberum arbitrium tam ad applicandum ſe ad receptionem, quam ad cooperandum. Prior Eccleſia fidei ſuæ adjungit charitatem ut appendicem, ſed non ut ſalvificam, & ſic facit Religionem; Nova autem Eccleſia conjungit fidem in Dominum & charitatem erga proximum, ut duo inſeparabilia, & ſic facit Religionem; præter plures alias diſcordantias.

648. Ex brevi illa recenſione diſcordantiarum ſeu diſſenſuum, patet quod fides & imputatio Novæ Eccleſiæ nequaquam poſſit una eſſe cum fide & imputatione prioris ſeu adhuc perſtantis Eccleſiæ, & quia talis diſcordia & diſſenſus eſt inter utriuſque Eccleſiæ fidem & ejus imputationem, eſt plena heterogeneitas, quare ſi una eſſent in mente hominis, fieret colliſio & conflictio talis, ut periret omne Eccleſiæ, & homo in ſpiritualibus caderet vel in delirium vel in deliquium, unde non ſciret quid Eccleſia, & num Eccleſia; num tunc ſciret aliquid de Deo, aliquid de fide, & aliquid de charitate. Fides prioris Eccleſiæ, quia excludit omne lucis ex ratione, aſſimilari poteſt noctuæ; at fides novæ Eccleſiæ aſſimilari poteſt columbæ, quæ diu volat, & videt ex luce cæli; quare conjunctio illarum in una mente foret ſicut conjunctio noctuæ & columbæ in uno nido, ubi noctua poneret ſua ova, & columba ſua, & poſt incubatum excluderentur pulli, & tunc noctua pullos columbæ diſcerperet, & ſuis pullis daret in eſcam; eſt enim noctua avis vorax. Quia fides prioris Eccleſiæ deſcribitur in Apocalypſi Cap. XII, per draconem, & fides novæ Eccleſiæ per mulierem circumdatam ſole, ſuper cujus Capite corona duodecim ſtellarum, poteſt ex comparatione concludi, qualis ſtatus mentis hominis foret, ſi ſimul eſſent in una domo, ſcilicet quod draco adſtaret mulieri parituræ animo devorandi fœtum ejus, & quod poſtquam illa avolavit in deſertum, perſequeretur illam, & conjiceret aquam ut flumen in illam, ut abſorberetur.

649. Simile eveniret, ſi quis amplecteretur fidem novæ Eccleſiæ, & fidem prioris Eccleſiæ de Imputatione meriti & juſtitiæ Domini retineret, ex hac enim ut radice omnia prioris Eccleſiæ dogmata, ut propagines, exſurrexerunt: ſi hoc fieret, comparatio foret, ſicut quis ſe eriperet ex quinque cornibus draconis, & ſe intricaret in quinque reliquis ejus; aut ſi quis fugeret lupum, & incideret in tigridem; aut ſicut exiens e fovea ubi non aqua, caderet in foveam ubi aqua, qua ſubmergeretur; nam ſic facile rediret in omnia prioris fidei, quæ qualia ſunt, ſupra expoſitum eſt, & tunc in hoc damnabile, quod imputaret & applicaret ſibi ipſa Divina Domini, quæ ſunt Redemptio & Juſtitia, quæ adorari & non applicari poſſunt; nam ſi homo ſibi illa imputaret & applicaret, conſumeretur ſicut conjectus in nudum ſolem, a cujus tamen luce & calore videt & corpore vivit: quod Meritum Domini ſit Redemptio, & quod Redemptio Ipſius & Juſtitia Ipſius, ſint duo Divina, quæ homini non conjungi poſſunt, ſupra oſtenſum eſt. Caveat itaque ſibi quiſque a transſcriptione imputationis prioris Eccleſiæ in imputationem novæ, quoniam inde oritura ſunt tragica, quæ obſtarent ſaluti ejus.

Quod Dominus omni homini imputet bonum, & quod Infernum omni homini imputet malum.

650. Quod Dominus imputet homini bonum, & non aliquod malum, & quod diabolus, per quem intelligitur Infernum, imputet homini malum, & non aliquod bonum, eſt novum in Eccleſia; quod ſit novum, eſt quia in Verbo pluries legitur, quod Deus iraſcatur, ulciſcatur, odio habeat, damnet, puniat, conjiciat in infernum, tentet, quæ omnia ſunt mali, & inde mala: ſed quod ſenſus literæ Verbi ex talibus, quæ vocantur apparentiæ & correſpondentiæ, conſcriptum ſit, propter cauſam, ut ſit conjunctio Externæ Eccleſiæ cum Interna ejus, ita Mundi cum Cælo, in Capite de SCRIPTURA SACRA oſtenſum eſt; & ibi etiam, quod cum talia in Verbo leguntur, ipſæ apparentiæ veri, dum tranſeunt ab homine ad Cælum, vertantur in genuina vera, quæ ſunt, quod Dominus nuſquam iraſcatur, ulciſcatur, odio habeat, damnet, puniat, conjiciat in infernum, tentet, proinde quod nulli homini faciat malum; hanc transmutationem & verſuram in Mundo Spirituali ſæpius animadverti.

651. Ipſa ratio adſtipulatur, quod Dominus non poſſit alicui homini malum facere, proinde nec ei imputare, eſt enim Ipſe Amor, Ipſa Miſericordia, ita Ipſum Bonum, & hæc ſunt Divinæ Eſſentiæ Ipſius, quare malum, aut aliquid mali tribuere Domino, forent contraria Divinæ Ipſius Eſſentiæ, & ſic contradictoria, & hoc foret ita nefandum, licut eſt conjungere Dominum & diabolum, ac Cælum & Infernum, cum tamen *inter hæc hiatus ingens firmatus eſt, ut qui volunt tranſcendere abhinc ad illud, non poſſint, neque abinde huc tranſire*, Luc. XVI: 26. Ne quidem Angelus Cæli poteſt alicui malum facere, quia eſſentia boni a Domino illi ineſt; & vice verſa, ſpiritus inferni non poteſt niſi quam malum alteri facere, quia natura mali a diabolo illi ineſt, eſſentia ſeu natura, quam aliquis in Mundo ſibi appropriavit, poſt mortem non poteſt mutari. Cogita quæſo, qualis Dominus foret, ſi malos ex ira, & bonos ex clementia aſpiceret, ſunt mali myriades myriadum, ac boni myriades myriadum numero, & hos ex gratia ſalvaret, & illos ex vindicta damnaret, ac hos & illos tam diſſimili oculo, leni & duro, ac miti & immiti, intueretur; quid tunc Dominus Deus. Quis non a prædicationibus in Templis inſtructus ſcit, quod omne bonum quod in ſe bonum eſt, ſit a Deo, & viciſſim quod omne malum quod in ſe malum eſt, ſit a diabolo, ſi itaque aliquis homo reciperet & bonum & malum, bonum a Domino, & malum a diabolo, utrumque voluntate, nonne ille fieret nec frigidus nec calidus, ſed tepidus qui exſpueretur, ſecundum Domini verba in Apocalypſi Cap. III: 15. 16.

652. Quod Dominus omni homini imputet bonum, & non alicui malum, conſequenter quod non judicet aliquem ad Infernum, ſed omnes, quantum homo ſequitur, elevet ad Cælum, conſtat ex his Ipſius verbis, *Jeſus dixit, dum exaltatus ſum e terra, omnes traham ad Meipſum*, Joh. XII: 32. *Non miſit Deus Filium ſuum in Mundum ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per Ipſum; qui credit in Ipſum non judicatur, qui autem non credit jam judicatus eſt*, Joh. III: 18. *Si quis mea verba audiverit, & tamen non crediderit, Ego non judico illum non enim veni ut judicem Mundum, ſed ut ſalvem Mundum; qui ſpernit Me, & non accipit mea verba, habet quod judicet illum, Verbum quod loquutus ſum, judicabit illum in extremo die*, Joh. XII. 47. 48. *Jeſus dixit, Ego judico neminem*. Joh. VIII: 15. per Judicium hic & alibi in Verbo, intelligitur judicium ad Infernum, quod eſt damnatio, at de Salvatione non prædicatur judicium, ſed reſurrectio ad vitam, Joh. V: 24. 29. Cap. III: 18. per Verbum quod judicabit, intelligitur Veritas, ac veritas

tas eſt, quod omne malum ſit ab Inferno, & ſic quod unum ſint, quare dum malus elevatur a Domino verſus Cælum, tunc malum ejus detrahit illum, & quia amat malum, ſequitur ipſe ſua ſponte: eſt quoque veritas in Verbo, quod Bonum ſit Cælum, quare dum Bonus a Domino elevatur verſus Cælum, aſcendit ille ſicut ſponte ſua, ac introducitur; hi dicuntur ſcripti in Libro vitæ, Dan. XII: 1. Apoc. XII. 8. 12. 23. Cap. XVII: 8. Cap. XXI: 6. Eſt actualiter Sphæra elevans omnes ad Cælum, quæ continue procedit a Domino, ac implet univerſum Mundum Spiritualem & univerſum Mundum naturalem, & illa eſt ſicut fortis vena in Oceano, qui occulte trahit navem, omnes illi quæ credunt in Dominum & vivunt ſecundum præcepta Ipſius, intrant illam ſphæram ſeu venam, ac elevantur, at illi qui non credunt, non volunt illam intrare, ſed removent ſe ad latera, & ibi abripiuntur a flumine quod tendit in Infernum.

653. Quis non ſcit quod Agnus non poſſit aliter agere quam ſicut agnus, ac ovis non aliter quam ſicut ovis, & viciſſim lupus non aliter quam ſicut lupus, ac tigris ſicut tigris, ſi illæ beſtiæ commiſcerentur, nonne lupus devoraret agnum, & tigris ovem, quare cuſtodiæ paſtorum ſunt. Quis non ſcit quod fons dulcis aquæ non poſſit ex vena ſua expromere aquas amaras; & quod arbor bona non poſſit producere fructus malos; quodque vitis non poſſit pungere ſicut ſpina, flos lilii urere ſicut ſentis, & hyacinthus vellicare ſicut carduus, & vice verſa, quare mala illa virgulta exſtirpantur ex agris, vineis & hortis, & collecta in cumulos conjiciuntur in ignem; ſimile fit cum malis in Mundum Spiritualem alluentibus, ſecundum Domini verba, Matth. XIII: 30. Joh. XV: 6. Dominus etiam dixit ad Judæos; *Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum mali ſitis; bonus homo ex bono theſauro cordis ſui emittit bona, & malus homo ex malo theſauro emittit mala*, Matth. XII: 34. 35.

Quod Fides cum quo ſe conjungit, faciat ſententiam, ſi fides vera ſe conjungit cum bono, ſit ſententia pro vita æterna, at ſi fides ſe conjungit cum malo, ſit ſententia pro morte æterna.

654. Opera charitatis, quæ fiunt a Chriſtiano & quæ ab Ethnico, in externa forma apparent ſimilia, nam unus ſicut alter facit bona civilitatis & moralitatis conſocio, quæ quoad partem ſimilaria ſunt bonis amoris erga proximum, imo poteſt dare pauperibus, opitulari egenis, in templis auſcultare conciones; ſed quis poteſt inde judicare, num bona illa externa ſint ſimilia in interna forma, ſeu naturalia ſint etiam ſpiritualia; de hoc non poteſt concludi niſi ex fide, nam fides qualificat illa, fides enim facit ut Deus ſit in illis, & conjungit illa ſecum in interno homine, inde fiunt bona naturalia interius ſpiritualia. Quod ita ſit, plenius videri poteſt ex tranſactionibus in Capite de Fide, ubi demonſtrantur ſequentia hæc, *Quod fides non vivat antequam charitati conjuncta eſt. Quod Charitas ex fide, & fides ex charitate ſpiritualis fiat. Quod fides abſque charitate, quia non eſt eſt ſpiritualis. non ſit fides, & quod charitas abſque fide, quia non vivit, non ſit charitas Quod fides & charitas ſe applicent & conjungant mutuo & viciſſim. Quod Dominus, Charitas & Fides unum faciant, ſicut vita, voluntas & intellectus, at ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem.*

655. Ex allatis videri poteſt, quod fides in unum & verum Deum faciat ut bonum ſit bonum etiam in interna forma, & viciſſim, quod fides in falſum Deum faciat ut bonum ſit bonum dunttaxat in externa forma, quod non eſt bonum in ſe, ſicut fides gentilium olim in Jovem, Junonem & Apollinem, Philiſtæorum in Dagonem, ac aliorum in Baalem & Baalpeorim, ac Bileami Magi in ſuum Deum, ac Ægyp-

tiorum in plures. Prorſus aliter fides in Dominum, qui eſt verus Deus & Vita æterna, ſecundum Johannem in Epiſt. V: 21, & in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, ſecundum Paulum in Epiſt. ad Coloſſ. II: 9. Quid fides in Deum niſi aſpectus ejus, & inde præſentia, & ſimul fiducia quod juvet, & quid vera fides, niſi illa & ſimul fiducia quod omne bonum ſit ab Ipſo, & faciat quod ſuum bonum fiat ſalvificum; quare ſi hæc fides ſe conjungit cum bono, fit ſententia pro vita æterna, aliter prorſus ſi illa ſe non conjungit cum bono, & plus ſi cum malo.

656. Qualis conjunctio charitatis & fidei eſt apud illos qui credunt in tres Deos, & tamen dicunt ſe credere in unum, ſupra oſtenſum eſt, ſcilicet quod Charitas ſe conjungat cum fide ſolum in externo naturali homine, cauſa eſt, quia mens ejus in idea trium deorum eſt, & os ejus in confeſſione unius Dei, quare ſi mens illo momento infunderet ſe in confeſſionem oris, expungeret enuntiationem unius Dei, & aperiret labra & excuteret ſuos tres Deos.

657. Quod malum & fides in unum & verum Deum non poſſint ſimul eſſe, quiſque poteſt ex ratione videre, nam malum eſt contra Deum, & fides eſt pro Deo, ac malum eſt voluntatis & fides eſt cogitationis, ac voluntas influit in intellectum & facit eum cogitare, non autem viciſſim, intellectus modo docet quid volendum & faciendum eſt; quare Bonum, quod talis homo facit, in ſe eſt malum; eſt ſicut os nitidum cujus medulla eſt putris; eſt ſicut hiſtrio ſuper theatro, qui perſonat magnatem; eſtque ſicut venuſta facies meretricis obſoletæ; & eſt ſicut papilio volans argenteis alis ponit ovula ſuper foliis arboris bonæ, ex quibus omnis fructus ejus perit; eſt ſicut fragrans fumus ex herba toxicata; imo eſt ſicut moralis latro, & pius ſychophanta; quare ejus bonum, quod in ſe eſt malum, eſt intus in camera, at ejus fides in veſtibulo ambulans & ratiocinans, eſt mera chimæra, larva & bulla. Ex his patet veritas propoſitionis quod fides faciat ſententiam de bono & malo, quod ei conjungitur.

Quod nulli imputetur Cogitatio, ſed Voluntas.

658. Omnis Eruditus ſcit, quod duæ facultates ſeu partes Mentis ſint, Voluntas & Intellectus, ſed pauci ſciunt juſte diſcernere illas, & proprietates illarum ſingulatim luſtrare, & has deinde conjungere; qui hoc non poſſunt, nec poſſunt aliquam notionem niſi obſcuriſſimam de Mente ſibi comparare; quare niſi prius proprietates cujuſvis per ſe deſcribuntur, non comprehenditur hoc, quod nulli imputetur cogitatio, ſed voluntas. Proprietates utriusque in compendio, ſunt hæ. 1. Quod ipſe amor, & quæ amoris ſunt, reſideant in voluntate, & quod ſcientia, intelligentia, & ſapientia in intellectu, & quod his voluntas inſpiret ſuum amorem, ac operetur favorem & aſſenſum; inde eſt, quod qualis amor & inde intelgentia, talis homo. 2. Ex hoc etiam ſequitur, quod omne bonum & quoque omne malum ſit voluntatis, nam quicquid ex amore procedit, vocatur bonum, tametſi foret malum, nam jucundum quod facit vitam amoris, producit hoc: Voluntas per hoc jucundum intrat intellectum, & producit conſenſum. 3. Eſt itaque Voluntas eſſe ſeu eſſentia vitæ hominis, Intellectus autem eſt exiſtere ſeu exiſtentia inde: & quia eſſentia non eſt aliquid niſi in quadam forma, ita voluntas niſi in intellectu; quare voluntas ſe format in intellectu, & ſic in lucem prodit. 4. Amor in Voluntate eſt finis, & in intellectu conquirit & invenit cauſas, per quas ſe promoveat ad effectum; & quia finis eſt propoſitum, & hoc intendit, eſt quoque propoſitum voluntatis, & per intentionem intrat intellectum, & hunc agit ad verſandum & volvendum media, & ad concludendum talia quæ tendunt ad effectus. 5. Omne proprium hominis ineſt voluntati, & hoc eſt malum

a

à prima nativitate, & fit bonum ex altera; prima nativitas eſt ex parentibus, altera autem ex Domino. Ex his paucis videri poteſt, quod alia proprietas ſit Voluntatis, & alia Intellectus, & quod ex creatione conjunctæ ſint ſicut eſſe & exiſtere; conſequenter, quod homo ſit homo primario ex voluntate, & ſecundario ex intellectu; inde eſt quod homini imputetur voluntas, non autem cogitatio, proinde malum & bonum, quia hæc, ut dictum eſt, in voluntate, & inde in intellectus cogitatione reſident.

659. Quod non aliquod malum imputetur homini quod cogitat, eſt quia homo ita creatus eſt, ut poſſit intelligere & inde cogitare bonum aut malum, bonum ex Domino, & malum ex Inferno, eſt enim in medio, & in facultate eligendi unum aut alterum ex libero arbitrio in ſpiritualibus, de quo in ſuo Capite actum eſt; & quia in facultate eligendi ex libero eſt, poteſt velle & non velle, & quod vult, hoc recipitur a voluntate & appropriatur, at quod non vult, non recipitur, & ſic non appropriatur. Omnia mala, ad quæ homo inclinat a nativitate, inſcripta ſunt voluntati naturalis ejus hominis, illa, quantum deſumit ex illis, influunt in cogitationes, ſimiliter bona cum veris deſuper in illas a Domino, & ibi librantur ſicut pondera in ſcalis bilancis, ſi tunc homo adoptat mala, recipiuntur illa a voluntate veteri, & addunt ſe illis; at ſi adoptat bona cum veris, formatur a Domino nova voluntas & novus intellectus ſupra veterem, & ibi Dominus nova bona per vera ſucceſſive implantat, & per hæc ſubjugat mala quæ infra ſunt, & removet illa, ac diſponit omnia in ordinem. Ex his etiam patet, quod Cogitatio ſit purificatorium & excretorium malorum a parentibus inſidentium; quare ſi mala, quæ homo cogitat, imputarentur, non fieri poſſet reformatio & regeneratio.

660. Quoniam bonum eſt voluntatis & verum eſt intellectus, & multa in Mundo correſpondent bono, ſicut fructus & uſus, ac ipſa imputatio æſtimationi & pretio, ſequitur quod illa quæ de imputatione hic dicta ſunt, poſſint cum omnibus creatis comparari, nam ſicut prius hic & ibi oſtenſum eſt, omnia in univerſo ſe referunt ad bonum & verum, & e contra ad malum & falſum. Comparatio itaque fieri poteſt cum Eccleſia, quod illa reputetur ex charitate & fide, & non ex ritualibus, quæ adjunguntur. Comparatio etiam fieri poteſt cum miniſtro Eccleſiæ, quod æſtimetur ex ejus voluntate & amore, & ſimul ex ejus intellectu in ſpiritualibus, & non ex affabilitate & amictu. Comparatio etiam datur cum cultu & cum templo in quo ille fit, ipſe cultus fit in voluntate, ac in intellectu ſicut in ſuo templo, & hoc ſanctum vocatur non ex ſe, ſed ex Divino quod ibi docetur; & quoque comparatio datur cum Imperio, ubi bonum regnat & ſimul verum, quod adamatur, non autem ubi verum & non bonum. Quis de Rege judicat ex ſatellitiis, equis & curribus, & non ex Regio, quod ſciunt apud illum, Regium eſt amoris & prudentiæ gubernandi. Quis in triumpho non aſpicit Victorem, & ab illo pompam, & non ex hac illum; conſequenter ab eſſentiali formale, & non viciſſim; voluntas eſt eſſentiale, & cogitatio eſt formale, & nemo poteſt imputare formali, niſi id quod trahit ex eſſentiali, ita huic & non illi.

✿ ✿ ✿ ✿ ✿

661. His adjiciam hæc MEMORABILIA; PRIMUM hoc. In Plaga ſeptentrionali ſuperiore prope ad Orientem in Mundo Spirituali, ſunt loca inſtructionis pro pueris, ſunt que pro adoleſcentibus, & ſunt pro viris, & quoque pro ſenibus; in hæc loca mittuntur omnes qui Infantes mortui ſunt, & educantur in Cælo; ſimiliter in illa omnes qui e Mundo noviter adveniunt, & cognitiones de Cælo & Inferno deſiderant: Tractus ille eſt prope Orientem, ut omnes inſtruantur per influ-

fluxum a Domino, Dominus enim eſt Oriens, quia eſt in Sole ibi, qui ab Ipſo eſt purus Amor; inde Calor ex illo Sole in ſua eſſentia eſt Amor, & Lux ex illo in ſua eſſentia eſt Sapientia; hæc inſpirantur illis a Domino e Sole illo, ac inſpirantur ſecundum receptionem, & receptio eſt ſecundum amorem ſapiendi. Poſt tempora inſtructionis emittuntur inde illi, qui Intelligentes facti ſunt, & hi vocantur diſcipuli Domini: emittuntur inde primum in Occidentem, & illi qui ibi non manent, in Meridiem, & quidam per Meridiem in Orientem, & introducuntur in Societates, ubi manſiones illorum erunt. Quondam, cum meditatus ſum de Cælo & Inferno, cæpi deſiderare cognitionem univerſalem de ſtatu utriuſque; ſciens quod qui univerſalia ſcit, poſtea poſſit comprehendere ſingularia, quia hæc ſunt in illis, ſicut partes ſunt in communi. In hoc deſiderio ſpectavi ad Tractum illum in plaga ſeptentrionali prope ad Orientem, ubi Loca inſtructionis erant, & per viam mihi tunc apertam illuc vadi, ac intravi in unum Collegium, ubi erant viri juvenes; & adivi ibi Archididaſcalos qui inſtruebant, & quæſivi illos, num ſciant univerſalia de Cælo & Inferno; & reſponderunt, quod ſciant aliquid parum; ſed ſi ſpectamus verſus Orientem ad Dominum, illuſtrabimur & ſciemus; & fecerunt ita, & dixerunt, Univerſalia Inferni ſunt tria, ſed Univerſalia Inferni ſunt e diametro oppoſita Univerſalibus Cæli; Univerſalia Inferni ſunt hi tres Amores, Amor dominandi ex amore ſui; Amor poſſidendi aliorum bona ex amore mundi; & Amor ſcortatorius: Univerſalia Cæli illis oppoſita ſunt hi tres amores, Amor dominandi ex amore uſus; Amor poſſidendi bona mundi ex amore faciendi uſus per illa; & Amor vere Conjugialis. His dictis poſt votivum pacis abii & redii domum. Quum domi eram, dictum mihi eſt e Cælo, luſtra illa tria Univerſalia ſupra & infra, & poſtea videbimus illa in manu tua; dicebatur in manu, quia omnia quæ homo intellectu luſtrat, apparent Angelis ſicut inſcripta manibus. Quare dicitur in Apocalypſi, quod Characterem acceperint ſuper fronte & ſuper manu, Cap. XIII: 16. Cap. XIV: 9. Cap. XX. 4.

Poſt hæc luſtravi Primum Amorem univerſalem Inferni, qui erat Amor dominandi ex amore ſui, & poſtea illi correſpondentem amorem univerſalem Cæli, qui erat Amor dominandi ex Amore uſuum; non enim mihi licuit unum Amorem abſque altero luſtrare, quia *Intellectus* non percipit amorem unum abſque altero, ſunt enim oppoſiti; quare ut uterque percipiatur, ſiſtentur in oppoſito, unus contra alterum; facies enim pulchra & formoſa elucet ex oppoſita illi facie impulchra & deformi. Cum ventilavi Amorem dominandi ex amore ſui, datum eſt percipere, quod hic Amor eſſet ſumme infernalis, & inde apud illos qui in profundiſſimo Inferno ſunt; & quod Amor dominandi ex amore uſuum, eſſet ſumme cæleſtis, & inde apud illos qui in ſupremo Cælo ſunt. Quod Amor dominandi ex amore ſui ſumme infernalis ſit, eſt quia dominari ex amore ſui, eſt ex proprio, ac proprium hominis a nativitate eſt ipſum malum, & ipſum malum eſt e diametro contra Dominum; quapropter illi, quo plus in illud malum progrediuntur, eo plus negant Deum & Sancta Eccleſiæ, & adorant ſe & naturam; illi, qui in illo malo ſunt, explorent quæſo id in ſe, & videbunt: Amor etiam hic talis eſt, ut quantum ei relaxantur fræna, quod fit dum impoſſibile non obſtat, tantum ruat e gradu in gradum, & uſque ad ſummum; & ibi nec terminatur, ſed ſi non datur gradus ſuperior, dolet & gemit. Hic Amor apud Politicos aſcendit uſque ut velint eſſe Reges & Imperatores, & ſi poſſibile, ut dominentur ſuper omnia mundi, & vocari reges regum & imperatores imperatorum; at idem Amor apud Canonicos aſcendit, uſque ut velint eſſe dii, & quantum poſſibile, ut dominentur ſuper omnia Cæli, & vocari dii. Quod hi & illi corde non agnoſcant aliquem Deum, videbitur in ſequentibus. At viciſſim illi, qui volunt dominari ex amore uſuum, hi non volunt dominari ex ſe, ſed ex Domino, quoniam Amor uſuum eſt ex Domino, & eſt Ipſe Dominus; hi dignitates non aliter ſpectant, quam media ad faciendum

dum uſus, hos ponunt longe ſupra dignitates, at priores ponunt dignitates longe ſupra uſus.

Cum hæc meditatus ſum, dictum mihi eſt per Angelum a Domino, jam jam videbis & confirmaberis ex viſu qualis infernalis ille Amor eſt: & tunc ſubito aperuit ſe terra ad ſiniſtrum, & vidi aſcendentem ex Inferno diabolum, cui ſuper capite erat pileus quadratus depreſſus ſuper frontem uſque ad oculos, facies plena puſtulis ſicut ardentis febris, oculi truces, pectus tumens in rhombum; ex ore eructabat fumum ſicut furnus, lumbi ei erant plane igniti, loco pedum erant tali oſſei abſque carne; & ex corpore ejus exhalabatur calor putidus & immundus. Illo viſo territus ſum, & clamavi ad illum, ne accede, dic unde es; & reſpondit rauce, ſum ex inferis, & ibi in Societate cum ducentis, quæ omnium ſocietatum ſupereminentiſſima eſt; ibi omnes ſumus imperatores imperatorum, reges regum, duces ducum, & principes principum; non aliquis ibi eſt nude imperator, neque nude rex, dux & princeps; ſedemus ibi ſuper thronis thronorum, & inde mandata in univerſum orbem, & ultra, emittimus: tunc dixi illi, videſne quod ex phantaſia ſupereminentiæ inſanias; & reſpondit, quomodo potes ita loqui, quia nobis prorſus videmur, & quoque agnoſcimur a conſociis, tales; hoc audito, non volui adhuc dicere, inſanis, quia ex phantaſia inſanivit: & datum eſt mihi cognoſcere, quod ille diabolus, cum in mundo vixit, fuerit modo curator alicujus domus; & quod tunc in tantum elatus ſpiritu fuerit, ut præ ſe omne Genus humanum ſpreverit, ac indulſerit phantaſiæ, quod dignior eſſet rege, & quoque imperatore; ex quo faſtu negaverat Deum, ac reputaverat omnia ſancta Eccleſiæ ſicuti nihili pro ſe, ſed aliquid pro ſtupida plebe. Tandem quæſivi illum, vos ducenti ibi, quamdiu gloriamini ita inter vos; dixit in æternum, ſed quod illi e nobis, qui cruciant alios propter negatam ſupereminentiam, ſubſidant; licet enim nobis gloriari, ſed non alicui malum inferre; quæſivi iterum, ſciſne qualis ſors eſt ſubſidentibus, dixit, quod ſubſidant in quendam carcerem, ubi vocantur viliores vilibus ſeu viliſſimi, & laborant; tunc dixi ad diabolum illum, cave itaque tu, ne etiam ſubſidas.

Poſt hæc iterum aperuit ſe terra, ſed ad dextrum, & vidi exſurgentem alium Diabolum, ſuper cujus capite erat ſicut Cidaris, circumvoluta ſpiris tanquam colubri, cujus caput e vertice eminuit, facies ei erat leproſa a fronte ad mentum, & quoque utraque manus, lumbi erant nudi & atri ſicut fuligo, per quam ignis ſicut foci furve tranſparuit, & tali pedum ſicut duæ viperæ: prior Diabolus hoc viſo conjecit ſe ſuper genua, & adoravit illum; quæſivi, cur ita, dixit, eſt ille deus cæli & terræ, eſtque omnipotens; & tunc quæſivi hunc, quid tu dicis ad hoc, reſpondit, quid dicam, eſt mihi omnis poteſtas ſuper Cælum & Infernum, ſors omnium animarum eſt in mea manu; & quæſivi iterum, quomodo poteſt ille, qui eſt imperator imperatorum, ita ſe ſubmittere, & tu adorationem recipere; reſpondit, eſt uſque meus ſervus, quid imperator coram Deo, eſt in dextra mea fulmen excommunicandi: & tunc dixi illi, quomodo potes ita inſanire, fueras in Mundo ſolum Canonicus, & quia phantaſia laboraſti, quod tibi fuerint claves, & inde poteſtas ligandi & ſolvendi, ſpiritum tuum in hunc gradum veſaniæ evexeras, ut nunc credas, quod ſis ipſe Deus: ad hæc indignatus juravit quod ſit, & quod Domino non ſit aliqua poteſtas in Cælo, quia omnem tranſtulerat in nos; non opus habemus, quam ut mandemus, ac Cælum & Infernum reverenter obediunt; ſi mittimus aliquem in infernum, diaboli ſtatim recipiunt illum, ſimiliter Angeli illum, quem mittimus in Cælum. Quæſivi porro, quot eſtis in Societate veſtra, dixit, trecenti, & omnes ibi ſumus dii, ego autem deus deorum. Poſt hæc aperuit ſe terra ſub pedibus utriuſque, & ſubſiderunt profunde in ſua inferna; & datum eſt videre, quod ſub Infernis illorum eſſent ergaſtula, in quæ deciderent illi, qui damna aliis inferunt; cuivis enim in Inferno relinquitur

ſua

ſua phantaſia, & quoque gloriatio in illa, ſed non licet malum facere alteri: quod tales ſint ibi, eſt quia homo tunc eſt in ſuo ſpiritu, ac ſpiritus, poſtquam ſeparatus eſt a corpore, venit in plenam libertatem agendi ſecundum ejus affectiones & inde cogitationes. Poſtea datum eſt inſpicere in illorum inferna, ac Infernum, ubi erant imperatores imperatorum ac reges regum, erat plenum omni immunditie, ac illi viſi ſunt ſicut variæ feræ truculentis oculis: ſimiliter in altero inferno, ubi erant dii & deus deorum, & in hoc apparuerunt diræ aves noctis, quæ vocantur ochim & Ijim, volantes circum illos; imagines phantaſiæ illorum ita mihi viſæ ſunt. Ex his patuit, qualis eſt Amor ſui Politicus, & qualis eſt Amor ſui Eccleſiaſticus, quod hic ſit ut velint eſſe dii, ille autem ut velint eſſe imperatores; & quod ita velint, & quoque affectent, quantum frena amoribus iſtis relaxantur.

Poſtquam hæc triſtia & atrocia mihi viſa ſunt, circumſpexi, & vidi duos Angelos non procul a me ſtantes & colloquentes, unus amictus erat toga lanea fulgente ex flammea purpura, & tunica ex ſplendente byſſo ſub illa; alter ſimilibus ex coccino cum cidari, cui aliqui pyropi a dextro latere inſerti erant; ad hos acceſſi, & ex pace ſalutavi; & reverenter quæſivi, cur vos hic infra eſtis; & reſpondebant, demiſimus nos huc e Cælo ex mandato Domini ad loquendum tecum de beata ſorte illorum, qui volunt dominari ex amore uſuum; nos ſumus cultores Domini, ego Princeps ſocietatis, alter ſummus Sacerdos ibi; & dixit Princeps, quod eſſet ſervus ſuæ ſocietatis, quia inſerviret illi faciendo uſus; & alter dixit, quod eſſet miniſter Eccleſiæ ibi, quia inſerviendo illis miniſtraret ſancta ad uſus animarum illorum; & quod ambo in perpetuis gaudiis ſint ex felicitate æterna, quæ a Domino in illis eſt; & quod omnia in Societate illa ſint ſplendida & magnifica, ſplendida ex auro & lapidibus pretioſis, & magnifica ex palatiis & paradiſis; cauſa eſt, quia amor noſter dominandi non eſt ex amore ſui, ſed ex amore uſuum, & quia amor uſuum eſt a Domino, ideo omnes uſus boni in Cælis ſplendent & fulgent; & quia omnes in noſtra Societate in hoc amore ſumus, ideo athmoſphæra ibi apparet aurea, ex luce ibi quæ trahit ex flammeo Solis, ac flammeum Solis correſpondet iſti amori: his dictis apparuit etiam mihi ſimilis ſphæra circum illos, & ſentitum eſt aromaticum ex illa, quod etiam dixi illis, & petii, ut aliquid plus adjiciant dictis de amore uſus; & continuabant dicendo; dignitates, in quibus ſumus, quidem ambivimus, ſed propter nullum alium finem, quam ut poſſemus plenius facere uſus, & latius extendere illos; & quoque circumfundimur honore, & acceptamus illum, non propter nos, ſed propter bonum ſocietatis; confratres enim & conſocii, qui ex vulgo ibi ſunt, vix ſciunt aliter quam quod honores dignitatum noſtrarum ſint in nobis, & inde quod uſus quos facimus, ſint e nobis; ſed nos aliter ſentimus, ſentimus quod honores dignitatum ſint extra nos, & quod ſint ſicut amictus quibus inveſtimur, ſed quod uſus, quos præſtamus, ſint ex amore illorum intra nos a Domino, & hic amor beatitudinem ſuam accipit ex communicatione per uſus cum aliis; & ab experientia ſcimus, quod quantum facimus uſus ex amore illorum, tantum increſcat amor ille, & cum amore ſapientia, ex qua fit communicatio; at quod quantum retinemus uſus in nobis, & non communicamus, tantum pereat beatitudo; & tunc uſus fit ſicut cibus reconditus in ventriculo, & non circumſparſus nutrit corpus & ejus partes, ſed manet indigeſtus, ex quo fit nauſea: verbo, totum Cælum non eſt niſi quam continens uſus a primis ad ultima: quid uſus niſi actualis amor proximi, & quid continet cælos niſi hic amor. His auditis interrogavi, quomodo poteſt aliquis ſcire, num uſus faciat ex amore ſui, vel num ex amore uſuum; omnis homo tam bonus quam malus facit uſus, & facit uſus ex quodam amore; ponatur quod in Mundo ſit Societas compoſita ex meris diabolis, & ſocietas compoſita ex meris Angelis; & opinor quod diaboli in ſua ſocietate ex igne amoris ſui, & ex ſplendore gloriæ ſuæ, facturi ſint tot uſus, quot Angeli in ſua; quis ergo poteſt ſcire ex quo Amore, & ex

qua

qua origine ſunt uſus: duo angeli ad hæc reſponderunt, diaboli faciunt uſus propter ſe & propter famam, ut evehantur ad honores, aut lucrentur opes; at Angeli non faciunt uſus propterea, ſed propter uſus ex amore illorum; homo non poteſt diſcernere illos uſus, ſed Dominus diſcernit illos; omnis qui credit in Dominum, & fugit mala ut peccata, ille facit uſus ex Domino; at omnis qui non credit in Dominum, nec fugit mala ut peccata, facit uſus ex ſe & propter ſe: hoc diſcrimen eſt inter uſus a diabolis, & inter uſus ab Angelis. Duo Angeli his dictis abiverunt, & e longinquo viſi ſunt vecti in curru igneo ſicut Elias, & in Cælum ſuum ſublati.

662. Alterum Memorabile. Poſt aliquod temporis ſpatium intravi quendam Lucum, & ibi ambulavi in meditatione de illis, qui in concupiſcentia & inde phantaſia poſſidendi illa quæ Mundi ſunt; & tunc ad aliquam diſtantiam a me vidi binos Angelos inter ſe colloquentes, & per vices me aſpicientes; quare acceſſi propius, & me appropinquantem alloquuti dicebant, percipimus in nobis, quod mediteris quod nos loquimur, ſeu quod nos loquamur quod tu meditaris, quod eſt ex communicatione affectionum reciproca; quæſivi itaque quid loquerentur, dicebant de Phantaſia, de Concupiſcentia, & de Intelligentia; & nunc de illis, qui delectant ſe ex viſione & imaginatione poſſeſſionis omnium Mundi; & tunc rogavi, ut mentem ſuam expromerent de tribus illis, de Concupiſcentia, Phantaſia & Intelligentia; & exorſi ſermonem dicebant, quod unuſquiſque in Concupiſcentia ſit interius ex nativitate; ſed in Intelligentia exterius ex educatione; & quod nemo in Intelligentia, minus in ſapientia ſit interius, ita quoad ſpiritum, niſi a Domino; omnis enim detinetur a concupiſcentia mali, ac tenetur in intelligentia ſecundum aſpectum ad Dominum, & ſimul conjunctionem cum Ipſo; abſque eo homo non eſt niſi quam concupiſcentia; at uſque hic in externis ſeu quoad corpus eſt in intelligentia ex educatione; homo enim concupiſcit honores & opes, ſeu eminentiam & opulentiam; & hæc duo non aſſequitur niſi appareat moralis & ſpiritualis, ita intelligens & ſapiens; ac ita apparere diſcit ab infantia; quæ cauſa eſt, quod ut primum inter homines ſeu in cætus venit, invertat ſpiritum ſuum, ac removeat illum a concupiſcentia, & ex decoris & honeſtis, quæ ex infantia didicit, & in memoria corporis retinet, loquatur & agat; & quam maxime caveat, ne aliquid ex concupiſcentiæ veſania, in qua eſt ejus ſpiritus, emanet: inde eſt omnis homo, qui non interius a Domino ducitur, ſimilator, ſycophanta, hypocrita, & ſic aparens homo, & tamen non homo; de quo poteſt dici, quod ejus cruſta ſeu corpus ſapiat, ac ejus nucleus ſeu ſpiritus inſaniat; tum quod externum ejus ſit humanum ac internum ferinum; tales occipitio ſpectant ſurſum, & frontiſpicio deorſum, ita ambulant ſicut gravedine obſeſſi capite pendente cum vultu prono ad terram; illi dum exuunt corpus, & fiunt ſpiritus, & tunc manumittuntur, fiunt ſuæ concupiſcentiæ veſaniæ; nam illi qui in amore ſui ſunt, cupiunt dominari ſuper univerſum, imo extendere ejus limites illuc ad amplificandum dominium, nuſquam vident finem; illi qui in amore mundi ſunt, cupiunt poſſidere omnia ejus, ac dolent & invident, ſi aliqui theſauri apud aliquos latent reconditi; quare tales ne mere concupiſcentiæ fiant, & ſic non homines, datur illis in Mundo ſpirituali cogitare ex timore jacturæ famæ, & ſic honoris & lucri, ut & ex timore legis & ejus pœnæ, & quoque datur impendere mentem in aliquod ſtudium ſeu opus, per quæ tenentur in externis & ſic in ſtatu intelligentiæ, utcunque interius delirant & inſaniunt. Poſt hæc quæſivi, num omnes illi qui in concupiſcentia ſunt, etiam in ejus phantaſia ſint; reſpondebant quod illi in phantaſia ſuæ concupiſcentiæ ſint, qui interius in ſe cogitant, & nimium indulgent ſuæ imaginationi, loquendo ſecum; hi enim ſeparant ſpiritum ſuum pœne a nexu cum compore, & ex viſione inundant intellectum, & fatue oblectant ſe ſicut ex poſſeſſione univerſali: in hoc delirium immittitur homo poſt mortem, qui ſpiritum ſuum a corpore abſtra-

xit, & non ex delitio delirii voluit recedere; cogitando aliquid ex religione de malis & falsis, & minime aliquid de effræno amore sui, quod sit destructivus amoris in Dominum, ac de effræno amore mundi, quod sit destructivus amoris erga proximum.

Post hæc supervenit binos Angelos & quoque me desiderium videndi illos, qui in concupiscentia visionaria seu phantasia possessionis omnium opum ex amore mundi sunt; & percepimus quod desiderium illud inspiraretur ob finem ut cognoscerentur: Domicilia illorum erant sub terra pedum nostrorum, at supra infernum; quare aspeximus nos mutuo, & diximus, eamus; ac visa est apertura, & ibi scala, per hanc descendimus, & dictum est, quod adeundi sint ab oriente, ne intremus in nimbum phantasiæ illorum, ac inumbremur quoad intellectum, & tunc simul quoad visum; & ecce visa est Domus structa ex calamis, sic rimosa, stans in nimbo, qui sicut fumus continue effluxit per rimas trium parietum; intravimus, & visi sunt quinquaginta hic & quinquaginta ibi sedentes super scamnis, & aversi ab Oriente & Meridie prospiciebant ad occidentem & septentrionem; ante quemlibet erat mensa, & super mensa crumenæ distentæ, & circum crumenas copia nummorum aureorum; & quærebamus, sunt illa opes omnium Mundi, dicebant, non omnium Mundi, sed omnium Regni; sonus loquelæ illorum erat sibilaris, & ipsi apparebant facie rotunda, quæ rutilabat sicut squama cochleæ, ac pupilla oculi in plano viridi quasi fulgurabat, quod erat ex luce phantasiæ: stetimus in medio illorum, & diximus, creditis quod omnes opes Regni possideatis, & responderunt, possidemus; dein quæsivimus, quis vestrum; dicebant, quisque, & quæsivimus, quomodo quisque, estis multi, dicebant, quisque ex nobis scit, quod omnia ejus mea sint, non licet alicui cogitare, minus dicere, mea non sunt tua, sed licet cogitare & dicere, tua sunt mea: nummi super Mensis apparebant sicut ex auro puro, etiam coram nobis; sed cum immissimus lucem ab oriente, erant granula auri, quæ per communem unitam phantasiam ita magnifecerunt; dicebant quod oporteat quemcunque qui intrat, secum ferre aliquid auri, quod in frustula, & hæc in granula secant, & per vim phantasiæ unanimam in nummos grandioris formæ amplificant: & tunc diximus, fuistisne nati homines rationis, unde ista fatuitas visionaria vobis est; dixerunt, scimus quod vanitas imaginaria sit, sed quia jucundat interiora mentis nostræ, intramus huc, & delitiamur sicut ex possessione omnium; at hic non moramur nisi per aliquot horas, quibus exactis egredimur, & toties mens sana nobis redit; sed usque oblectamentum visionarium nostrum alternis supervenit, ac facit ut per vices reintremus, & per vices egrediamur; sic alternis sapimus & insanimus. Scimus etam quod dura fors maneat illos, qui astu furripiunt aliis sua bona; quæsivimus quæ fors, dicebant, absorbentur, ac nudi intruduntur in aliquem infernalem carcerem, ubi tenentur laborare pro veste & pro cibo, ac postea pro aliquibus obulis, quos colligunt, in quibus ponunt gaudium cordis sui; sed si malum faciunt sodalibus, dabunt partem obulorum suorum in mulctam.

663. Tertium Memorabile. Quondam fui in medio Angelorum, & audivi sermonem illorum; sermo illorum erat de Intelligentia & Sapientia, quod homo non sentiat & percipiat aliter, quam quod utraque sit in se, & sic quod quicquid vult & cogitat, sit ex se, cum tamen ne hilum illarum ex homine est, præter quam facultas recipiendi illas; inter plura, quæ loquebantur, erat etiam hoc, quod Arbor scientiæ boni & mali in Horto Edenis significaverit fidem quod Intelligentia & Sapientia essent ab homine, & quod Arbor vitæ significaverit quod Intelligentia & Sapientia essent a Deo, & quia Adamus ex suasu serpentis comedit ex priore Arbore, sic credens quod esset aut fieret sicut Deus, ideo expulsus est ex Horto & damnatus. Angeli dum in hoc sermone erant, venerunt duo Sacerdotes, una cum Viro, qui in Mundo fuerat Legatus Regni, & illis retuli quæ ab Angelis au-

audiveram de Intelligentia & Sapientia, quibus auditis cæperunt tres illi disceptare de utraque illa, & quoque de Prudentia, num sint a Deo, vel num ab homine, ardens erat disceptatio; tres illi crediderunt similiter, quod sint ab homine, quia ipsa sensatio & inde perceptio id confirmant, sed Sacerdotes, qui tunc erant in zelo Theologico, instabant, quod nihil Intelligentiæ & Sapientiæ, & sic nihil prudentiæ sint ab homine, & hoc confirmabant ex his in Verbo, *Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e Cælo*, Joh. III: 27. Et ex his, Jesus dixit ad Discipulos, *sine Me non potestis facere quicquam*, Joh. XV: 5; sed tunc quia perceptum erat ex Angelis, quod utcunque Sacerdotes ita loquebantur, usque corde crederent simile quod Legatus Regni, quare Angeli dicebant ad illos, exuite vestes vestras, ac induite vestes Ministrorum Politicorum, & credite quod illi sitis, ac fecerunt ita, & tunc cogitaverunt ex interiori se, ac loquuti ex argumentis quæ intus foverunt, quæ erant, quod omnis intelligentia & sapientia habitent in homine, & quod sint ejus, dicentes, quis adhuc sensit, quod illæ influxerint a Deo, ac inspectabant se mutuo, & se confirmabant; peculiare est in Mundo spirituali, quod Spiritus cogitet se talem esse, qualis super illum est vestis, causa est, quia Intellectus vestit unumquemvis ibi. Eo momento apparuit Arbor juxta illos, & dicebatur illis, est Arbor scientiæ boni & mali, cavete vobis ne edatis ab illa, at usque illi infatuati propria Intelligentia arserunt cupiditate edendi ex illa, & dicebant inter se, cur non, estne bonus fructus, & accesserunt & comederunt; cum Legatus Regni hoc animadvertit, coiverunt, & amici cordis facti sunt, & viam propriæ intelligentiæ, quæ in Infernum tetendit, tenentes se manibus, simul iverunt; sed usque illos vidi reduces inde, quia nondum erant præparati.

664. Quartum Memorabile. Quondam prospexi in Mundum spiritualem ad dextrum, & animadverti aliquos ex Electis inter se loquentes, & accessi ad illos, & dixi, vidi vos e longinquo, & circum vos sphæram lucis cælestis, ex qua cognovi, quod vos sitis ex illis, qui in Verbo vocantur Electi, quare accessi audiendi causa, quid Cæleste inter vos loquimini; & respondebant, cur vocas nos Electos, ac retuli, quia in Mundo, ubi sum corpore, non sciunt aliter, quam quod per Electos in Verbo intelligantur illi, qui a Deo antequam nati sunt, aut postquam nati, eliguntur & prædestinantur ad Cælum, & quod illis solis donetur Fides ut tessera Electionis, & quod reliqui reprobentur, ac sibi relinquantur, ut vadant quamcunque viam velint ad Infernum; cum tamen ego scio, quod nulla Electio fiat ante nativitatem, nec post illam, sed quod omnes sint electi & prædestinati, quia omnes vocati sunt, ad Cælum, & quod Dominus post mortem eligat illos, qui bene vixerunt ac rite crediderunt, & hos postquam explorati sunt: quod ita sit, ex multa experientia mihi scire datum est, & quia vos vidi quoad capita sphæra lucis cælestis incinctos, percepi quod vos sitis ex Electis, qui præparantur ad Cælum; ad hæc responderunt, refers non prius audita, quis non scit, quod non nascatur aliquis homo, qui non vocatus est ad Cælum, & quod ex illis post mortem eligantur illi, qui crediderant in Dominum, & vixerant secundum præcepta Ipsius, & quod aliam Electionem agnoscere sit Ipsum Dominum non modo impotentiæ salvandi sed etiam injustitiæ arguere.

665. Post hæc audita est vox e Cælo ex Angelis qui immediate supra nos erant, dicens, ascendite huc, ac interrogabimus unum ex vobis, qui adhuc in Mundo naturali est quoad corpus, quid ibi sciunt de Conscientia; & ascendimus, & post introitum, aliqui sapientes in occursum venerunt, & quæsiverunt me, quid sciunt in tuo Mundo, de Conscientia, & respondi, si placet descendamus & convocabimus & e Laicis & e Clericis numerum ex illis, qui creduntur sapientes, & stabimus in perpendiculo sub vobis, ac interrogabimus, & vos ita vestris auribus audituri estis quid responsuri sunt; & factum est ita, & unus ex Electis sumsit tubam, & sonuit illa ad Meridiem, Septentrionem, Orientem & Occidentem, & tunc

tunc poſt horulæ tempus aderant tam multi, ut pæne implerent ſpatium ſtadii; at Angeli deſuper omnes ordinabant in quatuor Cætus, ex quibus unus conſtabat ex Politicis, alter ex Eruditis, Tertius ex Medicis, & Quartus ex Clericis; ad quos ita ordinatos diximus, ignoſcite quod convocati ſitis, cauſa eſt, quia Angeli qui e diametro ſupra nos ſunt, ardent ſcire, quid in Mundo, in quo prius fuiſtis, cogitaviſtis de Conſcientia, & inde quid adhuc de illa cogitatis, quoniam ideas priores de talibus adhuc retinetis; relatum enim eſt Angelis, quod Cognitio de Conſcientia in Mundo inter cognitiones deperditas ſit. Poſt hæc, exorſi ſumus, & primum convertimus nos ad Cætum, qui conſtabat ex Politicis, & rogavinus ut ex corde dicerent, ſi placet, quid cogitaverant, & quid inde adhuc cogitant de CONSCIENTIA, ad hæc reſponderunt, unus poſt alterum, quorum reſponſa in unum collecta erant, quod non ſciant aliud quam quod Conſcientia ſit ſecum ſcire ita conſcire quid intendit, cogitavit, egit, & loquutus eſt; ſed diximus illis, non quæſivimus de etymologia vocis Conſcientiæ, ſed de Conſcientia, & reſpondebatur, quid Conſcientia aliud quam dolor ex præconcepto timore diſcriminum honoris aut opum, & quoque famæ propter illa duo, at ille dolor diſcutitur per epulas & per cyathos nobilis vini, & per ſermocinationes de ludis Veneris & ejus pueri; ad hæc diximus, joculamini, dicite ſi lubet, num aliquis e vobis ſentiverit aliquod anxium aliunde, reſpondebant, quid aliunde, eſtne totus Mundus ſicut Theatrum, ſuper quo quiſque agit ſuam ſcenam, quemadmodum comædi ſuper ſuo; eludimus & circumvenimus quoſcunque ex ſua concupiſcentia, hos ludibriis, hos aſſentationibus, hos aſtutiis, hos ſimulata amicitia, hos ficta ſinceritate, & hos alia politica arte & pellacia, inde nobis nullus dolor mentis eſt, ſed e contra, hilaritas & lætitia, quas expanſo pectore tacite & uſque plene exſpiramus; audivimus quidem ex aliquibus e noſtro ſadalitio, quod illos alternis ſuperveneriit anxietas & anguſtia ſicut cordis & pectoris, & inde ſicut contractio mentis, ſed de his dum quæſiverunt pharmacopolas, inſtructi ſunt, quod ſint ex humore melancholico oriundo ex indigeſtis in Ventriculo, aut ex ægro ſtatu lienis, ſed de quibuſdam ex his audivimus hilaritatibus ſuis prioribus per pharmaca reſtitutos. Poſtquam hæc audivimus, convertimus nos ad Cætum, qui conſtabat ex Eruditis, inter quos etiam erant plures phyſicæ artis gnari, & alloquuti illos diximus, vos qui Scientiis ſtuduiſtis, & inde crediti eſtis ſapientiæ Oracula, dicite, ſi placet, quid Conſcientia, & reſponderunt, quæ qualis hæc propoſitio, audivimus quidem, quod apud quoſdam ſit triſtitia, mæror & anxietas, infeſtans non modo gaſtricas regiones corporis, ſed etiam habitacula mentis, nos enim credimus quod duo Cerebra ſint illa habitacula, & quia hæc ex continentibus fibris conſiſtit, quod ſit aliquis humor acris, qui fibras ibi vellicat, mordet & rodit, & ſic ſphæram cogitationum mentis ita comprimit, ut non poſſit in aliqua oblectamenta ex varietatibus effundi, inde fit, quod homo ſolum uni rei intendat, ex qua perit fibrarum illarum tenſibilitas & elaſticitas, unde illarum obnixitas & rigiditas, ex quibus oboritur motus irregularis ſpirituum animalium, qui a Medicis vocatur Ataxia, & quoque defectus in functionibus ſuis qui vocatur Lipothamia; verbo Mens tunc ſedet ſicut turmis infeſtis obſeſſa, nec ſe plus poteſt huc illuc vertere, quam poteſt rota clavis affixa, & quam poteſt navis hærens ſuper Syrtibus: Tales Mentis & inde Pectoris anguſtiæ oboriuntur illis, apud quos regnans Amor patitur jacturam, qui ſi impugnatur, contrahunt ſe fibræ Cerebri, & contractio illa inhibet, ne Mens libere excurrat, ac delitias captet in variis formis; hos, quemque ſecundum ſuum temperamentum, cum in hac criſi ſunt, invadunt diverſi generis phantaſiæ, dementiæ & deliria, & quoſdam cerebroſitates in religioſis, quas hi vocant Conſcientiæ morſus. Poſt hæc convertimus nos ad Tertium Cætum, qui conſtabat ex Medicis, inter quos etiam erant Chirurgi & Pharmacopolæ, & diximus, vos fortaſſis ſcitis quid Conſcientia, num eſt infeſtus dolor qui corripit &

Ca-

Caput & parenchyma Cordis, & inde Regiones ſubſtratas, Epigaſtricam & Hypogaſtricam; aut aliquid aliud; & hi reſponderunt, Conſcientia non eſt niſi talis dolor, nos præ aliis ſcimus ejus origines, ſunt enim contingentes Morbi, qui infeſtant organica corporis & quoque organica Capitis, conſequenter etiam Mentem, quoniam hæc in organis Cerebri ſedet ſicut aranea in centro filorum ſuæ telæ, per quæ excurrit & currit ſimiliter, hos morbos vocamus Morbos organicos, & qui illorum per vices redeunt, Morbos Chronicos; at talis dolor, qualis ab ægrotis coram nobis deſcribitur per dolorem Conſcientiæ, non aliud eſt quam Morbus hypochondriacus, qui primario Lienem, & ſecundario Pancreatem & Meſenterium germanis ſuis functionibus deprivat, inde derivantur Morbi Stomachales, ex quibus Cachochymiæ; fit enim compreſſio circa orificium ſtomachi, quæ Cardialgia nuncupatur, ex his derivantur humores bile atra, flava aut viridi imprægnati, ex quibus vaſcula minima ſanguinis, quæ vocantur capillaria, obſtipantur, unde cachexia, atrophia, & ſympheſis, & quoque Peripneumonia notha ex pituita lenta, ac lympha ichoroſa & rodente in tota maſſa ſanguinis: Similia etiam profluunt ex elapſu puris in ſanguinem & ejus ſerum ex ſolutis empyematibus, abſceſſibus & apoſtematibus in corpore, qui ſanguis cum per carotides in caput aſſurgit, medullaria, corticalia & meningea Corebri terit, rodit & mordet, & ſic excitat dolores, qui vocantur Conſcientiæ: his auditis diximus ad illos, loquimini lingua Hippocratica & Galeniana, illa nobis ſunt græca, non intelligimus, nos non quæſivimus de his Morbis, ſed de Conſcientia quæ eſt ſolius Mentis; & dixerunt, Morbi mentis & morbi capitis ſunt iidem, & hi aſcendunt ex corpore, cohærent enim ſicut duæ manſiones unius domus, inter quas eſt ſcala, per quam fit aſcenſus & deſcenſus; quare novimus, quod ſtatus mentis indivulſe pendeat a ſtatu corporis; ſed nos gravedines ſeu Cephalalgias illas quas, captavimus vos intelligere per conſcientias, ſanavimus, quasdam per emplaſtra & veſicatoria, quasdam per infuſa & emulſa, & quasdam per condimenta, & per anodyna. Cum ergo ſimilia adhuc audivimus ab illis, avertimus nos, & convertimus ad Clericos, & diximus, vos ſcitis quid Conſcientia, dicite ergo, & inſtruite præſentes; & reſponderunt, quid Conſcientia, novimus & non novimus, credidimus quod ſit Contritio, quæ præcedit Electionem, hoc eſt, momentum quo homo donatur fide, per quam ei novum cor & novus ſpiritus fit, ac regeneratur; ſed appercepimus, quod Contitrio illa paucis obvenerit, ſolum quibuſdam pavor & inde auxietas pro igne infernali, & vix alicui pro peccatis & inde juſta ira Dei; ſed illos nos codfeſſionarii ſanavimus per Evangelium quod Chriſtus per Paſſionem crucis ſuſtulerit damnationem, & ſic ignem infernalem exſtinxerit, & aperuerit Cælum illis, qui fide, cui imputatio meriti Filii Dei inſcripta eſt, beantur. Præterea dantur Conſcientioſi ex varia Religione, tam vera quam fanatica, qui ſibi ſcrupulos faciunt in rebus ſalutis, non modo eſſentialibus, ſed etiam formalibus, & quoque in adiaphoris; quare, ut ſupra diximus, novimus quod ſit Conſcientia, ſed quid & qualis vera, quæ omnino ſpiritualis erit, non novimus.

666. Hæc omnia, quæ a quatuor Cætibus edicta ſunt, Angeli, qui ſupra illos erant, exaudiverunt, & dixerunt inter ſe, percipimus quod non aliquis in Chriſtianiſmo ſciat, quid Conſcientia, quare demittemus ex nobis unum, qui inſtruet, & actutum tunc in medio illorum adſtitit Angelus in veſte alba, circum cujus Caput apparuit cinctura lucida, in qua minutæ ſtellæ erant, & hic alloquutus quatuor Cætus dixit; audivimus in Cælo, quod in ordine protuleritis ſententias de Conscientia, ac autumaveritis omnes, quod ſit aliquis dolor mentis, qui gravedine infeſtat Caput & inde Corpus, aut Corpus & inde Caput; ſed Conſcientia in ſe ſpectata non eſt aliquis dolor, ſed eſt ſpiritualis Volentia faciendi ſecundum illa quæ Religionis & Fidei ſunt; inde eſt, quod illi qui Conſcientia gaudent, in tranquillitate pacis & in beatitudine interna ſint, cum faciunt ſecundum conſcientiam,

& in quadam intranquillitate dum faciunt contra illam; dolor autem mentis, quem vos credidiſtis eſſe Conſcientia, non eſt Conſcentia, ſed eſt Tentatio, quæ eſt pugna ſpiritus & carnis, & hæc dum ſpiritualis eſt, venam trahit ex conſcientia; at ſi modo eſt naturalis, originem trahit ex morbis, quos Medici nuper recenſuerunt. Quid autem Conſcientia, illuſtrari poteſt per exempla; Sacerdos, cui eſt ſpiritualis volentia docendi vera propter finem ut Grex ejus ſalvetur, ille conſcientiam habet, at qui propter quamcunque aliam cauſam ut finem, ille conſcientiam non habet: Judex, qui unice ſpectat Juſtitiam, & hanc cum judicio facit, ille conſcientiam habet; at qui primario ſpectat munus, amicitiam & favorem, ille conſcientiam non habet: adhuc, omnis homo qui alterius bona apud ſe habet, neſciente altero, & ſic abſque timore legis, ac jacturæ honoris & famæ, poteſt lucrari illa, ſi uſque alteri reddit, quia ſua non ſunt, ille conſcientiam habet, nam facit juſtum propter juſtum. Sit quoque, qui poteſt venire ad functionem, ſed ſcit, quod alter, qui etiam ambit, Societati utilior ſit, ille ſi cedit alteri locum propter bonum ſocietatis, is bonam conſcientiam habet; ſimiliter in reliquis. Omnes illi qui conſcientiam habent, ex corde loquuntur quæ loquuntur, & ex corde faciunt quæ faciunt, habent enim illi Mentem non diviſam, nam ſecundum id quod intelligunt & credunt verum & bonum eſſe, loquuntur & faciunt. Exinde ſequitur quod Conſcientia perfectior poſſit dari apud illos, qui in veris fidei ſunt præ aliis, & qui in clara perceptione præ aliis, quam apud illos qui minus illuſtrati ſunt, & in obſcura perceptione. In vera Conſcientia eſt ipſa Vita ſpiritualis hominis, eſt enim ibi ejus Fides conjuncta Charitati, quapropter facere ex Conſcientia eſt illis facere ex Vita ſua ſpirituali, & facere contra Conſcientiam, eſt illis facere contra illam ſuam Vitam. Præterea, quis non ex communi ſermone ſcit, quid Conſcientia, ut cum dicitur de aliquo, hic Conſcientiam habet, nonne etiam tunc intelligitur, hic juſtus homo eſt; ac viciſſim cum dicitur de aliquo, hic non conſcientiam habet, nonne tunc etiam intelligitur, hic injuſtus eſt. Angelus dum hæc edixerat, ſubito ſublatus eſt in ſuum Cælum, & quatuor Cætus coiverunt in unum, & poſtquam aliquantum inter ſe colloquuti ſunt de effatis Angeli, ecce iterum diviſi ſunt in quatuor Cætus, ſed in alios quam prius, in unum ubi illi qui comprehenderunt verba Angeli, & aſſenſerunt; in alterum ubi illi, qui non comprehenderunt, ſed uſque faverunt; in tertium ubi illi, qui non voluerunt comprehendere, dicentes quid nobis cum Conſcientia, & in quartum ubi illi qui irridebant, dicentes quid Conſcientia niſi Flatus; & vidi illos ſecedentes a ſe invicem, & tunc duos Cætus priores abeuntes ad dextrum, & duos Cætus poſteriores ad ſiniſtrum, & hos deſcendentes, illos autem aſcendentes.

CAPUT DUODECIMUM

DE

BAPTISMO.

Quod abſque cognitione de Senſu ſpirituali Verbi nemo poſſit ſcire, quid Duo Sacramenta, Baptiſmus & Sancta Cœna, involvunt & efficiunt.

667. Quod in omnibus & ſingulis Verbi ſit Senſus ſpiritualis, & quod ille Senſus hactenus ignotus fuerit, & quod hodie apertus ſit propter Novam Eccleſiam quæ a Domino inſtauranda eſt, in Capite de SCRIPTURA SACRA, oſtenſum eſt: qualis ille Senſus eſt, non modo ibi, ſed etiam in Capite de DECALOGO, qui ſecundum illum Senſum etiam explicatus eſt, videri poteſt. Niſi ille Senſus apertus foret, quis de duobus illis Sacramentis, Baptiſmo & Sancta Cæna, cogitaret aliud, quam ſecundum ſenſum naturalem, qui eſt ſenſus literæ, ac inde diceret aut muſitaret ſecum, quid Baptiſmus niſi ſuperinfuſio aquæ ſuper Caput infantis, & quid hæc ad ſalutem; tum quid Sancta Cæna, niſi aſſumtio panis & vini, & quid hæc ad ſalutem; & præterea, ubi eſt Sanctum in illis, niſi ex eo, quod ex Ordine Eccleſiaſtico ut Sancta Divina recepta & mandata ſint, & quod in ſe non ſint aliud quam Ceremoniæ, de quibus Eccleſiæ dicunt, quod dum accedit Verbum Dei ad illa Elementa, fiant Sacramenta: provoco ad Laicos, & quoque ad Clericos, num aliud de duobus illis Sacramentis ſpiritu & corde perceperunt, & quod illa ut Divina coluerint propter varias cauſas & rationes: cum tamen duo illa Sacramenta in Senſu Spirituali ſpectata, ſunt Sanctiſſima cultus: quod talia ſint, conſtabit ex ſequentibus, ubi Uſus illorum tradentur. Sed quia horum Sacramentorum uſus in alicujus mentem nequaquam venire poſſunt, niſi illos Senſus ſpiritualis detegat & evolvat, ſequitur, quod abſque illo Senſu nemo poſſit ſcire aliud quam quod eſſent Ceremoniæ, quæ Sanctæ quia ex Mandato inſtitutæ ſunt.

668. Quod Baptiſmus mandatus ſit, conſtat manifeſte ex Baptiſmate Johannis in Jordane, ad quod univerſa Judæa & Hieroſolyma acceſſit, Matth. III: 5. 6. Marc. I: 4. 5. Tum quod Ipſe Dominus Salvator noſter a Johanne baptizatus ſit, Matth. III: 13 ad 17. & inſuper quod mandaverit diſcipulis, ut baptizarent omnes Gentes, Matth. XXVIII: 19. Quis non videt, qui vult videre, quod in illa Inſtitutione ſi Divinum quod hactenus latuit, quia Senſus ſpiritualis Verbi non prius revelatus eſt; & hic revelatus eſt hodie, quia Eccleſia Chriſtiana, qualis in ſe eſt, nunc primum inchoat, prior Eccleſia modo nomine tenus fuit Chriſtiana, ſed non re & eſſentia.

669. Duo Sacramenta, Baptiſmus & Sancta Cæna, ſunt in Eccleſia Chriſtiana ſicut duo Clenodia in Sceptro Regis, quorum uſus ſi neſciuntur, ſunt modo ſicut duæ formæ ex ebeno in ſcipione. Duo illa Sacramenta in Eccleſia Chriſtiana comparari etiam poſſunt cum duobus Rubinis ſeu Carbunculis in Chlamyde Imperatoris,

ris, quorum uſus ſi neſciuntur, ſunt ſicut duo carneoli aut chryſtalli in aliqua toga. Abſque Uſibus duorum illorum Sacramentorum per Senſum ſpiritualem revelatis, ſpargerentur modo de illis conjecturæ, quales ſunt apud illos qui ex Aſtris divinant, imo quales fuerunt apud illos olim, qui ex avium volatu aut ab extis augurati ſunt. Uſus duorum illorum Sacramentorum comparari poſſunt Templo, quod ex vetuſtate in terram ſubſiderat, & uſque ad tectum ruinis circum obſitum jacet, ſuper quo juvenes & ſenes gradiuntur, curribus vehuntur, & equitant, neſcientes quod tale Templum ſit ſub pedibus & abſconditum, in quo ſunt Altaria ex auro, parietes intus ex argento, & decoramenta ex lapide pretioſo, quæ non effodi & in lucem expromi poſſunt, niſi per ſenſum ſpiritualem, qui detectus eſt hodie pro Nova Eccleſia, propter uſum in Cultu Domini. Sacramenta illa etiam comparari poſſunt duplicato Templo, quorum unum eſt infra, alterum ſupra, & in quorum inferiori prædicatur Evangelium de Novo Adventu Domini, & quoque de Regeneratione & inde ſalvatione ab Ipſo; ex hoc Templo circa Altare eſt aſcenſus in Templum ſuperius, in quo Sancta Cæna celebratur, & inde eſt tranſitus in Cælum, ubi Dominus illos excipit. Comparari etiam poſſunt Tabernaculo, in quo poſt introitum apparet Menſa, ſuper qua in ſuo ordine diſpoſiti ſunt panes facierum, & quoque Altare aureum pro ſuffitu, & in medio Candelabrum cum lucernis accenſis, ex quibus omnia illa in conſpectum veniunt; & tandem pro illis qui illuminari ſe patiuntur, aperitur Velum ad Sanctum ſanctorum, ubi loco Arcæ, in qua fuerat Decalogus, repoſitum eſt Verbum, ſupra quod datum eſt Propitiatorium cum Cherubis ex Auro. Hæc ſunt Repræſentationes duorum illorum Sacramentorum cum Uſibus illorum.

Quod per Lavationem, quæ vocatur Baptiſmus, intelligatur Lavatio ſpiritualis, quæ eſt Purificatio a malis & falſis, & ſic Regeneratio.

670. Quod filiis Iſraelis mandatæ ſint Lavationes, notum eſt ex Statutis per Moſen latis, ut quod Aharon ſe lavaret, antequam indueret veſtes miniſterii, Levit. XVI: 4. 24. & antequam accederet ad Altare ad miniſtrandum, Exod. XXX: 18 ad 21, Cap. XL: 30. 31. pariter Levitæ, Num. VIII: 6. 7. & quoque alii, qui per peccata immundi facti ſunt; & quod dicantur ſanctificati per Lavationes, Exod. XXIV: 9. Cap. XL: 12. Levit. VIII: 6. Quare ut ſe lavarent, Mare æneum & plura Lavacra poſita fuerunt juxta Templum, 1 Reg. VII: 23 ad 39. imo quod laverint vaſa & utenſilia, ſicut menſas, ſcamna, lectos, patinas, & pocula, Lev. XI: 32. Cap. XIV: 8. 9. Cap. XV: 5 ad 12. Cap. XVII: 15. 16. Matth. XXIII: 28. 27. Sed Lavationes & plura ſimilia, injuncta & mandata fuerunt filiis Iſraelis, ex cauſa, quia Eccleſia apud illos inſtituta fuit Eccleſia repræſentativa, & hæc talis fuit ut figuraret Eccleſiam venturam Chriſtianam; quapropter cum Dominus in Mundum venit, abrogavit Repræſentativa, quæ omnia erant externa, & inſtituit Eccleſiam, cujus omnia eſſent interna, ita Dominus figuras diſcuſſit, & ipſas effigies revelavit, ſicut quis velum aufert aut januam aperit, & facit ut interiora non modo videantur, ſed etiam adeantur: Dominus ex cunctis illis retinuit ſolum duo, quæ omnia Eccleſiæ internæ in uno complexu continerent, quæ ſunt Baptiſmus loco Lavationum, & Sancta Cæna loco Agni, qui quovis die ſacrificabatur, & plene in Feſto Paſcatis.

671. Quod Lavationes ſupra memoratæ figuraverint & adumbraverint, hoc eſt, repræſentaverint Lavationes ſpirituales, quæ ſunt purificationes a malis & falſis, conſtat manifeſte ex his; *Cum laverit Dominus excrementum filiarum Sionis, & ſan-*

ſanguines abluerit, *in ſpiritu judicii*, *& in ſpiritu expurgationis*, Eſaj. IV: 4. *Si laveris te nitro*, *& multiplicaveris tibi ſmegma*, *uſque maculas retinebit iniquitas tua*, Jerem. II: 22. Hiob IX: 30. 31. *Lava me ab iniquitate mea*, *& præ nive albus ero.* Pſalm LI: 4. 9. *Lava a malitia cor tuum*, *Hieroſolyma*, *ut ſalveris*, Jerem. IV: 14. *Lavate vos*, *mundate vos*, *removete malitiam operum veſtrorum ab oculis meis*, *ceſſate malum facere*, Eſaj. I: 16. Quod lavatio ſpiritus hominis intellecta ſit per lavationem corporis ejus, & quod Interna Eccleſiæ repræſentata ſint per Externa, qualia fuerunt in Eccleſia Iſraelitica, patet manifeſte ex his Domini verbis, *Phariſæi & Scribæ videntes quod Diſcipuli Ipſius illotis manibus comederent panes*, *ſugillarunt*; *nam Phariſæi & omnes Judæi*, *niſi pugnotenus laverint manus*, *non comedunt*; *præter alia multa*, *quæ acceperunt tenere*, *ut lavationes poculorum & teſtaceorum*, *& æneorum*, *& lectorum*, *ad quos & ad turbam Dominus dixit*, *audite Me omnes*, *& intelligite*, *nihil eſt extra hominem intrans in illum*, *quod poteſt illum immundum reddere*, *ſed exeuntia ex illo immundum reddunt illum*, Marc. VII: 1. 2. 3. 4. 14. 15. Matth. XV: 2. 11. 17. 18. 19. 20, & alibi, ut, *Væ vobis Scribæ & Phariſæi*, *quia purgatis externum poculi & patinæ*, *interna vero ſunt plena rapina & intemperantia*; *Phariſæe cæce*, *purga prius Internum poculi & patinæ*, *ut fiat etiam Externum mundum*, Matth. XXIII: 25. 26. Ex his evidens eſt, quod per Lavationem, quæ vocatur Baptiſmus, intelligatur Lavatio ſpiritualis, quæ eſt Purificatio a malis & falſis.

672. Quis homo ſanæ rationis non videre poteſt, quod lavatio faciei, manuum & pedum, omniumque artuum, imo totius corporis in balneo, non efficiat aliud, quam quod abluantur ſordes, ut coram hominibus in forma humana mundi appareant; & quis non poteſt intelligere, quod aliqua lavatio non intret in ſpiritum hominis, & hunc æque mundum reddat; poteſt enim omnis furcifet, prædo & latro, ſe lavare uſque ad nitorem, num ſic furciferum, prædonicum & latronicum abſtergitur; nonne internum influit in externum, & operatur ſuæ voluntatis & intellectus effectus, non autem externum in internum, hoc enim eſt contra naturam, quia eſt contra ordinem, illud autem ſecundum naturam, quia eſt ſecundum ordinem.

673. Ex his ſequitur, quod Lavationes, & quoque Bapiſmata, niſi Internum hominis purificetur a malis & falſis, nihil plus efficiant, quam paropſides & patinæ mundatæ a Judæis, ac ut ibi quoque ſequitur, quam ut ſepulchra quæ foris apparent pulchra, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum & omni immunditie, Matth. XXIII: 25 ad 28. Quod adhuc patet ex eo, quod Inferna ſint plena Satanis ex hominibus tam baptizatis quam non baptizatis. Quid autem præſtat Baptiſmus, videbitur in ſequentibus; quare abſque uſibus & fructibus ejus, non plus ad ſalutem conducit, quam Cidaris triplicata ſupra caput Papæ, & Signum crucis ſuper calceis ejus, ad Pontificiam ejus ſupereminentiam; nec plus quam purpurea veſtis, circum Cardinalem ad ejus dignitatem; aut pallium circum Epiſcopum ad veram miniſterii ejus functionem; neque plus quam Thronus, Corona, Sceptrum & Chlamys apud Regem, ad Regiam ejus poteſtatem; nec plus quam Pilus ſericatus ſuper capite Doctoris laurea inſigniti ad ejus intelligentiam; neque plus quam vexilla ante turmas equitum, ad fortitudinem illorum in bello: imo adhuc poteſt dici, quod non plus purificet hominem, quam lavatio apud ovem & agnum ante tonſionem, nam naturalis homo ſeparatus a ſpirituali homine, eſt mere animalis, imo, ut prius oſtenſum eſt, eſt plus fera, quam fera ſylvæ, quapropter ſi lavaris aqua pluviæ, aqua roris, aquis fontium excellentiſſimorum, ſeu, ut prophetæ dicunt, ſi mundaris nitro, hyſſopo, ſmegmate, ſeu ſapone quotidie, uſque non purificaris ab iniquitatibus niſi per media regenerationis, de quibus in Capitibus de Pœnitentia, ac de Reformatione & Regeneratione, actum eſt.

Quod loco Circumciſionis inſtitutus ſit Baptiſmus, quia per Circumciſionem præputii repræſentata eſt circumciſio cordis, propter finem, ut Eccleſia interna ſuccederet Eccleſiæ externæ, quæ in omnibus & ſingulis figurabat Eccleſiam Internam.

674. In Orbe Chriſtiano notum eſt, quod ſit Internus & Externus homo, & quod Externus ſit idem cum Naturali homine, & Internus idem cum Spirituali homine, quia in hoc eſt ſpiritus ejus; & quia Eccleſia conſiſtit ex hominibus, quod detur Eccleſia Interna & Externa; & ſi indagantur ſucceſſiones Eccleſiarum in ſuo ordine ab antiquis temporibus ad hodienum, videbitur, quod Eccleſiæ priores fuerint Eccleſiæ externæ, hoc eſt, quod Cultus illarum conſtiterit in Externis, quæ repræſentabant interna Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ a Domino, cum fuit in Mundo fundata eſt, & nunc primum ab Ipſo ædificatur. Primarium, quod diſtinxit Eccleſiam Iſraeliticam a reliquis in Aſiatico Orbe, & poſtea a Chriſtiana, fuit Circumciſio; & quia, ut dictum eſt, omnia Eccleſiæ Iſraeliticæ, quæ fuerunt Externa, figurabant omnia Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ ſunt Interna, ideo primarium ſignum illius Eccleſiæ fuit interius ſimile cum ſigno Eccleſiæ Chriſtianæ, Circumciſio enim ſignificabat rejectionem concupiſcentiarum carnis, & ſic purificationem a malis; ſimile etiam ſignificat Baptiſmus: ex quo patet, quod Baptiſmus loco Circumciſionis mandatus ſit, propter finem, tam ut Eccleſia Chriſtiana diſtingueretur ab Eccleſia Judaica, quam ut Eccleſia interna ſic propius cognoſceretur, & hoc cognoſcitur ex Uſibus Baptiſmi, de quibus ſequitur.

675. Quod Circumciſio fuerit inſtituta, in ſignum, quod homines Eccleſiæ Iſraeliticæ eſſent ex poſteritate Abrahami, Iſaci & Jacobi, conſtat ex his „ *Dixit Deus ad Abrahamum, hoc fœdus Mecum, quod obſervabitis inter Me & inter vos, & inter ſemen tuum poſt te; circumcide vobis omnem maſculum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter Me & vos*, Geneſ. XVII: 10. 11. Quod fœdus ſeu ejus ſignum poſtea confirmatum eſt per Moſen, Levit. XII: 1. 2. 3. Et quia Eccleſia illa per illud ſignum a reliquis diſtinguebatur, ideo antequam filii Iſraelis transgreſſi ſunt Jordanem, mandatum erat, ut iterum circumciderentur, Joſ. V: cauſa fuit, quia Terra Canaan repræſentabat Eccleſiam, & Jordanes fluvius introductionem in illam: & inſuper ut in ipſa terra Canaane illius ſigni recordarentur, mandatum eſt hoc „ *Quando veneritis in Terram, & plantaveritis quamcunque Arborem cibi, præputiabitis præputium fructus ejus; tribus annis erit vobis præputiatus, non comedetur*, Levit. XIX: 23. Quod Circumciſio repræſentaverit & inde ſignificaverit rejectionem concupiſcentiarum carnis, & ſic purificationem a malis, ſimile quod Baptiſmus, conſtat ex locis in Verbo, ubi dicitur, quod circumciderent Cor, ut in his „ *Moſes dixit, circumcidite præputium cordis veſtri, cervicem veſtram ne indurate*, Deutr. X: 16. *Circumcidet Jehovah Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Jehovam Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, quo vivas*, Deutr. XXX: 6. Et apud Jeremiam „ *Circumcidite vos Jehovæ, ut removeat præputia cordis veſtri, vir Jehudæ & habitatores Hieroſolymæ, ne exeat ſicut ignis ira mea propter malitiam operum veſtrorum*, Cap. IV: 4. & apud Paulum „ *In Jeſu Chriſto neque Circumciſio aliquid valet, neque Præputium, ſed Fides per Charitatem operans, & nova Creatura*, Gal. V: 6. Cap. VI: 15. Ex his nunc patet, quod loco circumciſionis inſtitutus ſit Baptiſmus, quia per circumciſionem carnis repræſentata eſt circumciſio cordis, quæ etiam ſignificat purificatio-

tionem a malis, nam mala omnis generis assurgunt ex carne, ac præputium significat spurcos amores ejus; quoniam circumcisio & baptismi lavatio simile significant, ideo dicitur apud Jeremiam „ *Circumcidite vos Jehovæ, ut removeat proputia cordis vestri*, Cap. IV: 4; & paulo post, *Lavate a malitia cor tuum, Hierosolyma, ut serveris*, Vers. 14. Quid Circumcisio & Lavatio cordis, docet Dominus apud Matthæum, Cap. XV: 18. 19.

676. Fuerunt plures apud filios Israelis, & hodie sunt apud Judæos, qui credunt, quod præ omnibus electi sint, quia circumcisi, & inter Christianos, quia baptizati sunt; cum tamen ambæ, Circumcisio & Baptizatio, sunt modo datæ in Signum & in Memoriale, ut purificentur a malis, & sic fiant electi: quid Externum absque Interno apud hominem, nisi sicut Templum absque Cultu, quod non alicui usui est, nisi inserviat pro stabulo: & porro, quid Externum absque Interno, nisi sicut Ager ex meris cannis & calamis absque segete; nisi sicut Vinea ex meris palmitibus & foliis absque uvis: nisi sicut ficus absque suo fructu, cui Dominus maledixit, Matth. XXI: 19. nisi sicut lampades in manibus virginum stultarum absque oleo, Matth. XXV: 3. imo, nisi sicut habitatio in Mausolæo, ubi cadavera sub pedibus, ossa circum parietes, & nocturnæ larvæ volantes sub tecto: aut sicut currus tractus a pardis, super quo lupus auriga, & vectus in illo fatuus: Homo enim externus non est homo, sed modo figura hominis, Internum enim, quod est sapere a Deo, facit hominem; similiter circumcisus & baptizatus, nisi circumcidat aut lavet cor suum.

Quod primus Usus Baptismi sit Introductio in Ecclesiam Christianam, & simul tunc insertio inter Christianos in Mundo spirituali.

677. Quod Baptismus sit Introductio in Ecclesiam Christianum, constat ex multis, ut ex his. I. Quod Baptismus loco Circumcisionis institutus sit, & quod sicut Circumcisio fuit signum quod essent ab Ecclesia Israelitica, ita Baptismus signum quod sint ab Ecclesia Christiana, ut in superiori Articulo ostensum est; & signum non facit aliud quam ut cognoscantur, tanquam fasciæ diversi coloris appositæ infantibus duarum matrum, ut dignoscantur & ne mutentur. II. Quod modo sit signum introductionis in Ecclesiam, constat manifeste ex Baptizatione infantum, qui prorsus nullius rationis participes sunt, & ad aliquid fidei recipiendum nondum plus habiles sunt, quam palmites novi in aliqua Arbore. III. Quod non modo baptizentur Infantes, sed etiam omnes alienigenæ proselytæ, qui ad religionem Christianam convertuntur, tam parvi quam magni, & hoc antequam instructi sunt, modo ex confessione quod velint Christianissimum amplecti, ad quem per Baptismum inaugurantur; quod etiam Apostoli fecerunt, secundum Domini verba, *ut discipulos facerent omnes gentes, & baptizarent illos*, Matth. XXVIII: 19. IV. Quod *Johannes Baptizaverit omnes ad se venientes ex Judæa & Hierosolyma in Jordane*, Matth. III: 6. Marc. I: 9.; quod in Jordane, fuit causa, quia per illum fluvium fuit ingressus in terram Canaanem, & per terram Canaanem significabatur Ecclesia, quia ibi erat, & inde per Jordanem Introductio in illam; quod Terra illa significaverit Ecclesiam, & Jordanes Introductionem in illam, videatur in Apocalypsi Revelata, n: 285. Sed hoc fit in terris. In Cælis autem Infantes per Baptismum introducuntur in Cælum Christianum, & a Domino assignantur illis Angeli ibi, qui curam illorum gerant; quare ut primum Infantes baptizati sunt, præficiuntur illis Angeli, a quibus tenentur in statu recipiendi

fidem in Dominum; at ſicut adoleſcunt, ac ſui juris & ſuæ rationis fiunt, relinquunt illos Angeli tutores, & ipſi adſciſcunt ſibi tales ſpiritus, qui unum faciunt cum vita & fide illorum; ex quibus patet quod Baptiſmus ſit inſertio inter Chriſtianos etiam in Mundo ſpirituali.

678. Quod non modo infantes, ſed & cuncti per Baptiſmum inſerantur Chriſtianis in Mundo ſpirituali, eſt quia Populi & Gentes in illo Mundo ſecundum Religioſa ſua diſtincti ſunt; Chriſtiani in medio ſunt, Mahumedani circum illos, Idololatræ varii generis poſt illos, & Judæi ad latera. Inſuper omnes ex eadem Religione diſpoſiti ſunt in Societates, in Cælo ſecundum affectiones amoris in Deum & erga proximum, in Inferno in congregationes ſecundum affectiones binis illis Amoribus oppoſitas, ita ſecundum concupiſcentias mali. In Mundo ſpirituali, per quem intelligimus & Cælum & Infernum, omnia diſtinctiſſime ordinata ſunt in communi & in omni parte, ſeu in genere & in omni ſpecie; a diſtincta ordinatione ibi pendet conſervatio totius univerſi; & diſtinctio illa non dabilis eſt, niſi unusquiſque, poſtquam natus eſt, ex aliquo ſigno noſcatur, ad cujus religionis cætus pertineat: nam abſque ſigno Chriſtiano, quod eſt Baptiſmus, potuiſſet aliquis Spiritus Mahumedanus, aut aliquis ex Idololatris, ſe ad infantes Chriſtianos recens natos, & quoque ad pueros applicare, & illis inſufflare inclinationem pro ſua religione, & ſic diſtrahere animum illorum & abalienare illos a Chriſtianiſmo, quod foret ordinem ſpiritualem diſtorquere & deſtruere.

679. Quiſque qui indagat effectus uſque ad cauſas, ſcire poteſt, quod omnium conſiſtentia pendeat ab ordine, & quod Ordines ſint multiplices, communes & particulares, & quod ſit unus qui eſt Univerſaliſſimus omnium, & quo pendent communes & particulares in continua ſerie, & quod Univerſaliſſimus intret in omnes ſicut ipſa eſſentia in formas, & quod ſic non aliter unum faciant; hæc unitas eſt, quæ facit conſervationem totius, quod alioquin dilaberetur, & non modo recideret in primum chaos, ſed in nihilum. Quid foret cum homine, niſi in ejus corpore omnia & ſingula diſtinctiſſime ordinata eſſent, & non penderet communitas eorum ab uno Corde & Pulmone, quid alioquin niſi confuſum quid; num tunc Ventriculus ageret ſuas functiones, Hepar & Pancreas ſuas, Meſenterium & Meſocolon ſuas, Renes & Inteſtina ſuas; ex ordine in illis & inter illa eſt, quod omnia & ſingula illa coram homine appareant ut unum. Quid abſque diſtincto ordine in Mente ſeu Spiritu hominis foret, niſi communitas ejus penderet a Voluntate & Intellectu, quam confuſum & indigeſum quid, num abſque illo ordine homo potuiſſet plus cogitare & velle, quam pictura ejus ſuper tabula, aut ſculptura ejus in domo. Quid homo abſque ordinatiſſimo influxu e Cælo, & ejus receptione: & quid hic influxus abſque Univerſaliſſimo, a quo totius & omnium ejus partium regimen pendet, ita niſi a Deo, & niſi in Ipſo & ab Ipſo omnia ſint, vivant & moveantur. Hæc coram homine naturali illuſtrari poſſunt per innumera, ut per hæc, quid Imperium aut Regnum abſque Ordine, niſi Caterva prædonum, quorum plures congregati interficerent millia, & tandem pauci hos plures: quid Civitas abſque ordine, imo quid Domus abſque ordine; & quid regnum, civitas, domus, niſi in unoquovis aliquis ſupremum agat.

680. Preterea, quid Ordo abſque diſtinctione, & quid diſtinctio abſque indiciis, & quid indicia abſque ſignis, per quæ cognoſcantur qualitates, nam abſque notitia qualitatum ordo non cognoſcitur ut ordo: ſigna ſeu ſignaturæ in Imperiis & in Regnis, ſunt Tituli dignitatum, & Jura adminiſtrationis illis addicata, inde ſubordinationes, per quas coordinantur omnes ſicut in unum, hoc modo Rex regiam ſuam poteſtatem ſecundum ordinem inter plures diſtributam exercet, ex quo Regnum fit Regnum. Simile in perplurimis rebus aliis, ut in Exercitibus, quid valoris foret illis, niſi illi ordinate diſtincti eſſent in phalanges, hæ in cohortes, & hæ in turmas, & ſingulis præfecti ſint minores duces, & omnibus unus qui ſupremus; &

quid

quid Ordinationes illæ abſque ſignis, quæ vocantur Vexilla, quæ indicent in qua ſtatione quiſque erit; per talia omnes in præliis ſicut unum agunt, & abſque illis ruerent contra hoſtem non aliter quam ſicut catervæ canum cum rictibus apertis, ululatu & furore inani, & tunc omnes abſque fortitudine ab hoſte in juſtas acies compoſito, trucidarentur, nam quid diviſi contra unitos. Per hæc illuſtratur primus hic uſus baptiſmi, qui eſt ſignum in Mundo ſpirituali, quod ſit ex Chriſtianis, ubi quiſque inſeritur ſocietatibus & congregationibus ibi ſecundum qualitatem Chriſtianiſmi in illo aut extra illum.

Quod ſecundus Uſus Baptiſmi ſit, ut Chriſtianus cognoſcat & agnoſcat Dominum Jeſum Chriſtum Redemptorem & Salvatorem, & ſequatur Ipſum.

681. Alter hic uſus Baptiſmi, qui eſt ut cognoſcat Dominum Redemptorem & Salvatorem Jeſum Chriſtum, inſeparabiliter ſequitur Primum, qui eſt quod ſit introductio in Eccleſiam Chriſtianam, ac inſertio inter Chriſtianos in Mundo ſpirituali, & quid primus ille uſus abſque ſequenti hoc altero, quam ſolum nomen, & tamen non eſt niſi ſicut ſubditus, qui addicit ſe Regi, & tamen leges ejus ſeu patriæ repudiat, ac addicit ſe Regi barbaro & ei ſervit; aut niſi ſicut famulus, qui emancipat ſe alicui Domino, ac veſtes ut inſignia ejus accipit, & aufugit, & in veſtibus ejus ſervit alteri: aut niſi ſicut ſignifer, qui cum vexillo abit, & id diſſecat, ac fruſta ejus vel projicit in aerem, vel ſub pedes militum ut proculcetur. Verbo nomen quod Chriſtianus ſit, hoc eſt, quod Chriſti ſit, & non agnoſcere Ipſum & ſequi Ipſum, hoc eſt, vivere ſecundum mandata Ipſius, eſt tam inane, ſicut umbra, ſicut fumus, ac ſicut pictura atrata, nam dicit Dominus, *Quid Me vocatis Domine, & non facitis quæ dico*, Luc. VI: 46 ſeq. *Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, ſed tunc confitebor illis, non novi vos*, Matth. VII: 22. 23.

682. Per Nomen Domini Jeſu Chriſti, non aliud in Verbo intelligitur, quam agnitio Ipſius & vita ſecundum præcepta Ipſius; quod nomen Ipſius illa ſignificet, videas cauſam in Explicatione Secundi præcepti in Decalogo, *Non fores Nomen Dei in vanum.* Non aliud per Nomen Domini intelligitur in his locis „ *Jeſus dixit, eritis exoſi omnibus gentibus propter Nomen meum*, Matth. X: 22. Cap. XXIV: 9. 10. *Ubi ſunt duo aut tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, Matth. XVIII: 20. *Quotquot Ipſum receperunt, dedit illis poteſtatem, ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius*, Joh. I: 12. *Multi crediderunt in Nomen Ipſius*, Joh. II: 23. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 17. 18. *Credentes vitam habebunt in Nomine Ipſius*, Joh. XX: 31. *Propter Nomen meum laboraſti, & non defeciſti*, Apoc. II: 3, & alibi: quis non videre poteſt, quod per Nomen Domini in illis locis non intelligatur ſolum Nomen, ſed agnitio Ipſius, quod ſit Redemptor & Salvator, & ſimul obedientia, & tandem fides in Ipſum; in Baptiſmo enim Infans accipit ſignum crucis ſuper fronte & pectore, quod eſt ſignum inaugurationis in agnitionem & cultum Domini. Per Nomen etiam intelligitur qualitas alicujus, cauſa eſt, quia in ſpirituali Mundo omnis ſecundum qualitatem ejus nominatur, quare per Nomen quod Chriſtianus ſit, intelligitur qualitas ejus quod fidem in Chriſtum, & quod charitatem erga proximum, a Chriſto habeat; hoc intelligitur per Nomen in Apocalypſi „ *Inquit Filius hominis, habeo pauca Nomina in Sardibus, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulabunt Mecum in albis, quia digni ſunt*, Cap. III: 4; per ambulare cum Filio hominis in albis, ſignificatur ſequi Dominum, & vivere ſecundum vera Verbi Ipſius. Simile per Nomen intelligitur apud Johannem „ *Jeſus dixit, Oves*

vocem meam audiunt, & proprias oves voco Nomine tenus, & educo illos, coram illis incedo, & oves Me ſequuntur, quia ſciunt vocem meam; alienum autem non ſequuntur, quia non ſciunt alienorum vocem, Cap. X: 3. 4. 5; nomine tenus, eſt qualitate tenus, qua Chriſtiani ſunt, & ſequi Ipſum eſt audire vocem Ipſius, hoc eſt, obedire mandatis Ipſius; hoc Nomen accipiunt omnes in Baptiſmo, eſt enim in ſigno.

683. Quid nomen abſque re, niſi vanum quid, & niſi ſonus, qualis reſilit ex arboribus ſylvæ ſeu laquearibus, & vocatur echo; aut ſicut ſonus fere inanimis ex ſomniantibus, aut ſicut ſonus venti, maris aut machinæ, cui nihil uſus ineſt; imo quid nomen quod Rex, quod Dux, quod Conſul, quod Epiſcopus, quod Abbas, quod Monachus, abſque functione quæ Nomini adhæret, niſi vanitas; ita quid Nomen quod Chriſtianus ſit, & tamen barbare vivit, & contra præcepta Chriſti, niſi ſicut intuitio ſigni Satanæ loco ſigni Chriſti, cujus nomen tamen aureis ſtaminibus in baptiſmo intextum eſt. Quid illi qui poſtquam receperunt ſignaturam Chriſti, poſtea rident ad cultum Ipſius, ogganniunt ad Nomen Ipſius, & profitentur Illum non ut Filium Dei, ſed ut Filium Joſephi, niſi rebelles & regicidæ, & voces illorum niſi blaſphemiæ contra Spiritum ſanctum, quæ non remitti poſſunt in hoc ſæculo, nec in futuro; hi quaſi canes rictibus mordent Verbum, ac dentibus dilaniant illud; apud hos contra Chriſtum & Ipſius Cultum, ſunt *omnes menſæ plenæ vomitu egeſtionis*, Eſaj. XXVIII: 8. Jerem. XLVIII: 26; cum tamen Dominus Jeſus Chriſtus eſt Filius Dei Altiſſimi, Luc. I: 32. 35, Unigenitus, Joh. I: 18. Cap. III: 16. Verus Deus, & Vita æterna, 1 Joh. V: 20. 21.; In Quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, Coloſſ. II: 9. Et quod non ſit filius Joſephi, Matth. I: 25; præter millia alibi.

Quod Tertius uſus Baptiſmi, qui eſt finalis, ſit ut homo regeneretur.

684. Hic uſus eſt ipſe Uſus propter quem Baptiſmus, ita finalis, cauſa eſt, quia vere Chriſtianus cognoſcit & agnoſcit Dominum Redemptorem, Jeſum Chriſtum, Qui quia eſt Redemptor, etiam eſt Regenerator; quod Redemptio & Regeneratio unum faciant, videatur in Capite de Reformatione & Regeneratione, Art. III: tum quia Chriſtianus poſſidet Verbum, in quo media Regenerationis exſtant deſcripta, & media ibi ſunt Fides in Dominum, & Charitas erga proximum: hoc idem eſt cum hoc quod dicitur de Domino, quod *Ipſe baptizet Spiritu ſancto & Igne*, Matth. III: 11. Marc. I: 9 ad 11. Luc. III: 16. Joh. I: 33; per Spiritum ſanctum intelligitur Divinum Verum fidei, & per Ignem Divinum Bonum amoris ſeu Charitatis, utrumque procedens a Domino; quod per Spiritum ſanctum intelligatur Divinum Verum fidei, videatur in Capite de Spiritu Sancto; & quod per Ignem intelligatur Divinum Bonum amoris, in Apocalypsi Revelata, n: 468. 395; & per hæc duo fit omnis Regeneratio a Domino. Quod Ipſe Dominus a Johanne baptizatus ſit, Matth. III: 13 ad 17. Marc. I: 9. Luc. III: 21. 22, fuit cauſa, ut non modo in futurum inſtitueret Baptiſmum, & præiret exemplo; ſed etiam quia glorificavit Humanum ſuum & Hoc Divinum fecit, ſicut regenerat hominem, & hunc ſpiritualem facit.

685. Ex ante & nunc dictis, videri poteſt, quod tres Uſus baptiſmi cohæreant ut unum, quemadmodum cauſa prima, cauſa media quæ efficiens, & cauſa ultima quæ eſt effectus, & ipſe finis propter quem priores; primus enim uſus eſt ut nominetur Chriſtianus, ſecundus ex hoc ſequens eſt, ut cognoſcat & agnoſcat Dominum Redemptorem, Regeneratorem & Salvatorem, & tertius eſt ut regeneretur ab Ipſo, quod dum fit, eſt redemptus & ſalvatus. Quoniam hi tres uſus ſequuntur

tur ordine, & in ultimo ſe conjungunt, & inde in idea Angelorum cohærent ut unum, ideo cum Baptiſmus peragitur, legitur in Verbo, & nominatur, Angeli qui adſunt, non intelligunt baptiſmum, ſed Regenerationem; quare per hæc verba Domini, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur, at qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI: 16, hoc in Cælo ab Angelis intelligitur, quod qui agnoſcit Dominum & regeneratur, ille ſalvetur. Inde quoque eſt, quod Baptiſmus ab Eccleſiis Chriſtianis in terra, vocetur LAVACRUM REGENERATIONIS; ſciat itaque Chriſtianus, quod qui non credit in Dominum, non poſſit regenerari, tametſi baptizatus eſt, & quod baptizatio abſque fide in Dominum, prorſus nihil faciat, videatur ſupra in hoc Capite Art. II: n: 4. Quod Baptiſmus involvat purificationem a malis, & ſic regenerationem, notiſſimum poteſt eſſe omni Chriſtiano, nam dum ut Infans baptizatur, ſacerdos Crucem, ut memoriale Domini, digito ſignat in fronte & ſuper pectore, & poſtea convertit ſe ad patrinos, & quærit, num abdicet diabolum, & omnia ejus opera; & num fidem recipiat, ad quæ loco infantis reſpondetur a patrinis, imo etiam; abdicatio Diaboli, hoc eſt, malorum quæ ex inferno ſunt, & fides in Dominum perficiunt regenerationem.

686. In Verbo dicitur, quod Dominus Deus noſter Redemptor baptizet ſpiritu ſancto & igne, quod per id intelligatur, quod Dominus regeneret hominem per Divinum Verum fidei, & per Divinum Bonum amoris ſeu charitatis, videatur ſupra in hoc Art. n: 1. Illi qui regenerati ſunt per Spiritum ſanctum, hoc eſt, per Divinum Verum fidei, in Cælis diſtincti ſunt ab illis qui regenerati ſunt per Ignem, hoc eſt, per Divinum Bonum amoris. Illi qui per Divinum Verum fidei regenerati ſunt, in Cælo incedunt in veſtibus albis byſſinis, & vocantur Angeli ſpirituales; at qui regenerati ſunt per Divinum Bonum amoris, incedunt in veſtibus purpureis, & vocantur Angeli cæleſtes: illi qui incedunt induti veſtibus albis, intelliguntur per hos „*Sequuntur Agnum veſtiti byſſino albo & mundo*, Apoc. XIX: 14. *Ambulabunt Mecum in albis*, Apoc. III: 4. tum Cap. VII: 14. *Angeli in ſepulchro Domini viſi in veſtibus albis & ſplendentibus*, Matth. XXVIII: 3. Luc. XXIV: 4; fuerunt ab hoc genere; nam Byſſinum ſignificat juſtitias ſanctorum, Apoc. XIX: 8, ubi hoc aperte dicitur: quod Veſtes in Verbo ſignificent vera, ac Veſtes albæ & byſſinæ Divina vera, videatur Apoc. Revel. n: 379, ubi id oſtenſum. Quod illi, qui etiam regenerati ſunt per Divinum Bonum amoris, ſint in veſtibus purpureis, eſt quia purpura eſt color amoris, quem trahit ex igne Solis & ejus rubedine, per quem ſignificatur amor, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 468. 725. Quoniam veſtes ſignificant vera, ideo ille, qui inter vocatos inventus eſt non indutus veſtibus nuptiarum, ejectus eſt & conjectus eſt in tenebras exteriores, Matth. XXII: 11. 12. 13.

687. Præterea Baptiſmus ut Regeneratio repræſentatur tam in Cælo quam in Mundo per multa; in CÆLO, ut, nunc dictum eſt, per Veſtes albas & purpureas: & præterea per nuptias Eccleſiæ cum Domino; tum per Novum Cælum & Novam Terram, & inde deſcendentem Novam Hieroſolymam, de qua dixit Sedens ſuper Throno, ecce *omnia nova faciam*, Apoc. XXI: 1 ad 4. 5. *& per Fluvium aquæ vivæ exeuntem e Throno Dei & Agni*, Apoc. XXII: 1. 2. Et quoque per quinque Virgines prudentes, quæ habebant lampades & oleum, & ingreſſæ ſunt cum Sponſo ad nuptias, Matth. XXV: 1. 2. 10. Baptizatus, hoc eſt, regeneratus, intelligitur per Creaturam, Marc. XVI: 15. Rom. VIII: 19. 20. 21; & per novam Creaturam, II. Cor. V: 17. Galat. VI: 15; nam Creatura dicitur a Creari, per quod etiam ſignificatur regenerari, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 254. In MUNDO repræſentatur Regeneratio per varia, ut per efflorescentias omnium telluris tempore veris, & per ſucceſſiva illarum incrementa uſque ad fructificationes; ſimiliter per cujuſvis arboris, fruticis & floris a primo menſe caloris uſque ad ultimum ejus; repræſentatur etiam per omnium fructuum progreſſivas maturationes a primo ſtamine ad plenum; repræſentatur tunc per pluvias matutinas & ſerotinas, perque

rores,

rores, ad quorum adventus aperiunt ſe flores, & ad noctis tenebras ſe contrahunt; tum per fragrantias ex hortis & agris: & quoque per arcum Irideum in nube, Gen. IX: 14 ad 17: ut & per ſplendidos colores Auroræ: & in genere per continuam renovationem omnium in Corporibus per chylum & per ſpiritum animalem, & inde ſanguinem, cujus purificatio ab obſoletis, & renovatio & quaſi regeneratio eſt perpetua. Si ad viliſſima in terris attenditur, imago regenerationis ſiſtitur in mirabili transformatione bombycum & plurium vermium in nymphas & papiliones, & aliorum qui tempore inſigniuntur alis; quibus adhuc leviora licet addere, per cupidinem quarundam avium ſe immergendi aquis lavandi & mundandi cauſa, poſtquam ut oſcines ad ſuos cantus redeunt: Verbo, totus Mundus a primis ad ultima ejus, eſt plenus regenerationis repræſentationibus & typis.

Quod per Baptiſma Johannis præparata ſit via, ut Jehovah Dominus in Mundum poſſet deſcendere, & Redemptionem peragere.

688. Apud Malachiam legitur, *Ecce Ego mitto Angelum meum, qui parabit viam ante Me, & ſubito veniet ad Templum ſuum Dominus, Quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem vos deſideratis, quis ſuſtinebit diem adventus Ipſius, & quis conſiſtet cum apparuerit*, Cap. III: 1. ac iterum, *Ecce Ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis, ne veniam & percutiam terram anathemate*, Cap. III: 23. 24. Et Zacharias pater prophetans de filio ſuo Johanne, *Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis, præibis ante faciem Domini, ad parandum vias Ipſius*, Luc. I: 26. Et Ipſe Dominus de illo Johanne „ *Hic eſt, de quo ſcriptum eſt, ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem meam, qui præparabit viam tuam coram Te*, Luc. VII: 27. Ex his evidens eſt, quod Johannes ille fuerit propheta, qui miſſus eſt ad parandum viam Jehovæ Deo, qui deſcenderet in Mundum, & Redemptionem perageret, & quod paraverit illam viam per Baptiſma, & tunc annuntiationem Adventus Domini, & quod abſque illa præparatione omnes ibi anathemate percuſſi fuiſſent, & periiſſent.

689. Quod præparata ſit via per Baptiſma Johannis, erat cauſa, quia per illud, ut ſupra oſtenſum eſt, introducti ſunt in Eccleſiam futuram Domini, & in Cælo inſerti ſunt illis ibi, qui exſpectaverunt & deſideraverunt Meſſiam, & ſic cuſtoditi ab Angelis, ne Diaboli ab Inferno erumperent, & perderent illos; quare dicitur apud Malachiam, *Quis ſuſtinebit diem aduentus Ipſius, & ne Jehovah veniat, & percutiat terram anathemate*, III: 24. Similiter apud Eſajam „ *Ecce dies Jehovæ venit crudelis, & indignationis & excandeſcentiæ & iræ: commovebo Cælum, & trepidabit terra e loco ſuo, in die excandeſcentiæ iræ Ipſius*, XIII: 6. 9. 13. 22. Cap. XXII: 5. 11. Item apud Jeremiam, *Ille dies vocatur dies vaſtationis, ultionis & exitii*, Cap. IV: 9. Cap. VII: 32. Cap. XLVI: 10. 21. Cap. XLVII: 4. Cap. XLIX: 8. 26. Apud Ezechielem, *Dies iræ, nubis & caliginis*, Cap. XIII: 5. Cap. XXX: 2. 3. 9. Cap. XXXIV: 11. 12. Cap. XXXVIII: 14. 16. 18. 19. Pariter apud Amoſum, Cap. V: 13. 18. 20. Cap. VIII: 3. 9. 13. Apud Joelem, *Magnus dies Jehovæ, & terribilis, & quis ſuſtinebit illum*, Cap. II: 1. 2. 11. Cap. III: 2. 4. Et apud Sachariam „ *In die illo erit vox clamoris, propinquus dies Jehovæ magnus, dies excandeſcentiæ dies hic, dies anguſtiæ & coarctationis, dies vaſtationis & devaſtationis; in die excandeſcentiæ Jehovæ comedetur tota terra, & conſummationem faciet cum omnibus habitatoribus terræ*, Cap. I: 7 ad 18; præter aliis in locis: ex quibus patet, quod niſi præparata eſſet via Jehovæ deſcendenti in Mundum per Baptiſma, cujus effectus in Cælo fuit, ut occluderentur Inferna, & cuſtodirentur Judæi

a

a totali interitu: dicit etiam Jehovah ad Moſen „ *Momento uno, ſi aſcenderem in medio tui, conſummerem Populum*, Exod. XXXIII: 5. Quod ita ſit, patet clare a verbis Johannis ad turbas exeuntes ut baptizarentur ab illo „ *Progenies viperarum, quiſnam monſtravit vobis effugere a futura ira*, Matth. III: 7. Luc. III: 7. Quod Johannes etiam docuerit Chriſtum & Ipſius adventum, cum baptizabat, videatur Luc. III: 16. Joh. I: 25. 26. 31. 32. 33. Cap. III: 26. Ex his patet, quomodo Johannes præparavit viam.

690. Quod Baptiſma Johannis attinet, repræſentabat illud mundationem Externi hominis, at Baptiſmus, qui hodie apud Chriſtianos eſt, repræſentat mundationem Interni hominis, quæ eſt Regeneratio; quare legitur quod Johannes baptizaverit aqua, at quod Dominus baptizet ſpiritu ſancto & igne, & ideo baptiſma Johannis vocatur Baptiſma pœnitentiæ, Matth. III: 11. Marc. I: 4 ſeq. Luc. III: 3. 16. Joh. I: 25. 26. 33. Actor. I: 22. Cap. X: 37. Cap. XVIII: 25. Judæi, qui baptizabantur, erant mere Externi homines, & externus homo abſque fide in Chriſtum, non poteſt fieri internus; quod illi qui baptizati ſunt baptiſmate Johannis facti ſint interni homines, dum receperunt fidem in Chriſtum, & tunc baptizati in Nomine Jeſu, videatur in Actis Apoſt: Cap. XIX: 3 ad 6.

691. Dixit Moſes ad Jehovam, *Oſtende mihi gloriam tuam, cui dixit Jehovah, non potes videre facies meas, quia non videbit Me homo & vivet; & dixit, ecce locum ubi ſtabis in petra, & ponam te in foramine petræ, & obtegam manum meam ſuper te, uſque dum præterivero, & dum removero manum meam, videbis poſteriora mea, at facies meæ non videbuntur*, Exod. XXXIII: 18 ad 23. Cauſa, quod homo non poſſit videre Deum & vivere, eſt, quia Deus eſt Ipſe Amor, & ipſe Amor ſeu Divinus Amor in Mundo ſpirituali coram Angelis apparet ut Sol, diſtans ab illis ſicut Sol noſtri mundi diſtat ab hominibus, quare ſi Deus, qui in medio illius Solis eſt, prope appropinquaret ad Angelos, hi perirent ſicut homines ſi Sol mundi appropinquaret ad illos, eſt enim æque ardens; quapropter perpetuæ temperaturæ ſunt, quæ modificant & moderantur ardorem amoris iſtius, ne influat ſicut in ſe eſt in Cælum, inde enim conſummerentur Angeli; quapropter cum Dominus ſe ſiſtit præſentiorem in cælo, impii qui ſub cælo ſunt, incipiunt lamentari, cruciari & exanimari, quare aufugiunt in ſpeluncas & in fiſſuras montium, clamantes cadite ſuper nos, & abſcondite nos a faciebus Sedentis ſuper Throno, Apoc. VI: 16. Eſaj. II: 19. 21: Ipſe Dominus non deſcendit, ſed Angelus cum ſphæra amoris a Domino circum ſe: aliquoties vidi impios ex deſcenſu illo terrificri, ſicut ipſam mortem viderent ante oculos ſuos, quoſdam qui ſe præcipitarent in infernum profundius & profundius, & quoſdam actos in furias. Inde erat, quod filii Iſraelis per Tres dies ſe præpararent ante deſcenſum Jehovæ Domini ſuper montem Sinai, & quod Mons circumſepiretur, ne quis accederet & moreretur, Exod. XIX. Simile erat cum Sanctitate Jehovæ Domini in Decalogo tunc promulgato, & binis Tabulis digito Dei inſcripto, & deinde in Arca repoſito; ſuper qua in Tabernaculo Propitiatorium locatum eſt, & ſuper hoc Cherubi, ne quis immediate Sanctitatem illam manu aut oculo tangeret; ad quam nec Aharon potuit accedere, niſi ſemel in Anno, poſtquam expiaverat ſe per Sacrificia & Suffitus. Inde erat, quod Ekronitæ & Beethſcemitæ ad plura millia mortui ſint, ſolum quia oculis ſuis viderunt Arcam, I Sam. V: 11. 12. Cap. VI: 19; & quoque Uſa, quia tetigit illam, II Sam. VI: 6. 7. Ex his paucis illuſtratum eſt, quali anathemate & ſtrage percuſſi fuiſſent Judæi, niſi præparati per Baptiſma Johannis ad recipiendum Meſſiam, qui fuit Jehovah Deus in Humana forma; & niſi Humanum aſſumſerit, & ſic ſe revelaverit; & quod præparati ſint per id, quod in Cælo adſcripti & adnumerati ſint illis, qui corde exſpectaverunt & deſideraverunt Meſſiam, ex quo tunc Angeli miſſi ſunt & facti illorum cuſtodes.

692. His adjiciam hæc MEMORABILIA; PRIMUM. Dum ex Ludo ſapientiæ, abirem domum, in via vidi Angelum in veſte hyacinthina; hic adjunxit ſe lateri meo, & dixit, video quod e Ludo ſapientiæ exiveris, & quod ex auditis ibi lætificatus ſis; & quia percipio, quod non plenus ſis in hoc Mundo, quia ſimul in Mundo naturali es, & ideo neſcis noſtra Gymnaſia Olympiaca, ubi veteres Sophi conveniunt, & ex advenis e tuo Mundo hauriunt, quas ſtatus mutationes & ſucceſſiones ſubiverat & adhuc ſubit Sapientia: ſi vis deducam te ad locum, ubi plures ex vetuſtis Sophis, & illorum filiis, hoc eſt, diſcipulis, habitant; & deduxit me in confinium inter Septentrionem & Orientem, & dum e loco edito illuc proſpexi, ecce viſa eſt Urbs, & ad unum ejus latus duo Clivi, & propior urbi humilior altero; & dixit mihi, Urbs illa vocatur Athenæum, Clivus humilior Parnaſſium, & altior Heliconeum; ita vocantur, quia in Urbe & circum illam commorantur Veteres ſapientes in Græcia, ut Pythagoras, Socrates, Ariſippus, Xenophon, cum diſcipulis & tyronibus; & quæſivi de Platone & Ariſtotele, dixit, quod illi & illorum aſſeclæ in alia regione habitent, quia hi docuerunt rationalia quæ intellectus ſunt, illi autem moralia quæ vitæ ſunt. Dixit, quod ex Urbe Athenæo frequenter ablegentur ſtudioſi ad literatos ex Chriſtianis, ut narrent quid hodie cogitant de Deo, de Creatione Univerſi, de Immortalitate animæ, de Statu hominis relativo ad ſtatum beſtiarum, ac de rebus aliis quæ interioris ſapientiæ ſunt; & dixit, quod præco hodie annuntiaverit conventum, indicium, quod emiſſarii novos Advenas e Terris offenderint, a quibus audiverunt curioſa; & vidimus multos exeuntes ex urbe & a viciniis, quoſdam habentes laureas ſuper capitibus, quoſdam tenentes palmas in manibus, quoſdam cum libris ſub ulnis, & quoſdam cum calamis ſub ſiniſtri temporis crinibus. Nos inſeruimus nos illis, & una aſcendimus, & ecce ſuper Clivo Palatium octogonum, quod vocaverunt Palladium, ac intravimus; & ecce ibi octo inſinuationes ſexangulares, in quarum unaquavis erat Librarium, & quoque Menſa, ad quas conſederunt laureati, & in ipſo Palladio viſa ſunt Sedilia ex ſaxo exſculpta, ſuper quæ reliqui ſe demiſerunt; & tunc aperta eſt janua ad ſiniſtrum, per quam duo Advenæ e terra introducti ſunt, & poſtquam ſalutati, unus ex laureatis quæſivit illos, QUID NOVI E TERRA; & dixerunt, novum eſt, quod in ſylvis invenerint homines ſicut beſtias, aut beſtias ſicut homines, at quod ex facie & corpore cognoverint natos eſſe homines, ac ſecundo aut tertio ætatis anno amiſſos aut omiſſos in Sylvis; dixerunt quod non poſſint ſonare aliquid cogitationis, nec diſcere articulare ſonum in aliquam vocem; quod nec ſcirent cibum ſibi convenientem ſicut beſtiæ, ſed quod ſylveſtria tam munda quam immunda injicerent in buccam; præter ſimilia plura; ex quibus aliqui Eruditi apud nos divinarunt, & aliqui concluſerunt plura de Statu hominum relativo ad ſtatum beſtiarum; his auditis, quæſiverunt aliqui ex vetuſtis Sophis, quid ex illis divinant & concludunt; & duo Advenæ reſponderunt, quod plura, quæ tamen ad hæc poſſunt referri. 1. Quod homo ex ſua natura, & quoque ex nativitate, omni beſtia ſtupidior & inde vilior ſit; & quod ſimiliter fiat ſi non inſtruitur. 2. Quod inſtrui poſſit quia didicit articulate ſonare, & inde loqui, & quod per id inceperit expromere cogitationes, & hoc ſucceſſive plus & plus, uſque ut poſſet exprimere leges Societatis, quarum plures tamen beſtiis a nativitate impreſſæ ſunt. 3. Quod Rationalitas ſit beſtiis æque ac hominibus. 4. Quare ſi beſtiæ potuiſſent loqui, tam ſolerter ratiocinarentur de omni re ſicut homines; cujus rei indicium eſt, quod cogitent ex ratione & prudentia æque ac homines. 5. Quod Intellectus ſit ſolum modificatio lucis e Sole, cooperante calore, medio æthere, ita ut modo ſit activitas interioris naturæ, & quod hæc poſſit exaltari,

eo

eo uſque ut appareat ſicut ſapientia. 6. Quod ideo vanum ſit credere, quod homo poſt mortem plus vivat quam beſtia, niſi quod forte poſſit per aliquot dies poſt obitum ex exhalatione vitæ corporis apparere ſicut nimbus ſub ſpecie larvæ, antequam diſſipatur in naturam; vix aliter quam ſicut virgultum ex cinere exſuſcitatum apparet in ſimilitudine ſuæ formæ. 7. Conſequenter quod Religio, quæ docet vitam poſt mortem, ſit inventum, ut ſimplices teneantur intrinſecus in vinculo per ejus leges, ſicut tenentur extrinſecus per Civitatis leges. His addiderunt, quod mere ingenioſi ita ratiocinentur, non autem Intelligentes; & quæſiverunt quid Intelligentes, dixerunt quod non audiverint, ſed quod ſic opinentur.

His auditis dixerunt omnes qui ad Menſas ſedebant, oh qualia nunc in Terris tempora; heu Sapientia quas vices ſubiit, verſane eſt in ingenioſitatem fatuam, Sol occidit, & ſub terra eſt e diametro oppoſitus ſuæ meridiei; quis non ex documento ex relictis & inventis in ſylvis ſcire poteſt, quod homo non inſtructus talis ſit, eſtne ſicut inſtruitur, naſciturne in ignorantia præ beſtiis, diſcetne gradiri & loqui, ſi non diſceret gradiri, num ſe ſuper pedes erigeret, & ſi non diſceret loqui, num mutiret aliquid cogitationis; eſtne omnis homo ſicut inſtruitur, inſaniens ex falſis, ac ſapiens ex veris, & inſaniens ex falſis in omni phantaſia quod ſit ſapientior ſapiente ex veris; danturne homines fatui & veſani, qui non plus homines ſunt, quam inventi in ſylvis; nonne caſſi memoria his ſimiles ſunt. Nos ex his & illis concluſimus, quod homo abſque inſtructione non ſit homo, nec beſtia, ſed quod ſit forma, quæ recipere poteſt in ſe id quod facit hominem, & ſic quod non naſcatur homo, ſed quod fiat homo; & quod homo talis forma naſcatur, ut ſit organum recipiens vitæ a Deo, propter finem ut ſit ſubjectum, in quod Deus omne bonum poſſet inferre, & per unionem ſecum beatificare in æternum. Percipimus ex ſermone veſtro, quod ſapientia hodie in tantum exſtincta aut infatuata ſit, ut de ſtatu vitæ hominum relativo ad ſtatum vitæ beſtiarum, prorſus nihil ſciant; inde eſt, quod nec ſciant ſtatum vitæ hominis poſt mortem; at illi qui hunc ſcire poſſunt, ſed non volunt ſcire, & inde illum negant, ut faciunt multi ex veſtris Chriſtianis, *aſſimilare poſſumus Inventis in ſylvis*; non quod ex privatione inſtructionis ita ſtupidi facti ſint, ſed quod per ſallacias ſenſuum, quæ ſunt tenebræ veritatum, ſemetipſos ita ſtupidos fecerint.

Sed tunc quidam in medio Palladii ſtans, in manu tenens palmam, dixit, evolvite quæſo hoc arcanum, quomodo homo forma Dei creatus, mutari potuit in formam diaboli; ſcio quod Angeli Cæli ſint formæ Dei, & quod angeli inferni ſint formæ diaboli, & duæ formæ ſunt ſibi oppoſitæ, hæ Inſaniæ, illæ Sapientiæ; dicite itaque, quomodo homo forma Dei creatus a die in talem noctem potuit tranſire, ut potuerit negare Deum, & vitam æternam: ad hæc reſponderunt Didaſcali in ordine, primum Pythagorei, dein Socratici, & poſtea reliqui; ſed Inter illos erat quidam Platonicus, hic ultimo loquutus eſt, & hujus ſententia prævaluit, quæ erat; quod homines Ævi Saturnini ſeu Sæculi aurei, ſciverint & agnoverint quod eſſent Formæ recipientes vitæ a Deo, & quod ideo ſapientia animabus & cordibus illorum inſcripta fuerit, & inde, quod ex luce veri viderint verum, & per vera perceperint bonum ex jucundo amoris ejus: at ſicut Humanum Genus in ſequentibus Sæculis receſſerat ab agnitione, quod omne verum ſapientiæ & inde bonum amoris apud illos, continue influeret a Deo, ceſſaverunt eſſe habitacula Dei, & quoque tunc ceſſavit loquela cum Deo, & conſociatio cum Angelis; interiora enim mentis illorum a directione ſua, quæ fuerat ſurſum elevata ad Deum a Deo, inflexa eſt in directionem obliquam plus & plus, extrorſum in Mundum, & ſic ad Deum a Deo per Mundum, & tandem inverſa in directionem oppoſitam, quæ eſt deorſum ad Semet; & quia Deus non poteſt ſpectari ab homine interius inverſo & ſic averſo, homines ſe ſeparaverunt a Deo, & facti ſunt formæ Inferni, & ſic diaboli. Ex his ſequitur, quod Primis Ae-

Ævis agnoverint corde & anima, quod omne bonum amoris, & inde verum ſapientiæ illis eſſent a Deo, & quoque quod illa eſſent Dei in illis, & ſic quod illi eſſent mera receptacula vitæ a Deo, & inde vocati Imagines Dei, Filii Dei, & Nati a Deo: ſed quod in ſuccedentibus Ævis illud non corde & anima, ſed quadam fide perſuaſiva, & dein fide hiſtorica, & demum ſolum ore, agnoverint; & agnoſcere tale ſolum ore, eſt non agnoſcere, imo eſt id negare corde. Ex his, videri poteſt, qualis hodie eſt ſapientia in terra apud Chriſtianos, tametſi illi ex Revelatione ſcripta inſpirari poſſunt a Deo, dum non ſciunt diſcrimen inter hominem & beſtiam; & inde multi credunt, quod ſi homo vivit poſt mortem, etiam beſtia victura ſit, aut quia beſtia non vivit poſt mortem, nec homo victurus ſit; annon lux noſtra ſpiritualis, quæ illuminat viſum mentis, apud illos facta eſt caligo, & lux illorum naturalis, quæ ſolum illuminat viſum corporis, facta eſt illis ſplendor.

Poſt hæc converterunt ſe omnes ad duos Advenas, & illis gratias propter adventum & narrationem agebant, & orabant, ut hæc, quæ audiverant, ſuis fratribus renuntiarent: & reſponderunt advenæ, quod confirmaturi ſint ſuos in hac veritate, quod quantum attribuunt omne bonum charitatis & verum fidei Domino, & non ſibi, tantum ſint homines, ac tantum fiant Angeli Cæli.

493. Secundum Memorabile. Poſt aliquot Septimanas audivi vocem e Cælo dicentem, en iterum Conventus in Parnaſſio, accede, monſtrabimus viam; acceſſi, & cum prope eram, vidi quendam ſuper Heliconeo cum tuba, qua annuntiavit & indixit Conventum. Et vidi ex Urbe Athenæo & confiniis ejus aſcendentes ut prius, & in medio illorum tres Novitios e Mundo; erant illi tres ex Chriſtianis, unus Sacerdos, alter Politicus, & tertius Philoſophus; hos in via vario ſermone oblectabant, imprimis de Sapientibus Antiquis, quos nominabant; quæſiverunt num illos viſuri ſint, dixerunt quod viſuri, & ſi vellent, ſalutaturi, quoniam ſunt affabiles; quæſiverunt de Demoſthene, Diogene & Epicuro, dixerunt, Demoſthenes non hic eſt, ſed apud Platonem, Diogenes cum ſuis ſcholaribus ſub Heliconeo commoratur, ex cauſa quia mundana ſicut nihili reputat, & modo cæleſtia animo volvit; Epicurus ad occidentem in termino habitat, nec intrat ad nos, quia nos diſtinguimus inter affectiones bonas & affectiones malas, & dicimus affectiones bonas una eſſe cum ſapientia, & affectiones malas eſſe contra ſapientiam. Quando aſcenderunt collem Parnaſſium, aliqui cuſtodes ibi apportabant aquam ex fonte ibi in ſcyphis chryſtallinis, & dicebant, eſt aqua ex fonte, de quo vetuſti confabulati ſunt, quod perruptus ſit ab ungula Equi Pegaſi, & poſtea conſecratus novem Virginibus; at per Equum alatum Pegaſum, intellexerunt Intellectum veri per quem ſapientia; per ungulas pedis ejus, intellexerunt experientias per quas intelligentia naturalis; & per novem Virgines, intellexerunt cognitiones & ſcientias omnis generis; hæc vocantur hodie Fabulæ, ſed fuerunt Correſpondentiæ, ex quibus Primævi loquuti ſunt: comites dixerunt ad tres Advenas, ne miremini, cuſtodes ita loqui inſtructi ſunt, & nos per bibere aquam ex fonte intelligimus inſtrui de veris, & per vera de bonis, & ſic ſapere. Poſt hæc intraverunt Palladium, & cum illis tres Novitii e Mundo, Sacerdos, Politicus, & Philoſophus; & tunc Laureati, qui ſedebant ad menſas, quæſiverunt, Quid novi e terra; & reſponderunt, hoc novum eſt, quod quidam perhibeat ſe loqui cum Angelis, ac viſum habere apertum in Mundum ſpiritualem, æque ſicut apertum habet in Mundum naturalem, & ille nova inde affert plura, inter quæ ſunt hæc; quod homo vivat homo poſt mortem, ſicut vixit prius in Mundo; quod videat, audiat, loquatur ſicut prius in Mundo; quod veſtiatur & ornetur ſicut prius in Mundo; quod eſuriat & ſitiat, edat & bibat, ſicut prius in Mundo; quod delitio conjugiali fruatur ſicut prius in Mundo; quod dormiat & evigilet ſicut prius in Mundo; quod ibi ſint terræ & lacus, montes & colles, planities & valles,

les, fontes & fluvii, paradiſi & luci; tum quod ibi ſint palatia & domus, ac urbes & villæ, ſicut in Mundo naturali; ut & quod ſint ſcripturæ & libri, & quod ſint functiones & negotiationes, tum lapides pretioſi, aurum & argentum; verbo quod ibi ſint omnia & ſingula quæ in terris, & illa in Cælis infinite perfectiora, cum ſola differentia, quod omnia quæ in Mundo ſpirituali ſunt, ex origine ſpirituali ſint, & inde ſpiritualia, quia ſunt ex Sole ibi qui eſt purus Amor; & quod omnia quæ in Mundo naturali ſunt, ex origine naturali ſint, & inde naturalia & materialia, quia ſunt ex Sole ibi qui eſt purus ignis; verbo, quod homo poſt mortem ſit perfecte homo, imo perfectius homo quam prius in Mundo; prius enim in Mundo fuit in corpore materiali, in hoc autem eſt in corpore ſpirituali. His dictis, quæſiverunt Sapientes antiqui, quid de illis cogitant in terra; dixerunt illi tres, nos ſcimus quod vera ſint, quia hic ſumus, ac luſtravimus & exploravimus omnia, quare dicemus quid de illis loquuti & ratiocinati ſunt in terra: & tunc Sacerdos dixit, quod illi qui ex noſtro ordine ſunt, primum dum audiverunt illa, vocaverint viſiones, dein commenta, poſtea quod viderit larvas, & demum hæſerint, & dixerint, crede ſi vis: nos hactenus docuimus, quod homo non futurus ſit in corpore poſt mortem, prius quam die ultimi judicii: & quæſiverunt, annon aliqui Intelligentes inter illos ſint, qui poſſunt demonſtrare & convincere illos de veritate, quod homo vivat homo poſt mortem; dixit Sacerdos, quod ſint qui demonſtrant, ſed non convincunt; illi qui demonſtrant, dicunt, quod contra ſanam rationem ſit credere, quod homo non vivat homo niſi quam die ultimi Judicii, & quod interea ſit Anima abſque corpore; quid Anima, & ubi illa interea, num halitus, aut aliquid venti volitans in aere, vel ens reconditum in medio terræ, ubi eſt Pu ejus: num animæ Adami & Evæ, & omnium poſt illos, nunc per ſex millia annorum ſeu ſexaginta ſæcula adhuc volitent in univerſo, aut teneantur incluſæ in meditullio terræ, & exſpectent ultimum judicium; quid anxius & miſerabilius tali exſpectatione, nonne ſors illorum poteſt comparari ſorti victorum catenis & pedicis in carceribus; annon ſi talis ſors homini poſt mortem foret, ſatius foret naſci aſinus quam homo: numme etiam contra rationem eſt credere, quod anima poſſit reindui ſuo corpore, eſtne corpus exeſum a vermibus, muribus, & piſcibus; ac iſti novo corpori induci ſceleton oſſeum exuſtum ſole, vel dilapſum in pulverem; quomodo cadaverosa & putida illa colligentur, & animabus unientur. Sed ad talia, cum audiunt, non quicquam ex ratione reſpondent, ſed inhærent fidei ſuæ, inquientes, captamus rationem ſub obedientia fidei; ad collectionem omnium ex ſepulchris die ultimi Judicii, dicunt, hoc Omnipotentiæ opus eſt, & cum nominant Omnipotentiam & Fidem, exulat ratio, & poſſum dicere, quod tunc ſana ratio ſit ſicut nihil, & quibuſdam ſicut ſpectrum; imo poſſunt dicere ad ſanam rationem, inſanis. His auditis dixerunt Sapientes Græciæ, nonne illa paradoxa ſicut contradictoria diſſipantur a ſeipſis, & tamen hodie in Mundo non diſſipari poſſunt a ſana ratione; quid paradoxius credi poteſt quam id quod narratur de Ultimo Judicio, quod tunc Univerſum periturum ſit, & quod tunc Stellæ cæli delapſuræ ſint ſuper terram, quæ minor ſtellis eſt; & quod corpora hominum tunc vel cadavera, vel mumia ab hominibus exeſa, vel flocci, coalitura ſint cum ſuis animabus; nos dum fuimus in Mundo, credidimus immortalitatem animarum hominum, ex inductionibus quas ratio nobis ſubminiſtravit, & quoque deſignavimus pro beatis loca, quæ vocavimus Campos Elyſios, & credidimus illas eſſe effigies ſeu ſpecies humanas, ſed tenues quia ſpirituales. Poſtquam hæc dicta ſunt, converterunt ſe ad alterum Advenam, qui in Mundo fuerat Politicus; hic confeſſus eſt, quod non crediderit vitam poſt mortem; & quod cogitaverit de novis quæ audiverat de illa, quod eſſent figmenta & inventa; meditans de illa dixi, quomodo poſſunt animæ corpora eſſe, annon omne hominis jacet mortuum in ſepulchro, eſtne oculus ibi, quo-

modo poteſt videre, eſtne auris ibi quomodo poteſt audire, unde illi os quo loquatur; ſi aliquid hominis viveret poſt mortem, num foret id aliud quam ſimile larvæ, quomodo poteſt larva edere & bibere, & quomodo poteſt delitio conjugiali frui, unde ei veſtes, domus, cibi, & ſic porro; & larvæ, quæ ſunt effigies aereæ, apparent ſicut ſint, & tamen non ſunt: hæc & ſimilia de vita hominum poſt mortem cogitavi in Mundo; at nunc cum vidi omnia, ac tetigi manibus meis omnia, convictus ſum per ipſos ſenſus, quod ſim homo ſicut in Mundo, adeo ut non ſciam aliud, quam quod vivam ſicut vixi, cum differentia, quod ratio nunc mihi ſanior ſit; aliquoties puduit me cogitationum priorum. Similia de ſe narravit PHILOSOPHUS; attamen cum hac differentia, quod retulerit nova illa, quæ audiverat de vita poſt mortem, inter opiniones & hypotheſes, quas ex Antiquis & Hodiernis collegerat. His auditis obſtupuerunt Sophi; & illi qui e Schola Socratica erant, dixerunt, quod ex Novis his e terris percipiant, quod interiora mentium humanarum ſucceſſive occluſa ſint, & quod nunc in Mundo fides falſi luceat ſicut veritas, ac ingenioſitas fatua ſicut ſapientia, & quod lux ſapientiæ a noſtris temporibus ſe demiſerit ab interioribus Cerebri in os ſub naſum, ubi illa coram oculis apparet ſicut ſplendor labri, ac loquela oris inde ſicut ſapientia. His auditis quidam ex tyronibus ibi dixit, & quam ſtupidæ mentes terricolarum hodie; utinam adeſſent diſcipuli Heracliti & Democriti, qui rident ad omnia, & qui flent ad omnia, & audiremus magnum riſum & magnum fletum. Poſtquam peractus eſt hic conventus, dederunt tribus Novitiis e terra ſuæ ditionis inſignia, quæ erant lamellæ cupreæ, ſuper quibus aliqua Hieroglyphica exarata ſunt, cum quibus abiverunt.

694. TERTIUM MEMORABILE. Poſt aliquod tempus ſpectavi ad urbem Athenæum, de qua in priori Memorabili aliquid dictum eſt, & audivi inde clamorem inſolitum, erat in illo aliquid riſus, in hoc aliquid indignationis, & in hac aliquid mæſtitiæ; at uſque clamor ille non inde erat diſſonus, ſed conſonus, quia unum non erat ſimul cum altero, ſed unum intra alterum; in Mundo ſpirituali percipitur in ſono diſtincte varietas & commixtura affectionum. Quæſivi e longinquo, quid rei; & dixerunt, venit nuntius e loco, ubi advenæ e Chriſtiano Orbe primum apparent, dicens, quod a Tribus ibi audiverit, quod in Mundo, unde venerunt, cum reliquis ibi crediderint, quod beatis & felicibus poſt mortem futura ſit omnimoda requies a laboribus; & quia adminiſtrationes, officia & operæ ſunt labores, quod requies ab illis futura ſit: & quia tres illi ab Emiſſario noſtro nunc adducti ſunt, & ſtant ante portam & exſpectant, factus eſt Clamor, & ex conſulto ſtatuerunt, quod non in Palladium in Parnaſſio, ut priores, ſed in magnum Auditorium ibi introducerentur, ut aperiant Nova ſua e Chriſtiano Orbe; & ablegati ſunt aliqui, qui ſolenniter illos introducerent. Quia eram in ſpiritu, & ſpiritibus diſtantiæ ſunt ſecundum ſtatus affectionum illorum; & quia tunc mihi affectio videndi & audiendi illos erat, viſus mihi ſum præſens ibi, & vidi introductos, & audivi loquentes. Sederunt in Auditorio Seniores ſeu Sapientiores ad latera, ac reliqui in medio; & ante hos erat elevatum ſolum; huc tres Advenæ cum nuntio in ſolenni comitatu a minorennibus per medium Auditorii deducti ſunt; & poſt ſilentium factum, ſalutati ſunt a quodam Majorenni ibi, & quæſiti, QUID NOVI E TERRA; & dixerunt, ſunt multa Nova, ſed dic quæſo de qua re, & reſpondit Majorennis, QUID NOVI E TERRA DE NOSTRO MUNDO ET DE CÆLO; & reſponderunt, quod cum recentes in hunc Mundum venimus, audiverimus, quod ibi & in Cælo ſint Adminiſtrationes, Miniſteria, Functiones, Negotiationes, Studia omnium diſciplinarum, & mirabiles Operæ; & tamen credidimus quod poſt migrationem ſeu tranſlationem e Mundo naturali in hunc Spiritualem, in æternam requiem a laboribus venturi ſimus; & quid functiones niſi labores: ad hæc Majorennis dixit, num per æternam requiem a laboribus intellexiſtis æternum otium, in quo continue ſederetis & cubaretis, attrahentes delitias pectore,

re, & ſorbentes gaudia ore; ad hæc tres Advenæ blande ridentes dixerunt, quod aliquid tale autumaverint; & tunc reſponſum eſt illis, quid gaudia, & delitiæ, & inde felicitas, commune habent cum otio; ex otio collabitur mens & non expanditur, ſeu mortificatur homo & non vivificatur; pone aliquem ſedentem in pleno otio, remiſſis manibus, dejectis aut ſubductis oculis, & pone ut ille ſimul circumfundatur aura lætitiæ, numne Veternus occuparet & caput & corpus ejus, ac vitalis expanſio faciei concideret, & tandem ille relaxatis fibris nutaret & nutaret, uſque dum caderet in terram; quid in expanſione & tenſione tenet totius corporis ſyſtema, quam intenſio animi; & unde intenſio animi, niſi ex adminiſtraturis & operis, dum fiunt ex jucundo; quare dicam vobis Novum e Cælo, quod ibi ſint adminiſtrationes, miniſteria, judicia majora & minora, tum artificia & operæ. Tres advenæ, cum audiverunt, quod in Cælo eſſent Judicia majora & minora, dicebant, cur illa, annon omnes in Cælo inſpirantur & ducuntur a Deo, & inde ſciunt quid juſtum & rectum; quid tunc opus judicibus; & reſpondit Vir majorennis, in hoc Mundo inſtruimur & diſcimus quid bonum & verum, tum quid juſtum & æquum, ſimiliter ut in Mundo naturali, & hæc diſcimus non immediate a Deo, ſed mediate per alios; & omnis Angelus, ſicut omnis homo, cogitat verum, & facit bonum ſicut a ſe, & hoc ſecundum ſtatum Angeli eſt mixtum, & non purum; & quoque inter Angelos dantur ſimplices & ſapientes, & ſapientes judicabunt, dum ſimplices ex ſimplicitate & ex ignorantia ambigunt de juſto, aut abeunt ab illo. Sed vos, quia recentes adhuc in hoc Mundo eſtis, ſi ſit beneplaciti veſtri, ſequimini me in Urbem noſtram, & monſtrabimus omnia; & exiverunt Auditorio, & aliqui ex Senioribus etiam illos comitati ſunt; & primum in Bibliothecam magnam, quæ ſecundum ſcientias diſtincta erat in Libraria minora: tres illi Advenæ, viſis tot libris, obſtupefacti ſunt, & dixerunt, ſunt etiam in hoc Mundo Libri, unde membranæ & chartæ, unde calami & atramentum; ad hæc dixerunt Seniores, percipimus quod credideritis in Mundo priori, quod hic Mundus vacuus ſit, quia ſpiritualis; & quod hoc credideritis, eſt quia ideam de ſpirituali foviſtis abſtractam a materiali; & abſtractum a materiali apparuit vobis ſicut nihilum, ita ſicut vacuum; cum tamen hic eſt plenitudo omnium; ſunt hic omnia SUBSTANTIALIA & non materialia, & materialia ſuam originem ducunt ex ſubſtantialibus; nos qui hic ſumus, homines ſpirituales ſumus quia ſubſtantiales, & non materiales; inde eſt, quod hic dentur omnia quæ in Mundo naturali in ſua pefectione, etiam libri & ſcripturæ, & multo plura; tres Advenæ cum audiverunt nominari SUBSTANTIALIA, cogitaverunt quod ita ſit, tam quia viderunt Libros ſcriptos, quam quia audiverunt dictum, quod materiæ originitus ſint ex ſubſtantiis. Ut adhuc de his confirmarentur, delati ſunt ad Domicilia ſcribarum, qui exſcribebant exemplaria a ſapientibus urbis conſcripta, & inſpiciebant ſcripturas, & mirati ſunt, quod tam nitidæ & politæ eſſent. Poſt hæc deducti ſunt ad Muſæa, Gymnaſia & Collegia, & ubi erant Ludi illorum literarii, quorum aliquos vocabant Heliconidum, aliquos ludos Parnaſſidum, aliquos ludos Atheneidum, & aliquos ludos Virginum fontis; dicebant quod hi ita appellentur, quia Virgines ſignificant affectiones ſcientiarum, & ſecundum affectionem ſcientiarum eſt cuivis intelligentia; Ludi ita vocati, erant exercitationes & palæſtriæ ſpirituales. Poſtea circumducti ſunt in urbe ad Moderatores, Adminiſtratores, & horum Officiarios, & per hos ad mirabiles Operas, quæ ab artificibus ſpirituali modo fiunt. Poſtquam hæc viſa ſunt, iterum cum illis loquutus eſt Vir majorennis de Requie æterna a laboribus, in quam veniunt beati & felices poſt mortem; & dixit, Requies æterna non eſt otium, quoniam ex otio eſt mentis & inde totius corporis, languor, torpor, ſtupor & ſopor, & hæc ſunt mors & non vita, & minus vita æterna, in qua ſunt Angeli Cæli; quare Requies æterna eſt requies quæ diſcutit illa, & facit ut homo vivat; & hoc non aliud eſt, quam tale quod

elevat mentem; est itaque aliquod studium & opus, ex quo excitatur, vivificatur, & delitiatur mens; & hoc fit secundum usum, ex quo, in quo, & ad quem operatur; inde est, quod Universum Cælum spectetur a Domino ut continens usus, & quisque Angelus est Angelus secundum usum; jucundum usus fert illum sicut secunda vena navem, & facit ut in æterna pace, & pacis requie sit; ita intelligitur Æterna requies a laboribus. Quod Angelus sit vivus secundum studium mentis ex usu, patet manifeste ex eo, quod cuivis sit Amor conjugialis cum ejus virtute, potentia & delitiis, secundum studium genuini usus in quo est. Postquam tres illi Advenæ confirmati sunt, quod Æterna requies non sit otium, sed jucundum alicujus operis quod usui est; venerunt aliquæ Virgines cum acupictis & netis, operibus manuum suarum, & donaverunt illis; & Virgines, cum abibant novitii illi spiritus, cecinerunt oden, qua affectionem operum usus cum æmænis ejus, melo angelico exprimebant.

695. Quartum Memorabile. Plerique hodie qui credunt vitam post mortem, etiam credunt, quod in Cælo Cogitationes illorum non aliæ futuræ sint quam Devotiones, Loquelæ quam Orationes, ac hæ & illæ una cum vultibus facierum & actibus corporis quam Glorificationes Dei, & sic Domus illorum quam totidem Domus cultus seu Ædes sacræ, & sic quod omnes futuri sint Sacerdotes Dei. Sed possum asseverare quod ibi Sancta Ecclesiæ non plus occupent Mentes & Domos quam in Mundo, ubi Deus cultu celebratur, tametsi purius & interius, sed quod ibi varia quæ sunt Prudentiæ civilis, & varia quæ sunt Eruditionis rationalis, in sua excellentia sint. Quodam die evectus sum in Cælum, & perductus in unam Societatem, ubi erant Sophi, qui in Sæculis antiquis excelluerunt eruditione ex lucubratione & meditatione in talibus, quæ rationis & simul usus fuerunt, & jam in Cælo, quia crediderunt in Deum, & nunc in Dominum, & amaverunt proximum ut seipsos; & deinde introductus sum in Conventum eorum, & ibi interrogatus, unde sum, & aperui, quod Corpore in Mundo naturali sim, at Spiritu in Mundo vestro Spirituali; his auditis lætificati sunt Angeli illi, & scisitabant, quid in Mundo, ubi es corpore, sciunt & intelligunt de Influxu, & tunc postquam recollegi quid de illo ex sermonibus & ex scriptis famigeratorum hauseram, respondi, quod non sciant adhuc aliquem Influxum e Mundo spirituali in Mundum naturalem, sed de Influxu Naturæ in naturata, ut de Influxu Caloris & Lucis e Sole in Corpora animata, ut & in Arbores & frutices, unde horum & illorum vivificatio, & vicissim frigoris in eadem, unde illorum mortificatio; & præterea de Influxu lucis in Oculos unde visus, de Influxu soni in aures unde auditus, deque Influxu odoris in nares unde olfactus, & sic porro. Præter hæc Eruditi hujus sæculi ratiocinantur diversimode de Influxu Animæ in Corpus & hujus in Animam, & de hoc in tres partes abeunt, scilicet num Influxus sit Animæ in Corpus, quem vocant Occasionalem, ex occasione incidentium in sensus corporis; vel num sit Influxus corporis in Animam, quem Physicum appellant, quia objecta incidunt in Sensus, & ab his in Animam; vel num sit Influxus simultaneus & instantaneus in Corpus & simul in Animam, quem Harmoniam præstabilitam nuncupant; attamen quisque de suo Influxu cogitat dari intra Naturam; quidam credunt Animam esse Ætheris particulam aut stillam, quidam illam esse Caloris & Lucis glomulum aut micam, quidam esse aliquod ens se recondens in Cerebro; sed hoc & illud, quod illis est Anima, quidem vocant spirituale, sed per spirituale intelligunt purius naturale, non enim sciunt quicquam de Mundo spirituali, & de hujus Influxu in Mundum naturalem, quare manent intra sphæram Naturæ; & in illa ascendunt & descendunt, & in illam se extollunt sicut aquilæ in aerem; & illi qui morantur in Natura, sunt sicut indigenæ alicujus Insulæ in mari, qui non sciunt aliquam Terram dari extra illos, & quod sint sicut pisces in fluvio, qui non sciunt dari aerem supra aquas illorum; quam ob rem ad mentionem, quod detur

Mun-

Mundus distinctus ab illorum, ubi habitant Angeli & Spiritus, & quod inde fit omnis Influxus in homines, & quoque interior in arbores, stant mirabundi sicut audirent visionaria de spectris, aut nugas ex Astrologis. Præter Philosophos nostrates in Orbe, ubi sum corpore, non de alio Influxu cogitant & loquuntur, quam de Influxu vini in cyathos, de Influxu cibi & potus in ventrem, & gustus in linguam, & quoque forsean de Influxu aeris in pulmonem, & sic porro; at hi si aliquid audiunt de Influxu Mundi spiritualis in Naturalem, dicunt, influat si influit, quid juvat & cui usui est hoc scire, ac abeunt, & postea dum loquuntur de auditis de Influxu illo, ludunt cum illo, sicut quidam ludunt cum cochlacis inter digitos.

Postea loquutus sum cum Angelis illis de Mirabilibus, quæ ex Influxu Mundi Spiritualis in Naturalem existunt; ut de Vermibus dum fiunt papiliones, tum de apibus & fucis, & mirabilia de bombycibus, & quoque de Araneis, & quod incolæ telluris addicant illa luci & calori Solis, & sic Naturæ; & quod sæpius miratus sum, per illa confirmant se pro Natura, & per confirmationes pro Natura somnum & lethum inducunt mentibus, & fiunt Athei. Post hæc narravi mirabilia de Vegetabilibus, quod omnia illa a semine usque ad nova semina in justo ordine succedant, prorsus sicut terra sciret commodare & accommodare sua elementa prolifico seminis, & ex hoc educere germen, & hoc dilatare in caudicem, & ex hoc emittere ramos, & hos investire foliis, & postea insignire floribus, & ab interioribus horum initiare & producere fructus, & per hos, ut renascatur, semina ut proles: sed hæc quia per continuum aspectum, & perennem recursum solita, sueta & communia facta sunt, non ut mirabilia aspectant, sed ut meros effectus naturæ; & hoc opinantur unice ex causa, quia ignorant quod Mundus aliquis spiritualis sit, & quod hic ab interiori operetur & actuet omnia & singula, quæ in Mundo naturæ, & super Tellure ejus, existunt & formantur, & operatur sicut Mens humana in Corporis Sensus & Motus, & quod singula naturæ sint sicut tunicæ, vaginæ & indusia, quæ incingunt spiritualia, & proxime producunt effectus fini Dei Creatoris correspondentes.

696. Quintum Memorabile. Quondam precatus sum ad Dominum, ut daretur loqui cum Discipulis Aristotelis, & simul cum Discipulis Cartesii, & cum Discipulis Leibnitzii, propter finem, ut opiniones mentis eorum de Commercio Animæ & Corporis haurirem: post præcationem aderant novem Viri, tres Aristotelici, tres Cartesiani, & tres Leibnitziani, & steterunt circum me, a latere sinistro adoratores Aristotelis, ad dextrum sectatores Cartesii, & a tergo fautores Leibnitzii: e longinquo ad distantiam, & per intervalla inter se, visi sunt sicut tres laureati, & ex perceptione, quæ e Cælo influxit, cognovi quod essent ipsi Antesignani seu Archididascali; post Leibnitzium stabat unus manu tenens alam vestis ejus, & dicebatur quod esset Wollfius. Novem illi Viri, cum intuerentur se mutuo, faceta voce se primum salutabant & affabantur. Sed mox tunc ex Inferis exsurgebat Spiritus cum facula in manu dextra, & vibrabat illam ante facies illorum, inde facti sunt inimici tres contra tres, & torvo vultu se aspiciebant; invasit enim libido altercandi & litigandi; & tunc exorsi sunt Aristotelici, qui quoque erant Scholastici, dicentes, quis non videt quod objecta per Sensus influant in animam, sicut quis per fores intrat in conclave, & quod Anima cogitet secundum Influxum; nonne dum Amator videt pulchram Virginem aut Sponsam, oculus ejus scintillat, & fert amorem ejus ad animam; nonne Avarus cum videt crumenas in quibus nummi, ad illas ardet omni Sensu, & inde hoc infert in animam, & excitat cupidinem possidendi illas; nonne cum aliquis Superbus audit laudes de se ab altero, arrigit aures, & hæ perferunt illas ad animam; suntne Sensus corporis sicut atria, per quæ ad Animam unice fit ingressus; quis ex his & innumeris similibus aliter potest concludere, quam quod Influxus e natura seu physicus

ſit. Ad hæc dicta Sectatores Carteſii tenentes digitos ſub fronte, & nunc retrahentes illos reſpondebant, dicendo, heu, loquimini ex apparentiis; nonne ſcitis, quod non oculus amet Virginem aut Sponſam ſed Anima; pariter quod nec Senſus corporis cupiat nummos in crumena ex ſe, ſed ex Anima; pariter quod nec aures arripiant laudes aſſentantium aliter; nonne perceptio eſt quæ facit ſentire, & perceptio eſt animæ, & non organi; dicite, ſi poteſtis, quid aliud facit linguam & labia loqui quam cogitatio, & quid aliud facit manus operari quam voluntas, ac cogitatio & voluntas ſunt Animæ; ita quid facit oculum videre, & aures audire, ac reliqua organa ſentire, attendere & advertere ad objecta, quam Anima; ex his & ex innumeris ſimilibus aliis, unuſquiſque, qui ſupra ſenſualia corporis ſapit, concludit, quod non ſit Influxus corporis in animam, ſed animæ in corpus, quem nos vocamus Influxum occaſionalem, & quoque ſpiritualem. His auditis, tres Viri, qui poſt triades priores ſteterunt, qui erant fautores Leibnitzii, extulerunt vocem, dicentes, audivimus argumenta ab utraque parte, & contulimus illa, & percepimus, quod in multis prævaleant hæc illis, & in multis his illa, quare, ſi licet, componemus lites; & ad interrogationem quomodo, dixerunt; Non eſt aliquis Influxus Animæ in Corpus, nec Corporis in Animam, ſed eſt unanima & inſtantinea operatio utriuſque ſimul, quam celebris Auctor pulchro nomine inſignivit, vocando Harmoniam præſtabilitam. His peractis, rurſus apparuit Spiritus cum facula in manu, ſed nunc ſiniſtra, & vibravit illam ad occipitia illorum, inde confuſæ factæ ſunt ideæ omnium, & conclamabant, non ſcit anima noſtra nec corpus, in quam partem tranſeamus, quare dirimamus has lites per Sortem, & Sorti, quæ primum exit, favebimus; & ſumſerunt tres ſchedulas, & uni illarum inſcripſerunt Influxus Physicus, alteri Influxus spiritualis, & tertiæ Harmonia Præstabilita, & miſerunt tres illas in cavum pilei, & elegerunt unum qui expromeret, & hic immiſſa manu apprehendit illam, ſuper qua ſcriptum fuit, Influxus Spiritualis: qua viſa & lecta, dixerunt omnes, quidam tamen claro & fluente ſono, quidam obſcuro & intracto, faveamus huic, quia primum exivit. At ſubito tunc adſtitit Angelus, & dixit, ne credatis, quod Chartula pro Influxu Spirituali exiverit fortuito, ſed ex proviſo: vos enim, quia in confuſis ideis eſtis, non videtis veritatem ejus, ſed ipſa veritas obtulit ſe illam manui ut ei faveatis.

697. Sextum Memorabile. Quondam non procul a me vidi Meteoron; vidi Nubem diviſam in nubeculas, quarum aliquæ cæruleæ, & aliquæ opacæ; & vidi illas inter ſe quaſi collidentes; radii ſtriatim transmicabant illas, qui nunc viſi ſunt acuti ſicut mucrones, nunc obtuſi ſicut enſes fracti; ſtriæ illæ nunc excurrebant obviam, nunc retrahebant ſe in ſe, plane ſicut pugiles; ita diverſicolores illæ nubeculæ apparebant quaſi inter ſe dimicarent, ſed ludebant. Et quia hoc Moteoron non procul a me viſum eſt, ſuſtuli oculos, ac intendi aciem, & vidi pueros, juvenes & ſenes intrantes in Domum, quæ erat exſtructa ex marmore, & ſubſtructa ex porphyrite; ſuper hac Domo erat illud phænomenón; & tunc unum ex intrantibus alloquutus quæſivi, quid ibi; & reſpondit, eſt Gymnaſium, ubi juvenes initiantur in varia quæ ſapientiæ ſunt: hoc audito, intravi cum illis, eram in ſpiritu, hoc eſt, in ſimili ſtatu in quo ſunt homines Mundi Spiritualis, qui vocantur Spiritus & Angeli; & ecce in Gymnaſio illo anterius viſa eſt Cathedra, in medio ſcamna, ad latera circum circa ſedilia, & ſupra introitum Orcheſtra; Cathedra erat pro juvenibus qui ad Problema illa vice proponendum reſponderent, ſcamna pro auditoribus, ſedilia ad latera pro illis qui prius ſapienter reſponderunt, & Orcheſtra pro Senioribus, qui eſſent arbitri & judices; in medio Orcheſtræ erat Suggeſtum, ubi ſedit vir ſapiens, quem vocabant Archididaſcalum, qui propoſuit problemata, ad quæ juvenes e Cathedra reſponderent; & poſtquam congregati ſunt, ſurrexit Vir ex ſuggeſto, & dixit, reſpondete nunc quæſo

ad

ad hoc Problema, & ſolvite illud ſi poteſtis, QUID ANIMA, ET QUALIS ILLA. His auditis obſtupeſcebant omnes, & murmurabant, & aliqui e Cætu ſuper ſcamnis, exclamabant, quis hominum uſque a Saturnino ævo ad hoc noſtrum ulla rationis cogitatione videre & aſſequi potuit, quid Anima, & adhuc minus qualis illa; eſtne hoc ſupra omnium intellectus ſphæram; ſed ad hæc retulerunt ex Orcheſtra, hoc non eſt ſupra Intellectum, ſed in illo & coram illo, reſpondete modo; & ſurrexerunt Juvenes illo die electi, qui aſcenderent Cathedram, & ad Problema reſponderent; erant quinque, qui a Senioribus explorati ac inventi ſagacitate pollentes, & tunc ad latera cathedræ ſuper toris ſedentes; & hi poſtea in ordine, in quo ſedebant, aſcenderunt; & quiſque cum aſcenderet induebat tunicam ex ſerico opalini coloris, & ſuper illa togam ex molli lana, cui flores erant intexti, & inſuper pileum, ſuper cujus vertice erat roſarium incinctum parvis ſaphiris. Et vidi Primum ita indutum aſcendentem, qui dixit „Quid anima & qualis illa, a die Creationis non revelatum eſt ulli, eſt arcanum in theſauris ſolius Dei; ſed hoc detectum eſt, quod Anima in homine ſicut Regina reſideat; verum ubinam ejus aula eſt, eruditi Vates divinarunt; quidam quod ſit in parvo tuberculo inter Cerebrum & Cerebellum, quod vocatur Glandula pinealis; in hac ſinxerunt ſedem Animæ, ex cauſa, quia totus homo regitur ex binis illis Cerebris, & illud tuberculum diſponit illa; quare quod diſponit cerebra ad nutum, hoc etiam diſponit totum hominem a capite ad calcem: & dixit, hoc inde ſicut verum aut veroſimile apparuit multis in Mundo, ſed poſt ſæculum hoc ut figmentum eſt rejectum. Poſtquam hæc dixerat, exuit togam, tunicam & pileum, quæ Secundus ex electis aſſumſit, ac intravit cathedram; hujus enuntiatum de Anima erat; quod in univerſo Cælo & in univerſo Mundo neſciatur quid Anima & qualis illa; hoc ſcitur quod ſit, & quod in homine ſit, ſed ubi, divinatur; hoc certum eſt quod ſit in Capite, quoniam Intellectus ibi cogitat, & Voluntas ibi intendit, & antrorſum in Capitis facie ſunt quinque hominis Senſoria; his & illis non aliud dat vitam quam Anima quæ intus in Capite reſidet; at ubinam ejus Curia eſt ibi, non auſim effari, ſed conſenſi cum illis, qui ei aſſignarunt ſedem in tribus Ventriculis Cerebri, nunc cum illis qui in Corporibus ſtriatis ibi, nunc cum illis qui in Subſtantia medullari utriuſque Cerebri, nunc cum illis qui in Subſtantia corticali, nunc cum illis qui in Dura matre; non enim defuerunt calculi ſicut albi ex confirmationibus pro unaquavis ſede. Caculi pro tribus Ventriculis in Cerebro, fuerunt, quod illi ſint receptacula ſpirituum animalium & lympharum omnium Cerebri: calculi pro corporibus ſtriatis fuerunt, quod hæc faciant Medullam per quam exeunt nervi, & per quam utrumque Cerebrum continuatur in Spinam, & ex hac & ex illa emanant fibræ ex quibus totum Corpus contextum eſt: calculi pro Subſtantia medullari utriuſque Cerebri fuerunt, quod illa ſit collectio & congeries omnium fibrarum, quæ ſunt initiamenta totius hominis: calculi pro ſubſtantia corticali fuerunt, quod ibi ſint fines primi & ultimi, & inde principia omnium fibrarum, & ſic ſenſuum & motuum: calculi pro dura Matre fuerunt, quod illa ſit tegumentum commune utriuſque Cerebri, & inde per quoddam continuum extendat ſe ſuper cor & ſuper viſcera corporis. Quod me attinet, non arbitror plus de uno quam de altero, vos, quæſo, arbitramini & eligite quid potius. His dictis e Cathedra deſcendit, & tradidit Tertio tunicam, togam, & pileum, qui ſcandens Cathedram loquutus eſt hæc; Quid mihi Juveni cum tam ſublimi theoremate; provoco ad Eruditos ſedentes hic ad latera, provoco ad Sapientes vos in Orcheſtra, imo provoco ad ſupremi Cæli Angelos, num quiſquam ex ſua rationali luce poteſt aliquam de Anima ideam ſibi ſumere; at de Sede ejus in homine poſſum ego ſicut alii vaticinari; & vaticinor quod ſit in Corde & inde in Sanguine; & hoc meum vaticinium eſt, quia Cor ſanguine ſuo regit & Corpus & Caput; emittit enim magnum vas Aorta vocatum in Univerſum Corpus, ac emittit vaſa Carotides vocata in univerſum Caput; inde univerſalis conſenſus eſt,

quod Anima ex Corde per ſanguinem ſuſtentet, nutriat, vivificet univerſum ſyſtema organicum & Corporis & Capitis: ad fidem hujus aſſertionis accedit, quod in Scriptura Sacra toties dicatur Anima & Cor, ut quod amaturus ſis Deum ex tota Anima & ex toto Corde; & quod Deus creet in homine novam Animam & novum Cor, Deutr. V: 5. Cap. X: 11. Cap. XI: 14. Cap. XXVI. 16. Jerem. XXXII: 41. Matth. XXII: 3. Marc. XII: 30, 33. Luc. X: 27. & alibi, ac aperte quod Sanguis ſit Anima carnis, Levit. XVII: 11, 14. His auditis aliqui extulerunt vocem, dicentes, docte, docte, erant ex Canonicis. Poſt hæc Quartus hujus veſtibus indutus, & ingreſſus Cathedram, dixit; ſuſpicor etiam ego, quod non aliquis tam ſubtili & limato ingenio ſit, ut diſpicere poſſit, quid Anima, & qualis illa; quare arbitror, quod apud illum, qui vult rimari illam, ſubtilitas ſupervacuis teratur; ſed uſque a pueritia permanſi in fide ſententiæ, in qua fuerunt Antiqui, quod Anima hominis ſit in ejus toto, & in hujus omni parte, & ſic quod tam in Capite & in ſingulis ejus, quam in Corpore & in ſingulis ejus, & quod vanum a Neutericis inventum fuerit, deſignare ei ſedem alicubi, & non ubivis; eſt quoque Anima ſubſtantia ſpiritualis, de qua non prædicatur extenſio nec locus, ſed habitatio & impletio: quis etiam non intelligit vitam, dum nominat animam, eſtne vita in toto & in qualibet parte; his dictis favebant multi in Auditorio. Poſt hunc ſurrexit Quintus, ac iiſdem inſignibus ornatus, e Cathedra edidit hoc: Non moror dicere, ubi eſt Anima, num in aliqua parte, vel num ubivis in toto; ſed ex meo promo & condo aperiam mentem de hoc, quid Anima & qualis illa; Anima non cogitatur ab aliquo, niſi ſicut purum quid, quod aſſimilari poteſt ætheri aut aeri aut vento, in quo vitale eſt ex rationalitate, quæ homini eſt præ beſtiis: opinionem hanc fundavi ſuper hoc, quod homo dum exſpirat, dicatur efflare ſeu emittere Animam ſeu ſpiritum; inde etiam Anima poſt mortem vivens creditur eſſe talis halitus, in quo eſt vita cogitativa, quæ vocatur Anima; quid aliud poteſt anima eſſe. Sed quia audivi ex Orcheſtra dicentes, quod problema de Anima, quid illa & qualis illa eſt, non ſit ſupra intellectum, ſed in illo & coram illo, rogo & precor, ut æternum hoc Arcanum vos ipſi aperiatis: & Seniores in Orcheſtra inſpexerunt Archidiaſcalum, qui illud problema propoſuerat, qui ex nutibus intellexit, quod vellent ut deſcenderet & doceret; & actutum ille ex Suggeſtu deſcendit, pertranſivit Auditorium, & ingreſſus eſt Cathedram, & ibi exporrigens manum dixit; auſculate quæſo, quis non credit Animam eſſe intimam & ſubtiliſſimam Eſſentiam hominis, at quid Eſſentia abſque Forma aliud quam ens rationis, quare Anima eſt Forma, ſed qualis forma dicetur; eſt forma omnium amoris & omnium ſapientiæ; omnia amoris vocantur affectiones, & omnia ſapientiæ vocantur perceptiones; hæ ex illis & ſic cum illis faciunt unam formam, in qua innumerabilia in tali ordine, ſerie & cohærentia ſunt, ut vocari poſſint unum; & vocari poſſunt unum, quia non poteſt inde aliquid auferri, nec ad illud aliquid addi, ut ſit talis; quid Anima humana niſi talis forma; ſuntne omnia Amoris & omnia Sapientiæ eſſentialia illius formæ, & hæc apud hominem ſunt in Anima & ex Anima in Capite & corpore: vos vocamini Spiritus & Angeli, & credidiſtis in Mundo, quod Spiritus & Angeli ſint ſicut venti aut ætheres, & ſic Mentes & Animi; & nunc clare videtis, quod vere, realiter & actualiter ſitis homines, qui in Mundo vixiſtis & cogitaviſtis in materiali corpore, & ſciviſtis quod Corpus materiale non vivat & cogitet, ſed Subſtantia ſpiritualis in illo corpore, & hanc vocaviſtis Animam, cujus formam neſciviſtis, & tamen nunc vidiſtis & videtis illam; vos omnes eſtis Animæ, de quarum immortalitate tam multa audiviſtis, cogitaviſtis, dixiſtis & ſcripſiſtis; & quia eſtis Formæ amoris & ſapientiæ a Deo, non poteſtis mori in æternum: Anima itaque eſt forma humana, de qua ne hilum poteſt auferri, & ad quam ne hilum poteſt addi, ac eſt intima forma omnium formarum univerſi corporis; & quia formæ quæ extra ſunt ab intima accipiunt

piunt & eſſentiam & formam, ideo eſtis, ſicut apparetis coram vobis & nobis, Animæ; verbo Anima eſt ipſe homo, quia eſt intimus homo, quare ejus forma eſt plene & perfecte forma humana; verum non eſt vita, ſed eſt proximum receptaculum vitæ a Deo, & ſic habitaculum Dei. His dictis adplaudebant multi, ſed aliqui dicebant, expendemus. Ego tunc abivi domum; & ecce ſuper Gymnaſio illo, loco prioris Meteori apparuit Nubes candida abſque ſtriis ſeu radiis inter ſe dimicantibus; quæ Nubes penetrans tectum intravit, ac illuſtravit parietes; & audivi, quod viderint Scripturas, ac inter alias etiam hanc „*Jehovah Deus inſpiravit in nares hominis* ANIMAM VITARUM, *& factus eſt Homo in* ANIMAM VIVENTEM, Gen. II: 7.

CAPUT DECIMUM TERTIMUM

DE

SANCTA CÆNA.

Quod abſque notitia de Correſpondentiis naturalium cum ſpiritualibus nemo ſcire poſſit uſus fructus Sanctæ Cænæ.

698. Hæc quoad partem explicata ſunt in Capite de BAPTISMO, ubi oſtenſum eſt, Quod abſque cognitione de Senſu ſpirituali Verbi, non poſſit ſciri, quid duo Sacramenta, Baptiſmus & Sancta Cæna, involvunt & efficiunt, quæ videantur: n: 667 ad 669. Hic dicitur, quod abſque notitia de Correſpondentiis naturalium cum ſpiritualibus, quod idem eſt, quia Senſus naturalis Verbi vertitur in ſpiritualem per Correſpondentias in Cælo; inde eſt, quod duo illi Senſus ſibi mutuo correſpondeant, quare qui novit Correſpondentias, noſſe poteſt Senſum ſpiritualem. Quid vero & quales Correſpondentiæ ſunt, videri poteſt in Capite de SCRIPTURA SACRA a principio ad finem, & quoque in EXPLICATIONE DECALOGI a primo Præcepto ad ultimum, & ſingulariter in APOCALYPSI REVELATA.

699. Quis vere Chriſtianus non agnoſcit, quod duo illa Sacramenta ſint ſancta, imo quod ſint ſanctiſſima cultus in Chriſtianiſmo, ſed quis novit ubi illorum ſanctitas reſidet, aut unde illa eſt: in Inſtitutione Sanctæ Cænæ ex ſenſu naturali, non plus ſcitur, quam quod Chriſti Caro ad manducandum, & Ipſius Sanguis ad bibendum dentur, & quod pro illis ſint Panis & Vinum; quis inde aliter poteſt cogitare, quam quod Sancta ſit ſolum propter mandatum e Domino, quare ſagaciſſimi ab Eccleſia tradiderunt, quod dum accedit Verbum ad Elementum fiat Sacramentum: ſed quia hæc origo ſanctitatis ejus non cadit in intellectum, nec apparet in elementis ſeu ſymbolis ejus, ſed modo in memoriam, quapropter quidam ex fiducia, quod peccata per illam remittantur, obeunt illam, quidam quia credunt quod ſanctificet, quidam quia fidem corroborat, & ſic etiam promovet ſalutem; illi autem qui leve de illa cogitant, ex ſola conſuetudine a pueritia frequentant illam, & quidam quia nihil rationis de illa vident, omittunt illam; impii vero avertunt ſe ab illa, & ſecum dicunt, quid illa, niſi quædam Ceremonia, pro qua Sanctitas impreſſa eſt a Clero, nam quid ibi niſi Panis & Vinum, & quid niſi quam figmentum, quod Corpus Chriſti, quod pependit ſuper cruce, & quod Sanguis Ipſius qui tunc effuſus eſt, una cum Pane & Vino Communicantibus diſtribuantur; præter alia.

700. Tales ideæ de Sanctiſſimo hoc Sacramento in toto Chriſtianiſmo hodie foventur, unice, quia coincidunt cum ſenſu literæ Verbi, & ſenſus ſpiritualis hactenus latuit, & non prius quam hodie detectus eſt, in quo ſolo uſus fructus Sanctæ Cænæ conſpicitur in ſua veritate. Quod hic Senſus nunc primum detectus ſit, eſt cauſa, quia non prius fuit Chriſtianiſmus niſi nomine tenus, & apud quoſdam aliqua umbra ejus; non enim hactenus immediate Ipſum Salvatorem, ut unicum Deum, in Quo Divina Trinitas eſt, adiverunt & coluerunt, ſed ſolum mediate, quod non eſt adire & colere, ſed modo venerari, ut cauſam propter quam homini

eſt

eſt ſalus, quæ non eſt cauſa eſſentialis ſed media, quæ eſt infra & extra illam. At vero quia nunc primum ipſe Chriſtianiſmus exoritur, Nova Eccleſia, quæ per Novam Hieroſolymam in Apocalypſi intelligitur, a Domino nunc inſtauratur, in qua Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus ut unum, quia in una Perſona, agnoſcuntur, placuit Domino revelare Senſum ſpiritualem Verbi, ut hæc Eccleſia in ipſum uſum fructum Sacramentorum, Baptiſmi & Sanctæ Cænæ, veniat, quod fit, cum vident oculis ſpiritus ſui, hoc eſt, intellectu, Sanctitatem, quæ inibi latet, & hanc ſibi applicant per media, quæ Dominus in Verbo ſuo docuit.

701. Sanctitas Sacramenti, de quo hic agitur, abſque Senſu ſpirituali Verbi aperto, ſeu quod idem, abſque Correſpondentiis naturalium cum ſpiritualibus revelatis, non plus interius agnoſci poteſt, quam theſaurus reconditus in agro, qui non plus æſtimatur quam ager vulgaris, at cum detegitur quod in agro illo ſit theſaurus, æſtimatur ager ille magno pretio, & emtor tunc opulentiam ſibi inde appropriat; & plus adhuc, quando cognoſcitur, quod in illo ſit theſaurus omni auro pretioſior. Abſque Senſu ſpirituali eſt illud Sacramentum, ſicut Domus occluſa, plena cimeliis & gazophyiaciis, quæ præteritur ſicut domus alia in platea; at quia a Clero quoad parietes ædificata eſt ex marmore, & quoad tectum obducta eſt laminis auri, attrahitur viſus prætereuntiam ad ſpectandum, laudandum & æſtimandum; aliter, cum Domus illa aperta eſt, & cuivis datur copia intrandi, & cuſtos ſuppeditat aliquibus mutuum inde, aliquibus donum inde, ſingulis ſecundum dignitatem; dicitur donum inde, quia pretioſa ibi ſunt inexhauſta, & ſupplentur continue; ita eſt cum Verbo quoad ſpiritualia ejus, & cum Sacramentis quoad cæleſtia illorum. Sacramentum, de quo hic agitur, abſque revelata ſanctitate ejus, quæ intus latet, apparet ſicut arena fluvii, in qua granula auri inconſpicua in multa copia ſunt, at cum revelata eſt, eſt ſicut aurum inde collectum, & fuſum in maſſam, & hæc fabricata in pulchras formas. Sacramentum hoc abſque Sanctitate ejus detecta & viſa, eſt ſicut arca & theca ex fago aut populo, in qua adamantes, rubini, & plures alii lapides pretioſi in loculis ordine diſpoſiti jacent, quis non arcam & thecam illam æſtimat, qui novit quod talia intus lateant, & plus cum videt illa, & quoque cum diſtribuuntur gratis. Sacramentum illud abſque revelatis correſpondentiis ejus cum Cælo, & ſic non viſis cæleſtibus, quibus correſpondet, eſt ſicut Angelus viſus in Mundo in veſte vulgari, qui modo ſecundum veſtem honoratur; aliter prorſus cum noſcitur, quod ſit Angelus & auditur angelicum ex ore ejus, ac videntur mirabilia ex factis ejus. Qualis eſt Sanctitas ſolum prædicata, & qualis eſt Sanctitas viſa, illuſtrare licet per exemplum hoc viſum & auditum in Mundo ſpirituali: lecta fuit Epiſtola a Paulo ſcripta tempore quo peregrinatus eſt in Mundo, ſed non evulgata, præter quod ullus ſciret, quod a Paulo; hæc primum ab auditoribus vilipenſa eſt, at cum detectum eſt, quod una ex Epiſtolis Paulinis eſſet, recepta eſt cum gaudio, ac omnia & ſingula ibi adorata ſunt. Ex quibus patuit, quod ſola prædicatio ſanctitatis de Verbo & de Sacramentis, dum fit a Primatibus e Clero, quidem imprimat ſanctitatem, ſed aliter, quando ipſa ſanctitas detegitur, & coram oculis ſiſtitur videnda, quod fit per revelationem Senſus ſpiritualis; ex hoc Sanctitas externa fit interna, ac prædicatio ejus fit agnitio ejus. Simile eſt cum ſanctitate Sacramenti Cænæ.

Quod ex notis Correſpondentiis ſciatur, quid per Carnem & Sanguinem Domini intelligitur, & quod ſimile per Panem & Vinum, videlicet, quod per Carnem Domini & per Panem intelligatur Divinum Bonum Amoris Ipſius & quoque omne Bonum charitatis, & quod per Sanguinem Domini & per Vinum, Divinum Verum Sapientiæ Ipſius, & quoque omne verum Fidei, & per Manducationem appropriatio.

702. Quoniam hodie Senſus ſpiritualis Verbi detectus eſt, & ſimul cum illo Correſpondentiæ, quia hæ mediant; ideo ſolum adducentur loca e Verbo, ex quibus clare videri poteſt, quid per Carnem & Sanguinem, & per Panem & Vinum, in Sancta Cæna intelligitur; ſed illis præmittetur ipſa Inſtitutio Sacramenti iſtius a Domino; & quoque Doctrina Ipſius de ſua Carne & ſuo Sanguine, deque Pane & Vino.

703. Institutio Sanctæ Cænæ a Domino. Jeſus fecit Paſcha cum Diſcipulis, & cum veſpera facta diſcubuit cum illis; & Jeſus edentibus illis, accipiens Panem, & benedicens, fregit & dedit Diſcipulis, & dixit, accipite, comedite, hic eſt Corpus meum. Et accipiens Poculum, & gratias agens dedit illis, dicens, bibite ex eo omnes, hoc eſt Sanguis meus, ille Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur. Matth. XXVI: 26. 27. 28. Marc. XIV: 22. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20.

Doctrina Domini de sua Carne et suo Sanguine, deque Pane et Vino. Operamini cibum, non qui perit, ſed cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit. Amen, amen, dico vobis, non Moſes dedit vobis panem e Cælo, ſed Pater meus dat vobis panem e Cælo verum: Panis namque Dei eſt, Qui deſcendit de Cælo, & vitam dat Mundo. Ego ſum Panis vitæ, qui venit ad Me, non eſuriet, & qui credit in Me, non ſitiet unquam. Ego ſum Panis, qui deſcendit de Cælo. Amen, amen dico vobis, qui credit in Me, habet vitam æternam: Ego ſum Panis vitæ. Patres veſtri comederunt Manna in deſerto, & mortui ſunt: Hic eſt Panis, qui e Cælo deſcendit, ut quis ex eo comedit vivat & non moriatur. Ego ſum Panis vivens, qui e Cælo deſcendit; ſi quis comederit ex hoc Pane, vivet in ſæculum; Panis, quem Ego dabo, Caro mea eſt, quam Ego dabo pro Mundi vita. Amen, amen dico vobis, niſi comederitis Carnem Filii hominis, & biberitis Ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & Ego reſuſcitabo illum in extrema die: nam Caro mea eſt vere Cibus, & Sanguis meus eſt vere Potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet, & Ego in illo. Joh. VI: 27. 32. 33. 35. 41. 47. 48. 48. 49. 50. 51. 53. 54. 55. 56.

704. Quod per Carnem ibi non intelligatur caro, nec per Sanguinem ſanguis, quiſque e Cælo illuſtratus in ſe percipere poteſt: ſed quod per utrumque in Sensu naturali intelligatur Paſſio crucis, cujus recordarentur; quare dixit, cum hanc Ultimi Paſchatis Judaici, & Primi Paſchatis Chriſtiani Cænam inſtituit, *hoc facite in Mei recordationem*, Luc. XXII: 19. 1 Corinth. XI: 24. 25. Similiter, quod per Panem non intelligatur panis, nec per Vinum vinum, ſed in Naturali Sensu ſimile quod per Carnem & Sanguinem, videlicet Paſſio crucis Ipſius, nam legitur, *Jeſus Panem fregit, at dedit diſcipulis, & dixit, hoc eſt Corpus meum; & accipiens Poculum, & dedit illis, dicens, hoc eſt Sanguis meus*, Matth. XXVI. Marc. XIV: Luc.

Luc. XX: quare etiam Paſſionem crucis vocavit Poculum, Matth. XIV. 36. Joh. XVIII: 11.

705. Quod per quatuor illa, Carnem, Sanguinem, Panem & Vinum, intelligantur Spiritualia & Cæleſtia, quæ illis correſpondent, conſtare poteſt ex locis in Verbo, ubi nominantur. Quod per CARNEM in Verbo intelligatur Spirituale & cæleſte, conſtare poteſt ex his locis ibi „*Venite & congregamini ad* CÆNAM MAGNI DEI, *ut comedatis Carnes regum, & Carnes chiliarchorum, & Carnes fortium, & Carnes equorum, & ſedentium ſuper illis, & Carnes omnium liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum*, Apoc. XIX: 17. 18. Et apud Ezechielem „*Congregate vos a circuitu ſuper* SACRIFICIUM MEUM, *quod ſacrifico vobis*, SACRIFICIUM MAGNUM *ſuper montibus Iſraelis, ut comedatis Carnem, & bibatis Sanguinem: Carnem fortium comedetis, & Sanguinem principum terræ bibetis; & comedetis adipem ad ſatietatem, & bibetis Sanguinem uſque ad ebrietatem de Sacrificio meo; & ſatiabimini ſuper menſa mea, equo & curru, forti & omni viro belli. Sic dabo gloriam meam inter gentes.* Cap. XXXIX: 17 ad 21. Quis non videt, quod in illis locis per Carnem non intelligatur Caro, nec per Sanguinem Sanguis, ſed ſpiritualia & cæleſtia, quæ correſpondent; quid alioquin, niſi vanæ & mirabiles expreſſiones forent, quod comederent carnes regum, chiliariorum, fortium, equorum, & ſedentium ſuper illis, & quod ſatiarentur ſuper menſa, equo, curru, forti & omni viro belli; & quod biberent ſanguinem principum terræ, & ſanguinem uſque ad ebrietatem. Quod hæc dicta ſint de Sancta Cæna Domini, clare patet, nam nominatur Cæna Magni Dei, & quoque Sacrificium magnum. Quoniam omnia ſpiritualia & cæleſtia unice ſe referunt ad bonum & verum, ſequitur quod per Carnem intelligatur Bonum charitatis, & per Sanguinem verum fidei, & in ſupremo ſenſu Dominus quoad Divinum Bonum amoris & quoad Divinum Verum ſapientiæ. Bonum ſpirituale per Carnem etiam intelligitur per hæc apud Ezechielem „*Dabo illis Cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio veſtri, & removebo Cor lapidis, & dabo illis Cor carnis*, Ezech. XI: 19. Cap. XXXVI: 26; per Cor in Verbo ſignificatur amor, inde per Cor carnis, amor boni. Præterea, quod per Carnem & Sanguinem, intelligatur bonum & verum, utrumque ſpirituale, amplius conſtat ex ſignificatione Panis & Vini in nunc ſequentibus, quoniam Dominus dicit, quod Caro Ipſius ſit Panis, & quod Sanguis Ipſius ſit Vinum, quod e Poculo bibebatur.

706. Quod per Sanguinem Domini intelligatur Divinum Verum Ipſius & Verbi, eſt quia per Carnem Ipſius ſpiritualiter intelligitur Divinum Bonum amoris; & hæc duo in Domino unita ſunt. Notum eſt, quod Dominus ſit Verbum, ac duo ſunt, ad quæ omnia Verbi ſe referunt, Divinum Bonum & Divinum Verum, quare ſi Verbum pro Domino aſſumitur, patet, quod illa duo per Carnem & Sanguinem Ipſius intelligantur. Quod per Sanguinem intelligatur Divinum Verum Domini ſeu Verbi, conſtat ex pluribus locis, ut quod Sanguis dictus fuerit Sanguis fœderis, & fœdus eſt conjunctio, & hæc fit a Domino per Divinum Verum Ipſius, ut apud Sachariam, *Per* SANGUINEM FŒDERIS *tui emittam vinctos e fovea*, IX: 11. & apud Moſen „*Moſes poſtquam legerat Librum legis in auribus populi, ſparſit dimidium Sanguinis ſuper populum, & dixit*, ECCE SANGUIS FŒDERIS, *quod pepigit Jehovah cum vobis ſuper omnia verba hæc*, Exod. XXIV: 3 ad 11. *Et Jeſus accipiens poculum, & dedit illis, dicens, hoc eſt Sanguis meus, ille Novi Fœderis*, Matth. XXVI: 27. 28. Marc. XIV: 24. Luc. XXII: 20: per Sanguinem Novi Fœderis ſeu Teſtamenti, non aliud ſignificatur, quam Verbum, quod vocatur Fœdus & Teſtamentum, Vetus & Novum, ita Divinum Verum ibi: Quoniam per Sanguinem id ſignificatur, ideo Dominus dedit illis Vinum, dicens, hoc eſt Sanguis meus, & Vinum ſignificat Divinum Verum; quare id etiam vocatur *Sanguis uvarum*, Geneſ. XLIX: 11. Deutr. XXXII: 14. Hoc patet adhuc ex Domini verbis „*Amen, amen dico vobis, niſi comederitis Carnem Filii hominis, & biberitis Ipſius Sanguinem, non habebitis*

bitis vitam in vobis, nam Caro mea eſt vere Cibus, & Sanguis meus eſt vere Potus: qui comedit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, ille in Me manet, & Ego in illo, Joh. VI: 50 ad 58: quod per Sanguinem hic intelligatur Divinum Verum Verbi, patet manifeſte, quia dicitur, quod ille qui bibit habeat Vitam in ſe, ac maneat in Domino & Dominus in illo; quod hoc faciat Divinum Verum, & Vita ſecundum illud, & quod Sancta Cæna confirmet illud, notum poteſt eſſe in Eccleſia. Quoniam Sanguis ſignificabat Divinum Verum Domini, quod etiam eſt Divinum Verum Verbi, & hoc eſt ipſum Fœdus & Teſtamentum Vetus & Novum, ideo fuit Sanguis Sanctiſſimum Repræſentativum Eccleſiæ apud Filios Iſraelis, in qua omnia & ſingula fuerunt Correſpondentiæ naturalium cum ſpiritualibus ,, *Ut quod ſumerent de Sanguine Paſchali, & darent ſuper poſtes & ſuperliminaria Domuum, ne veniret ſuper illos plaga*; Exod. XII: 7. 13. 22. *Quod Sanguis holocauſti ſpargeretur ſuper Altare, ad fundamenta ejus, & ſuper Aharonem, Filios ejus, & Veſtes eorum*, Exod. XXIX: 12. 16. 20. 21. Levit. I: 5. 11. 15. Cap. III: 2. 8. 13. Cap. IV: 25. 30. 34. Cap. VIII: 15. 24. Cap. XVII: 6. Cap. VIII: 8. Deutr. XII: 27. Tum *ſuper Velum quod ſuper Arca, ſuper Propitiatorium ibi, & ſuper cornua Altaris ſuffitus*, Lev. IV: 6. 7. 17. 18. Cap. XVI: 12. 13. 14. 15. Per Sanguinem Agni ſimile ſignificatur in Apocalyſi, *Hi laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt illas in Sanguine Agni*, Cap. VII: 14. & per hæc ibi, ,, *Factum eſt bellum in Cælo, Michael & Angeli ejus pugnarunt contra Draconem, & vicerunt illum per Sanguinem Agni, & per Verbum teſtimonii ſui*, Cap. XII: 7. 11. Non enim cogitari poteſt, quod Michael & Angeli ejus per aliud vicerint Draconem, quam per Divinum Verum Domini in Verbo; nam Angeli in Cælo non cogitare poſſunt de aliquo Sanguine, nec cogitant de Paſſione Domini, ſed de Divino Vero, & de Reſurrectione Ipſius; quare cum homo cogitat de Sanguine Domini, Angeli percipiunt Divinum Verum Verbi Ipſius, & cum de Paſſione Domini, percipiunt glorificationem Ipſius, & tunc ſolum Reſurrectionem; quod ita ſit, datum eſt per multam experientiam noſſe. Quod Sanguis ſignificet Divinum Verum, patet etiam ex his apud Davidem, *Deus animas egenorum ſervabit, pretioſus erit Sanguis illorum in oculis Ipſius, & vivent, & dabit illis ex auro Schebæ*, Pſalm LXXII: 13. 14. 15. 16; Sanguis pretioſus in oculis Dei pro Divino Vero apud illos; Aurum Schebæ eſt ſapientia inde; & apud Ezechielem ,, *Congregate vos ad Sacrificium magnum ſuper montibus Iſraelis, ut comedatis Carnem & bibatis Sanguinem, Sanguinem principum terræ bibetis, & bibetis Sanguinem uſque ad ebrietatem; ſic dabo gloriam meam inter gentes*, XXXIX: 17 ad 21. agitur ibi de Eccleſia quam Dominus apud Gentes inſtauraturus eſt; quod per Sanguinem hic non poſſit intelligi Sanguis, ſed Verum ex Verbo apud illos, videatur inox ſupra.

707. Quod per PANEM ſimile intelligatur quod per Carnem, conſtat clare ex Domini verbis ,, *Jeſus accipiens* PANEM, *fregit & dedit, dicens, hic eſt Corpus meum*, Matth. XXVI: Marc. XIV: Luc. XXII. tum, PANIS, *quem Ego dabo, Caro mea eſt, quam Ego dabo pro Mundi vita*, Joh. VI: 51. & quoque dicit, *quod Ipſe ſit* PANIS VITÆ, *qui manducat ex hoc* PANE, VIVET IN ÆTERNUM, Joh. VI: 48. 51. 58. Hic Panis etiam eſt, qui intelligitur per Sacrificia, quæ vocantur Panis in ſequentibus locis; *Illa adolebit Sacerdos ſuper Altari*, PANIS IGNITI JEHOVÆ, Levit. III: 11. 16. *Filii Aharonis ſancti erunt Deo ſuo, neque prophanabunt Nomen Dei ſui, quia* IGNITA JEHOVÆ, PANEM DEI SUI illi offerentes. *Sanctificabis illum, quia* PANEM DEI TUI *ille offerens. Vir de Semine Aharonis, in quo fuerit macula, non accedet ad offerendum* PANEM DEI SUI, Levit. XXI: 6. 8. 17. 21. *Præcipe filiis Iſraelis, & dicas ad eos, Oblationem meam*, PANEM MEUM, IN IGNITA ODORIS QUIETIS, *obſervabitis, ut offeratis Mihi in ſtato tempore*, Num. XXVIII: 2. *Qui tetigerit immundum, non comedet de ſanctificatis, ſed lavabit carnem ſuam in aqua, & poſtea comedet de ſanctificatis*, QUIA PANIS EJUS HOC, Levit. XXII: 6. 7, comedere

ex

ex ſanctificatis erat Carnem ex ſacrificiis, quæ hic quoque vocatur Panis; præter apud Malachiam, Cap. I: 7. Per MINCHAS in ſacrificiis, quæ erant ex ſimila tritici, ita Panis, nec aliud ſignificabatur, Levit. II: 1 ad 11. Cap. VI: 6 ad 14. Cap. VII: 9 ad 13, & alibi. Nec aliud per PANES ſuper Menſa in Tabernaculo, qui vocabantur Panes facierum ac propoſitionis, de quibus Exod. XXV: 30. Cap. XL: 23. Levit. XXIV: 5 ad 10. Quod non panis naturalis per Panem intelligatur, ſed Panis cæleſtis, patet ex his „ *Non per Panem ſolum vivit homo, ſed per omne quod exit ex ore Jehovæ vivit homo*, Deutr. XVIII: 2. 3. *Imittam famem in terram, non famem ad panem, neque ſitim ad aquos, ſed ad audiendum verba Jehovæ*, Amos VIII: 11. Præterea per Panem intelligitur omnis Cibus, Levit. XXIV: 5 ad 9. Exod. XXV: 30. Cap. XL: 23. Num. IV: 7. 1 Reg. VII: 48. Quod etiam Cibus ſpiritualis, patet ab his Domini verbis „ *Operamini Cibum, non qui perit, ſed Cibum, qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit*, Joh. VI: 27.

708. Quod per VINUM ſimile intelligatur quod per Sanguinem, patet clare a Domini Verbis „ *Jeſus ſumens* POCULUM *dicens, hoc eſt Sanguis meus*, Matth. XXVI: Marc. XIV. Luc. XXII. tum ex his „ *Lavat in* VINO *veſtimentum ſuum, & in* SANGUINE UVARUM *velamen ſuum*, Geneſ. XLIX: 11, hæc de Domino. *Faciet Jehovah Zebaoth omnibus populis convivium pinguedinum, convivium fecum ſeu* VINI SUAVIS, Cap. XXV: 6; hæc de Sacramento Sanctæ Cænæ a Domino inſtituendæ. Apud Eundem „ *Omnis ſitiens ite ad aquas, & cui non argentum, ite, emite, & comedite, & emite ſine argento* VINUM, Cap. LV: 1. Per GENIMEN VITIS, quod novum bibituri ſunt in Regno Cæleſti, Matth. XXVI: 29. Marc. XIV: 22. Luc. XXII: 17. 18, non aliud intelligitur quam Novæ Eccleſiæ & Cæli Verum; quare etiam Eccleſia multis locis in Verbo vocatur VINEA, ut Eſaj. V: 1. 2. 4. Matth. XX: 1 ad 13. & Dominus ſe VOCAT VITEM VERAM, & homines qui inſeruntur illi, PALMITES, Joh. XV: 1. 5. præter plura alibi.

709. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per Domini Carnem & Sanguinem, perque Panem & Vinum, in triplici Senſu, Naturali, Spirituali & Cæleſti intelligitur. Omnis homo imbutus religione in Chriſtianiſmo, poteſt ſcire, & ſi non ſcit, poteſt diſcere, quod detur Nutritio naturalis & Nutritio ſpiritualis, & quod Nutritio naturalis ſit pro Corpore, at Nutrito ſpiritualis pro Anima, nam dicit Jehovah Dominus apud Moſen „ *Non per panem ſolum vivit homo, ſed per omne quod exit ex ore Jehovæ vivit homo*, Deutr. XVIII: 2. 3. Nunc quia Corpus moritur, & Anima poſt mortem vivit, ſequitur, quod Nutritio ſpiritualis ſit pro ſalute æterna: quis deinde non videt, quod binæ illæ Nutritiones minime confundendæ ſint, & quod ſi quis confundit illas, non poſſit aliter de Domini Carne & Sanguine, deque Pane & Vino, quam ideas naturales & ſenſuales, quæ ſunt materiales, corporeæ & carnales, ſibi aſſumere, quæ ideas ſpirituales de Sanctiſſimo hoc Sacramento ſuffocant. Si autem quis ita ſimplex eſt, ut non cogitare poſſit aliud ex intellectu, quam videt oculo, ſuadeo ut de Sancta Cæna, dum ſumit Panem & Vinum, ac audit tunc nominari Carnem & Sanguinem Domini, cogitet ſecum, quod ſit Sanctiſſimum Cultus, ac recordetur Paſſionis Chriſti, & Ipſius Amoris pro ſalute hominis, nam dicit, *Hoc facite in Mei recordationem*, Luc. XXII: 19. tum, *Filius hominis venit ut det Animam redemtionem pro multis*, Matth. XX: 28. Marc. X: 4. *Ego Animam meam pono pro ovibus*, Joh. X: 15. 17. Cap. XV: 13.

710. Hoc quoque illuſtrari poteſt per Comparationes: Quis non recordatur ejus & amat illum, qui ex zelo amoris pro Patria pugnat cum noſte uſque ad mortem, ut per id liberat illam a jugo ſervitutis. Et quis non recordatur ejus & amat illum, qui dum videt concives in extrema egeſtate, ac mortem illorum ex ingraveſcente fame ante oculos, & tunc ex miſeratione omne ſuum Argentum & Aurum e domo ſua educit, & gratis diſtribuit: & quis non recordatur ejus & amat il-

illum, qui ex amore & amicitia ſumit unicum agnum quem poſſidet, & hunc mactat & apponit convivis: & ſic porro.

Quod ex his intellectis comprehendi poſſit, quod Sancta Cæna univerſaliter & ſingulariter contineat omnia Eccleſiæ & omnia Cæli.

711. In Articulo præcedente oſtenſum eſt, quod in Sancta Cæna ſit Ipſe Dominus, & quod Caro & Panis ſint Ipſe quoad Divinum Bonum Amoris, & quod Sanguis & Vinum ſint Ipſe quoad Divinum Verum Sapientiæ, quare Tria ſunt quæ Sancta Cæna involvit, nempe Dominum, Divinum Ipſius Bonum & Divinum Ipſius Verum. Cum itaque Sancta Cæna hæc Tria includit & continet; ſequitur quod etiam includat & contineat Univerſalia Cæli & Eccleſiæ: & quia omnia ſingularia ab Univerſalibus dependent, ſicut contenta a ſuis continentibus, ſequitur etiam, quod Sancta Cæna includat & contineat omnia ſingularia Cæli & Eccleſiæ. Ex his primum conſtat, quod quia per Domini Carnem & Sanguinem, & ſimiliter per Panem & Vinum, intelligitur Divinum Bonum & Divinum Verum, utrumque a Domino & Dominus, Sancta Cæna contineat univerſaliter & ſingulariter omnia Cæli & Eccleſiæ.

712. Notum etiam eſt, quod Eſſentalia Eccleſiæ ſint Tria, nempe Deus, Charitas & Fides, & quod omnia ibi ſe referant ad Tria illa, ut ad ſua Univerſalia: hæc eadem ſunt cum ſupra dictis, nam Deus in Santa Cæna eſt Dominus, Charitas eſt Divinum Bonum, & Fides eſt Divinum Verum; quid Charitas aliud quam bonum quod homo facit a Domino, & quid Fides niſi verum quod homo credit a Domino. Inde eſt, quod Tria ſint in homine quoad Internum ejus, nempe Anima ſeu Mens, Voluntas & Intellectus, hæc Tria ſunt Receptacula trium illorum univerſalium, ipſa Anima ſeu Mens eſt Receptaculum Domini, inde enim vivit, Voluntas eſt receptaculum amoris ſeu boni, ac Intellectus eſt receptaculum ſapientiæ ſeu veri, quare omnia & ſingula in Anima ſeu Mente, non modo ſe referunt ad tria illa univerſalia Cæli & Eccleſiæ, ſed etiam procedunt ex illis; dic quicquam quod procedit ex homine, in quo non Mens, Voluntas & Intellectus ſunt, ſi auferretur unum ex illis, num homo plus eſſet, quam quoddam inanime. Similiter ſunt tria in homine quoad externum ejus, ad quæ etiam omnia & ſingula ſe referunt & a quibus dependent, videlicet Corpus, Cor, & Pulmo: hæc tria Corporis etiam correſpondent tribus Mentis, Cor Voluntati, & Pulmo ſeu Reſpiratio Intellectui: quod talis Correſpondentia ſit, in anteactis plene oſtenſum eſt. Ita nunc omnia & ſingula in homine tam univerſaliter quam ſingulariter formata ſunt ut receptacula trium illorum univerſalium Cæli & Eccleſiæ. Cauſa eſt, quia homo creatus eſt imago & ſimilitudo Dei, proinde ut ſit in Domino & Dominus in illo.

713. E contra ſunt tria Univerſalibus illis oppoſita, quæ ſunt Diabolus, Malum & Falſum; Diabolus per quem intelligitur Infernum, eſt in oppoſito contra Dominum, Malum eſt in oppoſito contra Bonum, & Falſum contra Verum, hæc tria unum faciunt, nam ubi diabolus eſt, ibi etiam malum & inde falſum eſt. Hæc tria etiam univerſaliter & ſingulariter continent omnia Inferni, & quoque omnia Mundi, quæ contra Cælum & Eccleſiam ſunt. Sed quia oppoſita ſunt, ideo prorſus ſeparata ſunt, ſed uſque continentur in nexu per mirabilem ſubjectionem totius inferni ſub Cælo, mali ſub bono, & falſi ſub vero, de qua ſubjectione in Opere de Cælo et Inferno actum eſt.

714. Ut Singularia contineantur in ſuo ordine & nexu, neceſſum eſt, ut ſint Uni-

Universalia a quibus existunt, & in quibus subsistunt; & quoque necessum est, ut Singularia in quadam imagine referant sua Universalia, alioquin periret totum cum partibus; hæc Relatio facit, ut omnia universi conservata sint in sua integritate a primo Creationis die huc usque & ulterius; quod omnia in Universo se referant ad bonum & verum, notum est; causa est quia omnia a Deo ex Divino Bono amoris per Divinum Verum Sapientiæ creata sunt. Sume quodcunque libet sive animal, sive fruticem, sive lapidem, sunt illa tria universalissima in quadam relatione illis inscripta.

715. Quoniam Divinum Bonum & Divinum Verum sunt universalissima omnium Cæli & Ecclesiæ, ideo etiam Malkizedeck, qui repræsentavit Dominum, eduxit ad Abramum Panem & Vinum, & benedixit illi; de Malkizedeck ita legitur „ *Malkizedeck Rex Schalemi eduxit ad Abramum Panem & Vinum, & hic Sacerdos Deo Altissimo, & benedixit illi*, Genes. XIV: 18. 19. Quod Malkizedeck repræsentaverit Dominum, constat ex his apud Davidem, *Tu Sacerdos in æternum juxta modum Malkizedeki*, Psalm CX: 4. quod hæc de Domino, videatur Hebr. 5. 6. 8. 10. Cap. VI: 20. Cap. VII: 1. 10. 11. 15. 17. 21. Quod eduxerit Panem & Vinum fuit causa, quia illa duo omnia Cæli & Ecclesiæ, ita omnia Benedictionis includunt, similiter ut Panis & Vinum in Sancta Cæna.

Quod in Sancta Cæna sit totus Dominus, & tota Ipsius Redemptio.

716. Quod in Sancta Cæna sit totus Dominus tam quoad Humanum glorificatum, quam quoad Divinum ex Quo Humanum, evidens est ex ipsissimis Ipsius verbis. Quod Humanum Ipsius in Sancta Cæna præsens sit, ex his „ *Jesus accipiens Panem, ac fregit & dedit discipulis, & dixit, Hic est Corpus meum: & accipiens Poculum dedit illis, dicens, Hoc est Sanguis meus*, Matth. XXVI: Marc. XIV: Luc. XXII. Tum apud Johannem „ *Ego sum Panis vitæ, si quis comederit ex hoc Pane, vivet in æternum; Panis quem Ego dabo, Caro mea est; amen, amen dico vobis, qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet, & Ego in illo, & vivit in æternum*, Joh. VI: ex his evidenter constat, quod Dominus quoad Humanum suum glorificatum, in Sancta Cæna sit. Quod etiam totus Dominus quoad Divinum suum, a Quo Humanum, præsens in Sancta Cæna sit, evidens est ex his, Quod Ipse sit Panis, qui e Cælo descendit, Joh. VI: e Cælo descendit cum Divino, nam dicitur, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per Ipsum facta sunt; & Verbum Caro factum est*, Joh. I: 1. 3. 14. & porro ex his, quod *Pater & Ipse unum sint*, Joh. X: 30. *Quod omnia Patris sint Ipsius*, Joh. III: 35. Cap. XVI: 15. Quod *Ipse in Patre & Pater in Ipso sit*, Joh. XIV: 10. 11. &c. & porro, quod Divinum Ipsius non plus separari possit ab Humano Ipsius, quam Anima a Corpore; quare cum dicitur, quod totus Dominus quoad Humanum Ipsius in Sancta Cæna sit, sequitur quod Divinum Ipsius a Quo, simul etiam ibi sit. Nunc quoniam Caro Ipsius significat Divinum Bonum amoris Ipsius, & Sanguis Divinum Verum sapientiæ Ipsius, patet quod totus Dominus tam quoad Divinum, quam quoad Humanum glorificatum, Omnipræsens in Sancta Cæna sit; consequenter quod sit Manducatio spiritualis.

717. Quod in Sancta Cæna tota Domini Redemptio sit, consequitur ex nunc dictis, nam ubi totus Dominus est, ibi quoque tota Ipsius Redemptio est; Ipse enim quoad Humanum est Redemptor, proinde etiam ipsa Redemptio; non potest quicquam Redemptionis abesse, ubi Ille totus est; quapropter omnes illi, qui digne Sanctam Communionem obeunt, fiunt Redempti Ipsius: & quia per Redemp-

tionem intelliguntur Liberatio ab Inferno, Conjunctio cum Ipso, & Salvatio, de quibus infra in hoc Capite, & plenius in Capite de Redemptione, ideo illi fructus addicantur homini; non vero quantum Dominus vult, quia ex Divino suo Amore vult addicare omnia, sed quantum homo recipit, & qui recipit, ille est redemptus in eo gradu, quo recipit. Ex quibus constat, quod effectus & fructus Redemptionis Domini ad illos, qui digne accedunt, redeant

718. Apud unumquemque hominem sanum, est facultas recipiendi sapientiam a Domino, hoc est, multiplicandi Vera, a quibus sit illa, in æternum; & quoque recipiendi amorem, hoc est, fructificandi bona, ex quibus est ille, similiter in æternum: perpetua hæc fructificatio boni & inde amoris, & perpetua illa multiplicatio veri & inde sapientiæ, datur apud Angelos, & quoque datur apud homines, qui fiunt Angeli: & quia Dominus est ipse Amor & ipsa Sapientia, consequitur quod homini sit facultas conjungendi se Domino, & Dominum sibi in perpetuum; sed usque quia homo finitus est, non potest ei conjungi Ipsum Divinum Ejus, sed solum adjungi; sicut, pro illustratione, non potest Lux solis conjungi Oculo, nec Sonus aeris conjungi Auri, sed modo eis adjungi, & sic dare facultatem videndi & audiendi; homo enim non est Vita in se, sicut Dominus etiam quoad Humanum, Joh. V: 26., sed est receptaculum vitæ, & ipsa Vita est, quæ homini adjungitur, sed non conjungitur. Hæc addita sunt, propter finem, ut intelligatur qua ratione totus Dominus & tota Ipsius Redemptio in Sancta Cæna adest.

Quod Dominus præsens sit, & aperiat Cælum illis, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt, & quod etiam præsens sit apud illos qui indigne, sed quod his non aperiat Cælum: consequenter quod sicut Baptismus est introductio in Ecclesiam, ita Sancta Cœna sit introductio in Cælum.

719. Quinam sunt, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt, agitur in duobus subsequentibus Articulis, & simul tunc de illis qui indigne; nam ex uno quod affirmatur, cognoscitur alterum ex oppositione. Quod Dominus tam apud dignos, quam apud indignos præsens sit, est quia est Omnipræsens, tam in Cælo quam in Inferno, & quoque in Mundo, proinde apud malos æque ac apud bonos; sed apud bonos, hoc est, regeneratos, est universaliter & singulariter præsens, est enim Dominus in illis & illi in Domino, & ubi Dominus ibi Cælum; Cælum etiam facit Corpus Domini, quare in Corpore Ipsius esse, est simul in Cælo. Sed præsentia Domini apud illos qui indigne accedunt, est præsentia Ipsius universalis, non autem singularis, seu quod idem, est præsentia externa, non simul interna; & præsentia Ipsius universalis seu externa facit, ut homo vivat homo, & gaudeat facultate sciendi, intelligendi, & ex intellectu rationaliter loquendi, est enim homo natus ad Cælum, & ideo etiam spiritualis, non autem, sicut bestia, solum naturalis; gaudet etiam facultate volendi & faciendi illa, quæ intellectus potest scire, intelligere, & inde rationaliter loqui; sed si Voluntas renuit ad Intellectus vere rationalia, quæ etiam intrinsecus spiritualia sunt, tunc homo fit Externus, quare apud illos, qui solum intelligunt quid verum & bonum, est præsentia Domini universalis seu externa; at apud illos qui etiam volunt & faciunt verum & bonum, est præsentia Domini & universalis & singularis, seu & interna & externa. Illi qui solum intelligunt & loquuntur vera & bona, comparative sunt Virgines stultæ, quæ habebant lampades sed non oleum; at qui non modo intelligunt & loquuntur vera & bona, sed etiam volunt & faciunt illa, sunt Virgines prudentes, quæ intromissæ sunt in nuptias, at priores foris steterunt & pulsarunt, sed non intromis-

missæ, Matth. XXV: 1 ad 12. Ex his constat, quod Dominus præsens sit, & aperiat Cælum illis, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt, & quod etiam præsens sit apud illos, qui indigne, sed quod apud hos non aperiat Cælum.

620. Sed usque non credendum est, quod Dominus illis qui indigne accedunt, claudat Cælum, hoc non facit ulli homini usque ad extremum vitæ ejus in Mundo, sed quod homo sibi ipsi illud claudat; quod facit per rejectionem fidei & per malum vitæ; sed usque homo jugiter tenetur in statu possibili pœnitentiæ & conversionis; nam Dominus perpetuo adest & urget ut recipiatur, dicit enim, *consisto ad januam & pulso, si quis audiverit vocem meam, & aperuerit, ingrediar, &* CÆNABO CUM ILLO ET ILLE MECUM, Apoc. III: 20: quare in culpa est ipse homo, qui non aperit januam. Aliter fit post mortem, tunc Cælum clausum est & non apertibile illis, qui usque ad finem vitæ indigne ad Sanctam Mensam accesserunt, nam tunc interiora mentis illorum fixata & constabilita sunt.

721. Quod Baptismus sit introductio in Ecclesiam, in Capite de Baptismo ostensum est; quod autem Sancta Cæna sit introductio in Cælum, ex supradictis & perceptis constat. Duo illa Sacramenta, Baptismus & Sancta Cæna, sunt sicut duæ Portæ ad vitam æternam, omnis homo Christianus per Baptismum, qui est Prima porta, intromittitur & introducitur in illa, quæ Ecclesia ex Verbo de Vita altera docet, quæ omnia sunt media, per quæ homo præparari & duci potest ad Cælum. Altera porta est Sancta Cæna, per illam intromittitur & introducitur omnis homo, qui præparari & duci se passus est a Domino, in Cælum: universales Portæ plures non dantur. Hæc duo comparari possunt cum Principe nato ad regnum, quod primum introducatur in cognitiones quæ gubernationis sunt, alterum est Coronatio ejus & regimen. Comparari etiam possunt cum Filio nato ad magnam hæreditatem, qui primum discet & imbuet talia, quæ ad justam dispositionem possessionum & opum pertinent, alterum est possessio & administratio. Comparari etiam possunt cum ædificatione domus, & cum ejus habitatione: & quoque cum instructione hominis ab infantia, usque ad ætatem dum fit sui juris & judicii, & cum ejus rationali & spirituali vita postea; una Periodus necessario præcedet, ut altera obtineatur, nam hæc absque illa non dabilis est. Per hæc illustratum est, quod Baptismus & Sancta Cæna sint sicut duæ Portæ, per quas homo ad vitam æternam introducitur, & quod post primum Portam sit campus, quem percurret, & quod altera sit meta, ubi adorea ad quam cursum direxit; non enim datur palma, nisi quam post velitationem, nec præmium nisi quam post decertationem.

Quod illi ad Sanctam Cænam digne accedant, qui in fide in Dominum & in charitate erga proximum sunt, ita qui regenerati sunt.

722. Quod Deus, Charitas & Fides, sint tria universalia Ecclesiæ, quia sunt universalia media salutis, scitur, agnoscitur & percipitur a quovis Christiano, qui studet Verbo. Quod *Deus agnoscendus sit*, ut alicui sit Religio, & in illo aliquid Ecclesiæ, ipsa Ratio in qua aliquid spirituale est, dictat; quare qui ad Sanctum Cænam accedit, & Deum non agnoscit, illam prophanat, oculo enim videt Panem & Vinum, & lingua gustat illa, at mens cogitat, quid hoc nisi adiaphoron, & quid differunt a similibus super mea mensa, quod tamen facio, ne a Sacerdotio, & inde a vulgo infamiæ, quod atheus sim, inculper. Quod post agnitionem Dei, Charitas sit alterum medium, quod facit ut quis digne accedat, constat tam ex Verbo, quam ex orationibus prælectis ante accessionem in toto Christiano Orbe; ex VERBO, *Quod primarium mandatum & præceptum sit, ut Deum super*

ſuper omnia ament, & proximum ſicut ſeipſum, Matth. XXII: 34 ad 39. Luc. X: 25 ad 28. Tum apud Paulum, quod *ſint tria, quæ conferunt ad ſalutem, & quod illorum maxima ſit Charitas*, 1 Cor. XIII: 13. ut & ex his, *Scimus quod peccatores Deus non audiat, ſed ſi quis Deum colit, & voluntatem ejus facit, hunc audiat*, Joh. IX: 31. *Omnis qui non facit fructum bonum, exſcinditur & in ignem conjicitur*, Matth. VII: 19. 20. Luc. III: 8. 9: ex ORATIONIBUS PRÆLECTIS ANTE ACCESSIONEM AD SANCTAM CÆNAM IN TOTO CHRISTIANO ORBE; in illis ubivis ſerio admonentur ut ſint in charitate per reconciliationem & pœnitentiam, ex quibus hic ſolum tranſcribam hæc ex Oratione ad communicantes in Anglia. „ Hæc eſt via, & „ hoc eſt medium, ut quis fiat dignus particeps Sanctæ Cœnæ: primarium eſt, „ ut exploret ſuæ vitæ facta & commercia ſecundum normam præceptorum „ Dei; & in quibuſcunque animadvertit ſe offendiſſe voluntate & loquela, aut fa- „ ctis, tunc deploret vitioſam ſuam naturam, & confeſſionem faciat coram Om- „ nipotente Deo, cum pleno propoſito emendandi vitam; & ſi animadvertit offen- „ ſas ejus eſſe tales, ut non modo ſint contra Deum, ſed etiam contra proximum, tunc „ reconciliabit ſe illi, & promptus erit ad reſtitutionem & ſatisfactionem ex om- „ ni potentia ſua, propter injurias & mala alicui facta, & finaliter promptus erit ad re- „ mittendum aliis offenſas, quemadmodum vult ut offenſæ ſuæ remittantur a „ Deo; alioquin receptio Sanctæ Cœnæ non facit niſi quam aggravet damnationem. „ Quapropter ſi quis veſtrum eſt blaſphemator Dei, obtrectator & ſugillator Verbi Ip- „ ſius, aut in malitia vel in malevolentia, aut in alio enormi crimine, pœniten- „ tiam a peccatis age; ſi non, ad Sanctam Cœnam ne accedas: alioquin poſt recep- „ tionem Sanctæ Cœnæ diabolus intraturus eſt in te, ſicut intravit in Judam, & im- „ pleturus te omni iniquitate, & deſtructurus & corpus & animam. *Quod Fides in Dominum ſit tertium Medium* dignæ fruitionis Sanctæ Cœnæ, eſt quia charitas & fides unum faciunt, ſicut calor & lux tempore veris, ex quibus duobus conjunctis renaſcitur omnis arbor; ſimiliter ex calore ſpirituali, qui eſt charitas, & ex luce ſpirituali, quæ & veritas fidei, vivit omnis homo. Quod fides in Dominum hoc faciat conſtat ex his locis, *Qui credit in Me, non morietur in æternum, ſed vivet*, Joh. XI: 25. 26. *Hæc eſt voluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam*, Joh. VI: 40. *Adeo dilexit Deus Mundum, ut Filium ſuum unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipſum habeat vitam æternam*, Joh. III: 15. 16. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Joh. III: 36. *Sumus in veritate, in Filio Dei Jeſu Chriſto, Hic eſt verus Deus & vita æterna*, 1 Joh. V: 20. 21.

723. Quod per tria hæc, Dominus, Charitas & Fides, ut unum, regeneretur homo, & quod niſi quis regeneratur, non venire poſſit in Cœlum, in Capite de REFORMATIONE ET REGENERATIONE oſpenſum eſt, quare Dominus non aliis quam regeneratis poteſt aperire Cœlum, & poſt mortem naturalem non aliis in illud datur introductio. Per Regeneratos, qui digne accedunt, intelliguntur qui interius in tribus illis Eſſentialibus Eccleſiæ & Cœli ſunt, non autem illi qui duntaxat exterius, hi enim non anima ſed ſolum lingua confitentur Dominum, & non corde ſed ſolum corpore exercent charitatem erga proximum; tales ſunt omnes, qui operantur iniquitatem, ſecundum hæc Domini verba, *Tunc incipietis dicere, Domine, edimus coram Te & bibimus, ſed dicam vobis, non novi vos unde eſtis, diſcedite a me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XXIII: 26. 27.

724. Hæc ſicut priora illuſtrari poſſunt per varia quæ concordant, & quoque quæ correſpondent; ſicut per hæc. Quod ad Menſam Imperatoris & Regis non admittantur alii, quam qui in honorifica functione & dignitate ſunt, & quod hi quoque, antequam accedunt, amiciant ſe decoris veſtibus, & exornent inſignibus, ut accepti accedant & faveantur; quid non ad Menſam Domini, qui eſt Dominus dominorum, & Rex regum, Apoc. XVII: 14, ad quam omnes vocati & invitati ſunt,

ſunt; at ſolum illi qui ſpiritualiter digni ſunt, & in honorifico veſtitu, poſtquam reſurgunt e menſa, intromittuntur in palitia cæli, & in gaudia ibi, & honorantur ut principes, quia ſunt Maximi Regis filii, & poſtea quotidie diſcumbunt cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo, Matth. VIII: 11, per quos intelligitur Dominus quoad Divinum Cæleſte, Divinum Spirituale, & Divinum Naturale. Eadem illa etiam comparari poſſunt cum Nuptiis in terra, ad quas invitantur ſolum conſanguinei, propinqui & amici ſponſi & ſponſæ, ſi alius intrat, quidem admittitur, ſed quia non habet locum ad menſam, recedit; ſimile eſt cum illis qui ad nuptias Domini ut Sponſi cum Eccleſia ut Sponſa, vocati ſunt, inter quos ſunt propinqui, cognati & amici illi, qui trahunt ſtemma per regenerationem a Domino. Præterea quis in Mundo initiatur in amicitiam alterius, niſi qui ſincero corde ei fidet, & ejus voluntatem facit, hunc & non alios inter ſuos numerat, & ei ſua bona concredit.

Quod illi, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt, ſint in Domino, & Dominus in illis, proinde quod per Sanctam Cænam fiat conjunctio cum Domino.

725. Quod illi ad Sanctam Cænam digne accedant, qui in fide in Dominum & in charitate erga proximum ſunt; & quod veritates fidei ſiſtant præſentiam Domini, & bona charitatis una cum fide conjunctionem, in pluribus Capitibus ſupra demonſtratum eſt: ex quibus ſequitur, quod illi qui digne ad Sanctam Cænam accedunt, conjungantur Domino, & qui conjuncti ſunt Domino, ſint in Ipſo & Ipſe in illis; quod hoc fiat illis qui digne accedunt, declarat Ipſe Dominus apud Johannem, his verbis, *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet & Ego in illo*, VI: 56; quod hoc ſit conjunctio cum Domino, docet etiam alibi apud Eundem „*Manete in Me, etiam Ego in vobis, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum*, XV: 4. 5. & Apoc. III: 20. Quid Conjunctio cum Domino aliud, quam eſſe inter illos, qui in Corpore Ipſius ſunt, & Corpus Ipſius faciunt illi, qui credunt in Ipſum, & faciunt voluntatem Ipſius; Voluntas Ipſius eſt exercitium Charitatis ſecundum vera fidei.

726. Quod abſque conjunctione cum Domino, non dari poſſit Vita æterna & Salus, eſt, quia Ipſe eſt utraque; quod ſit VITA ÆTERNA, conſtat clare ex locis e Verbo; & ex hoc apud Johannem „*Jeſus Chriſtus eſt Verus Deus & Vita æterna*, 1 Joh. V: 21. Quod ſit SALUS, eſt quia hæc & vita æterna unum ſunt; Nomen Ipſius JESUS etiam ſignificat Salutem, & inde in toto Chriſtiano Orbe nominatur SALVATOR. Sed uſque non alii digne accedunt ad Sanctam Cænam, quam qui interius conjuncti ſunt Domino, ac interius conjuncti ſunt, qui regenerati ſunt; at quinam regenerati ſunt, in Capite de REFORMATIONE ET REGENERATIONE, oſtenſum eſt. Præterea ſunt multi, qui confitentur Dominum, & qui bonum faciunt proximo, ſed ſi hoc non faciunt ex amore erga proximum, & ex fide in Dominum, non ſunt regenerati, nam bonum faciunt proximo ſolum propter cauſas, quæ ſpectant mundum & ſemet, non autem proximum ut proximum; horum opera ſunt mere naturalia, quæ intus in ſe non aliquid ſpirituale recondunt, nam iidem confitentur Dominum ſolum ore & labiis, a quibus Cor longe abeſt: ipſe amor erga proximum, & ipſa fides, ſunt ex Solo Domino, & utraque datur homini, dum hic ex libero ſuo arbitrio naturaliter facit proximo bonum, & rationaliter veritates credit, & ad Dominum ſpectat, & tria illa propter mandata in Verbo, tunc Dominus in medio ejus implantat charitatem & fidem, & utramque facit ſpiritualem: ſic Dominus ſibi conjungit hominem, & homo ſe Domino, nam

Conjunctio, niſi fiat reciproce, non datur. Sed hæc in Capitibus de CHARITATE & FIDE, de LIBERO ARBITRIO, & de REGENERATIONE, plene oſtenſa ſunt.

727. Quod per invitationes ad menſas, & per epulationes, fiant conjunctiones & conſociationes in Mundo, notum eſt, nam per id invitator aliquid intendit, quod confert ad aliquem finem, qui ſpectat conſenſum aut amicitiam; multo magis invitationes, quæ pro fine habent ſpiritualia: Convivia in Antiquis Eccleſiis fuerunt convivia charitatis, ſimiliter in primitiva Eccleſia Chriſtiana, in quibus confirmabat unus alterum, ut in Cultu Domini ex ſincero corde manerent. Commeſſationes filiorum Iſraelis ex ſacrificiis juxta Tabernaculum, non aliud quam unanimitatem in cultu Jehovæ ſignificabant; quare Caro, quæ comedebatur, vocabatur Sancta, Jerem. XI: 15. Hagg. II: 12, & multoties alibi, quia ex ſacrificio; quid non Panis & Vinum, & Caro Paſchalis ſuper Cæna Domini, qui ſe ſacrificium obtulit pro totius Mundi peccatis. Præterea Conjunctio cum Domino per Sanctam Cænam, illuſtrari poteſt, per Conjunctionem familiarum ex uno Patrefamilias; ex hoc deſcendunt conſanguinei, & in ordine affines & cognati, & omnes illi trahunt aliquid ex prima ſtirpe; at vero non trahunt ita Carnem & Sanguinem, ſed ex carne & ſanguine, ita animam & inde inclinationem ad ſimilia, per quæ conjuncti ſunt; ipſa conjunctio etiam apparet communiter in faciebus & quoque in moribus, & inde vocantur una Caro, ut Geneſ. XXIX: 14. Cap. XXXVII: 27. II Sam. V: 1. Cap. XIX: 12. 13, & alibi. Simile eſt cum conjunctione cum Domino, qui eſt omnium fidelium & beatorum Pater; Conjunctio cum Illo fit per amorem & fidem, per quæ duo vocantur una Caro; inde eſt, quod dixerit, *Quod qui manducat Carnem meam & bibit Sanguinem meum, in Me maneat & Ego in illo.* Quis non videt, quod Panis & Vinum, hoc non faciant, ſed quod bonum amoris, quod per Panem intelligitur, ac verum fidei quod per Vinum, quæ ſunt propria Domini, & ex Ipſo Solo procedunt & communicantur; omnis etiam conjunctio fit per amorem, & amor non eſt amor abſque fiducia. Illi, qui credunt, quod Panis ſit Caro, & Vinum Sanguis, & non ultra poſſunt elevare cogitationem, maneant in illo, ſed non aliter, quam quod ſanctiſſimum, quod conjunctivum eſt cum Domino, ſit quod attribuitur & appropriatur homini ſicut ejus, tametſi jugiter manet Domini.

Quod Sancta Cæna ſit illis, qui digne accedunt, ſicut obſignatio & ſigillum quod filii Dei ſint.

728. Quod Sancta Cæna ſit illis, qui digne accedunt, ſicut obſignatio & ſigillum quod filii Dei ſint, eſt, quia ut ſupra dictum eſt, tunc Dominus præſens eſt, intromittit in Cælum illos, qui ab Ipſo nati ſunt, hoc eſt, regenerati: quod Sancta Cæna hoc faciat, eſt quia Dominus tunc etiam quoad Humanum ſuum adeſt, nam ſupra oſtenſum eſt, quod in Sancta Cæna totus Dominus præſens ſit, & tota Ipſius Redemptio; dicit enim de Pane, hic eſt Corpus meum, & de Vino, hoc eſt Sanguis meus; proinde admittit illos tunc in ſuum Corpus, & Eccleſia & Cælum faciunt Corpus Ipſius. Quando homo regeneratur, quidem Dominus præſens eſt, & per Divinam ſuam operationem præparat hominem ad Cælum, verum ut actualiter intret, homo actualiter ſe ſiſtet Domino, & quia Dominus actualiter ſe ſiſtit homini, homo actualiter recipiet Ipſum, aſt non ſicut pependit in cruce, ſed ſicut eſt in ſuo Humano glorificato, in Quo eſt præſens, & Hujus Corpus eſt Divinum Bonum, & Sanguis eſt Divinum Verum, hæc dantur homini, & per hæc homo regeneratur, & eſt in Domino & Dominus in illo; nam, ut ſupra oſtenſum eſt, manducatio, quæ exhibetur in Sancta Cæna, eſt manducatio ſpiritualis. Ex

his

his rite perceptis, conſtat, quod Sancta Cæna ſit ſicut obſignatio & ſigillum, quod illi, qui digne accedunt, ſint filii Dei.

729. Illi autem qui in infantia aut pueritia decedunt, & ſic non attingunt ætatem, ut digne poſſint ad Sanctam Cænam accedere, a Domino introducuntur per Baptiſmum, nam, ut in Capite de Baptiſmo oſtenſum eſt, *Baptiſmus eſt introductio in Eccleſiam Chriſtianam, & ſimul tunc inſertio inter Chriſtianos in Mundo ſpirituali*; ac Eccleſia & Cælum ibi unum ſunt, quare pro illis ibi introductio in Eccleſiam, eſt quoque in Cælum, & hi, quia ſub auſpicio Domini educantur, plus & plus regenerantur, & fiunt filii Ipſius; non enim alium Patrem norunt. Infantes autem & pueri, nati extra Eccleſiam Chriſtianam, per aliud medium, quam per Baptiſmum, in Cælum Religioni illorum deſignatum, poſt receptionem fidei in Dominum, introducuntur, ſed non commiſcentur illis, qui in Cælo Chriſtiano ſunt. Non enim datur ulla gens in univerſo terrarum orbe, quæ non ſalvari poteſt, ſi agnoſcit Deum, & bene vivit; Dominus enim redemit omnes hos, & homo natus eſt ſpiritualis, per quod illi eſt facultas recipiendi donum redemptionis. Illi qui Dominum recipiunt, hoc eſt, fidem in Ipſum habent, & non in malis vitæ ſunt, vocantur FILII DEI, & NATI a Deo, Joh. I: 12. 13. Cap. XI: 52; tum FILII REGNI, Matth. XIII: 38: & quoque HÆREDES, Matth. XIX: 29. Cap. XXV: 34. DISCIPULI DOMINI etiam vocantur FILII, Matth. XIII: 33; & præterea OMNES ANGELI, Hiob I: 6. Cap. II: 1.

730. Cum Sancta Cæna ſimile eſt ut cum Fædere, quod poſt pacta conventa pangitur, & demum ſigillo obſignatur. Quod Sanguis Domini ſit fædus, docet Ipſe; dixit enim, cum ſumſit poculum, & dedit, *Bibite ex eo omnes, hoc eſt Sanguis meus, ille Novi Teſtamenti*, Matth. XXVI: 28. Marc. XIV: 24. Luc. XXII: 20. Novum Teſtamentum eſt Novum Fædus; quare Verbum ante Domini adventum per Prophetas conſcriptum vocatur Vetus Teſtamentum ac Fædus, & Verbum poſt Ipſius adventum per Evangeliſtas & Apoſtolos, Novum Teſtamentum ſeu Fædus: quod Divinum Verum Verbi intelligatur per Sanguinem & ſimiliter per Vinum in Sancta Cæna, videatur ſupra in Artic. II: n: 7. 10: & Verbum eſt ipſum Fædus, quod Dominus pepigit cum homine, & homo cum Domino, nam Dominus deſcendit ut Verbum, hoc eſt, ut Divinum Verum; & quia hoc eſt Sanguis Ipſius, ideo Sanguis in Eccleſia Iſraelitica, quæ fuit repræſentativa Eccleſiæ Chriſtianæ, dictus eſt SANGUIS FÆDERIS, Exod. XXIV: 7. 8. Sach. IX: 11; ac DOMINUS FÆDUS POPULI, Eſaj. XLII: 6. Cap. XLIX: 8. Jerem. XXXI: 31 ad 34. Pſalm CXI: 9. Quod omnino obſignatio debeat eſſe, ut ſit aliqua certitudo, & quod illa ſequatur poſt acta deliberata, eſt quoque ſecundum ordinem in Mundo: quid Legatio & Teſtamentum abſque obſignatione: quid Judicatio abſque Sententia ſubſcripta, ut judicium ratum ſit: quid eminens adminiſtratio in Regno abſque diplomate: quid promotio ad aliquod officium abſque confirmatione: quid poſſeſſio Domus abſque emtione, aut conventione cum poſſeſſore: quid progreſſio ad aliquem finem, aut curſitatio ad aliquam metam, & ſic ad præmium, ſi non aliquis finis aut meta eſt, ubi præmium reportabit, & niſi Prætor ſponſionem ſuam aliquo modo ſtabilivit. Sed ultima hæc ſolum illuſtrationis cauſa adjecta ſunt, ut a ſimplici etiam percipiatur, quod Sancta Cæna ſit ſicut obſignatio, ſigillum, teſſera, ac legationis teſtificatio etiam coram Angelis, quod filii Dei ſint, & inſuper ſicut clavis ad domum in Cælo, ubi in æternum habitabunt.

✿ ✿ ✿ ✿ ✿

731. Quondam mihi viſus eſt Angelus ſub Cælo Orientali volans, cui tuba erat in manu & ad os, qui clanxit verſus Septentrionem, verſus Occidentem, & verſus

ſus Meridiem: indutus erat chlamyde, quæ ex volatu fluebat retrorſum, & cinctus erat faſcia ex pyropis & ſapphiris ſicut flammante & lucente; pronus volabat, & demiſit ſe lente in terram, quæ mihi continens erat: ut tetigit terram, erectus ſuper pede vadit huc illuc, & tunc me viſo direxit greſſum ad me, eram in ſpiritu, & in hoc ſtabam ſuper colle in Plaga meridionali; ac cum prope erat, alloquutus illum quæſivi, quid rei nunc, audivi clangorem tubæ tuæ, & vidi deſcenſum tuum per aerem; Angelus reſpondit, miſſus ſum ad convocandum celebratiſſimos eruditione, perſpicaciſſimos ingenio, ac eminentiſſimos nomine ſapientiæ, qui e Regnis Chriſtiani Orbis ſuper continente hac terra ſunt, ut in hunc Collem, ubi tu commoraris, conveniant, & ex pectore expromant mentes, quid in Mundo cogitaverant, intellexerant, & ſapuerant de GAUDIO CÆLESTI, & de FELICITATE ÆTERNA. Cauſa legationis meæ fuit hæc, quod aliqui novi advenæ e Mundo, in Cæleſtem noſtram Societatem, quæ in Oriente eſt, admiſſi retulerint, quod ne quidem unus in Univerſo Chriſtiano Orbe ſciat, quid Gaudium Cæleſte, & Felicitas æterna, ita quid Cælum: hoc fratres & conſocii mei valde mirati ſunt, & mihi dixerunt, deſcende, conclama & convoca ſapientiſſimos in Mundo ſpirituum, in quem primum colliguntur omnes Mortales poſt exceſſum e Mundo naturali, ob finem, ut ex plurium ore certi reddamur, num veritas ſit, quod talis caligo ſeu tenebroſa ignorantia ſit Chriſtianis de futura vita: & dixit, exſpecta paulum, & videbis cohortes Sapientum huc alluentes, Dominus præparabit pro illis Ædem conventus. Exſpectavi, & ecce poſt ſemihorium vidi duas Turmas a Septentrione, duas ab Occidente, & duas a Meridie, & ſicut venerunt, ab Angelo tubæ introducti ſunt in Ædem præparatam, & ibi occupabant loca illis deſignata ſecundum plagas. Erant ſex Turmæ ſeu Cohortes, ſeptima erat ab Oriente, quæ præ luce reliquis non viſa eſt. Poſt congregationem aperuit Angelus cauſam convocationis, & rogavit, ut Cohortes in ordine expromerent ſuam ſapientiam, de GAUDIO CÆLESTI, & de FELICITATE ÆTERNA: & tunc unaquævis Cohors ſe glomeravit in orbem, faciebus ad facies converſis, ut illam rem ex ideis in priori Mundo captis revocarent, & nunc luſtrarent, ac luſtratam poſt conſultationem expromerent.

732. Poſt Conſultationem PRIMA COHORS, quæ e Septentrione erat, dixit, quod Gaudium Cæleſte, & Felicitas æterna, ſint unum cum ipſa vita Cæli; quare unusquiſque, qui intrat Cælum, quoad vitam intrat in feſtivitates ejus, non aliter quam qui intrat in nuptias, intrat in harum feſtivitates; eſtne Cælum coram viſu noſtro ſupra nos, ita in loco, ac ibi & non alibi ſunt fauſtitates ſupra fauſtitates, ac voluptates ſupra voluptates; in has infertur homo quoad omnem perceptionem mentis, & quoad omnem ſenſationem corporis, ex plenitudine gaudiorum loci iſtius, cum in Cælum: quare felicitas cæleſtis, quæ etiam eſt æterna, non aliud eſt quam intromiſſio in Cælum, ac intromiſſio ex Divina Gratia. His dictis, ALTERA COHORS ex Septentrione ex ſua ſapientia expromſit hoc augurium; Gaudium Cæleſte & Felicitas æterna non aliud ſunt, quam lætiſſima Conſortia cum Angelis, & ſuaviſſimæ Confabulationes cum illis, ex quibus Facies continue expanſæ tenentur in lætitiis, & ora totius conſortii in riſibus amænitatis ex blandiloquiis & facetiis; & quid gaudia cæleſtia quam talium variationes in æternum. TERTIA COHORS, quæ erat Prima ex ſapientibus e Plaga occidentali, ex ſuarum affectionum cogitationibus edidit hoc: quid Gaudium Cæleſte & Felicitas æterna aliud, quam Epulationes cum Abrahamo, Iſaco, & Jacobo, ſuper quorum Menſis erunt Edulia delicata & opipara, ac Vina generoſa & nobilia, & poſt epulas Ludi ac Choreæ virginum & juvenum ſaltantium ad modos ſymphoniarum & tibiarum, interjectis cantibus odarum ſuaviſſimis: & demum ad veſperam erunt Spectacula ex perſonatis; & poſt hæc iterum Epulæ, & ſic quovis die in æternum. His edictis, QUARTA COHORS, quæ erat Secunda e plaga occidentali, enuntiavit

ſuam

ſuam ſententiam, dicens, nos fovimus plures ideas de Gaudio Cæleſti, & de Felicitate æterna, & exploravimus varia Gaudia & contulimus illa inter ſe, & concluſimus quod Gaudia Cæleſtia ſint Gaudia Paradiſiaca, quid aliud Cælum quam Paradiſus, Cujus extenſio eſt ab Oriente in Occidentem, & a Meridie in Septentrionem, & in illo arbores fructuum & flores delitiarum, in quarum medio eſt magnifica Arbor vitæ, circum quam ſedebunt beati, veſcentes fructibus ſaporis delicati, ac ornati ſertis florum odoris ſuaviſſimi; & quod hæc aſpirante perpetuo vere indies cum infinita varietate enaſcantur & renaſcantur; & quod ex horum ortu & flore perpetuo, & ſimul ex temperie jugiter verna, animi continue renovati non poſſint aliter quam Gaudia indies nova attrahere & reſpirare, & inde in florentem ætatem, & per hanc in primitivum ſtatum, in quem Adamus & ejus uxor creati ſunt, reduci, & ſic in Paradiſum illorum, e terra tranſlatum in Cælum, remitti. QUINTA COHORS, quæ erat Prima ex ingenioſis e Plaga meridionali, effata eſt hoc; Gaudia cæleſtia & Felicitas æterna non aliud ſunt, quam ſupereminentia Dominia, & opulentiſſimæ Gazæ, & inde ſuperregia Magnificentia ac ſuperilluſtris ſplendor: quod Gaudia Cæli, & horum fruitio continua, quæ eſt æterna felicitas, illa ſint, perſpeximus ex illis in Mundo priori, qui potiti ſunt illis; & inſuper ex eo, quod felices in Cælo regnaturi ſint cum Domino, ac futuri reges & principes, quia ſunt filii Ipſius, Qui eſt Rex regum & Dominus dominorum, & quod ſeſſuri ſint ſuper thronis, & quod Angeli illis miniſtraturi ſint: magnificentiam Cæli perſpeximus ex hoc, quod Nova Hieroſolyma, per quam deſcribitur gloria Cæli, habitura ſit Portas, quarum unaquævis erit una Margarita, & Plateas ex puro auro, & Murum fundatum ſuper lapidibus pretioſis; conſequenter quod cuivis in Cælum recepto ſit ſua Aula ex auro & pretioſitatibus ſplendens, ac Dominium ordine ab uno in alterum ſucceſſurum: & quia novimus, quod talibus innata ſint gaudia, ac inſita felicitas, & quod ſint ſponſiones Dei irrefragabiles, non potuimus aliunde ſtatum feliciſſimum vitæ cæleſtis deducere. Poſt hanc, SEXTA COHORS, quæ erat Secunda e Plaga meridionali, extulit vocem, & dixit, Gaudium Cæli & ejus Æterna felicitas, non aliud eſt, quam perpetua Glorificatio Dei, Feſtum perennans in æternum, ac beatiſſimus Cultus cum cantibus & jubilis; & ſic conſtans elevatio cordis ad Deum, cum plena fiducia acceptationis precum & laudum propter Divinam munificentiam beatitudinis illorum. Aliqui ex Cohorte adjecerunt, quod Glorificatio illa futura ſit cum magnificis luminaribus, cumque ſuffitibus fragrantiſſimis, & cum proceſſionibus pompæ, Pontifice maximo præcunte cum Buccina magna, ſequentibus illum Primatibus & Clavigeris, magnis & parvis, & poſt hos Viris cum palmis, & Mulieribus cum aureis ſimulachris in manibus.

733. SEPTIMA COHORS præ luce non reliquis viſa, erat ex Oriente Cæli; erant Angeli ex eadem Societate, e qua fuit Angelus tubæ: illi cum in Cælo audiverunt, quod ne quidem unus in Chriſtiano Orbe ſciat, quid Gaudium Cæli, & Felicitas æterna, inter ſe dixerunt, nequaquam hoc veritas eſt, non poteſt tanta caligo, & talis ſtupor mentium Chriſtianis eſſe, deſcendamus etiam nos, & audiamus num veritas ſit, & ſi veritas eſt, ſane eſt prodigium. Tunc Angeli illi dixerunt ad Angelum tubæ, noſti quod unuſquiſque homo, qui deſideraverat Cælum, & aliquid certi cogitaverat de gaudiis ibi, poſt mortem introducatur in imaginationis ſuæ gaudia; & quod poſtquam experti ſunt, qualia illa gaudia ſunt, quod ſint ſecundum vanas ideas mentis, & ſecundum deliria phantaſiæ illorum, educantur ab illis & inſtruantur; hoc fit pleriſque in Mundo Spirituum, qui in priore vita meditati ſunt de Cælo, & concluſerunt aliquid de gaudiis ibi uſque ad horum deſiderium. His auditis, Angelus tubæ dixit ad ſex Cohortes ex Sapientibus Orbis Chriſtiani convocatas, ſequimini me, & introducam vos in Gaudia veſtra, ita in Cælum.

734. His dictis, Angelus præivit, & primum comitata est illum Cohors ex illis, qui sibi persuaserant, quod Gaudia Cælestia essent solum lætissima consortia, & suavissimæ confabulationes: hoc Angelus introduxit ad Cætus in Plaga Septentrionali, quibus Gaudia Cæli in Mundo priori non alia fuerant. Erat ibi spatiosa Domus in quam tales congregati sunt; in Domo erant plus quam quinquaginta Cameræ, distinctæ secundum varia genera Confabulationum; in his Cameris loquebantur de talibus quæ viderant & audiverant in foro & in plateis: in illis loquebantur varia amabilia de sexu pulchro, interspersis facetiis, adauctis usque ad expansionem facierum omnium in consortio in risus hilaritatis: in aliis Cameris loquebantur Novellas de Aulis, de Ministeriis, de Statu politico, de variis quæ e secretis Consiliis emanaverunt, una cum ratiociniis & conjecturis de eventibus; in aliis de Negotiatione; in aliis de Rebus literatis; in aliis de talibus quæ sunt Prudentiæ civilis, & Vitæ moralis; in aliis de Ecclesiasticis & de Sectis, & sic porro: datum mihi est inspicere in illam Domum, & vidi discurrentes a Cameris in Cameras, inquirentes consortia suæ affectionis & inde gaudii; & in consortiis vidi tria genera, quosdam sicut anhelos ad loquendum, quosdam cupidos ad sciscitandum, & quosdam avidos ad audiendum. Erant quatuor portæ Domus, una ad quamlibet plagam, & observavi quod plures solverent consortia, & properarent ad exeundum; sequutus sum quosdam ad portam Orientalem, & vidi aliquos juxta illam sedentes facie tristi, & accessi & quæsivi, cur ita tristes sederent; & responderunt, portæ hujus Domus tenentur clausæ pro exituris, & nunc tertius dies est, a quo intravimus, & exegimus vitam desiderii nostri in consortiis & colloquiis, & a continuis sermocinationibus defatigati sumus in tantum, ut vix sustineamus audire sonorum murmur ex illis; quare ex tædio contulimus nos ad hanc portam, & pulsavimus, sed responsum nobis est, quod portæ hujus Domus non aperiantur exituris, sed intraturis, manete & fruimini gaudiis Cæli; ex quibus responsis concluſimus, quod hic in æternum permansuri simus; inde tristitia invasit mentes nostras, & nunc incipit pectus contrahi, & oboriri anxietas. Tunc alloquutus est illos Angelus, & dixit, hic status est lethus gaudiorum vestorum, quæ credidistis unice cælestia esse, cum tamen non sunt nisi quam accessoria Cælestium: & quæsiverunt Angelum, quid ergo est Gaudium Cælestе; & Angelus respondit hæc pauca; est jucundum faciendi aliquid quod est sibi & aliis usui; & jucundum usus trahit suam essentiam ex Amore & existentiam ex Sapientia; jucundum usus oriundum ex Amore per Sapientiam est anima & vita omnium gaudiorum Cælestium. Sunt in Cælis lætissima Consortia, quæ Angelorum mentes exhilarant, animos oblectant, pectora jucundant, & corpora recreant; sed hæc illis sunt, postquam usus in functionibus suis & in operibus suis fecerunt; ex his est anima & vita in omnibus lætitiis & oblectamentis illorum; at si illam animam seu vitam aufers, accessoria gaudia sacceſſive non fiunt gaudia, sed primum fiunt adiaphora, deinde sicut nauci, & demum tristia & anxia. His dictis aperiebatur porta, & assidentes exsiluerunt; & aufugerunt domum, quisque ad suam functionem, & ad suum opus, & refocillati sunt.

735. Post hæc Angelus alloquutus est illos, qui induxerant sibi ideam de Gaudiis Cæli, & de Felicitate æterna, quod forent Epulationes cum Abramo, Isaco & Jacobo; & post epulas Ludi & Spectacula, ac iterum Epulæ, & sic in æternum: & dixit illis, sequimini me, & introducam vos in gaudiorum vestrorum felicitates; & introduxit illos per nemus in planitiem stratam asseribus, super qua positæ erant Mensæ, quindecim ab uno latere, & quindecim ab altero; & quæsiverunt, cur tot mensæ, & respondit Angelus, quod prima mensa sit Abrami, secunda Isaci, tertia Jacobi, & juxta has in serie mensæ duodecim Apostolorum; ab altero latere totidem mensæ Uxorum illorum, & tres primæ mensæ sunt Saræ uxoris Abrami, Rebeccæ uxoris Isaci, ac Leæ & Rachelis uxorum Jacobi; ac duo-

duodecim reliquæ ſunt uxorum dnodecim Apoſtolorum. Poſt aliquam moram, apparebant omnes Menſæ plenæ ferculis, & ſpatiola inter hæc ornata parvis pyramidibus cum condituris. Epulaturi ſtabant circum illas in exſpectatione videndi Præſules menſarum; qui pauculum exſpectati viſi ſunt in ordine proceſſionis ab Abramo ad ultimum Apoſtolorum intrantes; & mox quiſque ad ſuam menſam accedens ſe repoſuit ſuper toro ad caput ejus; & inde dixerunt ad circumſtantes, diſcumbite etiam vos nobiscum; & diſcubuerunt viri cum Patribus illis, & fæminæ cum Uxoribus illorum, & comederunt & biberunt in lætitia, & cum veneratione. Poſt prandium exivetunt illi Patres; & tunc inſtituti ſunt ludi, choreæ virginum & juvenum, & poſt has ſpectacula: quibus finitis invitabantur iterum ad Epulas, ſed cum ſtatuto, quod primo die comederent cum Abramo, altero cum Iſaco, tertio cum Jacobo, quarto cum Petro, quinto cum Jacobo, ſexto cum Johanne, ſeptimo cum Paulo, & cum reliquis in ordine uſque ad quindecimum diem, a quo iterum in ſimili ordine commeſſationes renovarent variando ſedes, & ſic in æternum. Poſt hæc Angelus convocavit viros cohortis, & dixit illis, hi omnes, quos vidiſtis ad menſas, in ſimili cogitatione imaginaria de Gaudiis Cæli, & inde Felicitate æterna cum vobis fuerant; & propter finem, ut ipſi videant vanitates idearum ſuarum, & ab illis abducantur, inſtitutæ ſunt, & a Domino permiſſæ tales epulares Scenæ. Primores illi, quos vidiſtis ad capita menſarum, erant perſonati Senes, plerique ex ruſtica gente, qui barbati, & ex quadam opulentia præ cæteris faſtuoſi, quibus inducta eſt phantaſia, quod vetuſti illi Patres eſſent. Sed ſequimini me in vias exitus e palæſtra hac, & ſequuti ſunt, & videbant quinquaginta hic & quinquaginta ibi, qui farciverant ventres cibariis uſque ad nauſeas, & concupiverunt redire ad familiaria domuum ſuarum, quidam ad ſua munia, quidam ad ſua negotia, & quidam ad ſuas operas: at multi a cuſtodibus nemoris retenti & interrogati de diebus epulationis illorum, & num adhuc ad menſas cum Petro & cum Paulo comederint, & ſi prius exirent, hoc, quia, indecens eſt, futurum illis pudori: ſed plerique reſpondebant, explevimus gaudia noſtra, cibi facti ſunt nobis inſipidi, ac guſtus torridus, faſtidit illos ſtomachus, non ſuſtinemus libare illos, protraximus aliquot dies & noctes in luxurie illa, impenſe rogamus ut emittamur; ac dimiſſi, anhelo ſpiritu & feſtino curſu aufugerunt domum. Poſt hæc Angelus vocavit viros cohortis, & in via docuit illos hæc de Cælo: in Cælo æque ſicut in Mundo ſunt Cibi & Potus, ſunt Commeſſationes & Convivia; & apud Primores ibi ſunt Menſæ ſuper quibus ſunt opimæ dapes, cupediæ & lautitiæ, quibus exhilarantur & recreantur animi; & ſunt quoque Ludi & Spectacula; & ſunt Muſicalia & Cantica; & omnia illa in ſumma perfectione; talia ſunt illis etiam in gaudia, ſed non in felicitatem, hæc erit in gaudiis, & inde ex gaudiis; felicitas in gaudiis facit ut ſint gaudia, opimat illa, & ſuſtentat ne vileſcant & faſtidiantur; & hæc felicitas eſt cuivis ex uſu in ſua functione. Eſt aliqua vena in affectione voluntatis cujuſvis Angeli latens, quæ attrahit mentem ad aliquid faciendum, mens per hoc tranquillat ſe, & ſatisfacit ſibi; hæc ſatisfactio & illa tranquillitas faciunt ſtatum mentis receptibilem amoris uſus a Domino; ex receptione hujus eſt Felicitas cæleſtis, quæ eſt vita illorum gaudiorum, quæ prius memorata ſunt. Cibus cæleſtis in ſua eſſentia nec aliud eſt quam amor, ſapientia & uſus ſimul, hoc eſt, uſus per ſapientiam ex amore; quamobrem unicuivis in Cælo datur cibus pro corpore ſecundum uſum, quem præſtat, magnificus illis qui in eminente uſu ſunt, modicus ſed exquiſiti ſaporis illis qui in medii gradus uſu ſunt, & vilis illis qui in vili uſu ſunt, at nullus ſocordibus.

736. Poſt hæc ad ſe vocavit Cohortem Sapientum ita dictorum, qui Gaudia cæleſtia, & ex his Felicitatem æternam, in ſupereminentibus Dominiis, ac opulentiſſimis Gazis, inque ſuperregia magnificentia, & ſuper-illuſtri ſplendore, poſſuerant, ex cauſa, quia in Verbo dicitur, quod futuri ſint reges & principes, & quod

quod regnaturi ſint cum Chriſto in æternum, & quod miniſtrandi ſint ab Angelis, præter plura: Angelus ad hos dixit, ſequimini, & introducam vos in veſtra gaudia; & introduxit in Porticum conſtructum ex Columnis & Pyramidibus: antrorſum erat humile Palatium, per quod patuit ingreſſus in Porticum; per hoc introduxit illos; & ecce viſi ſunt viginti ibi, & exſpectabant: & ſubito tunc aderat quidam perſonatus Angelus, & dixit illis, per hunc Porticum eſt via ad Cælum, manete aliquantisper, & præparate vos, quia majorennes ex vobis futuri ſunt Reges, ac minorennes futuri Principes. His dictis, juxta quamlibet Columnam apparuit Thronus, & ſuper throno chlamys ex ſerico, & ſuper chlamyde ſceptrum & corona; & juxta quamlibet Pyramidem apparuit Solium tres cubitos a terra elevatum, & ſuper ſolio catena ex unculis auri, & equeſtris ordinis faſciæ, colligatæ ad fines adamantinis orbiculis. Et tunc clamatum eſt, ite nunc, amicite vos, ſedete & exſpectate: & actutum Majorennes accurrebant ad thronos, & Minorennes ad ſolia, & amiciverunt ſe, & repoſuerunt ſe: at tunc apparuit ſicut nimbus ex inferis aſcendens, ex quo attracto ſedentes ſuper thronis & ſoliis cæperunt tumeſcere facie, & elevari pectore, & impleri fiducia, quod nunc reges & principes ſint; nimbus ille erat aura phantaſiæ, qua inſpirati ſunt: & ſubito advolarunt juvenes ſicut ex Cælo, & conſtiterunt duo poſt quemlibet thronum, & unus poſt quodlibet ſolium, miniſtraturi; & tunc per vices a quodam præcone acclamatum eſt, vos reges & principes, exſpecta adhuc parum, apparantur nunc in Cælo aulæ veſtræ, jamjam venturi ſunt aulici cum ſatellitiis, & vos introducturi; exſpectabant & exſpectabant, uſque ut ſpiritus illorum anhelarent, & defatigarentur deſiderio. Poſt trihorium aperiebatur Cælum ſupra caput illorum, & deſpexerunt Angeli, & miſerti illorum, dixerunt, quare ſedetis ita fatui, & agitis hiſtriones, luſerunt ludibria vobiscum, & ab hominibus mutaverunt vos in idola, ex cauſa quia induxiſtis in corda veſtra, quod regnaturi ſitis cum Chriſto ſicut reges & principes, & quod vobis tunc Angeli miniſtraturi ſint: num obliti eſtis verborum Domini, quod in Cælo qui vult magnus eſſe, fiat ſervus: diſcite ergo, quid per reges & principes, & quid per regnare cum Chriſto, intelligitur, quod ſit ſapere & facere uſus; Regnum enim Chriſti, quod eſt Cælum, eſt Regnum uſuum; nam Dominus amat omnes, ac inde vult omnibus bonum, ac bonum eſt uſus, & quia Dominus bona ſeu uſus facit mediate per angelos, & in Mundo per homines, ideo illis, qui fideliter uſus faciunt, dat amorem uſus, & ejus mercedem, quæ eſt beatitudo interna, & hæc eſt felicitas æterna. Sunt in Cælis, ſicut in terris, ſupereminentia Dominia, & opulentiſſimæ Gazæ; ſunt enim regimina & regiminum formæ, & ideo ſunt majores & minores poteſtates & dignitates; & illis qui in ſupremis ſunt, ſunt Palatia & Curiæ, quæ magnificentia & ſplendore excedunt palatia & curias Imperatorum & Regum in terris, & ex numero aulicorum, miniſtrorum, & ſatellitum, & ex horum magnificis inveſtimentis, circumfluit illos honor et gloria: ſed Supremi illi ſunt electi ex illis, quorum cor eſt in ſalute publica, & ſolum ſenſus corporis in amplitudine magnificentiæ propter obedientiam: & quia ſalutis publicæ eſt, ut quiſque ſit aliquis uſus in ſocietate, ut in communi corpore, & quia omnis uſus eſt a Domino, & fit per angelos & per homines ſicut ab illis, patet quod hoc ſit regnare cum Domino. His auditis e Cælo, perſonati illi reges & principes deſcenderunt e thronis & ſoliis, & abjecerunt ſceptra, coronas, & chlamydes; & receſſit ab illis nimbus, in quo fuit aura phantaſiæ, & obvelavit illos nubes candida, in qua erat aura ſapientiæ, ex qua rediit ſanitas mentibus illorum.

737. Poſt hæc Angelus rediit ad Domum conventus ſapientum ex Chriſtiano Orbe, & ad ſe vocavit illos, qui ſibi induxerant fidem, quod gaudia Cæli & Felicitas æterna eſſent delitiæ Paradiſiacæ: his dixit, ſequimini me, & introducam vos in Paradiſum, Cælum veſtrum, ut exordiamini beatitudines felicitatis æternæ veſtræ;

træ; & introduxit illos per excelſam Portam, ex ramis & propaginibus nobilium arborum compaginatis exſtructam: poſt introitum circumduxit illos per ambages a plaga in plagam; erat actualiter Paradiſus in primo ingreſſu ad Cælum, in quem immittuntur illi, qui in Mundo crediderant quod univerſum Cælum ſit unus Paradiſus, quia vocatur Paradiſus; ac qui impreſſerant ſibi ideam, quod poſt mortem ſit plenaria requies a laboribus, & quod requies hæc non aliud eſſet, quam animas delitiarum trahere, ſuper roſis ambulare, ex muſtis delicatiſſimis uvarum lætificari, ac feſtiva repotia celebrare; & quod hæc vita non detur niſi in Cæleſti Paradiſo. Ducti ab Angelo videbant ingentem multitudinem tam ſenum quam juvenum, & puerorum, & quoque mulierum & puellarum; triades & triades, ac decades & decades, ſedentes ſuper Roſetis flectentes ſerta, quibus ornarent capita ſenum, brachia juvenum, ac faſciatim pectora puerorum; alias exprimentes muſtum ex uvis, ceraſis & acinis in cyathos, & genialiter bibentes; alias attrahentes naribus fragrantias ex floribus, fructibus ac odoriferis foliis exhalatas & circumſparſas; alias canentes dulces odas quibus mulciebant præſentium auditus; alias ſedentes ad fontes, & aquas ſalientis venæ derivantes in varias formas; alias ambulantes, confabulantes, & ſpargentes facetias; alias ingredientes domunculas hortulanas, ut ſuper ſpondis cubarent; præter plures alias lætitias paradiſiacas. Poſtquam hæc viſa ſunt, duxit Angelus comites ſuos per circuitus huc illuc, ac ultimo ad ſedentes in pulcherrimo Roſeto circumcincto arboribus olivæ, aurantii, & citri, qui nutantes tenebant manus ſub genis, lugentes, & lachrymantes; hos alloquuti ſunt comites Angeli, & dixerunt, cur ita ſedetis; & reſponderunt, eſt nunc ſeptimus dies a quo in hunc Paradiſum venimus; cum intravimus, viſa eſt mens noſtra ſicut elevata in Cælum, ac immiſſa in intimas ejus gaudiorum fauſtitates; ſed poſt triduum cæperunt fauſtitates illæ hebeſcere, & in mentibus noſtris aboleri, ac fieri inſenſibiles, & ſic nullæ; & cum ita exſpirata ſunt imaginaria noſtra gaudia, timebamus jacturam omnis jucunditatis vitæ noſtræ, & facti ſumus ambigui de felicitate æterna, num ſit aliqua; & poſtea vagati ſumus per vias & areas, quæſituri portam per quam intravimus; ſed vagati ſumus per gyros & gyros, ac interrogavimus obvios, ex quibus aliqui dixerunt, quod porta non inveniatur, quia Paradiſiacus hic hortus eſt ſpatioſus Labyrinthus, qui talis eſt, ut qui vult exire, penitius intret; quare non poteſtis aliter quam hic manere in æternum; vos eſtis in medio ejus, ubi omnes delitiæ ſunt in ſuo centro: & porro dixerunt ad comites Angeli, hic nunc per unum diem & dimidium ſedimus, & quia abſque ſpe inveniendi exitum ſumus, repoſuimus nos ſuper Roſeto hoc, & ſpectamus circum nos in copia olivas, uvas, aurantia & citros; ſed quo plus illa ſpectamus, eo plus delaſſatur viſus videndo, odoratus odorando, & guſtus guſtando; hæc cauſa eſt mæſtitiæ, luctus, & lacrhymationis, in quibus vos videtis nos. His auditis, Angelus cohortis dixit illis, eſt hic Labyrinthus Paradiſiacus vere introitus in Cælum, novi exitum, & educam vos; his dictis, ſedentes ſurrexerunt, & amplexi Angelum, & una cum cohorte ejus comitati ſunt illum; & Angelus in via docuit illos, quid Gaudium cæleſte & inde Felicitas æterna, quod non ſint Delitiæ paradiſiacæ externæ, niſi ſimul cum illis ſint Delitiæ paradiſiacæ internæ; delitiæ paradiſiacæ externæ ſunt modo delitiæ ſenſuum corporis, at delitiæ paradiſiacæ internæ ſunt delitiæ affectionum animæ, hæ niſi in illis ſint, non eſt vita cæleſtis, quia non eſt anima in illis: & omne delitium abſque ſua correſpondente anima, ex continuo elangveſcit & torpeſcit, & plus delaſſat animum quam labor. Sunt ubivis in Cælis Horti paradiſiaci, & ex his etiam ſunt gaudia Angelis, & quantum in illis eſt delitium animæ, tantum ſunt illa gaudia illis gaudia. His auditis, quæſiverunt omnes, quid eſt delitium animæ, & unde hoc, reſpondit Angelus, delitium animæ eſt ex amore & ſapientia a Domino, & quia amor eſt efficiens, & eſt efficiens per ſapientiam, ideo eſt utriuſ-

que ſedes in effectu, & effectus eſt uſus: hoc delitium a Domino influit in animam, & deſcendit per ſuperiora & inferiora mentis in omnes ſenſus corporis, & implet ſe in illis, inde gaudium fit gaudium, & fit æternum ab Æterno a Quo. Vidiſtis Paradiſiaca, & aſſevero vobis, quod non aliquid ibi ſit, ne quidem foliolum, quod non eſt ex conjugio amoris & ſapientiæ in uſu, quare ſi homo in hoc eſt, eſt in Paradiſo Cæleſti, ita in Cælo.

738. Poſt hæc Angelus ductor rediit in Ædem, ad illos, qui firmiter ſibi perſuaſerant, quod Gaudium cæleſte & Felicitas æterna ſit perpetua Glorificatio Dei, ac in æternum perennans Feſtum; ex cauſa, quia in Mundo crediderant, quod tunc viſuri ſint Deum, & quia vita Cæli ex cultu Dei vocatur perpetuum Sabbathum. His Angelus dixit, ſequimini me, & introducam vos in gaudium veſtrum, & introduxit illos in parvam urbem, in cujus medio erat Templum, & omnes domus vocabantur ædes ſacræ. In illa urbe viderunt affluentiam ex omni angulo terræ circumjacentis, & inter illos numerum Sacerdotum, qui venientes ſuſcipiebant, ſalutabant, & prehenſos manibus ducebant ad portas Templi, & inde in aliquas ædes circum Templum, & initiabant illos in perennem cultum Dei; dicentes, quod hæc urbs ſit atrium ad Cælum, & quod hujus urbis Templum ſit introitus ad magnificum & ampliſſimum Templum quod in Cælo eſt, ubi Deus precibus & laudibus ab Angelis glorificatur in æternum: ſtatuta hic & ibi ſunt, quod primum intraturi ſint Templum, & commoraturi ibi tres dies & tres noctes, & quod poſt hoc initiamentum ingreſſuri ſint in hujus urbis domus; quæ ſunt totidem a nobis ſanctificatæ ædes, & ab æde in ædem, & in communione cum congregatis ibi, oraturi, clamaturi, & recitaturi concionata: omnino cavete vobis, ne aliud in vobis cogitetis, & cum conſociis loquamini, quam ſancta, pia & religioſa. Poſt hæc introduxit Angelus comitatum ſuum in Templum, quod erat plenum & conſtipatum multis, qui in magna dignitate in Mundo fuerant, & quoque multis ex plebe, & præſidia ad portas collocata erant, ne cuiquam ante commorationem trium dierum liceret exire; & dixit Angelus, eſt hodie ſecundus dies, a quo hi ingreſſi ſunt, luſtrate illos, & glorificationem Dei illorum videbitis; & luſtrabant, & viderunt pleroſque dormientes, & qui evigilati ſunt, oſcitantes & oſcitantes, & quoſdam ex continua elevatione cogitationum ad Deum, & ex nullo relapſu illarum in corpus, ſicut facies recluſas a corpore, ita enim ſibi apparebant, & inde etiam aliis; quoſdam deliros oculis ex perpetua ſubtractione illorum; verbo, omnes compreſſos pectore, & laſſos ſpiritu ex tædio, & averſos a pulpito, & clamantes, ſtupeſcunt aures noſtræ, finite conciones, non auditur amplius vox, & incipit faſtidiri ſonus: & tunc ſurrexerunt, & in globo concurrerunt ad portas, effregerunt illas, & urgebant in præſidia, & abigebant illa. His viſis, Sacerdotes ſequuti ſunt illos, & adjunxerunt ſe lateribus illorum, docentes & docentes, orantes, ſuſpirantes, dicentes, celebrate Feſtum, glorificate Deum, ſanctificate vos, in atrio hoc Cæli inaugurabimus vos in æternam Glorificationem Dei in magnifico & ampliſſimo Templo, quod in Cælo eſt, & ſic ad fruitionem æternæ felicitatis. Sed hæc ab illis non intellecta, & vix audita ſunt, propter hebetudinem ex duorum dierum ſuſpenſione mentis, & retentione a domeſticis & forenſibus. Sed cum ſe a Sacerdotibus avellere conati ſunt, ſacerdotes apprehendebant brachia illorum, & quoque veſtes, urgentes ad ædes, ubi concionata recitarentur, ſed fruſtra, & clamabant, relinquite nos, ſentimus in corpore ſicut deliquium. His dictis, ecce viſi ſunt quatuor Viri in candidis veſtibus, & in tiaris; unus ex illis fuerat in Mundo Archi Epiſcopus, & tres reliqui fuerant Epiſcopi, nunc facti Angeli: hi convocabant Sacerdotes, & alloquuti illos dixerunt, vidimus vos e Cælo cum ovibus his, quomodo vos paſcitis illos, paſcitis illos uſque ad inſanias; neſcitis quid per Glorificationem Dei intelligitur, intelligitur fructus amoris ferre, hoc eſt, fideliter, ſincere, & ſedule ſuæ functionis opus face-

cere, hoc enim eſt amoris Dei, & amoris proximi, & hoc eſt vinculum Societatis, & bonum ejus; per hoc glorificatur Deus, & tunc per cultum ſtatis temporibus; annon legiſtis hæc Domini verba, *In hoc* GLORIFICATUR PATER MEUS, *ut fructum multum feratis, & reddamini diſcipuli mei*, Joh. XV: 8. Vos Sacerdotes poteſtis in cultus glorificatione eſſe, quia hoc eſt veſtrum munus, & inde eſt vobis honor, gloria & remuneratio, ſed uſque vos non poteſtis plus quam illi in ea glorificatione eſſe, niſi honor, gloria, & remuneratio una cum veſtro munere ſint. His dictis Epiſcopi mandabant cuſtodibus portæ, ut intromitterent omnes, & emitterent omnes, eſt enim multitudo, qui non aliud gaudium Cæleſte, quam perpetuum cultum Dei, potuerunt cogitare, quia non ſciverunt aliquid de ſtatu Cæli.

739 Poſt hæc Angelus cum ſuis comitibus rediit ad locum conventus, a quo cohortes Sapientum nondum receſſerunt, & ibi ad ſe vocavit illos, qui crediderunt, quod gaudium cæleſte & felicitas æterna, ſit modo intromiſſio in Cælum, ac intromiſſio ex Divina gratia; & quod tunc gaudium ſit illis, ſimiliter ut in Mundo eſt illis, qui in aulas Regum diebus feſtivitatis, aut in nuptias invitati, ingrediuntur: his dixit Angelus, manete hic aliquantisper, & ſonabo tuba, & huc venient incluti fama ſapientiæ in ſpiritualibus Eccleſiæ: poſt aliquot horas aderant novem viri, quiſque inſignitus lauru, adorea famæ ſuæ; hos Angelus introduxit in Ædem conventus, in qua omnes prius convocati aderant; in horum præſentia Angelus alloquutus novem laureatos, dixit, ſcio quod vobis ex voto veſtro ſecundum ideam veſtram, datum ſit aſcendere in Cælum, & quod redieritis in inferiorem hanc ſeu ſubcæleſtem terram, cum plena ſcientia de ſtatu Cæli; commemorate itaque, quale vobis viſum eſt Cælum: & reſponderunt in ordine, & dixit PRIMUS; idea mea de Cælo a prima pueritia uſque ad finem vitæ in Mundo, fuerat, quod eſſet locus omnium beatitudinum, fauſtitatum, jucunditatum, amænitatum, & voluptatum, & quod ſi intromitterer, talium felicitatum aura circumfunderer, & pleno pectore haurirem illa, ſicut ſponſus cum celebrat nuptias, ac cum intrat thalamum cum ſponſa; in hac idea aſcendi in Cælum, & tranſivi primas cuſtodias, & quoque ſecundas, at cum ad tertias veni, alloquebatur me cuſtodiarum præfectus, & dixit, quis es amice, & reſpondi, eſtne hic Cælum, huc ex voto deſiderii mei aſcendi, intromitte quæſo, ac intromiſit; & vidi Angelos in veſtibus albis, & hi me circumibant, & luſtrabant, & murmurabant hoc, en novum hoſpitem non indutum veſte Cæli, & ego hæc audivi, & cogitavi, hoc apparet mihi ſimile cum illo, de quo Dominus dicit, quod abſque veſte nuptiali intraverit in nuptias, & dixi, date mihi tales veſtes; at riſerunt; & tunc accurrit unus ex Cutia cum mandato, exuite illum nudum, ejicite illum, & projicite veſtes ejus poſt illum; & ſic ejectus ſum. SECUNDUS in ordine dixit, ego credidi ſicut ille, quod ſi modo intromitterer in Cælum, quod ſupra caput meum eſt, circumfluerent me gaudia, & amimarem illa in æternum; optato etiam potitus ſum; at Angeli, me viſo aufugerunt, & inter ſe dixerunt, quid hoc portentum, quomodo huc venit Avis noctis; & actualiter ſenſi mutationem ab homine, tametſi non mutatus ſum, hoc mihi erat ex attractione cæleſtis athmoſphæræ: at mox accurrit unus ex Curia cum mandato, ut duo famuli educerent me, & reducerent per viam aſcenſus, uſque ad domum meam; & cum domi eram, apparui aliis & mihi ſicut homo. TERTIUS dixit, idea Cæli conſtans mihi fuit ex loco, & non ex amore, quare cum in hunc mundum veni, cupivi cupiditate magna Cælum, & vidi aſcendentes, & ſequutus ſum illos, & admiſſus, ſed non ultra aliquot paſſus; at cum volui lætificare animum meum ex idea gaudiorum & beatitudinum ibi, ex luce Cæli, quæ erat candida ſicut nix, cujus eſſentia dicitur eſſe ſapientia, invaſit mentem meam ſtupor, & inde oculos meos caligo, & cæpi inſanire; & mox ex calore Cæli, qui correſpondebat candori lucis

iſtius, cujus eſſentia dicitur eſſe amor, palpavit mihi cor, occupavit me anxietas, & cruciabar dolore interiori, & projeci me ſupinum ſuper humum ibi; & cum jacui, venit ſatelles e Curia cum mandato, ut me cum lentore deportarent in meam lucem & in meum calorem, in quæ cum veni, rediit mihi ſpiritus meus & cor meum. QUARTUS dixit, quod etiam ipſe in idea loci, & non in idea amoris de Cælo fuerit, & quod ut primum in Mundum ſpiritualem veni, quæſiverim ſapientes, num in Cælum liceat aſcendere, qui mihi dixerunt, quod cuivis liceat, ſed ut ſibi caveant, ne dejiciantur: ad hæc riſi, & aſcendi, credens ego ſicut alii, quod omnes in uniuerſo Mundo receptibiles eſſent gaudiorum ibi in ſua plenitudine: ſed fane cum intus eram, pæne exanimatus ſum, & ex dolore & inde cruciatu in capite & in corpore, proſtravi me humi, & convolvi me ſicut ſerpens admotus igni, & repſi uſque ad præcipitium, & per id me dejeci; & poſtea ſublatus ſum ab adſtantibus infra, & delatus in diverſorium, ubi rediit ſanitas mihi. RELIQUI QUINQUE etiam narraverunt mirabilia de ſuis aſcenſibus in Cælum; & comparabant mutationes ſtatuum ſuæ vitæ, cum ſtatu piſcium dum elevantur ab aquis in aerem, & cum ſtatu avium in æthere; & dixerunt, quod poſt duras illas ſortes, non concupiverint amplius cælum, ſed modo conſortem vitam cum ſui ſimilibus ubicunque ſunt; & quod ſciant, quod in Mundo ſpirituum, ubi nos ſumus, omnes prius præparentur, boni ad Cælum, & mali ad Infernum, & quod cum præparati ſunt, videant vias ſibi apertas ad Societates ſui ſimilium, cum quibus in æternum manſuri ſunt, & quod has vias tunc intrent cum jucundo, quia ſunt viæ amoris illorum. Omnes ex prima Convocatione audientes hæc, etiam faſſi ſunt, quod nec illis alia idea de Cælo fuerit, quam ſicut de loco, ubi pleno ore circumflua gaudia in æternum forberent. Poſt hæc Angelus tubæ dixit illis, videtis nunc quod gaudia Cæli & felicitas æterna non ſint loci, ſed quod ſint ſtatus vitæ hominis; ac ſtatus vitæ cæleſtis eſt ex amore & ſapientia; & quia uſus eſt duorum illorum continens, eſt ſtatus vitæ cæleſtis ex conjunctione illorum in uſu: idem eſt, ſi dicatur Charitas, Fides & Bonum Opus, quoniam Charitas eſt Amor, Fides eſt Veritas ex qua Sapientia, & Bonum Opus eſt Uſus: præterea in Mundo noſtro Spirituali ſunt loca ſicut in Mundo naturali, alioquin non forent habitationes & diſtinctæ manſiones, at uſque locus ibi non eſt locus, ſed eſt apparentia loci ſecundum ſtatum amoris & ſapientiæ, ſeu charitatis & fidei. Omnis, qui fit angelus, intus in ſe portat ſuum cælum, quia ſui Cæli amorem; nam homo a creatione eſt minima effigies, imago & typus Cæli magni; forma humana non aliud eſt; quare quiſque venit in ſocietatem Cæli, cujus forma in ſingulari effigie eſt; idcireo cum intrat in illam ſocietatem, intrat in correſpondentem ſibi formam, ita ſicut a ſe in ſe illam, & ſicut ab illa in illam in ſe, ac trahit vitam ejus ut ſuam, ac ſuam ut ejus; eſt unaquævis ſocietas ſicut Commune, ac Angeli ibi ſunt ſicut partes ſimilares, ex quibus Commune coexiſtit. Ex his nunc ſequitur, quod qui in malis & inde falſis ſunt, in ſe formaverint effigiem Inferni, & hæc cruciatur in Cælo ex influxu & violentia activitatis oppoſiti in oppoſitum; amor enim infernalis eſt oppoſitus amori Cæleſti, & inde jucunda duorum amorum illorum collidunt inter ſe ſicut hoſtes, & necant ſe cum congrediuntur.

740. His peractis audita eſt vox e Cælo ad Angelum tubæ, elige decem ex omnibus convocatis, & introduc illos ad nos; audivimus a Domino, quod præparaturus ſit illos, ne calor & lux, ſeu amor & ſapientia noſtri Cæli, per tres dies inferant illis aliquam noxam; & electi ſunt decem, & ſequuti Angelum; & aſcenderunt per tramitem clivoſum in quendam collem, & ab hoc in Montem, ſuper quo erat illorum Angelorum Cælum, quod prius ad diſtantiam apparuerat illis ſicut Expanſum in nubibus: & aperiebantur pro illis portæ, & poſtquam tranſiverunt tertiam, Angelus introductor cucurrit ad Principem Societatis ſeu Cæli illius, & annuntiavit adventum illorum; & Princeps reſpondit, aſſume aliquos ex

ſa-

ſatellitio meo, & renuntia illis, quod adventus illorum mihi ſit acceptus, & introduc illos in Anticuriam meam, & diſtribue cuivis ſuum conclave cum ſuo cubiculo; & ex aulicis meis deſume aliquos, & ex famulis qui miniſtrent illis, & qui ſerviant illis ad nutus; & factum eſt ita. At cum introducti ſunt ab Angelo, quæſiverunt num liceat adire & videre Principem; & reſpondit Angelus, eſt nunc mane, & non licet ante tempus meridiei; ſunt omnes eouſque in ſuis in officiis & ſuis operis; ſed invitati eſtis ad prandium; & tunc ad menſam cum Principe noſtro ſedebitis: interea introducam vos in illius Palatium, ubi videbitis magnifica & ſplendida.

Cum adducti ſunt ad Palatium, primum viderunt illud ab extra, erat amplum, ſtructum ex porphyrite, & ſubſtructum ex juſpide, & ante portam ſex columnæ altæ ex lapide lazuli, tectum ex laminis auri, feneſtræ altæ ex pellucidiſſimo chryſtallo, harum poſtes etiam ex auro. Poſt hoc, introducti ſunt intus in Palatium, & circumducti a conclavi in conclave, & viderunt ornamenta ineffabiliis decoris, ſub tectis decoramenta cælaturæ inimitabilis; juxta parietes poſitas menſas ex argento conflato cum auro, ſuper quibus erant varia utenſilia ex lapidibus pretioſis, & ex integris gemmis in formis cæleſtibus; & plura, quæ non aliquis oculus in terris viderat, & inde nec aliquis ſibi fidem inducere potuerat, quod talia in Cælo ſint. Cum in ſtupore ex viſis magnificis illis erant, dixit Angelus, ne miremini, hæc quæ videtis, non ſunt aliqua manu angelica facta & fabricata, ſed ſunt condita ab Opifice Univerſi, & muneri data Principi noſtro; quare hic eſt Ars architectonica in ipſa ſua arte, & ex hac ſunt omnes hujus artis regulæ in Mundo. Porro dixit Angelus, vos poteſtis autumare, quod talia faſcinent oculos noſtros, ac infatuent illos, uſque ut credamus illa noſtri Cæli gaudia eſſe; ſed quia corda noſtra non in illis ſunt, ſunt modo acceſſoria gaudiis cordium noſtrorum, ideo quantum contemplamur illa ut acceſſoria, ac ut opificia Dei, tantum contemplamur Divinam Omnipotentiam & Clementiam in illis.

741. Poſt hæc Angelus dixit illis, nondum eſt Meridies diei, venite mecum in Principis noſtri Hortum, Palatio huic contiguum, & iverunt, ac in introitu dixit, en Hortus magnificus præ hortis in Cæleſti hac Societate; at reſponderunt, quid dicis, non hic eſt Hortus, videmus modo unam Arborem, ac in ramis & in vertice ejus ſicut fructus ex auro, & ſicut folia ex argento, & horum oras exornatas ſmaragdis; & ſub illa Arbore infantes cum alumnis illorum. Ad hæc Angelus voce inſpirata dixit; hæc Arbor eſt in medio Horti, & a nobis vocatur Arbor noſtri Cæli, & a quibuſdam Arbor vitæ. Sed pergite, & appropinquate, & aperientur oculi veſtri, & videbitis Hortum; ac fecerunt ita, & aperti ſunt oculi, & videbant Arbores uberrimas fructibus ſaporis, circumligatas vitibus pampineis, quarum vertices cum fructibus nutabant verſus Arborem vitæ in medio. Arbores hæ in continua ſerie conſitæ erant, quæ exibat & pergebat in perennes orbes ſeu gyros ſicut perpetuæ helicis, erat perfecta Helix arborea, in qua ſpecies poſt ſpecies continue ſecundum nobilitates fructuum ſequebantur: principium circumgyrationis diſtabat ab Arbore in medio inſigni intervallo, ac intervallum coruſcabat jubare lucis, ex quo arbores gyri ſplendebant ſplendore ſucceſſivo & continuato a primis ad ultimas: primæ arbores erant omnium præſtantiſſimæ, fructibus opimis luxuriantes, vocatæ Paradiſiacæ, nuſquam viſæ quia non datæ nec dabiles in terris Mundi naturalis; poſt has excipiebant arbores olei; poſt has arbores vini; poſt has arbores fragrantiæ; ac ultimo arbores ligni utiles ad fabricas. Hic & ibi in hac Helice arborea ſeu in hoc gyro erant Sedilia formata ex adductis & complicatis propaginibus arborum a tergo, ac opimata & exornata fructibus illarum. In perpetuo illo Orbe arboreo erant oſtia, quæ patebant in floreta, & ab his in vireta, diſtincta in areas & toros. Comites Angeli his viſis exclamabant, en Cælum in forma; quocunque vertimus acies oculorum noſtrorum, influit aliquid Cæ-

leſte Paradiſiacum, quod eſt ineffabile. His auditis Angelus gaviſus eſt, & dixit, omnes Horti noſtri Cæli ſunt Formæ repræſentativæ ſeu Typi beatitudinum cæleſtium in ſuis originibus, & quia influxus harum beatitudinum elevavit mentes veſtras, clamaviſtis, en Cælum in forma; at illi, qui non recipiunt illum influxum, ſpectant Paradiſiaca hæc non aliter quam ſylveſtria; & omnes illi recipiunt influxum, qui in amore uſus ſunt, at illum non recipiunt, qui in amore gloriæ ſunt, & non ex uſu. Poſtea expoſuit & docuit, quid ſingula Horti iſtius repræſentabant & ſignificabant.

742. Cum in his erant, venit nuntius a Principe, qui invitavit illos ad comedendum panem ſecum; & ſimul tunc duo ſatellites aulæ apportabant veſtes byſſi, & dixerunt, induite has, quia nemo ad menſam Principis admittitur niſi indutus veſtibus Cæli; & accinxerunt ſe, & comitati ſunt Angelum ſuum, & introducebantur in Hypethrum, ambulatorium Palatii, & exſpectabant Principem; & ibi Angelus inſertabat illos conſortiis cum Magnatibus & Moderatoribus, qui etiam præſtolabantur Principem: & ecce poſt horulam apertæ ſunt fores, & per unam latiorem ab Occidente viderunt Ejus introitum in ordine & pompa proceſſionis: præibant illum Conſiliarii a latere, poſt hos Conſiliarii a cameris, & poſt hos Primarii ex aula: in horum medio fuit Princeps, & poſt illum aulici variæ diſtinctionis, & ultimo ſatellites; omnes connumerati ad centum & viginti. Angelus ſtans ante decem novos advenas, ex veſtitu tunc apparentes ut inquilini; acceſſit cum illis ad Principem, & reverenter adduxit illos; & Princeps in procedendo non moratus, dixit illis, venite mecum ad panem, & ſequuti ſunt in Triclinium, & viderunt Menſam magnifice apparatam, in medio ejus excelſam Pyramidem ex auro cum centum ſcutellis in triplici ordine ſuper formis ſuis, ſuper quibus erant panes ſacharini, & muſta vinorum concreta, cum aliis lautitiis ex pane & vino confectis; ac per mediam Pyramidem ſcaturivit ſicut fons ſaliens cum vino nectareo, cujus vena ex ſummitate Pyramidis diſperſit ſe, & cyathos implevit. Ad latera hujus excelſæ Pyramidis erant variæ formæ cæleſtes ex auro, ſuper quibus erant patinæ & patellæ cibis omnis generis refertæ: formæ cæleſtes, ſuper quibus patinæ & patellæ, erant formæ artis ex ſapientia, quæ in Mundo non aliqua arte exarari, nec voce deſcribi poſſunt: patinæ & patellæ erant ex argento, circumcælatæ ſimilibus formis in plano cum ſuſtentaculis ſuis; cyathi erant ex gemmis pellucentibus: talis erat apparatus Menſæ.

743. Amictus autem Principis & ejus Miniſtrorum erat hic: Princeps indutus erat Talari coloris purpurei, inſignito ſtellis acupictis coloris argentei; ſub talari cinctus erat tunica ex ſerico lucente coloris hyacinthini; hæc erat circa pectus aperta, ubi anterior pars cujuſdam zonæ cum Inſigni ſuæ Societatis viſa eſt; Inſigne erat Aquila ſuper pullis in vertice arboris cubans; hoc erat ex fulgente auro circumcincto adamantibus. Conſiliarii a latere erant non diſſimiliter amicti, ſed abſque illo Inſigni, loco ejus erant ſculpti ſapphiri e collo ex aureo torque pendentes. Aulici erant in togis coloris badii, quibus intertexti erant flores circum aquilinos pullos; tunicæ ſub illis ex ſerico coloris opalini; ſimiliter femoralia & tibialia. Talis erat Veſtitus illorum.

744. Circumſtabant menſam Conſiliarii a latere, & Conſiliarii a cameris, & Moderatores, & ex juſſu Principis complicabant manus, & ſimul ſuſurrabant laudem votivam ad Dominum, & poſt hanc ex nutu Principis ſe ſuper toris ad menſam repoſuerunt; & dixit Princeps ad decem advenas, diſcumbite etiam vos mecum, ecce ibi ſedes veſtræ; & diſcubuerunt; & aulici prius a Principe miſſi ad miniſtrandum illis, adſtabant illis a tergo; & tunc dixit illis Princeps, ſumite quiſque patellam ex orbibus ſuis, & poſtea quiſque ſcutellam ex Pyramide; & deſumſerunt, & ecce illico novæ patellæ & ſcutellæ loco illarum ſuperimpoſitæ apparebant; ac cyathi illorum ex fonte ſaliente e magna Pyramide vino implebantur; & comede-

debant. Poſt mediam ſatietatem alloquebatur Princeps decem invitatos, & dixit, audivi quod in terra, quæ ſub hoc Cælo eſt, convocati fueritis ad aperiendum cogitationes veſtras de Gaudiis cæli & inde Felicitate æterna, & quod protuleritis illas diverſimode, quiſque ſecundum jucunda ſenſuum corporis ſui; ſed quid jucunda ſenſuum corporis abſque jucundis animæ, eſt anima quæ jucundat illa, jucunda animæ in ſe ſunt beatitudines imperceptibiles, ſed fiunt plus & plus perceptibiles, ſicut deſcendunt in cogitationes mentis, & ab his in ſenſationes corporis; in cogitationibus mentis percipiuntur ſicut fauſtitates, in ſenſationibus corporis ſicut jucunditates, & in ipſo corpore ſicut voluptates; ex his & illis ſimul eſt Felicitas æterna; at ex ſolis poſterioribus illa Felicitas non eſt æterna, ſed temporaria, quæ finitur & tranſit, & quandoque fit infelicitas. Vidiſtis nunc quod omnia gaudia veſtra etiam ſint gaudia cæli, & excellentiora quam uſquam cogitare potuiſtis, ſed uſque hæc non interius afficiunt animos noſtros. Sunt tria, quæ ut unum influunt a Domino in animas noſtras; hæc tria ut unum, ſeu hoc trinum, ſunt amor, ſapientia, & uſus, at amor & ſapientia non exiſtunt niſi idealiter, quia ſolum in affectione & cogitatione mentis, ſed in uſu realiter, quia ſimul in actu & opere corporis; & ubi realiter exiſtunt, ibi etiam ſubſiſtunt; & quia amor & ſapientia exiſtunt & ſubſiſtunt in uſu, eſt uſus qui nos afficit, ac uſus eſt fideliter, ſincere & ſedule obire ſuæ functionis opera; amor uſus, & inde ſtudium in uſu, continet mentem ne diffluat, & ne circumvagetur, & hauriat omnes cupiditates, quæ e corpore & e mundo per ſenſus cum illecebris influunt, ex quibus vera Religionis & vera Moralitatis cum ſuis bonis diſſipantur in omnes ventos; at ſtudium mentis in uſu continet & colligat illa, & diſponit mentem in formam receptibilem ſapientiæ ex veris illis; & tunc a lateribus exterminat & falſitatum & vanitatum ludibria & ludrica. Sed plura de his audietis ex ſapientibus noſtræ Societatis, quos poſt meridiem hanc mittam ad vos. His dictis ſurrexit Princeps, & una cum illo convivæ, ac pacem dixit, & mandavit Angelo illorum ductori, ut reduceret illos in ſua conclavia, & illis omnes honores civilitatis exhiberet; & quoque ut vocaret viros urbanitatis & affabilitatis, qui illos ſermone de variis gaudiis hujus Societatis oblectarent.

745. Cum redierunt, factum eſt ita, & vocati ex urbe, qui ſermone de variis gaudiis Societatis oblectarent illos, venerunt, & hi poſt ſalutationes ambulando loquebantur elegantias cum illis: ſed Angelus ductor illorum dixit, quod decem hi viri invitati ſint in hoc Cælum, ut videant Gaudia ejus, & inde novam ideam de Felicitate æterna recipiant; commemorate ergo aliqua de gaudiis ejus, quæ afficiunt ſenſus corporis; poſtea venturi ſunt Sapientes, qui memorabunt aliqua, quæ illa gaudia reddunt fauſta & felicia; his auditis vocati ex urbe commemorabant hæc. Sunt hic dies feſtivitatis indicti a Principe, ut animi relaxentur a defatigatione, quam cupiditas æmulationis aliquibus induxerat; his diebus ſunt Harmoniæ muſicæ & Cantus in foris, & extra urbem Ludi & Spectacula; in Foris tunc ſunt elevatæ Orcheſtræ circumductæ cancellis conſertis ex vitibus, e quibus pendent botri, intra quos in tribus elevationibus ſedent Muſici cum inſtrumentis chordæ, & cum inſtrumentis ſoni, vocis altæ & vocis humilis, ac vocis ſtrenuæ & vocis blandæ, & ad latera ſunt Cantores & Cantrices, & cum amæniſſimis jubilis & cantibus, mixtis & ſolis, per intervalla quoad ſpecies variatis, cives oblectant; hæc ibi diebus illis feſtivitatis a mane ad meridiem, & poſt hanc ad veſperam, perſiſtunt. 2. Præterea unoquovis mane e domibus circum Fora audiuntur ſuaviſſimi Cantus virginum & puellarum, ex quibus tota urbs perſonat; eſt una affectio amoris ſpiritualis, quæ quovis mane cantatur, hoc eſt, per modificationes vocis canoræ ſeu modulationes ſonatur, & affectio illa in cantu percipitur ſicut ipſa foret; influit in audientium animas, & excitat illas ad correſpondentiam; talis eſt cantus cæleſtis; dicunt cantrices, quod ſonus cantus illarum ſe-

ſi-

ſicut inſpiret & animet ex interiori, & jucunde exaltet, ſecundum receptionem ab audientibus: hoc finito, clauduntur feneſtræ domuum Fori, & ſimul domuum platearum, & quoque januæ, & tunc ſilet tota urbs, nec ullibi auditur clamor, nec apparent vagabundi, omnes tunc accincti obeunt munia ſuorum officiorum. 3. At tempore meridiei aperiuntur januæ, & poſt meridiem etiam alicubi feneſtræ, & ſpectantur ludi puerorum & puellarum in plateis, moderantibus illos alumnis & magiſtris illorum, ſedentibus in porticibus domuum. 4. Ad latera urbis in ejus extremis, ſunt varii ludi puerorum & adoleſcentum; ſunt ludi curſorii, ſunt ludi cum pilis; ſunt ludi cum pilaminibus repercuſſis, rachets, vocatis; ſunt certamina palæſtrica inter pueros, quis impigrior & quis pigrior loquendo, agendo & percipiendo; & pro impigrioribus aliqua folia laurus in præmium; præter plura alia, quæ ſunt excitatoria habilitatum in pueris latentium. 5. Inſuper extra urbem ſunt Spectacula comædorum ſuper theatris, repræſentantium varias vitæ moralis honeſtates & virtutes, inter quos etiam ſunt hiſtriones propter relationes; & quæſivit unus ex decem, quid propter relationes, & reſponderunt, non poteſt aliqua virtus cum ejus honeſtis & decoris ſiſti ad vivum, niſi per relativa ab illorum maximis ad minima, hiſtriones repræſentant minima illorum uſque dum fiunt nulla; ſed lege ſancitum eſt, ne aliquid oppoſiti, quod vocatur inhoneſtum & indecorum, niſi figurate & ſicut e longinquo exhibeant: quod ita ſancitum ſit, eſt cauſa, quia non aliquod honeſtum & bonum alicujus virtutis per ſucceſſivas progreſſiones tranſit ad inhoneſtum & malum, ſed ad minima ejus uſque dum perit, & cum perit inchoat oppoſitum; quare Cælum, ubi omnia honeſta & bona ſunt, nihil commune habet cum inferno, ubi omnia inhoneſta & mala ſunt.

746. Inter loquendum famulus accurrit & nuntiavit, quod octo Sapientes ex juſſu Principis adſint, & velint intrare, quo audito Angelus exivit, & excepit illos, & introduxit; & mox Sapientes poſt conſociationis ſolennia & decora, primum loquebantur cum illis de ſapientiæ initiis & incrementis, quibus immiſcuerunt varia de ejus ſucceſſu, & quod ſapientia apud angelos nuſquam finem habeat & definat, ſed quod creſcat & augeatur in æternum. His auditis Angelus cohortis dixit illis, Princeps noſter ad menſam loquutus eſt cum illis de ſapientiæ ſede, quod ſit in uſu, loquamini, ſi placet, cum illis etiam de eo: & dixerunt, homo primum creatus, imbutus eſt ſapientia & ejus amore, non propter ſe, ſed propter communicationem ejus cum aliis a ſe: inde ſapientiæ ſapientum inſcriptum eſt, ut non quiſquam ſibi ſoli ſapiat & vivat niſi ſimul aliis; inde Societas, quæ alioquin non foret; vivere aliis eſt uſus facere; uſus ſunt vincula ejus, quæ totidem ſunt quot uſus boni, ac uſus ſunt numero infiniti; ſunt uſus ſpirituales qui ſunt amoris in Deum, & amoris erga proximum; ſunt uſus morales & civiles, qui ſunt amoris ſocietatis & civitatis in qua homo eſt, ac ſociorum & civium cum quibus eſt; ſunt uſus naturales, qui ſunt amoris mundi & ejus neceſſitatum; & ſunt uſus corporei, qui ſunt amoris conſervationis ſui propter ſuperiores uſus. Omnes hi uſus inſcripti ſunt homini, & ſequuntur in ordine, unus poſt alterum, & cum ſimul ſunt, unus eſt in altero: illi qui in primis uſibus ſunt, qui ſunt ſpirituales, etiam in ſequentibus ſunt, & hi ſunt ſapientes; illi autem qui non in primis, & uſque in ſecundis & inde ſequentibus ſunt, non ita ſapientes ſunt, ſed ſolum ex moralitate & civilitate externa apparent ſicut ſint; illi qui non in primis & ſecundis ſunt, ſed in tertiis & quartis, nihil minus quam ſapientes ſunt, nam ſunt ſatanæ, amant enim ſolum mundum, & ſe ex mundo; at illi qui modo in quartis ſunt, omnium minime ſapientes ſunt, ſunt enim diaboli, quia ſibi ſolis vivunt, & ſi aliis, eſt unice propter ſe. Præterea cuivis amori eſt ſuum jucundum, vivit enim amor per hoc, ac jucundum amoris uſuum eſt jucundum cæleſte, quod ſequentia jucunda ordine intrat, & ſecundum ordinem ſucceſſionis exaltat illa, ac æternat illa: poſt hæc enumeraverunt Delitias cæleſtes procedentes ex amore uſus,

ſus, & dixerunt quod ſint myriades myriadum, & quod in illas intrent qui in Cælum: & porro de amore uſus per ſermones ſapientiæ protraxerunt diem cum illis uſque ad veſperam.

Sed circa veſperam venit curſor amictus linteo ad decem advenas comites Angeli, ac invitavit illos ad Nuptias ſequente die celebrandas; & advenæ valde lætati ſunt, quod etiam viſuri ſint nuptias in Cælo. Poſt hoc, ducti ſunt ad quendam Conſiliarium a latere, & cænaverunt cum illo, & poſt cænam redierunt, & ſeceſſerunt ab invicem, quiſque in ſuum cubiculum, & dormiverunt uſque ad mane; & tunc evigilati audiebant Cantum virginum & puellarum e domibus circum Forum, de quo ſupra; canebatur tunc affectio amoris conjugialis; ex cujus ſuavitate penitus affecti & perciti, percipiebant beatam amænitatem inſitam gaudiis ſuis, quæ elevabat illa, & innovabat illa. Cum tempus erat, dixit Angelus, accingite vos, & induite veſtes Cæli, quas Princeps noſter ad vos miſerat; ac induerunt, & ecce veſtes ſplendebant ſicut ex luce flammea; & quæſiverunt Angelum, unde hoc, reſpondit, quia ad nuptias ituri eſtis, apud nos tunc ſplendent veſtes, & fiunt nuptiales.

747. Poſt hæc duxit Angelus illos ad Domum nuptiarum, & janitor aperuit fores; & mox intra limen recepti & ſalutati ab Angelo miſſo a Sponſo, ac introducti ſunt, & adducti ad ſedes pro illis deſignatas; & mox invitati in Antithalamum, ubi viderunt in medio Menſam, ſuper qua poſitum erat magnificum Candelabrum inſtructum ſeptem calamis & ſchyphis ex auro; & ad parietes pendebant Lychnaria ex argento; ex quibus accenſis apparuit athmoſphæra ſicut aurea: & viderunt ad latera Candelabri binas Menſas, ſuper quibus in triplici ordine repoſiti erant Panes; & in quatuor angulis Menſas, ſuper quibus erant Cyathi chryſtallini. Dum illa luſtrabant, ecce aperiebatur janua e conclavi juxta thalamum, & viderunt ſex Virgines exeuntes, & poſt illas Sponſum & Sponſam, tenentes ſe manibus, & ducentes ſe ad Solium, quod e regione Candelabri poſitum erat, ſuper quo ſe repoſuerunt, Sponſus ad ſiniſtram, & Sponſa ad dextram ejus, & ſex virgines conſtiterunt ad latus ſolii juxta Sponſam. Sponſus indutus erat Pallio ex purpura lucente, & Tunica ex byſſo ſplendente, cum Ephodo, ſuper quo erat bractea aurea adamantibus circumobſita; & bracteæ inſculptus erat Pullus aquilæ, inſigne nuptiale hujus ſocietatis cæli; & Sponſi caput tegebat cidaris: Sponſa autem amicta erat chlamyde coccinea, & ſub illa toga acupicta, continua a collo ad pedes, & ſub pectore zona aurea, & ſuper capite corona ex auro cum inſitis rubinis. Cum ita conſederunt, convertit ſe Sponſus ad Sponſam, ac impoſuit digito ejus annulum aureum, & deprompſit armillas & collarium ex unionibus, & alligabat armillas ſuper poplites manuum ejus, & collarium circum collum ejus, & dixit, accipe hæc pignora; & dum illa accepit, oſculatus eſt illam, & dixit, nunc mea es, & vocavit illam ſuam uxorem. Hoc facto clamaverunt invitati, ſit Benedictio; hoc clamavit quiſque per ſe, & dein omnes ſimul; unus a Principe miſſus vice ejus etiam acclamavit; & eo momento implebatur Antithalamus illo fumo aromatico, quod erat ſignum benedictionis e cælo: & tunc miniſtri ex duabus menſis juxta Candelabrum ſumſerunt Panes, & ex menſis in angulis Cyathos nunc vino impletos, & dederunt cuivis invitato ſuum panem & ſuum cyathum, ac ederunt & biberunt. Poſt hæc ſurrexerunt Maritus & ejus Uxor, ſequentibus ſex virginibus cum argenteis nunc accenſis lampadibus in manibus uſque ad limen; ac Conjuges intraverunt Thalamum; & clauſa eſt janua.

748. Poſtea loquutus eſt Angelus ductor cum invitatis de decem comitibus ſuis, quod ex mandato introduxerit illos, & monſtaverit illis magnifica Palatii Principis, & mirifica ibi, & quod epulati ſint ad menſam cum illo; & quod poſtea loquuti ſint cum Sapientibus noſtris; ac petiit, ut liceat illis etiam vobiſcum ſociare aliquem ſermonem; & acceſſerunt, & colloquuti ſunt; & unus ſapiens ex viris

nuptiarum dixit, intelligitis quid ſignificant illa quæ vidiſtis, dixerunt quod parum; & tunc quæſiverunt illum, cur Sponſus nunc Maritus in tali veſtitu fuit; reſpondit, quod Sponſus nunc Maritus repræſentaverit Dominum, ac Sponſa nunc Uxor repræſentaverit Eccleſiam, quia Nuptiæ in Cælo repræſentant Conjugium Domini cum Eccleſia; inde eſt quod ſuper Illius capite eſſet Cidaris, & ille indutus pallio, tunica, & ephodo, ſicut Aharon; & quod ſuper Sponſæ nunc Uxoris capite eſſet Corona, & illa induta Chlamyde ſicut Regina; ſed cras erunt aliter amicti, quia Repræſentatio hæc modo perſtat hodie. Quæſiverunt iterum, quia Ille repræſentavit Dominum, & Illa Eccleſiam, cur Illa ad dextram Ejus ſedit; reſpondit ſapiens, quia duo ſunt, quæ faciunt Conjugium Domini & Eccleſiæ, Amor & Sapientia, ac Dominus eſt Amor, & Eccleſia eſt Sapientia, & Sapientia ad dextram amoris eſt, ſapit enim homo Eccleſiæ ſicut a ſe, & ſicut ſapit, recipit amorem a Domino; dextra etiam ſignificat potentiam, & potentia amori eſt per ſapientiam: ſed ut dictum eſt, poſt nuptias mutatur repræſentatio, nam tunc Maritus repræſentat Sapientiam, & uxor ſapientiæ ejus Amorem, verum hic Amor non eſt amor prior, ſed eſt amor ſecundarius, qui eſt a Domino uxori per ſapientiam mariti; amor Domini, qui eſt amor prior, eſt amor ſapiendi apud maritum, quare poſt nuptias, ambo ſimul, maritus & ejus uxor, repræſentant Eccleſiam. Quæſiverunt denuo, cur non vos Viri ſtetiſtis ad latus Sponſi nunc Mariti, ſicut ſex Virgines ſteterunt ad latus Sponſæ nunc Uxoris; reſpondit ſapiens, cauſa eſt, quia nos hodie numeramur inter virgines, ac numerus ſex ſignificat omnes & completum; at dixerunt, quid hoc, reſpondit, Virgines ſignificant Eccleſiam, & Eccleſia eſt ex utroque ſexu, quare etiam nos quoad Eccleſiam ſumus Virgines; quod ita ſit, conſtat ex his in Apocalypſi „*Hi ſunt, qui cum mulieribus non inquinati ſunt*, VIRGINES *enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocunque vadit*" Cap. XIV: 4. Et quia Virgines ſignificant Eccleſiam, ideo Dominus *aſſimilavit illam decem* VIRGINIBUS *invitatis ad nuptias*, Matth. Cap. XXIV: 1 ſeq. & quia per Iſraelem, Zionem & Hieroſolymam, ſignificatur Eccleſia, ideo toties in Verbo dicitur VIRGO ET FILIA ISRAELIS, ZIONIS ET HIEROSOLYMÆ: Dominus etiam deſcribit Conjugium ſuum cum Eccleſia his verbis apud Davidem „REGINA AD DEXTRAM TUAM *in auro opimo ophiris, de implexis auri veſtis ejus, in* ACUPICTIS *adducetur Regi*, VIRGINES POST ILLAM *amicæ ejus venient in palatium Regis*" Pſalm XLV: 10 ad 16. Poſtea dixerunt, numne conveniens eſt, ut aliquis Sacerdos adſit & miniſtret in his, reſpondit ſapiens, hoc in terris eſt conveniens, non autem in cælis, propter repræſentationem Ipſius Domini & Eccleſiæ; hoc in terris non ſciunt; at uſque apud nos adminiſtrat Sacerdos Deſponſationes, & Conſenſum audit, recipit, confirmat & conſacrat, Conſenſus eſt eſſentiale conjugii, & reliqua, quæ ſequuntur, ſunt ejus formalia.

749. Poſt hæc Angelus ductor acceſſit ad ſex Virgines, & quoque narravit illis de comitibus ſuis, & petiit, ut dignarentur illos ſuo conſortio; & acceſſerunt, ſed cum prope erant, ſubito receſſerunt, & ingreſſæ ſunt gynæceum, ubi etiam virgines amicæ illarum erant: hoc viſo, Angelus ductor ſequutus eſt illas, & quæſivit, cur abſque loquendo cum illis tam ſubito receſſerint; & reſponderunt, non potuimus appropinquare, & dixit cur hoc, & reſponderunt, non ſcimus, ſed percepimus aliquid quod repulit & retroduxit nos, ignoſcant: & Angelus rediit ad ſuos comites, & dixit reſponſum, & addidit, auguror quod vobis non ſit amor ſexus caſtus; in Cælo amamus virgines ex illarum pulchritudine & elegantia morum, & impenſe amamus illas, ſed caſte; ad hoc riſerunt ejus comites, & dixerunt, recte auguraris, quis potis eſt videre tales pulchritudines prope, & non aliquid cupere.

750. Poſt hoc feſtivum Sodalitum omnes invitati ad nuptias abiverunt, & quoque decem illi Viri cum ſuo Angelo, erat ſera Veſpera, & cubitum ibant. In di-

lu-

luculo audiverunt Proclamationem, HODIE SABBATHUM, & surrexerunt, & interrogaverunt Angelum, quid illud, respondit, quod sit ad Cultum Dei, qui statis temporibus redit, & a Sacerdotibus proclamatur; peragitur ille in Templis nostris, & perstat circiter binas horas; quare, si lubet, ite mecum, & introducam; & accinxerunt se, & comitati sunt Angelum, & intraverunt: & ecce Templum erat amplum, capax circiter trium millium, semitotundum, scamna seu sedilia continua secundum figuram Templi in rotundum circumducta. Pulpitum ante illa paulo retractum a centro; janua post pulpitum a sinistro. Intraverunt decem Viri advenæ cum Angelo ductore suo, & Angelus addixit illis loca ubi sederent, dicens illis, quisque qui intrat in Templum, scit suum locum, hoc scit ex insito, nec potest sedere alibi; si alibi, nihil audit & nihil percipit, & quoque turbat ordinem, a quo turbato Sacerdos non inspiratur.

751. Postquam congregati sunt, ascendit Sacerdos pulpitum, & concionabatur sermonem plenum spiritu sapientiæ: Concio erat de sanctitate Scripturæ sacræ, & de conjunctione Domini cum utroque Mundo, Spirituali & Naturali, per illam; in illustratione, in qua erat, plene convicit, quod Sanctus ille Liber dictatus sit a Jehovah Domino, & quod inde Ipse sit in illo, adeo ut Ipse sit Sapientia ibi; sed quod Sapientia, quæ est Ipse inibi, sub sensu literæ jaceat recondita, & non aperiatur nisi illis, qui in veris doctrinæ, & simul in bonis vitæ sunt, & sic in Domino & Dominus in illis: Concioni subjunxit votivam orationem, & descendit. Exeuntibus auditoribus Angelus rogavit Sacerdotem, ut aliqua verba pacis cum decem suis comitibus loqueretur; & accessit ad illos, & colloquebantur per semissem horæ, & loquebatur de Divina Trinitate, quod illa in Jesu Christo sit, in Quo Plenitudo omnis Divinitatis corporaliter habitat, secundum edictum Apostoli Pauli; & postea de Unione Charitatis & Fidei, sed dixit, de Unione Charitatis & Veritatis, quia Fides est Veritas.

752. Post gratiarum dictionem, abiverunt domum; & ibi dixit illis Angelus, est hodie Tertius dies ab ascensu vestro in hujus Cæli Societatem, & in tres dies præparati estis a Domino ad manendum hic, quare tempus est ut separemur: exuite itaque vestes missas a Principe, ac induite vestras; & cum in his erant, inspirabantur desiderio secedendi, & secesserunt, & descenderunt, Angelo comitante illos usque ad locum conventus; & ibi Domino gratias egerunt, quod dignatus sit illos beare scientia & inde intelligentia de Gaudiis Cælestibus & de Felicitate æterna.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

DE

CONSUMMATIONE SÆCULI: DE ADVENTU DOMINI: ET DE NOVO CÆLO ET NOVA ECCLESIA.

Quod Conſummatio ſæculi ſit ultimum tempus ſeu finis Eccleſiæ.

753. In hac Tellure fuerunt plures Eccleſiæ, & omnes ſucceſſu temporis conſummatæ ſunt, & poſt conſummationem earum novæ exſtiterunt, & ſic uſque ad hodiernum tempus; conſummatio Eccleſiæ fit quando non aliquod Divinum verum ſupereſt, niſi falſificatum aut rejectum, & dum non aliquod genuinum verum eſt, non poteſt aliquod genuinum bonum dari, quoniam omne quale boni formatur per vera, eſt enim bonum eſſentia veri, & verum eſt forma boni, & abſque forma non datur quale; bonum & verum non poſſunt plus ſeparari, quam voluntas & intellectus, ſeu quod idem, quam affectio amoris & cogitatio inde; quapropter dum conſummatur verum in Eccleſia, etiam conſummatur bonum ibi, & cum hoc fit, tunc Eccleſia finem habet, hoc eſt, conſummatio ejus eſt.

754. Eccleſia conſummatur per varia, imprimis per talia, quæ faciunt ut falſum appareat ut verum, & cum illud apparet Verum, tunc Bonum quod in ſe bonum eſt, & vocatur bonum ſpirituale, non amplius datur; bonum, quod tunc creditur bonum, eſt modo bonum naturale, quod moralis vita producit. Cauſa, quod verum & una cum illo bonum conſummentur, ſunt imprimis duo Amores naturales, qui e diametro oppoſiti ſunt binis amoribus ſpiritualibus, qui vocantur Amor ſui & Amor mundi, amor ſui dum regnans eſt, oppoſitus eſt amori in Deum, & amor mundi, dum regnans eſt, oppoſitus eſt amori erga proximum; amor ſui eſt ſibi Soli bene velle, & non alteri niſi propter ſe, ſimiliter amor mundi; & illi amores, ubi ineſcati ſunt, ſe dilatant ſicut caro morticina per corpus, & ſucceſſive conſumunt omnia ejus: quod talis amor invaſerit Eccleſias, manifeſte conſtat ex Babylonia & ejus deſcriptione, Gen. XI: 1 ad 9. Eſaj. XIII: XIV: XLVII: Jerem. L: & apud Danielem, Cap. II: 31 ad 47. Cap. III: 1 ad 7. ſeq. Cap. V: Cap. VI: 8 ad fin. Cap. VII: 1 ad 14. Et in Apocalypſi Cap. XVII: & XVIII, utrumque a principio ad finem; quæ ſe tandem extulit in tantum, ut non modo Divinam Poteſtatem Domini in ſe tranſtulerit, ſed etiam ſummo ſtudio omnes gazas Mundi in ſe conferre allaboret. Quod ſimiles amores e multis Primoribus Eccleſiarum extra Babyloniam, erumperent, niſi poteſtas illorum limitata & ſic refrænata foret, ex auguriis & apparentiis non ita vanis concludi poteſt; quid tunc aliud, quam quod homo talis ſe ſpectet ut Deum, & Mundum ut Cælum, & quod omne verum Eccleſiæ pervertat; nam ipſum verum quod in ſe verum eſt, non cognoſci & agnoſci poteſt ab homine mere naturali, nec poteſt dari illi a Deo, quia cadit in inverſum, & fit falſum. Præter hos binos amores ſunt adhuc plures.

res cauſæ conſummationis veri & boni, & inde conſummationis Eccleſiæ, ſed hæ cauſæ ſunt ſecundariæ, & binis illis ſubordinatæ.

755. Quod Conſummatio Sæculi ſit ultimum tempus Eccleſiæ, conſtat ex locis in Verbo, ubi nominatur, ut ex his, CONSUMMATIONEM & DECISIONEM *audivi a cum Jehovah ſuper univerſam terram*, Eſaj. XXVIII: 22. CONSUMMATIO *definita, inundata juſtitia, nam* CONSUMMATIONEM ET DECISIONEM *Dominus Jehovih Zebaoth faciens in tota terra*, Eſaj. X: 22. 23. In *igne Zeli Jehovæ comedetur tota terra, quia* CONSUMMATIONEM *feſtinatam faciet cum omnibus habitatoribus terræ*, Zephan. I: 18. per Terram in his locis ſignificatur Eccleſia, quia intelligitur terra Canaan, ubi Eccleſia fuit; quod Eccleſia per Terram ſignificetur, ex plurimis locis e Verbo confirmatum videatur in APOCALYPSI REVELATA, n: 285. 902. *Tandem ſuper avem abominationum* DESOLATIO, *& uſque ad* CONSUMMATIONEM ET DECISIONEM *ſtillabit ſuper* DEVASTATIONEM, Dan. IX: 27. quod hæc a Daniele de fine hodiernæ Eccleſiæ Chriſtianæ dicta ſint, videatur Matth. XXIV: 15. VASTITAS *erit tota Terra,* CONSUMMATIONEM *tamen non faciam*, Jerem. IV: 27. *Nondum* CONSUMMATA *eſt iniquitas Emorræorum*, Gen. X: 22. 23. *Dixit Jehovah, deſcendam & videbo, num juxta clamorem, qui venit ad Me, fecerint* CONSUMMATIONEM, Geneſ. XVII: 21, de Sodoma. Ultimum tempus Eccleſiæ hodiernæ Chriſtianæ etiam per Conſummationem ſæculi a Domino intelligitur in his locis, *Diſcipuli interrogarunt Jeſum, quodnam ſignum tui Adventus & CONSUMMATIONIS SÆCULI*, Matth. XXIV: 3. *Tempore meſſis dicam Meſſoribus, colligite primum Zizania ad comburendum; Triticum colligite in horrea, ſic erit in* CONSUMMATIONE SÆCULI, Matth. XIII: 40. *In* CONSUMMATIONE SÆCULI *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos e medio juſtorum*, Matth. XIII. 49. *Jeſus dixit Diſcipulis, ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad* CONSUMMATIONEM SÆCULI, Matth. XXVIII: 20. Sciendum eſt, quod Vaſtatio, Deſolatio, Deciſio ſimile ſignificent quod Conſummatio; ſed Deſolatio conſummationem veri, Vaſtatio conſummationem boni, & Deciſio conſummationem utriuſque plenariam; & quod Plenitudo temporis, in qua Dominus in Mundum venit, & in qua venturus eſt, etiam ſit Conſummatio.

756. Conſummatio Sæculi illuſtrari poteſt per varia in Mundo naturali, in hoc enim omnia & ſingula, quæ ſuper Tellure ſunt, antiquantur & conſumuntur, ſed per vices alternas, quæ vocantur Circuli rerum, hos percurrunt tempora in communi & in parte; in Communi, tranſit Annus a vere in æſtatem, & per hanc in autumnum, & definit in hyemem, & ab hac redit in ver, ſed hic circulus eſt caloris; in Parte, tranſit Dies a mane in meridiem, & per hanc in veſperam, & deſinit in noctem, & ex hac redit in mane, at hic circulus eſt lucis. Omnis etiam homo percurrit naturæ circulum, inchoat vitam ab infantia, e qua progreditur in adoleſcentiam & juventutem, & ab hac in ſenectam, & moritur: conſimiliter omnis avis cæli, & omnis beſtia terræ. Omnis etiam arbor incipit a germine, procedit ad ſtaturam plenam, & ſucceſſive denaſcitur, uſque dum cadit. Simile fit cum omni arbuſto & cum omni virgulto, imo cum omni folio & flore, & quoque cum ipſa humo, quæ tempore ſterilis fit; ut & cum omni aqua quieſcente, quæ ſucceſſive putreſcit. Omnia hæc ſunt Conſummationes alternæ, quæ naturales & temporariæ, ſed uſque periodicæ, nam dum unum a ſua origine ad finem tranſivit, ſimile alterum exoritur, ita unumquodvis naſcitur & denaſcitur, ac iterum naſcitur; propter finem ut continuetur creatio. Quod ſimile fiat cum Eccleſia, eſt quia homo eſt illa, & in communi facit illam, ac una generatio ſequitur alteram, & omnium animorum varietas eſt, & iniquitas ſemel irradicata quoad inclinationem ad illam traducitur in poſteritatem, & illa non exſtirpatur niſi quam per regenerationem, quæ a ſolo Domino fit.

Quod hodie ſit ultimum tempus Eccleſiæ Chriſtianæ, quod a Domino apud Evangeliſtas & in Apocalypſi prædictum & deſcriptum eſt.

757. Quod Conſummatio ſæculi ſignificet ultimum tempus Eccleſiæ, in Articulo præcedente oſtenſum eſt, inde patet, quid per Conſummationem ſæculi, de qua Dominus apud Evangeliſtas, Matth. XXIV: Marc. XIII: Luc. XXI:, loquutus eſt, intelligitur; nam legitur, *Conſidente Jeſu ſuper Monte olivarum acceſſerunt ad Ipſum Diſcipuli ſeorſim, dicentes, quodnam ſignum tui Adventus & Conſummationis ſæculi*, Matth. XXIV: 3; & tunc exorſus Dominus prædixit & deſcripſit Conſummationem, qualis ſucceſſive futura eſt uſque ad ſuum Adventum, & quod tunc venturus in nubibus Cæli cum virtute & gloria, & congregaturus electos ſuos, præter plura, Verſ. 30. 31., quæ nullatenus contigerunt in deſtructione Hieroſolymæ. Hæc ibi Dominus ſermone prophetico deſcripſit, in quo ſingula verba ſunt totidem pondera; quid ſingula ibi involvunt, explicatum eſt in ARCANIS CÆLESTIBUS, n: 3353 ad 3356. 3486 ad 3489. 3650 ad 3655. 3751 ad 3757. 3898 ad 3901. 4057 ad 4060. 4229 ad 4231. 4332 ad 4335. 4422 ad 4424.

758. Quod omnia illa, quæ Dominus cum Diſcipulis loquutus eſt, de ultimo tempore Eccleſiæ Chriſtianæ dicta ſint, manifeſte patet ex Apocalypſi, ubi ſimilia de Conſummatione ſæculi & de Adventu Ipſius, prædicuntur, quæ omnia in APOCALYPSI REVELATA Anno 1766 edita, ſingulatim explicata ſunt: nunc quia illa, quæ Dominus de Comſummatione ſæculi & de Adventu ſuo coram Diſcipulis dixit, coincidunt cum illis, quæ poſtea in Apocalypſi per Johannem de iiſdem revelavit, patet clare, quod non aliam Conſummationem, quam Eccleſiæ hodiernæ Chriſtianæ, intellexerit. Præterea de hujus Eccleſiæ fine etiam apud Danielem prophetatum eſt, quare dicit Dominus, *Cum videritis abominationem deſolationis, prædictam a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit probe notet*, Matth. XXIV: 15. Dan. IX: 27. ſimiliter etiam apud reliquos Prophetas. Quod talis Abominatio deſolationis hodie ſit in Eccleſia Chriſtiana, adhuc patebit ex Appendice, in qua videbitur, quod non unicum genuinum verum in Eccleſia reſiduum ſit, & quoque quod niſi Nova Eccleſia loco hodiernæ exſuſcitetur, *Nulla caro ſalvari poſſit*, ſecundum Verba Domini apud Matthæum Cap. XXIV: 22. Quod Eccleſia Chriſtiana, qualis eſt hodie, in tantum conſummata & vaſtata ſit, non videri poteſt ab illis in terra, qui ſe in falſis ejus confirmaverunt, cauſa eſt, quia confirmatio falſi eſt negatio veri, quare ponit ſicut velum ſub intellectu, & per id cuſtodit, ne quid aliud ſubintret, quod convellit ejus funes & palos, per quos ſyſtematicum ſuum ſicut tentorium firmum ædificavit & conformavit. Accedit, quod Rationale naturale confirmare poſſit quicquid lubet, ita æque falſum ac verum, & quando confirmatum eſt, apparet utrumque in ſimili luce, & non cognoſcitur num lux fatua ſit, qualis datur in ſomnio, vel num ſit lux vera, qualis datur in die: ſed aliter prorſus Rationale ſpirituale, in quo ſunt illi qui ſpectant ad Dominum, & ab Ipſo in Amore veri ſunt.

759. Ex hoc eſt, quod omnis Eccleſia ex Videntibus per confirmationes conſtabilita, appareat ſicut unica ſit in luce, & quod omnes reliquæ, quæ diſſentiunt, ſint in tenebris; nam videntes per confirmationes, ſunt non abſimiles noctuis, quæ vident lucem in umbra noctis, ac interdiu ſolem & ejus radios ſicut caliginem; talis fuit & quoque eſt omnis Eccleſia quæ in falſis, quando ab Anteſignanis ſibi viſis ut lyncei ſemel fundata eſt, qui matutinam lucem ſibi fecerunt ex propria

pria intelligentia, & veſpertinam ex Verbo; numne Eccleſia Judaica, quando prorſus vaſtata eſt, quod erat cum Dominus noſter in Mundum venit, ex ſuis Scribis & Legiſperitis, alte clamavit, quod quia habebat Verbum, ſola in lumine cæleſti eſſet, cum tamen Meſſiam ſeu Chriſtum, qui erat ipſum Verbum & omne in omnibus ejus, crucifixerunt. Quid aliud clamat Eccleſia, quæ per Babyloniam apud Prophetas & in Apocalypſi intelligitur, quam quod ſit Regina & Mater omnium Eccleſiarum, & quod reliquæ, quæ recedunt, ſint proles ſpuriæ, quæ excommunicandæ; & hoc tametſi Dominum Salvatorem ex Solio & Altari detruſit, & ſe ſuper impoſuit. Numne omnis Eccleſia uſque ad ſumme hæreticam, quando ſemel recepta eſt, clamore implet regiones & urbes, quod ſola ſit Orthodoxa, & Oecumenica, & quod apud ſe ſit Evangelium, quod Angelus volans in medio cæli annuntiavit, Apoc. XIV: 6., & quis non audit echo vocis illorum ex vulgo, quod ita ſit. Numne univerſa Synodus Dodrechtana vidit Prædeſtinationem aliter quam ſicut Stellam e Cælo cadentem ſuper Capita illorum, & illud dogma oſculati ſunt, ſicut Philiſtæi idolum Dagonis in fano Eban Eſer Aſdodi, & ſicut Græci palladium in templo Minervæ, nam illud Palladium religionis vocaverunt, non ſcientes quod ſtella cadens ſit meteoron ex luce fatua, quæ dum incidit in cerebrum, confirmare poteſt omne falſum, quod fit per fallacias, uſque ut credatur lux vera, ac decretum ut ſtella fixa, & tandem ut juretur quod ſit ſidus ſiderum. Quis perſuaſius loquitur de certitudine ſuæ phantaſiæ, quam Naturaliſta atheus, numne ad Divina Dei, Cæleſtia Cæli, & ad Spiritualia Eccleſiæ toto pectore ridet. Quis Lunaticus non credit fatuitatem ſuam eſſe ſapientiam, & ſapientiam eſſe fatuitatem. Quis ex viſu oculari dignoſcit fatuam lucem ligni putris a luce lunæ. Quis qui balſamica averſatur, ut faciunt uterino morbo affectæ, non illa repellit a naribus, & maleolentia illis præfert: & ſic porro; Hæc adducta ſunt, illuſtrationis cauſa, ad ſciendum, quod a ſolo naturali lumine non cognoſcatur, quod Eccleſia conſummata ſit, hoc eſt, quod in meris falſis ſit, priusquam veritas e Cælo in ſua luce affulget; quia falſum non videt verum, ſed verum videt falſum; & omnis homo talis eſt, quod poſſit videre & comprehendere verum, dum id audit, ſed confirmatus in falſis, non poteſt inferre illud in intellectum ut maneat, quoniam non aliquem locum invenit, & ſi forte intrat, turma falſitatum congregata illud ut heterogeneum ejicit.

Quod Ultimum hoc tempus Eccleſiæ Chriſtianæ, ſit ipſa Nox, in quam deſierunt Eccleſiæ priores.

760. Quod in hac Tellure poſt Creationem ejus fuerint quatuor Eccleſiæ in Communi, quarum una ſucceſſit alteri, conſtare poteſt ex Verbo tam Hiſtorico quam Prophetico, imprimis apud Danielem, apud hunc quatuor illæ Eccleſiæ deſcribuntur per Statuam Nebuchadnezari viſam in ſomnio, Cap. II; & poſtea per quatuor Beſtias e mari aſcendentes, Cap. VII: Prima Eccleſia, quæ vocanda eſt Antiquiſſima, ante diluvium exſtitit, cujus Conſummatio ſeu exitus deſcribitur per Diluvium: Altera Eccleſia, quæ vocanda eſt Antiqua, fuit in Aſia, & quoad partem in Africa, quæ Conſummata eſt & periit per Idololatrias. Tertia Eccleſia erat Iſraelitica, incepta a promulgatione Decalogi ſuper Monte Sinai, & continuata per Verbum a Moſe & Prophetis conſcriptum, & conſummata ſeu finita per prophanationem Verbi, cujus plenitudo fuit tempore, quo Dominus in Mundum venit, quare Ipſium, qui fuit Verbum, crucifixerunt. Quarta Eccleſia eſt Chriſtiana a Domino per Evangeliſtas & Apoſtolos inſtaurata; hujus binæ Epochæ fuerunt, una a tempore Domini uſque ad Concilium Nicænum, & altera ab illo

Con-

Concilio uſque ad hodienum diem; verum hæc in progreſſu tripartita eſt, in Græcam, Romano-Catholicam, & Reformatam; attamen omnes hæ vocatæ ſunt Chriſtianæ. Præterea intra quamvis Eccleſiam communem fuerunt plures particulares, quæ tametſi receſſerunt, uſque nomen a Communi retinuerunt, ſicut hæreſes in Chriſtiana.

761. Quod ultimum tempus Eccleſiæ Chriſtianæ, ſit ipſa Nox, in quam deſierunt priores, conſtat ex Domini Prædictione de illa apud Evangeliſtas & apud Danielem; apud Evangeliſtas ex his „*Quod viſuri ſint Abominationem deſolationis, & quod futura ſit afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi, uſque nunc, nec fiet: & quod niſi abbreviarentur dies illi, nulla caro ſalvari poſſet: & denique, Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo*, Matth. XXIV: 15 21. 22. 29. Illud tempus vocatur Nox etiam alibi apud Evangeliſtas, ut apud Lucam „*In Nocte illa erunt duo ſuper lecto uno, unus acceptabitur, alter vero deſeretur*, XVII: 34; & apud Johannem, *Me oportet operari opera Ipſius qui miſit Me, veniet Nox, quando nemo poterit operari*, IX: 4. Quoniam omnis Lux in media nocte abit, & Dominus eſt vera Lux, Joh. I: 4. ſeq. Cap. VIII: 12. Cap. XII: 35. 36. 46; ideo ad Diſcipulos, cum aſcendit in Cælum, dixit, *Ego vobiſcum ſum uſque ad Conſummationem ſæculi*, Matth. XXVIII: 20, & tunc ab illis ad Novam Eccleſiam abit. Quod ultimum hoc tempus Eccleſiæ ſit ipſa Nox, in quam deſierunt Eccleſiæ priores, conſtat etiam apud Danielem ex his, *Tandem ſuper avem abominationum Deſolatio, & uſque ad Conſummationem & Deciſum ſtillabit ſuper Devaſtationem*, Cap. IX: 27, quod hoc de Eccleſiæ Chriſtianæ fine prædictum ſit, patet clare a Domini verbis, Matth. XXIV: 18: tum ex his apud Danielem de quarto Regno ſeu de quarta Eccleſia repræſentata per ſtatuam Nebuchadnezaris „*Quod vidiſti ferrum mixtum cum argilla luti, commiſcebunt ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non cum argilla*, Cap. II: 43, ſemen hominis eſt verum Verbi. Et quoque ex his de quarta Eccleſia repræſentata per quartam Beſtiam aſcendentem ex mari „*Videns fui in viſionibus noctis, & ecce Beſtia quarta, terribilis & formidabilis, comedet univerſam terram, & conculcabit eam, & conteret eam*, Cap. VII: 7. 23. per quæ intelligitur, quod conſummatura ſit omne verum Eccleſiæ; & tunc erit Nox, quia verum Eccleſiæ eſt lux. Similia de hac Eccleſia prædicuntur plura in Apocalypſi, imprimis Cap. XVI, ubi agitur de phialis iræ Dei, effuſis in terram, per quas ſignificantur falſitates, quæ tunc Eccleſiam inundabunt & perdent. Similiter multis in locis apud Prophetas, ut in his „*Nonne tenebræ dies Jehovæ & non lux, caligo & non ſplendor*, Amos V: 18. 20. Zeph. I: 15. tum, *In die illo deſpiciet Jehovah in terram, quæ ecce tenebræ, & lux obtenebreſcet in ruinis ſuis*, Eſaj. V: 30. Cap. VIII: 22; dies Jehovæ eſt dies adventus Domini.

762. Quod quatuor Eccleſiæ poſt Creationem Mundi in hac Tellure exſtiterint, eſt ſecundum ordinem Divinum, qui eſt, quod principium ſit & ejus finis, antequam novum principium exſurgit: inde eſt, quod omnis dies inchoet a mane, & progrediatur, & deſinat in noctem, & poſt hanc e novo inchoet: tum quod omnis annus exordiatur a vere, & per æſtatem progrediatur ad autumnum, & deſinat in hyemem, & poſt hanc iterum exordiatur; ut hæc fiant, eſt quod Sol ſurgat in Oriente, & exinde per meridiem progrediatur in Occidentem, & deſinat in ſeptentrionem, e qua rurſus exoritur. Simile eſt cum Eccleſiis, Prima illarum quæ antiquiſſima, fuit ſicut mane, ver & oriens; Altera ſeu antiqua fuit ſicut dies, æſtas & meridies; Tertia ſicut veſpera, autumnus & occidens; & Quarta ſicut nox, hyems, & ſeptentrio. Ex his progreſſionibus ſecundum ordinem, ſapientes Antiqui concluſerunt quatuor Ætates Mundi, quarum primam vocabant auream, ſecundam argenteam, tertiam cupream, & quartam ferream, cum quibus metallis etiam ipſæ Eccleſiæ repræſentatæ ſunt per ſtatuam Nebuchadnezaris. Præterea Eccleſia

cleſia coram Domino apparet ſicut unus homo, & Maximus hic Homo tranſibit ætates ſuas ſicut parvus homo, videlicet ab infantia ad adoleſcentiam, & per hanc ad juventutem, & tandem in ſenectam, & tunc cum moritur, reſurget: dicit Dominus, *Niſi granum tritici cadens in terram moriatur, manet, at vero ſi moritur, multum fructum fert*, Joh. XIV: 24.

763. Quod ſecundum ordinem ſit, ut primum procedat ad ſuum ultimum in Communi & in Particulari, eſt ut omnium varietas exiſtat, & per varietates omnis qualitas, nam qualitas per differentias relativas ad plus & minus oppoſita perficitur; quis non poteſt videre quod Verum ſuum quale accipiat, per quod detur Falſum, ſimiliter Bonum quod detur Malum, ſimiliter ut lux quod detur caligo, & calor quod detur frigus. Quid color, ſi modo daretur album & non nigrum, aliunde non eſt colorum intermediorum qualitas niſi imperfecta. Quid Senſus abſque relatione, & relatio niſi ad oppoſita, numne viſus oculi infuſcatur ex ſolo albo, & vivificatur ex colore, qui intus aliquid trahit ex nigro, qualis eſt color viridis; numne Auris ſurdeſcit ex uno tono continue ſtringente organa ejus, & excitatur ex modulamine, quod variatur per relationes. Quid pulchrum abſque relatione ad impulchrum, quare ut pulchritudo alicujus virginis ad vivum ſiſtatur, in quibuſdam picturis ad latus apponitur imago deformis. Quid jucundum & fauſtum abſque relatione ad injucundum & infauſtum. Quis non delirat ex una conſtante idea, niſi varietas ex talibus quæ vergunt ad oppoſita, interpolet illam. Simile eſt in ſpiritualibus Eccleſiæ, quorum oppoſita ſe referunt ad malum & falſum; quæ tamen non ſunt ex Domino, ſed ex homine, cui liberum arbitrium eſt, quod ad bonum uſum & ad malum uſum poteſt flectere; comparative ſicut eſt cum caligine & frigore, hæc non ſunt ex Sole, ſed ex Tellure, quæ per circumvolutiones ſucceſſive ſe ſubducit & vertit, & tamen abſque verſione & ſubductione ejus, non foret dies nec annus, & inde non aliquid, nec aliquis ſuper terra. Audivi, quod Eccleſiæ, quæ in differentibus bonis & veris ſunt, modo bona illorum ſe referunt ad amorem in Dominum, & vera ad fidem in Dominum, ſint veluti totidem Clenodia in Corona Regis.

Quod poſt hanc Noctem ſequatur Mane, & quod Adventus Domini ſit illud.

764. Quoniam Status ſucceſſivi Eccleſiæ in communi & in particulari, per quatuor tempora Anni, quæ ſunt ver, æſtas, autumnus & hyems, & per quatuor tempora Diei, quæ ſunt mane, meridies, veſpera & nox, in Verbo deſcribuntur, & quia hodierna Eccleſia in Chriſtianiſmo eſt Nox, ſequitur, quod nunc inſtet Mane, hoc eſt, Primum Eccleſiæ novæ. Quod ſucceſſivi ſtatus Eccleſiæ, per quatuor ſtatus lucis diei in Verbo deſcribantur, conſtat ex his locis ibi, *Uſque ad* VESPERAM & MANE, *bis mille trecenta, tunc juſtificabitur Sanctum; viſio* VESPERÆ *&* MANE, *veritas eſt*, Dan. VIII: 14. 16. *Ad Me clamans e Seir cuſtos, cuſtos quid de* NOCTE, *dixit cuſtos, venit* MANE, *etiamque* Nox, Eſaj. XXI: 11. 12. *Venit finis, venit* MANE *ſuper te, habitator Terræ; ecce* DIES *venit, exivit* MANE, Ezech. VII: 6. 7. 10. *Jehovah in* MANE, *in* MANE *judicium ſuum dabit in lucem, nec deerit*, Zeph. III: 5. *Deus in medio ejus, adjuvabit eum Deus cum ſpectat* MANE, Pſalm XLVI: 6. *Exſpectavi Jehovam, exſpectat anima mea Dominum a cuſtodientibus* MANE, *coſtodientes* MANE, *quia plurima cum Ipſo Redemptio, & Ille redimet Iſraelem*, Pſalm CXXX: 5 ad 8. In his locis per Veſperam & Noctem intelligitur ultimum tempus Eccleſiæ, & per Mane primum ejus: Ipſe Dominus etiam vocatur Mane in his locis „ *Dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt*

Petra Iſraelis, *Ille ſicut* LUX MANE, MANE *ſine nubibus*, II Sam. XXIII: 3. 4. *Ego ſum radix & genus Davidis*, STELLA ſplendida & MATUTINA, Apoc. XXII: 16. *Ex utero* AURORÆ *tibi ros juventutis tuæ*, Pſalm CX: 3, hæc de Domino. Quoniam Dominus eſt Mane, ideo etiam e ſepulchro ſurrexit primo Mane, inchoaturus Novam Eccleſiam, Marc. XVI: 2. 9. Quod Adventus Domini exſpectandus ſit, conſtat manifeſte ex prædictione de illo a Domino, apud Matthæum, *Conſedente Jeſu ſuper Monte olivarum, acceſſerunt ad Ipſum Diſcipuli, dicentes, dic nobis, quodnam* SIGNUM TUI ADVENTUS *& Conſummationis ſæculi*, Cap. XXIV: 3. *Poſt afflictionem dierum iſtorum Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cælorum commovebuntur: & tunc apparebit* SIGNUM FILII HOMINIS, *& videbunt* FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS CÆLI CUM VIRTUTE ET GLORIA, ibid. Verſ. 29. 30. Marc. XIII: 26. Luc. XXI: 27. *Sicut dies Noe, ſic etiam erit* ADVENTUS FILII HOMINIS; *Propterea vos eſtote parati, quia qua hora non putatis*, FILIUS HOMINIS VENIET, ibid. Verſ. 37. 39. 44. 46. Apud Lucam „ FILIUS HOMINIS VENIENS *num inveniet fidem ſuper terra*, Cap. XVIII. 8. Apud Johannem, *Jeſus dixit de Johanne, ſi illum volo manere* DONEC VENIO, Cap. XXI: 22. 23. In Actis Apoſtolorum, *Dum viderunt Jeſum ſublatum in Cælum, viri duo ſtabant apud illos in veſtitu albo, & dicebant, Jeſus, qui ſublatus eſt a vobis in Cælum*, SIC VENIET, QUEMADMODUM VIDISTIS IPSUM EUNTEM IN CÆLUM, Cap. I: 9. 10, 11. In Apocalypſi „ *Dominus Deus Sanctorum Prophetatum, miſit Angelum ſuum ad monſtrandum ſervis ſuis, quæ oportet fieri*, ECCE VENIO, *beatus, qui ſervat mandata Libri hujus, &* ECCE VENIO, *& merces mea Mecum, ut dem unicuique ſecundum opus ejus*, Cap. XXII: 6. 7. 12. Et adhuc, *Ego* JESUS *miſi Angelum meum ad teſtandum vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum Radix & Genus Davidis, Stella ſplendida & matutina: Spiritus & Sponſa dicunt*, VENI, *& qui audit, dicito* VENI; *& qui ſitit*, VENITO, *& qui vult, ſumito aquam vitæ gratis*, ibid. Verſ. 16. 17. Et adhuc, *Dicit, qui teſtatur hæc*, ETIAM VENIO; *Amen*, ETIAM VENI DOMINE JESU. GRATIA DOMINI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS, *Amen*, ibid. Verſ. 20. 21.

766. Dominus apud omnem hominem eſt præſens, ac urget & inſtat ut recipiatur, & dum homo recipit illum, quod fit cum agnoſcit Ipſum pro ſuo Deo Creatore, Redemptore, & Salvatore, eſt primus adventus Ipſius, qui vocatur Diluculum; ex hoc tempore incipit homo quoad intellectum in ſpiritualibus illuſtrari, & progredi in ſapientiam plus & plus interiorem, & ſicut illam a Domino recipit, ita progreditur per mane in Diem, & hic dies perſtat apud illum in ſenium uſque ad mortem, & poſt hanc in Cælum ad Ipſum Dominum venit, & ibi tametſi ſenex mortuus eſt, reducitur in mane ſuæ ætatis, ac inchoamenta ſapientiæ in Mundo naturali implantatæ continuat in æternum.

767. Homo qui in fide in Dominum eſt, & in charitate erga proximum, eſt Eccleſia in particulari, Eccleſia in communi ex ſimilibus componitur. Hoc mirabile eſt, quod omnis Angelus aſpiciat Dominum, in quacunque converſione corporis & faciei ſit, ante ſe; eſt enim Dominus Sol Cæli Angelici, hic eſt qui coram oculis eorum, dum in ſpirituali meditatione ſunt, apparet; ſimile fit apud hominem in Mundo, in quo eſt Eccleſia, quoad viſum ejus ſpiritus; ſed quia hic obvelatur viſu naturali, cui adblandiuntur reliqui Senſus, quorum objecta ſunt talia quæ corporis & mundi ſunt, ignoratur hic Status ſpiritus ejus; hic aſpectus Domini in quacunque converſione, trahit originem ex eo, quod omne verum, ex quo ſapientia & fides, & omne bonum, per quod amor & charitas, ſint a Domino, & quod ſint Domini apud illum, & inde unumquodvis verum ſapientiæ eſt ſicut ſpeculum in quo Dominus, & omne bonum amoris eſt imago Domini; inde hoc mirabile eſt: Spiritus autem malus perpetuo ſe avertit a Domino, & jugiter ſpectat ad ſuum amorem, & hoc quoque in omni converſione

ne corporis & faciei ejus; cauſa eadem eſt, ſed vice verſa; nam omne malum eſt in quadam forma imago amoris regnantis ejus, & falſum inde ſiſtit illam imaginem ut in ſpeculo. Quod tale quid etiam implantatum ſit naturæ, concludi poteſt a quibuſdam germinationibus inter herbacea, quibus circumſtipantur, quod enitentur ſuper illa in altum, ut aſpiciant ſolem; tum quod aliquæ ab oriente ad occaſum Diei ſe vertant ad illum, ut ſic ſub ejus auſpicio matureſcant; nec in dubio ſum, quin omni termiti & palmiti cujuſvis arboris ſimilis conatus & niſus inſit, ſed quia illis non elaſticum flexionis & converſionis eſt, ſubſiſtit actus: quod etiam omnes gurgites aquæ & ſyrtes oceani ſponte ſua circumferantur ſecundum communem Solis progreſſum, patet inquiſitori. Quid non homo, qui ad imaginem Dei creatus eſt, niſi inſitum illum conatum & niſum a Creatore per dotem liberi ſui arbitrii aliunde vertat. Hoc quoque aſſimilari poteſt ſponſæ, quod aliquid imaginis ſponſi viſu ſpiritus ſui jugiter ferat, & in ejus donis, ſicut in ſpeculis, illum videat, ac adventum illius diſcupiat, & quod venientem excipiat gaudio, in quod amor pectoris ejus exultat.

Quod Adventus Domini non ſit Adventus Ipſius ad delendum Cælum aſpectabile & Terram habitabilem, & ad creandum Novum Cælum & Novam Terram, ſicut hactenus multi ex non intellecto ſenſu ſpirituali Verbi opinati ſunt.

768. Sententia hodie vigens in Eccleſiis eſt, quod Dominus, cum ad ultimum judicium veniet, appariturus ſit in nubibus Cæli cum Angelis & clangore tubarum, & congregaturus omnes qui ſuper Tellure habitant, & ſimul qui defuncti ſunt, ac ſeparaturus malos a bonis, ſicut paſtor hircos ab ovibus, & quod tunc conjecturus ſit malos ſeu hircos in infernum, ac bonos ſeu oves elevaturus in Cælum: & quod tunc ſimul creaturus ſit Novum Cælum aſpectabile, & Novam Terram habitabilem; & ſuper hanc demiſſurus ſit Urbem, quæ vocabitur Nova Hieroſolyma, cujus ſtructura erit ſecundum deſcriptionem in Apocalypſi Cap. XXI, videlicet ex jaſpide & auro, & ejus muri fundamenta ex omni lapide pretioſo, ac ejus altitudo, latitudo & longitudo æquales, unaquævis 12000 Stadiorum; & quod in hanc Urbem congregarentur omnes electi, tam qui vivunt, quam qui ab initio Mundi obiverunt; & quod hi tunc redituri in ſua corpora, ac æterno gaudio in magnifica illa Urbe, ut in ſuo Cælo, fruituri. Hæc Sententia de adventu Domini, & de Ultimo judicio, eſt hodie regnans in Eccleſiis Chriſtianis.

769. De Animarum ſtatu poſt mortem univerſaliter & ſingulariter hodie creduntur hæc; quod Animæ humanæ poſt mortem, ſint Pneumata; de quibus ideam fovent ſicut de halitu venti, & quod quia tales, ad diem ultimi judicii reſerventur vel in medio terræ, ubi eſt Purgatorium eorum, vel in Limbo patrum, ſed diſſident in his, quidam opinantur quod ſint formæ æthereæ vel aereæ, & ſic quod ſint ſicut larvæ & ſpectra, & quod quædam ex his habitent in aere, quædam in ſylvis, quædam in aquis; quidam autem opinantur quod animæ defunctorum transferantur in planetas, vel in ſtellas, & ibi illis dentur habitacula; & quidam quod poſt millia annorum redeant in corpora; plerique autem, quod reſerventur ad tempus, dum univerſum Firmamentum una cum Orbe Terraqueo periturum eſt, quod fiet per ignem vel erupturum ex Centro terræ, vel dejectum e Cælo ſicut fulmen univerſale; & quod tunc ſepulchra aperientur, & animæ reſervatæ reinduerentur ſuis corporibus, & transferrentur in Sanctam illam Urbem Hieroſolymam, & ſic ſuper terra al-

alia in Corporibus illuſtratis cohabitarent, quidam inferius ibi, quidam ſuperius, quia altitudo ejus futura eſt 12000 Stadiorum, ſicut ejus latitudo & altitudo, Apoc. Cap. XXI: 16.

770. Cum interrogatur Clericus & Laicus, num omnia illa firmiter credant, ut quod Antediluviani una cum Adamo & Eva, & Poſtdiluviani una cum Noacho & ejus filiis, tum Abrahamus, Iſacus & Jacobus una cum omnibus Prophetis & Apoſtolis, ſimiliter ac reliquorum hominum Animæ, adhuc reſerventur in meditullio terræ, aut volitent in æthere aut aere; tum etiam num credant, quod Animæ reinduituræ ſint corpora ſua, & cum his coalituræ, quæ tamen ſunt cadavera exeſa a vermibus, muribus & piſcibus, & Ægyptiaca ut mumia ab hominibus exeſa, & quædam modo ſceleta exuſta ſole & dilapſa in pulverem; & quoque num credant, quod ſtellæ Cæli tunc delapſuræ ſint ſuper terram, quæ tamen minor una illarum eſt; numne talia ſunt paradoxa, quæ ipſa ratio diſſipat, ſicut ſolet contradictoria. Sed ad hæc quidam nihil reſpondent, quidam quod illa ſint fidei, ſub cujus obedientia captamus intellectum; quidam quod non modo hæc, ſed etiam ſupra rationalia plura ſint Divinæ Omnipotentiæ; & cum nominant Fidem & Omnipotentiam, exulat ratio, & tunc ſana ratio vel diſparatur, & fit ſicut nihil, vel fit ſicut ſpectrum, & vocatur inſania; addunt, ſuntne illa ſecundum Verbum, quis non ex illo cogitabit & loquetur.

771. Quod Verbum in litera per Apparentias & Correſpondentias conſcriptum ſit, & quod ideo in ſingulis ejus ſit Senſus ſpiritualis, in quo veritas eſt in ſua luce, & Senſus literæ in umbra, in Capite de Scriptura Sacra oſtenſum eſt. Ne itaque homo Eccleſiæ novæ, ſicut homo Eccleſiæ veteris, erret in umbra, in qua eſt Senſus literæ Verbi, imprimis de Cælo & Inferno, deque Vita ſua poſt mortem, & hic de Adventu Domini, placuit Domino aperire viſum ſpiritus mei, & ſic intromittere in Mundum ſpiritualem, & non modo dare loqui cum ſpiritibus & angelis, cumque cognatis & amicis, imo cum regibus & principibus, qui fata ſua in Mundo naturali obiverunt, ſed etiam videre ſtupenda Cæli, & miſeranda Inferni, & ſic quod homo non degat in aliquo Pu terræ, nec circumvolitet cæcus & mutus in aere aut in inani, ſed quod vivat homo in corpore ſubſtantiali, in multo perfectiori ſtatu, ſi inter beatos venit, quam prius cum in corpore materiali vixit. Ne itaque homo ſe ulterius profundet in Opinione de interitu Cæli aſpectabilis & Terræ habitabilis, & ſic de Mundo ſpirituali, ex ignorantia, ex qua naturaliſmus & ſimul tunc atheiſmus, qui hodie inter Eruditos in mente rationali interiore cæptus eſt radicari, latius, ſicut morticinum in carne, etiam in Mentem ejus externam, ex qua loquitur, ſe circumſpargat, injunctum a Domino mihi eſt, varia ex viſis & auditis promulgare, tam de Cælo et Inferno, quam de Ultimo Judicio; & quoque Apocalypsin, ubi de Adventu Domini, & de Cælo priori, & de Cælo novo, deque Sancta Hieroſolyma, agitur, explicare; a quibus lectis & intellectis, quiſque videre poteſt, quid ibi per Adventum Domini, perque Novum Cælum, & per novam Hieroſolymam, intelligitur.

Quod hic adventus Domini, qui eſt Secundus, exiſtat propter cauſam, ut ſeparentur mali a bonis, ac ut ſalventur illi, qui crediderunt & credunt in Ipſum, ac ut ex his formetur Novum Cælum Angelicum, & Nova Eccleſia in terris, & quod abſque eo, non poſſet ulla Caro conſervari, Matth. XXIV: 22.

772. Quod Secundus hic Adventus Domini, non exiſtat ad delendum Cælum aſpectabile & Terram habitabilem, in antecedente Articulo monſtratum eſt: quod non ad deſtruendum aliquid, ſed ad ædificandum, proinde non ad condemnandum, ſed ad ſalvandum illos, qui a primo Adventu Ipſius crediderunt in Ipſum, & poſtea crediturí ſunt, conſtat ex his Domini verbis „*Non miſit Deus Filium ſuum in Mundum, ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per Ipſum, qui credit in Ipſum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 17: & alibi, *Si quis mea audiverit verba, non tamen crediderit, Ego non judico illum, non enim veni, ut judicem Mundum, ſed ut ſalvem Mundum; qui contemnit Me, & non recipit mea verba, habet quod judicat illum, Verbum quod loquutus ſum, illud judicabit illum*, Cap. XII: 47. 48. Quod ultimum Judicium factum ſit in Mundo ſpirituali Anno 1757, in Opuſculo de ULTIMO JUDICIO, Londini Anno 1758 edito, & porro in CONTINUATIONE DE ILLO, Amſtelodami 1763, evulgatum eſt; quod teſtor, quia oculis meis in plena vigilia illud vidi.

773. Quod Adventus Domini ſit ad formandum novum Cælum ex illis qui crediderunt in Ipſum, & ad inſtaurandum novam Eccleſiam ex illis qui poſthac in Ipſum credunt, eſt quia illa duo ſunt fines Adventus Ipſius: ipſe finis creationis Univerſi nec fuit alius, quam ut ex hominibus formaretur Cælum Angelicum, in quo omnes qui in Deum credunt, victuri ſint in beatitudine æterna, Divinus enim Amor, qui eſt in Deo & eſſentialiter Deus, non aliud poteſt intendere, & Divina Sapientia, quæ etiam eſt in Deo & Deus, nec aliud poteſt producere. Quoniam Creatio univerſi pro fine habuit Cælum Angelicum ex Humano Genere, & ſimul Eccleſiam in terris, nam per hanc tranſibit homo in Cælum, & quoniam Salvatio hominum, quæ fit ex hominibus naſcituris in Mundo, ſic eſt continuatio creationis, ideo paſſim in Verbo dicitur Creare, & per id intelligitur formare ad Cælum, ut in his locis „*Cor mundum* CREA *mihi Deus, & ſpiritum firmum innova in medio mei*, Pſalm LI: 12. *Aperis manum, ſaturantur bono, emittis ſpiritum,* CREANTUR, Pſalm CIV: 28. 30. *Populus, qui* CREABITUR, *laudabit Jah*" Pſalm CII: 19. *Sic dixit Jehovah* CREATOR TUUS *Jacob*, FORMATOR *tuus Iſrael, redemi te, vocavi nomine meo tu, omnem vocatum a Nomine meo, in gloriam meam* CREAVI EUM, Eſaj. XLIII: 1. 7. *In die, quo* CREATUS *es, præparata ſunt; perfectus tu in viis tuis in die quo* CREATUS *es, donec inventa eſt perverſitas in te*, Ezech. XXVIII: 13. 15, hæc de Rege Tyri. *Ut videant, cognoſcant, attendant & intelligant, quod manus Jehovæ fecerit hoc; & Sanctus Iſraelis* CREAVERIT *hoc*, Eſaj. XLI: 19. 20. Ex his conſtare poteſt, quid per Creare intelligitur in ſequentibus his „*Jehovah* CREANS *Cælos, extendens Terram, dans animam populo ſuper illa, & ſpiritum ambulantibus in illa*, Eſaj. XLII: 5. Cap. XLV: 12. 18. *Ecce Ego* CREANS CÆLUM NOVUM ET TERRAM NOVAM, *lætamini in æternum, quæ Ego* CREANS: *ecce Ego* CREATURUS SUM HIEROSOLYMAM *exultationem*, Eſaj. LXV: 17. 18.

774. Præſentia Domini perpetua eſt apud unumquemvis hominem tam malum quam bonum, nam abſque præſentia Ipſius non vivit ullus homo; ſed Adventus Ip-

Ipſius eſt ſolum apud illos, qui Ipſum recipiunt, qui ſunt qui credunt in Ipſum & faciunt mandata Ipſius: Præſentia Domini perpetua facit, ut homo fiat rationalis, & quod fieri poſſit ſpiritualis; hoc facit Lux procedens a Domino ut Sole in Mundo ſpirituali, quam homo recipit intellectu, & Lux illa eſt veritas, per quam ei eſt rationalitas; Adventus autem Domini eſt apud illum, qui luci iſti calorem conjungit, hoc eſt, veritati amorem, calor enim ex eodem illo Sole procedens, eſt amor in Deum, & erga proximum. Sola præſentia Domini, & inde illuſtratio intellectus, comparari poteſt cum præſentia Lucis ſolaris in Mundo, quæ niſi conjungitur cum calore, deſolantur omnia ſuper tellure; aſt adventus Domini comparari poteſt cum adventu caloris, qui fit tempore veris, & quia tunc calor ſe conjungit luci, emolleſcit terra, egerminant ſemina, & ferunt fructus; talis paraleliſmus eſt inter ſpiritualia, in quibus eſt ſpiritus hominis, & inter naturalia, in quibus eſt corpus ejus.

775. Simile eſt cum homine Eccleſiæ in concreto ſeu in compoſito, quemadmodum eſt cum homine individuo ſeu in particulari; homo in concreto ſeu compoſito, eſt Eccleſia inter plures, & homo in individuo ſeu particulari, eſt Eccleſia in unoquovis inter illos plures. Secundum ordinem Divinum eſt, ut communia ſint & particularia, & ut utraque ſimul in unaquavis re ſint, & quod particularia alioquin non exiſtant & ſubſiſtant; ſicut non quicquam particulare intus in homine, niſi communia ſint, quibus circumdentur; particularia in homine ſunt viſcera & horum partes, & communia ſunt involucra, quæ non ſolum ſunt circum totum hominem, ſed etiam circum ſingula viſcera, & circum ſingulas partes eorum: ſimile eſt in omni beſtia, ave & verme; & ſimile in omni arbore, frutice, & ſemine; nec poteſt Sonus dari ex fidibus & per flatum, niſi communiſſimum ſit, ex quo ſingula modulaminis trahunt ſuum commune, ut exiſtant; ſimile etiam eſt cum omni Senſu corporis, ut cum viſu, auditu, olfactu, guſtu & tactu, & quoque ſimile eſt cum omni Senſu interno, qui ſunt mentis. Hæc illuſtrationis cauſa adducta ſunt, ut ſciatur quod etiam in Eccleſia ſint Communia & Particularia, & quoque Communiſſima, & quod inde ſit, quod quatuor Eccleſiæ præceſſerint in ordine, ex qua progreſſione ortum eſt Communiſſimum Eccleſiæ, & ſucceſſive commune & particulare cujuſvis. In homine etiam ſunt duo Communiſſima, ex quibus omnia communia & ſingula particularia ejus trahunt ſuam exiſtentiam; duo illa Communiſſima in corpore ſunt Cor & Pulmo, in ſpiritu ejus Voluntas & Intellectus, ex his & illis pendent omnia vitæ ejus tam in communi quam in particulari, quæ ſine illis dilaberentur & emorerentur: ſimile foret cum univerſo Cælo Angelico, & cum univerſo Genere humano, imo cum univerſo Mundo Creato, niſi a Deo, Ipſius Amore & Sapientia, omnia in communi, & ſingula in particulari, penderent.

Quod Secundus hic Adventus Domini non ſit in Perſona, ſed quod ſit in Verbo, quod eſt ab Ipſo, & Ipſe.

776. Legitur multis in locis, quod Dominus venturus ſit in nubibus Cæli, ut Matth. XVII: 5. Cap. XXIV: 30. Cap. XXVI: 64. Marc. XIV: 61. 62. Luc. IX: 34. 35. Cap. XXI: 27. Apoc. I: 7. Cap. XIV: 14. Dan. VII: 13. Sed hactenus nemo novit, quid per Nubes Cæli intellectum eſt, crediderunt, quod in illis in Perſona appariturus ſit. Quod autem per Nubes Cæli intelligatur Verbum in Senſu literæ, & per Gloriam & Virtutem, in quibus etiam tunc venturus, Matth. XXIV: 30, intelligatur Senſus ſpiritualis Verbi, hactenus latuit, quia nemo huc uſque ne quidem conjectura aſſequutus eſt, quod aliquis Senſus ſpiritualis, qualis

hic

hic in ſe eſt, in Verbo ſit. Nunc quia a Domino mihi apertus eſt Senſus Verbi ſpiri ualis, & mihi datum eſt una cum Angelis & Spiritibus in Mundo eorum ſicut unus ex illis eſſe, detectum eſt, quod per Nubem Cæli intelligatur Verbum in Senſu naturali, & per Gloriam Verbum in Senſu ſpirituali, & per Virtutem potentia Domini per Verbum. Quod nubes Cæli illud ſignificet, videri poteſt ex his locis in Verbo „*Non ſicut Deus Jeſhurun, equitans in Cælo, & in magnificentia ſuper* NUBIBUS, Deutr. XXXIII: 26. 27. *Cantate Deo, laudate nomen Ipſius, extollite equitantem ſuper* NUBIBUS, Pſalm LXVIII: 5. *Jehovah equitans ſuper* NUBE LEVI, Eſaj. XIX: 1. Equitare ſignificat inſtruere in Divinis veris ex Verbo, Equus enim ſignificat intellectum Verbi; videatur Apoc. rev. n: 298. quis non videt, quod Deus non equitet ſuper nubibus. Porro, *Deus equitavit ſuper Cherubis, & poſuit tentorium ſuum* NUBES CÆLORUM, Pſalm XVIII: 11 ad 13; Cherubi etiam ſignificant Verbum, videatur APOCALYPSIS REVELATA, n: 239. 672. *Jehovah ligat aquas in Nubibus ſuis, & expandit ſuper ſolium* NUBEM SUAM, Hiob XXVI: 8. 9. *Date robur Jehovæ, robur ſuper* NUBIBUS, Pſalm LXVIII: 35. *Creavit Jehovah ſuper omne habitaculum Zionis* NUBEM *interdiu, nam ſuper omni gloria obtegumentum*, Eſaj. IV: 5; Verbum in Senſu literæ etiam repræſentabatur per NUBEM, in qua deſcendit Jehovah ſuper Montem Sinai, cum Legem promulgavit, illa Legis, quæ tunc promulgata ſunt, fuerunt primitiæ Verbi. Ad confirmationem etiam addenda ſunt hæc; in Mundo ſpirituali ſunt Nubes æque ſicut in Mundo naturali, ſed ex alia origine; in Mundo ſpirituali ſunt Nubes lucidæ quandoque ſupra Cælos Angelicos, at Nubes furvæ ſuper Inferna; Nubes lucidæ ſuper Cælos Angelicos, ſignificant obſcuritatem ibi ex Senſu literali Verbi, at cum diſſipantur illæ nubes, ſignificant quod in Charitate ejus ſint ex Senſu ſpirituali: at Nubes furvæ ſuper Inferna ſignificant falſificationem & prophanationem Verbi. Quod Nubes in Mundo ſpirituali talia ſignificent, eſt origo, quia Lux, quæ procedit a Domino ut Sole ibi, ſignificat Divinum Verum, quare Ipſe vocatur Lux, Joh. I: 9. Cap. XII: 35. inde eſt, quod Ipſum Verbum, quod in adytis templorum ibi reſervatur, candida luce circumcinctum appareat; & obſcuritas ejus inducitur per Nubes.

777. Quod Dominus ſit Verbum, manifeſte conſtat ex his apud Johannem „*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum eſt*, Cap. I: 1. 14. Quod Verbum ibi ſit Divinum Verum, eſt quia Divinum Verum Chriſtianis non aliunde eſt, quam ex Verbo, quod eſt Fons, a quo omnes Eccleſiæ a Chriſto nominatæ aquas vivas hauriunt in ſua plenitudine, tametſi ſicut in nube, in qua Senſus ejus naturalis eſt, aſt in gloria & virtute in qua Senſus ſpiritualis & cæleſtis ejus eſt; quod in Verbo ſint tres Senſus, Naturalis, ſpiritualis & Cæleſtis, unus interior altero, in Capite de SCRIPTURA SACRA, & in Capite de DECALOGO ſeu CATECHISMO, oſtenſum eſt; inde patet quod per Verbum apud Johannem intelligatur Divinum Verum; idem etiam adhuc teſtatur Johannes in ſua Prima Epiſtola „*Scimus quod Filius Dei venerit, & dederit nobis* INTELLECTUM, *ut cognoſcamus* VERUM, *& ſumus in* VERO, *in Filio Ipſius Jeſu Chriſto*, Cap. V: 20. Et ideo Dominus toties dixit AMEN *dico vobis*, & Amen in Lingua Hebræa eſt Veritas, & quod Ipſe ſit AMEN, videatur Apoc. III: 14, ac VERITAS, Joh. XIV: 6. Dum etiam conſuluntur Eruditi Sæculi hujus, quid per Verbum apud Johannem, Cap. I: 1, intelligunt, dicunt quod Verbum in ſupereminentia, & quid aliud Verbum in ſupereminentia quam Divinum Verum. Ex his patet, quod Dominus etiam nunc appariturus ſit in Verbo; quod non in Perſona, eſt cauſa quia poſt aſcenſum Ipſius in Cælum, eſt in Humano glorificato, & in hoc non poteſt apparere ulli homini, niſi prius aperiat oculos Spiritus ejus, & hic non poteſt aperiri apud ullum, qui in malis & inde falſis eſt, ita non apud ullos hircos, quos ſtatuit ad ſiniſtrum; quare cum manifeſtavit ſe diſcipulis, prius aperuit oculos illorum, nam legitur „*Et illorum aperti ſunt oculi, & cognoverunt Ipſum, at Ipſe inviſibilis factus eſt ab*

ib.

illis, Luc. XXIV: 31. Simile factum est cum Mulieribus juxta Sepulchrum post resurrectionem, quare etiam tunc viderunt Angelos in sepulchro sedentes, & loquentes cum illis, quos nec ullus homo materiali oculo videre potest. Quod nec Apostoli ante resurrectionem Domini in Humano glorificato oculis corporis Dominum viderint, sed in spiritu, quod apparet post evigilationem sicut in somno, constat ex transformatione Ipsius coram Petro, Jacobo & Johanne, *quod tunc gravati sint somno*, Luc. IX: 32. Quare vanum est credere, quod Dominus apparitурus sit in nube Cæli in Persona, sed quod in Verbo, quod est ex Ipso, ita Ipse.

778. Unusquisque homo est suus amor & sua intelligentia, & quicquid procedit ex illo, trahit essentiam ex duobus illis essentialibus seu propriis vitæ ejus; quapropter Angeli cognoscunt hominem, qualis essentialiter est, ex brevi Commercio cum illo, ex Sono amorem ejus, & ex Sermone intelligentiam ejus, causa est, quia duo universalia vitæ cujusvis hominis sunt, voluntas & intellectus, ac Voluntas est receptaculum & habitaculum amoris ejus, ac Intellectus est receptaculum & habitaculum intelligentiæ ejus; quare omnia quæ procedunt ex homine, sive sit actio sive sermo, faciunt hominem, & sunt ipse homo. Simili modo, sed in supereminente gradu, est Dominus Divinus Amor & Divina Sapientia, seu quod idem, Divinum Bonum & Divinum Verum, nam Voluntas Ipsius est Divini amoris, ac Divinus Amor est Voluntatis Ipsius, & Intellectus Ipsius est Divina Sapientia, ac Divina Sapientia est Intellectus Ipsius, Forma humana est continens illorum; ex his cogitari potest, quomodo Dominus est Verbum. E contrario autem qui est contra Verbum, hoc est, contra Divinum Verum ibi, proinde contra Dominum & Ipsius Ecclesiam, est suum malum & suum falsum, tam quoad mentem, quam quoad hujus effectus e corpore, qui se referunt ad actiones & loquelas.

Quod Secundus hic Adventus Domini fiat per hominem, coram quo in Persona Se manifestavit, & quem implevit suo spiritu, ad docendum Novæ Ecclesiæ Doctrinas per Verbum ab Ipso.

779. Quoniam Dominus non in Persona se manifestare potest, ut nunc supra ostensum est, & tamen prædixit Se Venturum esse, & novam Ecclesiam, quæ est Nova Hierosolyma, conditurum, sequitur, quod id per hominem, qui hujus Ecclesiæ Doctrinas non solum intellectu recipere, sed etiam illas typis evulgare potest, facturus sit. Quod Dominus coram Me Ipsius servo Se manifestaverit, & miserit ad hoc munus, & quod post hoc aperuerit visum Spiritus mei, & sic me in Mundum spiritualem intromiserit, & dederit videre Cælos & Inferna, & quoque loqui cum angelis & spiritibus, & hoc nunc continenter per plures Annos, testor in veritate; pariter, quod a primo illius vocationis die, non quicquam, quod Ecclesiæ illius Doctrinas attinet, ex aliquo Angelo, sed a Solo Domino, dum legi Verbum, acceperim.

780. Propter finem, ut Dominus jugiter adesse posset, detexit mihi Sensum spiritualem sui Verbi, in quo Divinum Verum est in sua luce, & in hac continue est præsens; nam præsentia Ipsius in Verbo non aliunde est, quam per Sensum spiritualem, per hujus lucem transit in umbram, in qua est Sensus literæ; comparative sicut fit cum Solis luce tempore diei per interpositam nubem; quod Sensus literæ Verbi sit sicut nubes, & Sensus spiritualis sit gloria, & Ipse Dominus Sol ex quo Lux, & quod sic Dominus sit Verbum, supra demonstratum est. Quod Gloria, in qua Venturus est, Matth. XXIV: 30, significet Divinum Verum in sua luce,

luce, in qua eſt Senſus ſpiritualis Verbi, conſtat clare ex his locis „*Vox clamantis in deſerto, parate viam Jehovæ, revelabitur gloria* JEHOVÆ, *& videbunt omnis caro*, Eſaj. XL: 3. 5. *Illuminare, quia venit* LUX TUA, & GLORIA JEHOVÆ *ſuper Te exorta eſt*, Eſaj. LX: 1 ad fin. *Dabo Te in fœdus populo, in* LUCEM GENTIUM, & GLORIAM MEAM *non alteri dabo*, Eſaj. XLII: 6. 8. Cap. XLVIII: 12. *Erumpet ſicut Aurora* LUX TUA, GLORIA JEHOVÆ *colliget Te*, Eſaj. LVIII: 8. *Implebitur* GLORIA JEHOVÆ *univerſa Terra*, Num. XIV: 8. Eſaj. VI: 1. 2. 3. Cap. LXVI: 18. *In principio erat Verbum, in Ipſo Vita erat, & Vita erat* LUX HOMINUM, erat LUX VERA, & *Verbum Caro factum eſt*, & *vidimus* GLORIAM IPSIUS, GLORIAM UT UNIGENITI A PATRE, Joh. I: 1. 4. 9. 14. *Cœli narrabunt* GLORIAM DEI, Pſalm XIX: 2. GLORIA DEI *illuſtrabit Sanctam Hieroſolymam, & Lucerna ejus Agnus, & Gentes, quæ Salvantur, in* LUCE IPSIUS *ambulabunt*, Apoc. XXI: 23. 24. 25. præter multis aliis in locis. Quod Gloria ſignificet Divinum Verum in ſua plenitudine, eſt quia omne magnificum in Cælo, eſt ex Luce, quæ procedit ex Domino, & Lux procedens ab Ipſo ut Sole ibi, in eſſentia ſua eſt Divinum Verum.

Quod hoc per Novum Cœlum & Novam Terram, & inde deſcendentem novam Hieroſolymam in Apocalypſi, intelligatur.

781. Legitur in Apocalypſi, *Vidi Novum Cœlum & Novam Terram, quia prius Cœlum & prior Terra tranſiit. Et ego Johannes vidi Urbem Sanctam Hieroſolymam novam deſcendentem a Deo e Cœlo, paratam ſicut Sponſam ornatam Marito ſuo*, Cap. XXI: 1. 2. Simile etiam legitur apud Eſajam „*Ecce Ego creans Cœlum novum & Terram novam, lætemini & exultate in æternitates, & ecce Ego creaturus ſum Hieroſolymam exultationem, & populum ejus lætitiam*, LXV: 17. 18. Quod Novum Cœlum ex Chriſtianis, qui in Mundo agnoverunt, & poſt exceſſum e Mundo agnoſcere potuerunt, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, ſecundum Ipſius verba apud Matthæum, Cap. XXVIII. 18, a Domino hodie formetur, ſupra in hoc Capite detectum eſt.

782. Quod Nova Eccleſia per Novam Hieroſolymam deſcendentem a Deo e Cælo, Apoc. XXI, intelligatur; eſt quia Hieroſolyma fuit Metropolis in Terra Canaane, & ibi erat Templum, Altare, Sacrificia fiebant, ita ipſe Cultus Divinus, ad quem tribus vicibus in Anno omnis maſculus totius terræ mandatus eſt venire. Tum quia Dominus in Hieroſolyma fuit, & docuit in ſuo Templo, & poſtea ibi glorificavit Humanum ſuum; inde eſt, quod per Hieroſolymam ſignificetur Eccleſia. Quod per Hieroſolymam intelligatur Eccleſia, conſtat perſpicue ex Propheticis in Veteri Teſtamento de Eccleſia Nova a Domino inſtauranda, quod illa ibi dicatur Hieroſolyma. Ipſa loca ſolum adducentur, ex quibus quiſque ratione interiore præditus videre poteſt, quod per illam ibi intelligatur Eccleſia. Sint modo hæc loca inde „*Ecce Ego creans* CÆLUM NOVUM ET TERRAM NOVAM, *non commemorabuntur priora; ecce Ego* CREATURUS HIEROSOLYMAM *exultationem, & populum ejus lætitiam, ut exultem ſuper* HIEROSOLYMA, *& læter ſuper populo meo. Tunc lupus & agnus paſcent ſimul: non malum facient in toto Monte ſanctitatis meæ*, Eſaj: XLV: 17, 18, 19, 25. *Propter Zionem non tacebo, & propter* HIEROSOLYMAM *non quieſcam, uſque dum exeat ſicut ſplendor Juſtitia ejus, ac Salus ejus ſicut lampas ardeat. Tunc videbunt Gentes juſtitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam; & vocabitur tibi Nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit; & eris Corona decoris, & Cidaris Regni in manu Dei tui: beneplacebit Jehovah in te, & terra tua maritabitur. Ecce Salus tua veniet, ecce merces Ejus cum Ipſo: & voca-*

bunt illos, Populus ſanctitatis, Redempti Jehovæ; & tu vocaberis quæſita Urbs, non deſerta, Eſaj. LXII: 1, ad 4, 11, 12. *Excitare, excitare, indue robur tuum Zion, indue veſtes decoris tui* HIEROSOLYMA, *Urbs Sanctitatis; quia non addet ut in te veniat amplius præputiatus & immundus: excute te e pulvere, ſurge, ſede* HIEROSOLYMA. *Cognoſcet Populus Nomen meum in die illo; nam Ego Ille qui loquor, ecce Me: conſolatus Jehovah populum ſuum, redemit* HIEROSOLYMAM, Eſaj. LII: 1, 2, 6, 9. *Jubila filia Zionis, lætare ex omni corde filia* HIEROSOLYMÆ; *Rex Iſraelis in medio tui; ne time malum amplius; lætabitur ſuper te cum gaudio, acquieſcet in amore tuo, exultabit ſuper te cum jubilo; dabo vos in nomen & laudem omnibus populis terræ*, Zephan. III: 14, ad 17, 20. *Sic dixit Jehovah Redemptor tuus, dicens* HIEROSOLYMÆ, *habitaberis*, Eſaj. XLIV: 24, 26. *Sic dixit Jehovah, revertar ad Zionem, & habitabo in medio* HIEROSOLYMÆ; *unde vocabitur* HIEROSOLYMA *Urbs veritatis, & Mons Jehovæ Zebaoth Mons ſanctitatis.* Sach. VIII: 3, 20 ad 23. *Tunc cognoſcetis, quod Ego Jehovah Deus tuus, habitans in Zione Monte ſanctitatis, & erit* HIEROSOLYMA *Sanctitas: & fiet in die illo, ſtillabunt montes muſtum, & colles fluent lacte; &* HIEROSOLYMA *ſedebit in generationem & generationem*, Joel IV: 17 ad 21. *In die illo erit germen Jehovæ in decus & gloriam; & fiet, relictus in Zione, & reſiduus in Hieroſolyma, Sanctus dicetur, omnis ſcriptus ad vitam in* HIEROSOLYMA, Eſaj. IV: 2, 3. *In extremitate dierum erit Mons domus Jehovæ conſtitutus in Caput montium, nam e Zione exebit Doctrina, & Verbum Jehovæ ex* HIEROSOLYMA, Mich. IV: 1, 2, 8. *In tempore illo vocabunt* HIEROSOLYMAM *Thronum Jehovæ, & congregabuntur omnes gentes ob Nomen Jehovæ* HIEROSOLYMAM, *neque ibunt amplius poſt confirmationem cordis ſui mali*, Jerem. III: 17. *Specta Zionem urbem Feſti ſtati noſtri, oculi tui videant* HIEROSOLYMAM, *Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non diſſipabitur, non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & funes ejus non avellentur*, Eſaj. XXXIII: 20. præter etiam alibi, ut Eſaj. XXIV: 3. Cap. XXXVII: 32. Cap. LXVI: 10 ad 14. Sach. XII: 3, 6 ad 10. Cap: XIV: 8. 11, 12, 21. Malach. III: 2, 4. Pſalm CXXII: 1 ad 7. Pſ. CXXX: 4, 5, 6. Quod per Hieroſoſyſinam ibi intelligatur Eccleſia a Domino inſtauranda, & non Hieroſolyma a Judæis habitata, patet ex ſingulis deſcriptionis ejus in locis allatis; ut quod Jehovah Deus creaturus Cælum Novum & Terram Novam, & quoque tunc Hieroſolymam; & quod hæc futura ſit Corona decoris & Cidaris regni; quod vocanda ſit Sanctitas, & Urbs veritatis, Thronus Jehovæ, Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non diſſipabitur; quod ibi lupus & agnus paſcent ſimul; & dicitur quod ibi montes ſtillabunt muſtum, & colles fluent lacte, & illa ſedebit in generationem & generationem; præter plura, etiam de Populo ibi, quod Sanctus, omnis Scriptus ad vitam, quod dicendi Redempti Jehovæ. Præterea in omnibus illis locis agitur de Adventu Domini, imprimis de Adventu Ipſius Secundo, quando Hieroſolyma talis erit, qualis ibi deſcribitur; prius enim non maritata eſt, hoc eſt, facta Sponſa & Uxor Agni, ſicut de Nova Hieroſolyma in Apocalypſi dicitur. Prior Eccleſia ſeu hodierna intelligitur per Hieroſolymam, apud Danielem, & initium ejus ibi deſcribitur per hæc „ *Scito & percipito, ab exitu Verbi, ad uſque reſtituendum & ad ædificandum* HIEROSOLYMAM, *uſque ad Meſſiam Principem, Septimanæ ſeptem; poſtea Septimanis ſexaginta & duabus reſtituetur & ædificabitur platea & foſſa, ſed in anguſtia temporum*, Cap. IX: 25; at Finis ejus deſcribitur ibi per hæc „ *Tandem ſuper Avem abominationum deſolatio, & uſque ad conſummationem & deciſum ſtillabit ſuper devaſtationem*, Verſ. 27, ibi; ultima hæc ſunt quæ intelliguntur per hæc Domini verba apud Matthæum „ *Cum videritis abominationem deſolationis prædictam a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, probe notet*, Cap. XXIV: 15. Quod per Hieroſolymam in ſupra allatis locis non intellecta ſit Hieroſolyma a Judæis habitata, conſtare poteſt a locis in Verbo, ubi de hac dicitur quod prorſus deperdita ſit, & quod deſtruenda, ut Jerem. V: 1.

Cap.

Cap. VI: 6, 7. Cap. VII: 17, 18 ſeq. Cap. VIII: 6, 7, 8, ſeq. Cap. IX: 10, 11, 13, ſeq. Cap. XIII: 9, 10, 14. Cap. XIV: 16. Thren. I: 8, 9, 17. Ezech. IV: 1 ad fin. Cap. V: 9 ad fin. Cap. XII: 18, 19. Cap. XV: 6, 7, 8. Cap. XVI: 1 ad 63. Cap. XXIII: 1 ad 40. Matth. XXIII: 37, 38. Luc. XIX: 41 ad 44. Cap. XXI: 20, 21, 22. Cap. XXIII: 28, 29, 30; præter multis aliis in locis; & quoque ubi vocatur Sodoma, Eſaj. III: 9. Jerem. XXIII: 14. Ezech. XVI: 46, 48, & alibi.

783. Quod Eccleſia ſit Domini, & quod ex Conjugio Spirituali quod eſt Boni & Veri, Dominus dicatur Sponſus & Maritus, & Eccleſia Sponſa & Uxor, notum eſt Chriſtianis ex Verbo, apprimis ex his ibi „Johannes de Domino dixit, *Qui habet* SPONSAM SPONSUS *eſt, amicus autem* SPONSI *eſt, qui ſtat & audit Ipſum, gaudet ob vocem* SPONSI, Joh. III: 29. *Jeſus dixit, quamdiu cum illis eſt* SPONSUS, *non poſſunt* FILII NUPTIARUM *jejunare*, Matth. IX: 15. Marc. II: 19, 20. Luc. V: 35. *Vidi Urbem ſanctam Hieroſolymam novam deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut* SPONSAM ORNATAM MARITO SUO, Apoc. XXI: 2. *Angelus dixit ad Johannem, veni & oſtendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& e Monte oſtendit illi Urbem Sanctam Hieroſolymam*, Apoc. XXI: 9. *Venit tempus* NUPTIARUM AGNI, *&* UXOR IPSIUS *paravit ſe; beati qui ad* CÆNAM NUPTIARUM AGNI *vocati ſunt*, Apoc. XIX: 7, 9. *Ego ſum Radix & Genus Davidis, Stella ſplendida & matutina,* SPIRITUS ET SPONSA *dicunt, veni; & qui ſitit, venito; & qui vult, ſumite aquam vitæ gratis*, Apoc. XXII: 16, 17.

784. Quod Novum Cælum prius formetur, quam nova Eccleſia in terris, eſt ſecundum Divinum Ordinem; eſt enim Eccleſia Interna & Externa, & Eccleſia Interna, unum facit cum Eccleſia in Cælo, ita cum Cælo, ac Internum prius formandum eſt quam Externum, ac poſtea Externum per Internum, quod ita ſit, apud Clerum in Mundo notum eſt. Quemadmodum Cælum hoc novum, quod facit Internum Eccleſiæ apud hominem, creſcit, tantum ex Cælo illo deſcendit nova Hieroſolyma, hoc eſt, nova Eccleſia; quare hoc non fieri poteſt momento, ſed fit ſicut falſa prioris Eccleſiæ removentur; novum enim non poteſt intrare, ubi falſa prius ingenerata ſunt, niſi hæc eradicentur, quod fiet apud Clerum, & ſic apud Laicum; dixit enim Dominus, *Nemo mittit vinum novum in utres veteres, quin rumpantur utres, & vinum effunditur; ſed mittunt vinum novum in utres novos, & utraque conſervantur una*, Matth. IX: 17, Marc. II: 22. Luc. V: 37. 38. Quod hæc non fiant quam in Conſummatione ſæculi, per quam intelligitur finis Eccleſiæ, conſtat ex his Domini Verbis, *Dixit Jeſus, ſimile eſt Regnum Cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo; ſed dum dormiverunt homines, venit ejus inimicus & ſeminavit Zizania, & abivit; quum vera germinavit herba, tunc apparuerunt etiam Zizania; acceſſerunt ſervi, & dixerunt illi, viſne ut abeamus & colligamus Zizania, ipſe vero dixit, non, ne forte colligentes Zizania, eradicetis cum illis Triticum; ſinite una creſcere utraque uſque ad meſſem, & tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite prius Zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum; Triticum vero congregate in horreum meum. Meſſis eſt Conſummatio ſæculi; quemadmodum colliguntur Zizania, & igne comburuntur, ſic erit in Conſummatione ſæculi*, Matth. XIII: 24 ad 30. 39. 40. Per Triticum ibi intelliguntur vera & bona novæ Eccleſiæ, & per Zizania falſa & mala prioris; quod per Conſummationem ſæculi intelligatur finis Eccleſiæ, videatur in Articulo primo hujus tranſactionis.

785. Quod in omni re Internum & Externum ſit, & quod externum pendeat ab interno, ſicut corpus a ſua anima, conſtat ex ſingulis in Mundo rite luſtratis: apud hominem hoc manifeſtum eſt, univerſum ejus corpus ex mente ejus, & inde in ſingulis, quæ procedunt ab homine, eſt internum & externum, in omni actione ejus eſt Voluntas mentis, & in in omni loquela eſt Intellectus mentis, ſimiliter in omni ejus Senſu. In omni ave & beſtia, imo in omni inſecto & verme, eſt internum & externum; tum etiam in omni arbore, planta & germine, imo in omni lapide

pide & pulviſculo humi; ad illuſtrandum hoc, ſufficiunt aliqua, de bombyce, ape & pulvere; internum bombycis eſt, ex quo fertur externum ejus ad concinnandum ſericum, & poſtea ad evolandum ut papilio. Internum apis eſt, ex quo fertur externum ejus, ad ſugendum mel ex floribus, & ad ſtruendum cellas in mirabiles formas: Internum pulviſculi humi, ex quo fertur externum ejus, eſt ejus niſus ad fæcundandum ſemina, exhalat ex ſinulo ſuo aliquod, quod ſe infert in intima ſeminis, & hoc producit, & illud internum ſequitur vegetationem ejus uſque ad novum ſemen. Simile fit in oppoſitis, in quibus etiam eſt internum & externum, ſicut in aranea, cujus internum, ex quo fertur externum ejus, eſt facultas & inde inclinatio ad ſtruendum telam artificioſam, e cujus medio inſidietur muſcis involantibus, quas comedit; parile eſt in omni alio verme noxio, tum in omni ſerpente, & quoque in omni fera ſylvæ: ſimiliter in omni homine impio, aſtuto & doloſo.

Quod Nova hæc Eccleſia ſit Corona omnium Eccleſiarum, quæ huc uſque in terrarum Orbe fuerunt.

786. Quod quatuor Eccleſiæ in communi a principio in hac Tellure fuerint, una ante Diluvium, altera poſt Diluvium, tertia Iſraelitica, & quarta nominata Chriſtiana, ſupra oſtenſum eſt; & quia omnes Eccleſiæ pendent a cognitione & agnitione Unius Dei, cum quo homo Eccleſiæ poteſt conjungi, & omnes quatuor Eccleſiæ non in illa veritate fuerunt, ſequitur quod una Eccleſia illis quatuor ſucceſſura ſit, qui unum Deum cognoſcet & agnoſcet: Divinus Amor Dei non aliud pro fine habuit, cum creavit Mundum, quam ut hominem conjungat Sibi, & Se homini, & ſic habitet cum homine. Quod Eccleſiæ priores non in veritate fuerint, eſt quia Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit ante diluvium, coluit Deum inviſibilem, cum quo nulla conjunctio dabilis eſt; Antiqua Eccleſia, quæ fuit poſt diluvium, ſimiliter; Eccleſia Iſraelitica coluit Jehovam, qui in ſe eſt Deus Inviſibilis, Exod. XXXIII: 18 ad 23, ſed ſub forma humana, quam Jehovah Deus per Angelum induit, in qua viſus eſt Moſi, Abrahamo, Saræ, Hagari, Gideoni, Joſuæ, & quandoque Prophetis, quæ Humana forma fuit repræſentativa Domini venturi, & quia hæc fuit repræſentativa, ideo etiam omnia & ſingula Eccleſiæ illorum facta ſunt repræſentativa; quod Sacrificia & reliqua Cultus illorum repræſentaverint Dominum venturum, & quod illa abrogata ſint, dum venit, notum eſt. Quarta autem eſt Eccleſia, quæ vocata eſt Chriſtiana, quidem oretenus agnovit Deum unum, ſed in tribus perſonis, quarum unaquævis ſingulatim ſeu per ſe, eſſet Deus, & ſic Trinitatem diviſam, & non in una Perſona unitam, inde hæſit in mente idea trium Deorum, tametſi in labiis vox unius Dei; & inſuper Doctores Eccleſiæ, ex ipſa ſua Doctrina, quam poſt Concilium Nicænum concinnarunt, docent quod credendum ſit in Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum ſanctum, omnes inviſibiles, quia ante Mundum in ſimili Eſſentia Divina exiſtentes; & tamen cum Deo inviſibili, ut ſupra dictum eſt, non dabilis eſt conjunctio; adhuc neſcientes, quod Deus unus, qui inviſibilis, in Mundum venerit, & aſſumſerit Humanum, non modo ut redimeret homines, ſed etiam ut viſibilis fieret, & ſic conjungibilis, nam legitur, *Verbum erat apud Deum*, & DEUS ERAT VERBUM, & VERBUM CARO FACTUM EST, Joh. I: 1-14; & apud Eſajam „*Puer natus eſt nobis*, & *Filius datus eſt nobis*, *cujus Nomen*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, Cap. IX: 5. & apud Prophetas pluries, quod Ipſe Jehovah in Mundum venturus ſit, & futurus Redemptor, quod etiam factus eſt in Humano, quod aſſumſit.

787.

787. Quod Nova hæc Eccleſia ſit Corona omnium Eccleſiarum, quæ huc uſque in terrarum Orbe fuerunt, eſt quia colet Deum unum Viſibilem, in quo eſt Deus inviſibilis, ſicut anima eſt in corpore, quod ſic & non aliter conjunctio Dei cum homine dabilis ſit, eſt quia homo eſt naturalis, & inde naturaliter cogitat, & conjunctio erit in cogitatione, & ſic in affectione amoris ejus, & hoc fit cum homo cogitat de Deo ut homine. Conjunctio cum Deo inviſibili eſt ſicut conjunctio viſus oculi cum expanſo univerſi, cujus finem non videt; ut & ſicut viſus in medio Oceano, qui cadit in aerem & in mare, & perit; at vero conjunctio cum Deo viſibili, eſt ſicut viſus hominis in aere ſeu mari expandentis manus ac invitantis in ulnas ſuas; nam omnis conjunctio Dei cum homine, erit quoque reciproca hominis cum Deo, & alterum hoc reciprocum non dabile eſt, niſi cum Deo viſibili. Quod Deus ante aſſumtum Humanum, non viſibilis fuerit, docet & Ipſe Dominus apud Johannem, *Non vocem Patris audiviſtis unquam, neque ſpeciem Ipſius vidiſtis*, Cap V: 37; & apud Moſen, *Quod nemo videre poſſit Deum, & vivere*, Exod. XXXIII: 20. Quod autem videatur per Humanum Ipſius, apud Johannem „*Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in ſinu Patris eſt, Ille expoſuit*, Cap. I: 18: & apud Eundem, *Jeſus dixit Ego ſum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem niſi per Me; qui cognoſcit Me cognoſcit Patrem, & qui videt Me, videt Patrem*, Cap. XIV: 6. 7. 9. Quod conjunctio ſit cum Deo inviſibili per Ipſum viſibilem, ita per Dominum, docet Ipſe in his locis „*Jeſus dixit, manete in Me, etiam Ego in vobis, qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum*, Joh. XV: 4. 5. *In illa die cognoſcetis, quod Ego in Patre, & vos in Me, & Ego in vobis*, Joh. XIV: 20. *Ego gloriam, quam dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint unum, ſicut nos unum ſumus. Ego in illis & Tu in Me, ut amor, quo amaſti Me, in illis ſit, & Ego in illis*, Joh. Cap. XVII: 21. 22. 23. 26. & quoque Cap. VI: 56. Tum quod Pater & Ipſe unum ſint; & quod credendum ſit in Ipſum ut quis vitam æternam habeat. Quod ſalus pendeat a conjunctione cum Deo, ſupra multis oſtenſum eſt.

788. Quod hæc Eccleſia ſucceſſura ſit Eccleſiis, quæ a principio Mundi exſtiterunt, & quod duratura ſit in ſæcula ſæculorum; & quod ſic futura ſit Corona omnium Eccleſiarum, quæ antea fuerunt, prophetavit Daniel; primum dum enarravit & explicuit Nebuchadnezari ſomnium ejus de quatuor Regnis, per quæ intelliguntur quatuor Eccleſiæ per Statuam ei viſam repræſentatæ, dicens, *In diebus horum ſurgere faciet Deus Cælorum Regnum, quod in ſæcula non peribit, & conſumet omnia illa Regna, illud autem ſtabit in ſæcula*, Cap. II: 44, & quod hoc fiet per *Lapidem factum in Petram magnam implentem omnem Terram*, Verſ. 35; per Petram in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum. Et idem Propheta alibi „*Videns fui in viſionibus noctis, & ecce cum Nubibus Cælorum ſicut Filius hominis, & Huic datum eſt Dominium, & Gloria, & Regnum, & omnes populi, gentes & linguæ Ipſum colent, Dominium Ipſius dominium ſæculi, quod non tranſibit, & Regnum quod non peribit*, Cap. VII: 13. 14; & hæc dicit, poſtquam vidit quatuor Beſtias magnas e mari aſcendentes, Verſ. 3; per quas etiam quatuor Eccleſiæ priores repræſentatæ ſunt; quod hæc a Daniele prophetata ſint de hoc tempore, conſtat a verbis ejus Cap. XII: 4. tum a Domini verbis, Matth. XXIV: 15. 30, Similia dicuntur in Apocalypſi „*Septimus Angelus clanxit, tunc factæ ſunt voces magnæ e Cælo, facta ſunt Regna Domini noſtri & Chriſti Ipſius, & regnabit in ſæcula ſæculorum*, Cap. XI: 15.

789. Præterea de hac Eccleſia, qualis futura eſt, reliqui Prophetæ multis in locis prædixerunt, ex quibus hæc pauca adducentur; apud Sachariam, *Erit dies unus, qui notus Jehovæ, non dies nec nox, quia circa tempus veſperæ erit lux: in die illo exibunt aquæ vivæ ex Hieroſolyma, & Jehovah erit in Regem ſuper totam terram, in die illo erit Jehovah unus, & nomen Ipſius unum*, XIV: 7. 8. 9. Apud Jce-

Joelem „ *Fiet in die illo, ſtillabunt montes muſtum, & colles fluent lacte, & Hieroſolyma ſedebit in generationem & generationem*, IV: 17 ad 21. Apud Jeremiam, *Tempore illo vocabunt Hieroſolymam Thronum Jehovæ, & congregabuntur omnes Gentes ob Nomen Jehovæ Hieroſolymam, neque ibunt amplius poſt confirmationam cordis ſui mali*, III: 17. Apoc. XXI: 24. 26. Apud Eſajam „ *Oculi tui videant Hieroſolymam, Habitaculum tranquillum, Tabernaculum, quod non diſſipabitur, non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & funes ejus non avellentur*, XXXIII: 20. in his locis per Hieroſolymam intelligitur Sancta Hieroſolyma nova, deſcripta in Apocalypſi, Cap. XXI:, per quam intelligitur Nova Eccleſia; iterum apud Eſajam, *Exibit Virga de trunco Jiſhaji, & erit Juſtitia cingulum lumborum Ipſius, & Veritas cingulum feminum ejus; quare commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hædo, vitulus & leo juvenis & ſaginatum una, puerque parvus ducet eos: juvenca & urſus paſcent, una cubabunt fœtus eorum; quin ludet ſugens ſuper foramine viperæ, & ſuper ſpeluncam baſiliſci ablactatus manum ſuam impellet; non facient malum, neque corrumpent ſe in toto monte Sanctitatis meæ; quia plena erit terra ſcientia Jehovæ. Fiet in die illo, Radicem Jiſhaji, quæ ſtans in ſignum populorum, Gentes quærent, & erit quies Ipſius gloria*, XI: 1. 5 ad 10.; quod talia nondum in Eccleſiis, & minus in ultima, exiſtiterint, notum eſt. Apud Jeremiam „ *Ecce dies venientes, quibus pangam fœdus novum, & hoc erit fœdus, dabo legem meam in medio eorum, & ſuper cor ſcribam illam, eroque illis in Deum, & illi erunt Mihi in populum, omnes cognoſcent Me a minimo eorum uſque ad maximum eorum*, XXXI: 31 ad 34. Apoc. XXI: 3. quod hæc in Eccleſiis antehac non data ſint, etiam notum eſt; cauſa fuit quia non adiverunt Deum viſibilem, quem omnes cognoſcent, & quia Ipſe eſt Verbum, ſeu Lex, quam ponet in medio eorum, & ſuper cor ſcribet illam. Apud Eſajam „ *Propter Hieroſolymam non quieſcam, uſque dum exeat ſicut ſplendor juſtitia ejus, ac ſalus ejus ſicut lampas ardeat; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit, & eris* Corona Decoris & Cidaris Regni *in manu Dei tui: beneplacebit Jehovah in te, & terra tua* Maritabitur. *Ecce Salus tua veniet, ecce Merces Ejus cum Ipſo, & vocabunt illos, populus ſanctitatis, redempti Jehovæ, & tu vocaberis quæſita Urbs, & non deſerta.*

790. Qualis futura hæc Eccleſia, deſcribitur ample in Apocalypſi, ubi agitur de fine Eccleſiæ prioris & ortu Novæ; hæc nova Eccleſia deſcribitur per Novam Hieroſolymam, & per magnifica ejus, & quod futura ſit Sponſa & Uxor Agni, Cap. XIX: 7. Cap. XXI: 2. 9. Præterea ex Apocalypſi tranſumam duntaxat hæc, quando nova Hieroſolyma viſa eſt deſcendere e Cælo, dicitur, *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, qui habitabit cum illis, & illi populi Ipſius erunt, Ipſe erit cum illis Deus illorum, & gentes quæ ſalvantur, in luce Ejus ambulabunt, & nox non erit ibi. Ego Jeſus miſi Angelum meum ad teſtandum vobis hæc in Eccleſiis; Ego ſum radix & Genus Davidis, Stella ſplendida & matutina; Spiritus & Sponſa dicunt, veni, & qui audit, dicito veni, & qui ſitit, venito, & qui vult, ſumito aquam vitæ gratis. Imo veni Domine Jeſu, amen*, Cap. XXI: 3. 24. 25. Cap. XXII: 16. 17. 20.

Memorandum.

791. Poſtquam finitum eſt hoc Opus, convocavit Dominus duodecim ſuos Diſcipulos, qui Ipſum in Mundo ſequuti ſunt; & poſt diem emiſit omnes in Univerſum Mundum Spiritualem, ad prædicandum Evangelium, quod Dominus Deus Jesus Christus regnet, cujus Regnum erit in Sæcula ſæculorum, ſecundum prædictionem a Daniele Cap. VII: 14. 14. & in Apocalypſi Cap. XI: 15., *& quod beati*,

ri ſint, qui ad Cœnam nuptiarum Agni accedunt, Apoc. XIX: 9, hoc factum eſt Menſe Junio, Die 19, Anno 1770. Hoc intellectum eſt per hæc Domini verba „ *Mittet Angelos ſuos, & congregabunt electos Ipſius a terminis cælorum uſque ad terminos eorum*, Matth. XXIV: 31.

792. De Mundo Spirituali actum eſt in ſingulari Opere de Cælo & Inferno, in quo deſcripta ſunt plura iſtius Mundi; & quia omnis homo poſt mortem in illum Mundum venit, deſcriptus etiam eſt Status hominum ibi. Quis non novit, aut noſſe poteſt, quod homo poſt mortem vivat, quia natus eſt homo, creatus imago Dei, & quia Dominus in Verbo ſuo id docet; ſed qualis Vita ei futura eſt, hactenus ignotum fuit, creditum eſt, quod tunc eſſet Anima, de qua non aliam ideam foverunt, quam ſicut de æthere aut aere, ita quod ſit Pneuma, quale homo ex ore exſpirat dum moritur, in quo tamen vitale ejus reſidet, ſed quod ſit abſque viſu qualis eſt oculi, abſque auditu qualis eſt auris, & abſque loquela qualis eſt oris; cum tamen homo poſt mortem æque eſt homo, & talis homo, ut non ſciat aliter, quam quod adhuc ſit in priori Mundo; videt, audit, loquitur, ſicut in priori Mundo; ambulat, currit, ſedet, ſicut in priore Mundo; cubat, dormit, & evigilat ſicut in priori Mundo; edit & bibit ſicut in priori Mundo; delitio conjugiali fruitur ſicut in priori Mundo; verbo, eſt homo quoad omnia & ſingula. Ex quibus patet, quod Mors non ſit exſtinctio, ſed continuatio vitæ, & quod ſit modo tranſitus.

793. Quod homo ſit æque homo poſt mortem, tametſi tunc coram oculis materialis corporis non apparet, conſtare poteſt ex Angelis viſis Abrahamo, Hagari, Giudeoni, Danieli, & quibuſdam Prophetis, ex Angelis viſis in Sepulchro Domini, & poſtea multoties Johanni, de quibus in Apocalypsi; cumprimis ex Ipſo Domino, qui quod eſſet Homo, oſtendit per tactum & per eſum, & tamen coram oculis illorum inconſpicuus factus eſt; quis poteſt ita delirare, ut non agnoſcat, quin, tametſi inconſpicuus, æque homo fuerit: Quod viderint Ipſum, erat cauſa, quia tunc aperti ſunt oculi Spiritus illorum, & cum hi aperiuntur, apparent illa, quæ in Mundo ſpirituali ſunt, æque clare, quemadmodum illa, quæ in Mundo Naturali. Differentia inter hominem in Mundo naturali, & hominem in Mundo ſpirituali eſt, quod hic homo Corpore ſubſtantiali indutus ſit, ille autem Corpore materiali, in quo intus eſt corpus ejus ſubſtantiale, & homo ſubſtantialis videt hominem ſubſtantialem æque clare, ut homo materialis videt hominem materialem: ſed non poteſt homo ſubſtantialis videre hominem materialem, nec homo materialis hominem ſubſtantialem, propter differentiam inter materiale & ſubſtantiale, quæ qualis eſt, deſcribi poteſt, ſed non paucis.

794. Ex viſis per tot annos, poſſum ſequentia referre, quod in Mundo ſpirituali ſint æque Terræ ſicut in Mundo naturali, quodque ſint Planities & Valles, tum Montes & Colles, & quoque Fontes & Fluvii; quod ſint Paradiſi, Horti, Luci & Sylvæ; quod ſint Urbes, & inibi Palatia & Domus; tum quod ſint Scripturæ & Libri; quodque ſint Functiones & Negotiationes; & quod ſint Aurum, Argentum & Lapides pretioſi; verbo, quod ſint omnia & ſingula, quæcunque in Mundo naturali, ſed illa in Cælo immenſum perfectiora. Sed differentia eſt, quod omnia quæ in Mundo ſpirituali ſpectantur, ſint momento creata a Domino, ſicut Domus, Paradiſi, Cibi, & reliqua, & quod creentur ad correſpondentiam cum interioribus Angelorum & Spirituum, quæ ſunt affectiones & inde cogitationes illorum; at quod omnia quæ in Mundo naturali ſpectantur, ex ſemine exiſtant & creſcant.

795.

795. Quoniam ita eſt, & indies ibi loquutus ſum cum Gentibus & Populis hujus Mundi, ita non ſolum cum illis qui in Europa ſunt, ſed etiam cum illis qui in Aſia & in Africa, ita cum illis, qui ex varia Religione ſunt, Coronidis loco ad hoc Opus adjiciam brevem deſcriptionem de Statu quorundam ex illis. Tenendum eſt, quod cujuſvis tam Gentis & Populi in communi, quam ſingulorum in particulari, Status in Mundo ſpirituali ſit ſecundum agnitionem Dei & cultum Ipſius, & quod omnes qui corde agnoſcunt Deum, & poſt hoc tempus qui agnoſcunt Dominum Jeſum Chriſtum Deum Redemptorem & Salvatorem, in Cælo ſint, & quod qui Ipſum non agnoſcunt, ſub Cælo ſint, & ibi inſtruantur, & quod qui recipiunt, in Cælum eleventur, & quod qui non recipiunt, in Infernum dejiciantur; inter hos etiam illi veniunt, qui ſicut Sociniani ſolum Deum Patrem adiverunt, & qui ſicut Ariani Divinitatem Humani Domini negaverunt; nam dixit Dominus, EGO SUM VIA, VERITAS ET VITA; NEMO VENIT AD PATREM NISI PER ME; & ad Philippum, qui voluit videre Patrem, QUOD QUI ME VIDET ET COGNOSCIT, VIDEAT ET COGNOSCAT PATREM, Joh. XIV: 6 ſeq.

DE LUTHERO, MELANCHTONE, ET CALVINO, IN MUNDO SPIRITUALI.

796. Cum Tribus his Anteſignanis, qui Reformatores Eccleſiæ Chriſtanæ fuerunt, ſæpius loquutus ſum, & inde inſtructus, qualis fuit Status vitæ illorum a principio uſque ad hodie. Quod LUTHERUM attinet, a primo tempore, cum in Mundum ſpiritualem alluit, acerrimus propagator & defenſor ſuorum dogmatum fuit, & ſicut ſuccrevit multitudo conſentiens & favens e Terra, increvit ejus Zelus pro illis; ibi data ei fuit Domus, quualis ei fuerat in vita corporis, Eiſlebiæ; & ibi in medio erexit Solium parum elevatum, in quo conſedit, & per apertam portam admiſit auſcultatores, & hos in Ordines diſpoſuit, in proximum ſibi adſcivit faventiores, & poſt illos collocavit minus faventes, & tunc in tenore loquutus eſt, & per vices permiſit interrogationes, propter finem ut telam ſermonis finiti ex aliqua origine iterum exorſurus eſſet. Ex communi hoc favore tandem imbuit PERSUASIONEM, quæ in Mundo ſpirituali talis efficaciæ eſt, ut non ab ullo poſſit reſiſti, nec contra id quod dicitur loqui; verum quia hoc erat ſpecies incantationis ab antiquis in uſu, ex Perſuaſione illa amplius loqui ſerio interdictum eſt, & poſtea ſicut prius ex Memoria & ſimul Intellectu docuit: talis Perſuaſio, quæ ſpecies incantationis eſt, ſcaturit ex amore ſui, ex quo tandem talis fit, ut dum quis contradicit, non modo impugnet rem quæſtionis, ſed etiam ipſam Perſonam. Hic fuit Status vitæ ejus uſque ad Ultimum Judicium, quod in Mundo ſpirituali Anno 1757 factum eſt, at tunc poſt annum e Domo ſua prima in aliam tranſlatus, & ſimul tunc in alium ſtatum: & quia hic audivit, quod ego, qui in Mundo naturali ſum, loquerer cum illis qui in Mundo ſpirituali, inter plures acceſſit ad me, & poſt aliquas interrogationes & reſponſiones, percepit, quod hodie finis prioris Eccleſiæ ſit, & principium Novæ, de qua prophetavit Daniel, & Ipſe Dominus prædixit apud Evangeliſtas, & quod Nova hæc Eccleſia intelligatur per Novam Hieroſolymam in Apocalypſi, & per Evangelium æternum quod Angelus volans in medio Cæli Evangelizavit habitantibus ſuper Terra, Cap. XIV: 6 ibi, valde indignatus eſt, & objurgavit; verum ſicut percepit, quod Novum Cælum, quod factum eſt & fit ab illis, qui ſolum Dominum pro Deo Cæli & Terræ, ſecundum Ipſius Verba Matth. XXVIII: 18, agnoſcunt, & ſicut animadvertit Cætus quotidie ad ſe congregatos diminui, objurgatio ceſſavit, & tunc propius ad me acceſſit, & cæpit familiarius mecum loqui; & poſtquam convictus eſt, quod

quod principale Dogma de Juſtificatione per ſolam fidem non ex Verbo, ſed ex propria Intelligentia aſſumſerit, paſſus eſt ſe inſtrui de Domino, de Charitate, de vera Fide, de Libero Arbitrio, & porro de Redemptione, & hoc unice ex Verbo, tandem poſt convictionem incepit favere, & deinde plus & plus ſemet confirmare in Veritatibus, ex quibus Nova Eccleſia conſtabilitur; hoc tempore apud me erat quotidie, & tunc quoties recollegit Veritates illas, incepit ad priora ſua Dogmata ſicut ad talia quæ e diametro contra Verbum ſunt, ridere; & audivi illum dicentem, ne miremini quod Ego arripuerim Fidem ſolam juſtificantem, & excluſerim Charitatem a ſpirituali ſua eſſentia, & quoque omne Liberum Arbitrium in ſpiritualibus hominibus ademerim, præter plura quæ a ſola Fide ſemel accepta, ſicut unci a catena, pendent, quoniam finis meus fuit divelli a Romano-Catholicis, quem finem non aliter potui aſſequi & obtinere, quapropter non miror quod Ego aberraverim, ſed miror quod unus delirans tot deliros potuerit producere; & inſpexit a latere aliquos Scriptores dogmaticos ſuo tempore fama celebres, ſuæ doctrinæ fideles ſectatores, quod non viderint oppoſitiones in Scriptura Sacra, quæ tamen exſtantes ſunt. Dictum eſt mihi ab Angelis exploratoribus, quod Præſul ille præ multis aliis, qui ſe in Juſtificatione per ſolam fidem confirmaverunt, in Statu converſionis ſit, quoniam in pueritia ſua, antequam ingreſſus eſt Reformationem facere, imbuerit Dogma de præeminentia Charitatis, quapropter etiam tam in Scriptis quam in Sermonibus ſuis tam egregie de Charitate docuit; ex quibus profluit, quod fides juſtificationis apud illum implantata fuerit in Externo naturali ejus homine, non autem radicata in Interno ſpirituali homine. Aliter vero fit cum illis, qui in pueritia ſua ſe confirmant contra ſpiritualitatem Charitatis; quod etiam ex ſe fit, dum juſtificatio per ſolam fidem per confirmationes ſtabilitur. Loquutus ſum cum Principe Saxoniæ, cum quo Lutherus in Mundo fuerat, ille mihi retulit, quod ſæpius obloquutus ſit, imprimis quod Charitatem ſeparaverit e Fide, & hanc ſalvificam & non illam declaraverit, cum tamen Scriptura Sacra non modo illa duo univerſalia Media ſalutis conjungit, ſed etiam Paulus Charitatem fidei præfert, dicendo, *quod ſint tria, Fides, Spes, & Charitas, & quod harum maxima ſit Charitas*, I Cor. XIII: 13; ſed quod Lutherus toties reſponderit, quod non poſſit aliter propter Romano-Catholicos. Hic Princeps eſt inter felices.

797. Quod MELANCTONEM attinet, de Sorte ejus, qualis hæc fuit dum primum in Mundum Spiritualem venit, & qualis poſtea, plura ſcire datum eſt, non ſolum ab Angelis, ſed etiam ab Ipſo, nam cum illo aliquoties loquutus ſum, ſed non ita ſæpe & prope ut cum Luthero; quod non tam ſæpe & prope, erat cauſa, quia non ſimiliter accedere potuit, quoniam tandummodo Juſtificationi per ſolam Fidem ſtudium impendit, non autem Charitati, & circumdatus ſum Spiritibus angelicis qui in Charitate ſunt, & hi acceſſum ad me intercluſerunt. Audivi, quod ut primum Mundum ſpiritualem intravit, parata illi eſſet Domus ſimilis domui, in qua commoratus eſt in Mundo; hoc fit etiam pleriſque novis advenis, ex quo non aliter ſciunt, quam quod adhuc in Mundo naturali ſint, & quod tempus a Morte præterlapſum fuerit modo ſicut ſomnus; in Conclavi ejus etiam omnia ſimilia erant, ſimilis Menſa, ſimile Chartaphylacium cum loculamentis, & quoque Librarium; quare at primum illuc venit, illico ſicut evigilatus a ſomno, adpoſuit ſe Menſæ, & continuavit ſcribere, & tunc de Juſtificatione per ſolam Fidem, & ſimiliter per aliquot dies, & prorſus nihil de Charitate; hoc percepto ab Angelis, quæſitus eſt per nuntios, cur non etiam ſcriberet de Charitate, reſpondit, quod in Charitate nihil Eccleſiæ eſſet, nam ſi illa ut quoddam eſſentiale Eccleſiæ attributum reciperetur, homo etiam ſibi meritum juſtificationis & inde ſalvationis addicaret, & ſic quoque Fidem eſſentia ſua ſpirituali orbaret; quando hoc perceperunt Angeli, qui ſupra Caput ejus erant, & hoc audiverunt Angeli,

qui illi, dum extra domum ſuam erat, adſociati fuerunt, receſſerunt, nam cuivis Advenæ in principio aſſociantur Angeli; hoc facto, poſt aliquot ſeptimanas, inceperunt illa quæ uſui illi erant in Conclavi, obſcurari & demum evaneſcere, & tandem uſque eo, ut ibi nihil præter Menſam, Chartas, & Atramentarium remaneret, & inſuper Conclave ejus quoad parietes apparuit incruſtatum calce, & pavimentum materia lateritia flava obductum, & ipſe in rudiore veſte; quod cum miratus eſt, & circum ſe quæſivit, cur illa, reſponſum tulit, quia Charitatem ab Eccleſia removit, quæ tamen ejus Cor eſt, ſed quia toties contradixit, & perrexit ſcribere de Fide, ut unico eſſentiali Eccleſiæ, ac medio ſalutis, ac plus & plus removere Charitatem, ſubito ſibi viſus eſt ſub terra in quodam Ergaſtulo, ubi ſimiles erant; & dum voluit inde exire, retentus eſt, & ei denuntiatum, quod non alia ſors maneat illos, qui Charitatem & bona Opera extra fores Eccleſiæ ejiciunt; at quoniam unus inter Reformatores Eccleſiæ erat, ex mandato Domini inde exemptus eſt, & remiſſus in Conclave ſuum prius, ubi ſolum Menſa, Charta & Atramentarium erant, at uſque ex ideis confirmatis illevit chartas ſimili errore, quare non potuit cuſtodiri, quin alternis demitteretur ad captivos ſodales, & alternis emitteretur; cum emiſſus eſt, apparuit indutus pelle hirſuta, quoniam Fides abſque Charitate eſt frigida. Narravit mihi ipſe, quod alia Camera a parte poſtica ſua, adjuncta eſſet, in qua erant tres Menſæ, quibus aſſidebant ei ſimiles, qui Charitatem etiam in exilium ejecerunt, & quod ibi etiam quarta Menſa quandoque apparuerit, ſuper qua Monſtroſa in variis formis viſa ſunt, a quibus tamen non deterrefacti ſunt, dixit quod cum his loquutus ſit, & quod ab illis indies confirmatus. At vero poſt aliquod tempus percitus timore, cæpit aliquid de Charitate exarare, ſed quod uno die inſcripſit chartæ, altero non vidit; hoc enim fit unicuique ibi, dum aliquid ex ſolo Externo homine immittit chartæ, & non ſimul ab Interno, ita ex coacto & non ex libero, ex ſe obliteratur. At poſtquam Novum Cælum a Domino cæptum eſt inſtaurari, ex luce ex hoc Cælo exorſus eſt cogitare, quod forte in errore eſſet, quare ex anxietate propter ſortem ſuam, aliquas ideas interiores ſibi impreſſas de Charitate ſenſit, in quo ſtatu conſuluit Verbum, & tunc aperti ſunt ejus oculi, & vidit, quod illud totum plenum eſſet AMORE IN DEUM, ET AMORE ERGA PROXIMUM, ita quod eſſet ut Dominus dicit, quod ex duobus illis Mandatis pendeant Lex & Prophetæ, hoc eſt, totum Verbum; ex hoc tempore tranſlatus eſt interius in Meridiem verſus Occidentem, & ſic in aliam Domum, e qua mecum loquutus eſt, dicens, quod nunc Scriptura ejus de Charitate non evaneſcat ſicut prius, ſed quod poſtero die obſcure appareat. Hoc miratus ſum, quod cum ambulat, greſſus ejus audiantur pulſatiles, ſicut qui ferreis calceis induti ſuper plano lapideo incedunt. His adjiciendum eſt, quod cum aliqui vovitii e Mundo cum illo loquendi & illum videndi cauſa Conclave ejus intraverunt, advocaverit unum ex ſpiritibus magicis, qui per phantaſias potuerunt inducere varias ſpecies decoras, qui tunc exornaverunt Conclave ejus decoramentis, & tapetibus roſaceis, & quoque tanquam Librario in medio; at vero ut primum illi abiverunt, diſparatæ ſunt ſpecies illæ, ac prior incruſtatio calcaria ac inanitas rediit: ſed hoc dum in priori Statu fuit.

798. De CALVINO ſequentia hæc audivi, 1. Quod cum primum in Mundum ſpiritualem alluit, non crediderit aliter, quam quod adhuc in Mundo, ubi natus, eſſet, & tametſi ab Angelis illi in primordio aſſociatis audivit, quod nunc in eorum Mundo eſſet, & non in ſuo priori, dixit, idem mihi corpus eſt, eædem manus, & ſimiles ſenſus, ſed inſtruebant illum Angeli, quod nunc in corpore ſubſtantiali eſſet, & quod prius non modo in eodem, ſed etiam in materiali, quod circum induit ſubſtantiale, & quod materiale corpus rejectum ſit, permanente ſubſtantiali, ex quo homo eſt homo; hoc primum intellexit, ſed poſt diem rediit in priorem fidem, quod adhuc eſſet in Mundo ubi natus; cauſa erat, quia Senſualis ho-

homo fuit, nihil credens, niſi quod ex objectis ſenſuum corporis hauriret, inde factum eſt, quod omnia fidei ſuæ Dogmata ex propria Intelligentia concluſerit, & non ex Verbo; quod citaverit Verbum, fecerit plebis cauſa, ut affenſu faverent. II. Quod poſt primam hanc periodum, relictis Angelis circumvagatus ſit, & inquiſiverit, ubi illi, qui ab Antiquis temporibus PRÆDESTINATIONEM crediderunt, & dictum eſt illi, quod ſint remoti ab hinc, & incluſi & ſuperinducti, & quod ad illos non pateat ingreſſus niſi a parte poſtica ſub terra; ſed quod uſque diſcipuli Godoskalchi adhuc libere circumeant, & quandoque congregentur in loco, qui vocatur Lingua ſpirituali Pyris; & quia illorum conſortium cupivit, deductus eſt ad Cætum, ubi aliqui ex illis ſtabant; & cum inter illos venit, in jucundo ſui cordis erat, & cum illis interiorem amicitiam ligavit. III. At poſtquam ſectatores Godoskalchi ad fratres ſuos in Caverna abducti ſunt, tæduit illum, quare quæſivit hic & ibi azylum, & tandem receptus eſt in quadam Societate, ubi mere ſimplices, & inter illos etiam religioſi erant, & cum animadvertit, quod nequicquam ſcirent, nec capere poſſent de Prædeſtinatione, contulit ſe in unum Angulum iſtius Societatis, & ibi delituit per multum tempus, nec aperuit os de aliqua re Eccleſiæ; hoc proviſum eſt, ut recederet ab errore ſuo de Prædeſtinatione, ac ut implerentur catervæ illorum, qui poſt Dodrectanam Synodum deteſtabili iſti hæreſi adhæſerunt, qui omnes ſucceſſive in Cavernam ad conſocios relegati ſunt. IV. Demum cum ab hodiernis Prædeſtinatianis quæſitum eſt, ubi Calvinus, & poſt indagationem inventus eſt in extremis alicujus Societatis, quæ ex mere ſimplicibus conſtabat, quare inde evocatus eſt, & deductus ad quendam Prætorem, qui ſimili fæci ineſcatus erat, hic ideo accepit illum in ſuam Domum, & cuſtodivit, & hoc uſque dum Novum Cælum a Domino cæptum eſt inſtaurari, & tunc quia Prætor cuſtos ejus una cum ſua turba ejectus eſt, Calvinus ſe contulit in quandam domum meretriciam, & ibi moratus per aliquod tempus. V. Et quia tunc fruitus eſt liberate circumvagandi, & quoque propius ad commorationem ubi eram, accedendi, datum eſt loqui cum illo, & primum de Novo Cælo, quod hodie conditur ab illis, qui Dominum ſolum pro Deo Cæli & terræ agnoſcunt, ſecundum verba Ipſius apud Matthæum Cap. XXVIII: 18; & quod hi credant, quod Ipſe & Pater unum ſint, Joh. X: 30; & quod Ipſe ſit in Patre & Pater in Ipſo; & quod qui videt & cognoſcit Ipſum, videat & cognoſcat Patrem, Joh. XIV: 6 ad 11: & quod ſic unus Deus ſit in Eccleſia ſicut in Cælo: ad quæ a me dicta primum, ſicut ſoluit, obmuteſcebat, ſed poſt ſemiſſem horæ ſolvit ſilentium, & dixit; fuitne Chriſtus Homo, filius Mariæ nuptæ Joſepho, quomodo poteſt homo adorari ut Deus; & dixi, eſtne Jeſus Chriſtus Redemptor & Salvator noſter, Deus & Homo, ad quod reſpondit, eſt Deus & Homo, attamen Divinitas non eſt ejus ſed eſt Patris; & quæſivi, ubinam tunc eſt Chriſtus, dixit, eſt in infimis Cæli, quod confirmavit per humiliationem ejus coram Patre, & quod paſſus ſit ſe crucifigi; his adjecit dicteria in Cultum Ipſius, quæ tunc in memoriam ejus e Mundo irrupſerunt, quæ in ſumma erant, quod Cultus ejus non aliud ſit, quam Idololatria, & voluit adjicere infanda de illo cultu, verum Angeli, qui apud me erant, compreſſerunt labia ejus; ego vero ex Zelo convertendi illum, dixi, quod Dominus Salvator noſter non modo ſit Deus & Homo, ſed etiam quod in Ipſo Deus ſit Homo & Homo Deus, & hoc confirmavi ex Paulo, Quod in Ipſo omnis plenitudo Divinitatis habitet corporaliter, Coloſſ. II: 9; & ex Johanne, Quod ſit verus Deus & Vita æterna, I Epiſt. V: 20. 21; tum ex his Ipſius Domini Verbis, Quod voluntas Patris ſit, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam, & quod qui non credit, non viſurus ſit vitam, ſed ira Dei ſuper illo maneat; Joh. III: 36. Cap. VI: 40.; ac inſuper, quod Fides ſymbolica, quæ Athanaſiana vocatur, dictet, quod in Chriſto Deus & Homo non ſint duo, ſed unum, & quod ſint in una Perſona, ſicut anima & corpus in homine. His auditis reſpondit, quid

omnia illa, quæ protuliſti ex Verbo, niſi inania, eſtne Verbum Liber omnium hæreſium, & ſic eſt ſicut Index! venti ſuper tectis & navibus, qui huc illuc circumrotatur ſecundum flatum, eſt SOLA PRÆDESTINATIO, quæ concludit omnia Religionis, eſt hæc omnium Religionis Habitaculum & Tentorium conventus, & Fides, per quam fit Juſtificatio & Salvatio, eſt ibi Adytum & Sanctuarium; num eſt ulli homini Liberum Arbitrium in ſpiritualibus, ſuntne omnia ſalutis gratuita, quare argumenta contra hæc, & ſic contra Prædeſtinationem, non aliter audio & percipio quam ſicut ructus ex ventre, & ſicut boribogmos; & quia ita eſt, cogitavi mecum, quod Templum ubi docetur de alia re, & ex Verbo, ac Cætus congregatus tunc, ſit tanquam Beſtiarium, in quo ſunt oves & lupi ſimul, ſed hi capiſtrati per Leges juſtitiæ civiles ne irruant in oves, per oves intelligo prædeſtinatos; & quod Prædicationes oratoriæ ibi tunc, non ſint niſi ſingultus ex pectore: ſed dabo meam Confeſſionem, quæ hæc eſt „Eſt Deus, & ille Omnipotens, & non eſt ſalus aliis, quam illis qui a Deo Patre electi & prædeſtinati ſunt, & quiſque alius adſcriptus eſt ſuæ ſorti, hoc eſt, ſuo fato. His auditis in excandeſcentia regeſſi, loqueris nefanda, abi male ſpiritus; ſciſne quia in Mundo ſpirituali es, quod ſit Cælum & quod ſit Infernum, & quod Prædeſtinatio involvat, quod aliqui adſcripti ſint Cælo, & aliqui Inferno, num ſic aliam ideam de Deo poteris tibi formare, quam ſicut de Tyranno, qui Clientes in Urbem admittit, & reliquos ejicit in Carnificinam; quare pudeat te. Poſtea prælegi coram illo, quæ in Libro Evangelicorum dogmatico, FORMULA CONCORDIÆ, appellato, de erronea Doctrina CALVINISTARUM, de Cultu Domini, & de Prædeſtinatione, ſcripta ſunt: de CULTU DOMINI, hæc „*Quod damnabilis Idololatria ſit, ſi fiducia & fides cordis in Chriſtum non ſolum ſecundum Divinam, ſed etiam ſecundum Humanam Ipſius Naturam collocetur, & honor adorationis ad utramque dirigatur*„. Et de PRÆDESTINATIONE, hæc „ *Chriſtum non pro omnibus hominibus, ſed pro ſolis Electis mortuum eſſe. Deum potiſſimam partem hominum ad damnationem æternam creaſſe, & nolle ut potiſſima pars convertatur & vivat. Electos & Regenitos non poſſe fidem & Spiritum ſanctum amittere, quamvis omnis generis grandia peccata & flagitia committant. Eos vero, qui Electi non ſunt, neceſſario damnari, nec poſſe pervenire ad ſalutem, etiamſi millies baptizarentur, & quotidie ad Euchariſtiam accederent, præterea vitam eam ſancte atque inculpate ducerent, quantum unquam fieri poteſt* „ p. 837. 838, Editionis Lipſienſ: Anno 1756. Poſt prælectionem, quæſivi illum, num illa quæ in Libro iſto ſcripta ſunt, ſint ex ipſius Doctrina, vel non, & reſpondit, quod ex ſua, ſed quod non reminiſcatur, num ipſa illa verba ex ſuo calamo tametſi ex ſuo ore, profluxerint. His auditis receſſerunt ab illo omnes ſervi Domini, & ille propere ſe contulit in viam tendentem ad ſpeluncam, ubi ſunt, qui Prædeſtinationis execrabile Dogma apud ſe confirmaverunt. Cum quibuſdam ex incarceratis in Spelunca illa poſtea loquutus ſum, & quæſivi ſortem illorum, & dixerunt, quod ſint adacti laborare propter victum, & quod omnes inter ſe inimici ſint, & quod quiſque quærat cauſam malum faciendi alteri, & quod etiam faciant, dum aliquam levem deprehendunt, & quod hoc ſit jucundum vitæ illorum. Præterea de Prædeſtinatione & Prædeſtinatianis videantur quæ ſupra n: 485 ad 488, ſcripta ſunt.

799. Cum pluribus aliis tam Sectatoribus Trium illorum, quam cum Hæreticis loquutus ſum, & de omnibus concludere mihi datum eſt, quod quicunque ex illis Charitatis vitam egerunt, & plus qui amaverunt Verum quia eſt Verum, in Mundo ſpirituali ſe patiantur inſtrui, & acceptent Novæ Eccleſiæ Doctrinalia: at vero illi qui ſe confirmaverunt in falſis religionis, & quoque illi qui malam vitam egerunt, non patiantur ſe inſtrui, & quod hi pedetentim ſe removeant e Novo Cælo, & ſe conſocient cum ſimilibus, qui in Inferno ſunt, ubi plus & plus contra Cultum Domini ſe confirmant & obſtinant, & uſque eo, ut non ſuſtineant

neant audire Nomen Jesu; at viciſſim in Cælo, ubi omnes unanimiter Dominum pro Deo Cæli agnoſcunt.

DE HOLLANDIS IN MUNDO SPIRITUALI.

800. In Opere de CÆLO ET INFERNO, relatum eſt, quod Chriſtiani, apud quos Verbum legitur, ac cognitio & agnitio Domini Redemptoris & Salvatoris eſt, in Medio Gentium & Populorum totius Mundi ſpiritualis ſint, ex cauſa, quia maxima Lux ſpiritualis, apud illos eſt, & Lux inde ſicut a Centro propagatur in omnes peripherias uſque ad ultimas, ſecundum illa, quæ in Tranſactione de SCRIPTURA SACRA ſupra n: 267 ad 272, oſtenſa ſunt. In hoc Medio Chriſtiano Reformati ſortiti ſunt loca ſecundum receptionem Lucis ſpiritualis a Domino; & quia Hollandi Lucem illam lumini naturali ſuo penitius & plenius injunctam poſſident, & inde ſunt aliis receptibiliores talium quæ rationis ſunt, ideo in Meditullio illo Chriſtiano habitationes nacti ſunt in Oriente & Meridie, in Oriente ex facultate recipiendi Calorem ſpiritualem, & in Meridie ex facultate recipiendi Lucem ſpiritualem. Quod Plagæ in Mundo ſpirituali non ſint ſicut Plagæ in Mundo naturali, & quod habitationes ſecundum Plagas ſint habitationes ſecundum receptionem Fidei & Amoris, & quod in Oriente ſint qui præſtant Amore, & in Meridie qui præſtant Intelligentia, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n: 141 ad 153.

801. Cauſa, quod Hollandi in illis Meditullii Chriſtiani Plagis ſint, eſt quoque quia Negotiatio eſt Amor finalis illorum, ac Pecunia Amor medius inſerviens, & ille Amor eſt ſpirtualis; at ubi Pecunia eſt Amor finalis, & Negotiatio amor medius inſerviens, quemadmodum apud Judæos, eſt ille Amor naturalis, & trahit ex avaritia. Quod Amor negotiandi dum eſt finalis, ſit ſpiritualis, eſt ex uſu ejus, quod inſerviat communi bono, cum quo proprium bonum quidem cohæret, & hoc præ illo apparet, quia homo ex naturali ſuo homine cogitat; ſed uſque dum Negotiatio eſt finis, eſt quoque ille amor, & quiſque ſecundum amorem finalem ſpectatur in Cælo; Amor enim finalis eſt ſicut Dominus Regni, aut ſicut herus Domi, & reliqui amores ſunt ſicut ejus ſubditi & famuli; & quoque Amor finalis in ſupremis ac intimis mentis reſidet, & amores medii ſunt infra & extra illum, & ſerviunt ei ad nutum; in ſpirituali hoc amore ſunt Hollandi præ aliis: at Judæi in Amore inverſo, quare Amor negotiandi illorum eſt mere naturalis, in quo nihil ex communi bono, ſed ſolum ex proprio, intus latet.

802. Hollandi principiis ſuæ Religionis firmius inhærent quam alii, nec dimoventur ab illis, & ſi convincuntur, quod hoc aut illud non concors ſit, uſque non affirmant, ſed vertunt ſe retro, & permanent immoti; ita quoque amovent ſe ab intuitione veri interiore; Rationale enim ſuum concludunt ſub obedientia. Quoniam tales ſunt, ideo illi poſt mortem, dum in Mundum ſpiritualem veniunt, peculiari modo præparantur ad recipiendum ſpiritualia Cæli, quæ ſunt Divina Vera: non docentur, quia non recipiunt, ſed deſcribitur illis Cælum, quale eſt, & deinde datur illis aſcendere illuc, ac videre illud, & tunc quicquid concordat cum genio illorum, infunditur, ſic demiſſi redeunt ad ſuos cum pleno deſiderio Cæli: ſi tunc non recipiunt hoc Verum, quod Deus unus ſit Perſona & Eſſentia, & quod ille Deus ſit Dominus Redemptor & Salvator, & quod in Ipſo ſit Divina Trinitas; tum hoc Verum, quod Fides & Charitas cognitione & ſermone non faciant quicquam abſque vita illarum, & quod illæ dentur a Domino dum poſt exploratorem pœnitentiam agunt. Si ab illis, cum docentur, ſe avertunt, & uſque cogitant de Deo, quod ſint tres quoad Perſonas, & de Religione ſolum quod ſit, rediguntur in miſerias, & aufertur illis Negotiatio, uſque dum vident ſe ad incitas redactos: & tunc perducuntur ad illos, qui, quia in Divinis Veris ſunt, abundant.

omnibus, & apud quos Negotiatio floret, ac ibi insinuatur illis e Cælo cogitatio, unde est, quod tales sint, & simul reflexio super Fidem illorum, & super Vitam illorum, quod aversentur mala ut peccata; parum etiam inquirunt, & percipiunt concordantiam cum propria cogitatione & reflexione; hoc fit per vices: tandem ex semet cogitant, quod ut exeant a miseriis, similiter credendum, & similiter vivendum sit, & tunc sicut recipiunt illam Fidem, & vivunt illam Charitatis vitam, datur illis opulentia, & faustitas vitæ. Hoc modo illi, qui in Mundo aliquam vitam Charitatis egerunt, emendantur a se, ac præparantur ad Cælum. Hi postea Constantiores fiunt aliis, adeo ut dici queant Constantiæ, nec se ab aliqua ratiocinatione, fallacia, obscuritate inducta per sophistica, & ex visione præpostera a solis confirmationibus, abduci patiuntur; fiunt enim perspicaces plus quam prius.

803. Doctores Didascali in Lyceis illorum maximopere student mysticis fidei hodiernæ, imprimis illi ibi qui vocantur Coccejani, & quia ex mysticis illis inevitabiliter enascitur dogma Prædestinationis, & hæc insuper a Synodo Dodrechtana constabilita est, inseminatur etiam illa, ac implantatur, sicut semen ex fructu cujuscunque arboris desumtum, agro. Inde est, quod Laici de Prædestinatione inter se multum loquantur, sed diversimode, quidam illam ambabus manibus amplectuntur, quidam solum una manu, & arrident, quidam illam abjiciunt sicut anguem lacertum; ignorant enim mystica fidei, ex quibus Vipera illa exclusa est; quod hæc ignorent, est causa, quia Negotiis suis intenti sunt, & mystica fidei istius, quidem tangunt intellectum illorum, sed non penetrant in illum; quare Prædestinationis dogma apud Laicos, & quoque apud Clericos, est sicut Simulachrum in forma humana positum super Scopulo in mari cum magna Concha, quæ fulget sicut ex auro, in manu, ad quod visum aliqui Navarchæ præternavigantes demittunt velum mali, honorandi & venerandi causa, aliqui modo ad illud nictant oculis & salutant, & aliqui ad id sibilant ut ad ludicrum quid. Et est sicut Avis ignota ex India posita super alta turri, quam aliqui jurant esse Turturem, aliqui divinant esse Gallum, & aliqui dejerant & clamant, certe est ulula.

804. Hollandi dignoscuntur probe ab aliis in Mundo spirituali, quia in similibus vestibus apparent, in quibus in Mundo naturali, cum discrimine, quod in nitidioribus illi, qui receperunt Fidem & Vitam Spiritualem. Quod in similibus Vestibus appareant, est causa, quia in principiis Religionis suæ constanter manent, & omnes in Mundo spirituali vestiuntur secundum illa: quare Vestimenta alba, & ex byssо, sunt illis ibi qui in Divinis Veris sunt.

805. Urbes, in quibus Hollandi habitant, sunt singulari modo custoditæ, omnes Plateæ in illis sunt tectæ, & in plateis sunt Portæ, propter causam, ne spectentur e petris & collibus circum; hoc fit illis propter insitam prudentiam occultandi sua consilia, & non divulgandi suas intentiones; nam talia in Mundo spirituali per inspectiones protrahuntur. Cum aliquis animo explorandi statum illorum venit, ille dum exiturus est, ducitur ad Portas platearum clausas, & sic reducitur & ducitur ad plures, & hoc usque ad summam molestiam, & tunc emittitur; hoc ob finem ne redeat. Uxores, quæ imperium super Maritos affectant, habitant ad unum latus Urbis, nec sæpius cum Maritis conveniunt, quam cum invitantur, quod fit civili modo; & tunc illas etiam deducunt ad Domos, ubi Conjuges absque imperio unius super alterum vivunt, & ostendunt quam ornatæ & mundæ illorum Domus sunt, & quam jucundum vitæ illis est, & quod hæc sint illis ex mutuo & conjugali amore: illæ, quæ ad hæc attendunt, & afficiuntur, desistunt a dominio, & una vivunt; & tunc nanciscuntur habitationem propius ad Medium, & vocantur Angeli: causa est, quia Amor vere conjugalis est Amor Cælestis, qui est absque imperio.

De

DE ANGLIS IN MUNDO SPIRITUALI.

806. Sunt duo Status cogitationis apud hominem, Externus & Internus; homo in Externo eſt in Mundo naturali, in Interno eſt in Mundo ſpirituali; hi Status unum faciunt apud bonos, ſed non unum apud malos; qualis homo quoad Internum ſuum eſt, raro patet in Mundo, quoniam ab infantia didicit moralis & rationalis eſſe, & amat videri; ſed in Mundo ſpirituali clare apparet qualis eſt, eſt enim tunc homo ſpiritus, ac ſpiritus eſt Internus homo. Nunc quia mihi datum eſt in illo Mundo eſſe, & ibi videre, quales Interni homines ſunt ab uno Regno & ab altero, me oportet, quia intereſt, id manifeſtare.

807. Quod ad Gentem Anglicam; meliores ex illis in Centro omnium Chriſtianorum ſunt, ex cauſa, quia illis Lux intellectualis interior eſt; hæc non apparet alicui in Mundo naturali, ſed apparet conſpicue in Mundo ſpirituali; hanc lucem trahunt ex libertate loquendi & ſcribendi, & per id cogitandi: apud alios, qui in tali libertate non ſunt, lux illa, quia non habet exitum, offunditur. Verum Lux illa non eſt activa ex ſe, ſed fit activa ab aliis, imprimis a viris famæ & auctoritatis; ut primum ab his aliquid dicitur, Lux illa exſplendeſcit. Propter hanc cauſam illis in Mundo ſpirituali præficiuntur Moderatores, ac dantur Sacerdotes incluti fama, & præpollente ingenio, in quorum judiciis ex illa ſua indole acquieſcunt.

808. Eſt ſimilitudo animorum inter illos, ex qua cum amicis, qui ex Patria eorum ſunt, ligant familiaritem, & raro cum aliis; mutuam opem etiam ferunt; ac ſinceritatem amant: Sunt amantes Patriæ, & Zelotes ejus gloriæ; & ſpectant Alienigenas, ſicut quis ex tecto Palatii ſui per tubum opticum ſpectat ad habitantes & palantes extra urbem. Politica Regni ſui occupant mentes & poſſident corda illorum, quandoque in tantum, ut abſtrahant ſpiritus eorum a ſtudiis ſublimioris judicii, per quæ ſuperior intelligentia comparatur; hæc quidem in juventute illi, qui talibus in Lyceis intendunt, hauriunt; ſed tranſeunt ſicut phænomena; at uſque ex illis rationalitas eorum fit viva, & micat luce, ex qua formant pulchras imagines, ſicut Priſma Chryſtallinum obverſum ſoli format irides, & planum objectum fulvis coloribus tingit.

809. Sunt binæ Urbes magnæ ſimiles Londino, in quos plerique Angli poſt mortem veniunt; priorem Urbem datum eſt videre, & quoque perambulare. Medium illius Urbis eſt, ubi in Londino eſt Conventus Mercatorum, qui vocatur Exchange, ibi habitant Moderatores; ſupra illud Medium eſt Oriens; infra illud eſt Occidens; a latere dextro eſt Meridies, a latere ſiniſtro eſt Septentrio. In Plaga orientali habitant, qui vitam Charitatis præ reliquis egerunt, ibi ſunt Palatia magnifica; in Plaga meridionali habitant Sapientes, apud quos plura ſplendida ſunt; in Plaga ſeptentrionali habitant, qui præ cæteris amaverunt libertatem loquendi & ſcribendi: in Plaga occidentali habitant, qui Juſtificationem per ſolam fidem venditant; ad dextrum ibi in hac Plaga, eſt introitus in hanc Urbem, & quoque eſt exitus ab illa; illi, qui male vivunt, emittuntur ibi: Presbyteri qui in Occidente ſunt, & ſolam illam Fidem docent, non audent per plateas magnas, ſed per vicos anguſtiores intrare Urbem, quoniam non alii habitatores in ipſa Urbe tolerantur, quam qui in Fide Charitatis ſunt. Audivi conqueſtos de Prædicatoribus ab Occidente, quod ſermones ſuos tali arte & eloquio concinnent, & ignotam illis Juſtificationem per fidem involvant, ut neſciant num bonum faciendum ſit vel non; prædicant fidem ut bonum intrinſecum, & hoc ſeparant a bono Charitatis, quod vocant meritorium, & ſic non acceptum Deo. Sed cum illi, qui in

Pla-

Plaga Urbis Orientali & Meridionali habitant, tales ſermones audiunt, exeunt Templis: & Prædicatores poſtea deprivantur ſacerdotio.

810. Audivi poſtea plures cauſas, cur Prædcatores illi deprivantur ſacerdotio, dixerunt quod primaria ſit, quod non ex Verbo & ſic ex Spiritu Dei Sermones ſuos conforment, ſed ex rationali ſuo lumine & ſic ex Spiritu proprio; primordia quidem ſicut præludia ex Verbo depromunt, ſed hæc modo tangunt labiis, & ſicut non ſapida deſerunt, & mox eligunt quoddam ſapidum ex propria intelligentia, quod ut lautitias ore volvunt & ſuper lingua verſant, & ſic docent: dixerunt, quod inde non plus ſpirituale inſit concionibus illorum, quam quod ineſt cantibus oſcinum; & quod ſint allegorica exornata ſicut ſunt capillamenta pulchre cincinnata & farina hordei dealbata ſuper Capite calvo: myſtica ſermonum illorum de Juſtificatione per ſolam fidem æquiparabant Coturnicibus e mari conjectis ſuper caſtra filiorum Iſraelis, ex quibus ad plura millia mortui ſunt, Num. XI; at Theologica de Charitate & Fide ſimul æquiparabant Mannæ e Cælo. Quondam audivi Presbyteros illorum de ſola Fide inter ſe loquentes; & vidi quoddam Simulachrum ab illis formatum, quod ſolam Fidem illorum repræſentabat; hoc apparuit in lumine eorum, quod erat phantaſiæ, ſicut magnus Gigas; ſed cum immiſſa eſt lux e Cælo, apparuit illud ſuperius ſicut monſtrum, & inferius ſicut ſerpens; quo viſo receſſerunt, & ab adſtantibus conjectum eſt in ſtagnum.

811. Altera magna Urbs Londinum etiam nuncupata, non eſt in meditullio Chriſtiano, ſed diſſita ab illa ad ſeptentrionem: in illam poſt mortem veniunt, qui interius mali ſunt. In medio ejus eſt aperta communicatio cum Inferno, a quo etiam per vices abſorbentur.

812. Ex illis, qui ex Anglia in Mundo ſpirituali ſunt, perceptum eſt, quod illis ſit duplex Theologia, una ex Doctrina fidei illorum, & altera ex Doctrina Charitatis; ex Doctrina fidei illis, qui ſacerdotio initiantur, & ex Doctrina Charitatis plures e Laicis, imprimis illi, qui in Scotia & in confiniis ejus commorantur; cum his Solifidiani timent movere lites, quoniam hi pugnant cum illis tam ex Verbo quam ex Ratione; Doctrina hæc Charitatis exſtat in Oratione quovis die Sabbathi prælecta in Templis coram illis qui Sacramentum Cænæ obeunt, in qua aperte dicitur, quod ſi non in Charitate ſunt, & mala ut peccata non fugiunt, ſe in damnationem æternam conjiciant, & quod alioquin, ſi ad Sanctam Communionem accederent, Diabolus in illos intraturus eſſet ſicut in Judam.

DE GERMANIS IN MUNDO SPIRITUALI.

813. Notum eſt, quod Incolæ cujuſvis Regni diviſi in plures Provincias, non ſimili genio ſint, & quod inter ſe differant ſingulariter, ſicut univerſaliter habitatores Climatum in terrarum Orbe; ſed quod uſque communis Genius regnet inter illos qui ſub uno Rege & inde ſub una ſtatuta Lege ſunt. Quod Germaniam attinet, eſt illa præ Regnis circum illam diviſa in plures Ditiones; eſt ibi Imperium, ſub cujus univerſali auſpicio ſunt omnes, ſed uſque Princeps cujuſvis ditionis jure deſpotico gaudet in particulari, ſunt enim ibi Ducatus majores & minores, & quiſque in ſuo eſt tanquam Monarcha: & inſuper eſt ibi Religio Diviſa, in quibuſdam Ducatibus ſunt Evangelici ita nominati, in quibuſdam ſunt Reformati, & in quibuſdam ſunt Pontificii; cum talis diverſitas Auſpiciorum & ſimul Religionum eſt, poſſunt Germani ægrius quoad animos, inclinationes & vitas ex viſis in Mundo ſpirituali deſcribi, quam Gentes & Populi alibi: Sed quia uſque Communis Genius regnat ubivis inter Populos ejuſdem Linguæ, poteſt ille ex ideis in unum collectis aliquatenus videri & deſcribi.

814. Quoniam Germani ſub Regimine deſpoſito in particulari in quovis Ducatu ſunt,

ſunt, ideo non ſunt in Libertate loquendi & ſcribendi ſicut Batavi & Britanni, & cum Libertas loquendi & ſcribendi coercita eſt, etiam ſimul Libertas cogitandi, hoc eſt, perſpiciendi res in ſua amplitudine coercita tenetur; eſt enim ſicut Ciſterna fontis circum vallata, ex quo inibi aqua elevatur uſque ad orificium Venæ, unde ipſa Vena non ſalit amplius, Cogitatio eſt ſicut vena, & Loquela inde eſt ſicut ciſterna; verbo influxus ſe adaptat effluxui, ſimiliter Intellectus a ſuperiori ad rationem libertatis eloquendi & egerendi cogitata: quapropter nobilis illa Gens parum litat rebus judicii, ſed rebus memoriæ; quæ cauſa eſt quod Hiſtoriæ Literariæ imprimis dediti ſint, & in Libris ſuis fidant Viris famæ & eruditionis inter illos, & horum judicia allegent in copia, & ſubſcribant alicui: ſtatus hic illorum repræſentatur in Mundo ſpirituali per Virum, qui ſub ulnis portat libros, & cum aliquis contendit de aliqua re judicii, inquit, dabo tibi reſponſum, & illico depromit aliquem librum ſub ulna, & prælegit.

815. Ex hoc illorum ſtatu procedunt plura, & inter illa hoc; quod ſpiritualia Eccleſiæ inſcripta memoriæ teneant, & raro elevent illa in Intellectum ſuperiorem, ſed modo immittant illa in Intellectum inferiorem, e quo de illis ratiocinantur, ita prorſus aliter quam Nationes liberæ; hi quoad ſpiritualia Eccleſiæ, quæ vocantur Theologica, ſunt ſicut Aquilæ, quæ ſe evehunt in quamvis altitudinem, at Nationes non liberæ ſunt ſicut Olores in fluvio. Et quoque Nationes liberæ ſunt ſicut Cervi grandiores cum altis cornibus, qui percurrunt campos, lucos & ſylvas in plena licentia, at Nationes non liberæ ſunt ſicut Cervi in Vivariis detenti ut ſerviant Principi. Porro Populi libertatis ſunt ſicut Equi volantes ab Antiquis vocati Pegaſi, qui non modo ſuper Maria, ſed etiam ſuper Colles qui nuncupantur Parnaſſii, & quoque ſuper Muſæa infra illos, volant; at Populi non manumiſſi ſunt ſicut generoſi Equi pulchre phalerati in Stabulis Regum. His ſimilia ſunt diſcrimina judiciorum in rebus myſticis Theologiæ; Clerici ibi, dum diſcipuli ſunt, ex ore Didaſcalorum in Lyceis exſcribunt dictamina, & hæc cuſtodiunt ſicut auctoramenta eruditionis, & cum inaugurati ſunt ſacerdotio, aut conſtituti Lectores in Gymnaſiis, hi e cathedris, & illi e ſuggeſtis, canonicas ſuas loquelas, ex dictatis, de quibus nunc ſupra, ut plurimum hauriunt. Sacerdotes illorum, qui non ex orthodoxia docent, communiter Spiritum Sanctum, ac mirabiles ejus operationes & excitationes ſanctitatum in cordibus prædicant; at illi, qui ex hodierna Orthodoxia de Fide docent, apparent Angelis ſicut laurea ex foliis æſculi ligata inſigniti; at illi, qui ex Verbo de Charitate & ejus operibus docent, apparent Angelis ſicut laurea ex foliis odoriferis e lauro contexta ornati. Evangelici ibi in contentionibus cum Reformatis de veritatibus apparent ſicut lacerent veſtes, ex cauſa quia veſtes ſignificant veritates.

816. Quæſivi ubinam Hamburgenſes in Mundo ſpirituali inveniuntur, ac dictum eſt, quod nullibi appareant collecti in unam Societatem, & minus in aliquam Civitatem, ſed quod ſint circumſparſi & intermixti Germanis in variis plagis; & dum inquiſita eſt cauſa, dicta eſt hæc, quod ſit ex continuis mentium illorum inſpectionibus & quaſi peregrinationibus extra ſuam Urbem, & perparum intra illam: nam qualis eſt ſtatus Mentis hominis in Mundo naturali, talis eſt ejus ſtatus in Mundo ſpirituali; Mens enim hominis eſt ejus Spiritus, ſeu poſthumus homo poſt exceſſum ejus e materiali corpore vivens.

DE PONTIFICIIS IN MUNDO SPIRITUALI.

817. Pontificii in Mundo ſpirituali apparent circum & infra Proteſtantes, & per intervalla diſtincti ſunt, quæ tranſire interdictum eſt; ſed uſque Monachi per clandeſtinas artes parant ſibi communicationem, & quoque per

ſemitas ignotas ablegant emiſſarios ut ſeducant, ſed indagantur, & poſtquam puniti ſunt, vel remittuntur ad ſuos, vel dejiciuntur.

818. Poſt Ultimum Judicium, quod in Mundo ſpirituali factum eſt Anno 1757, Status omnium, & ſic etiam illorum, ita mutatus eſt, quod non liceat ſe congregare in Cætus, ſicut prius; ſed cuivis Amori tam bono quam malo, ordinatæ ſint viæ, quas illi, qui e Mundo alluunt, illico intrant, ac vadunt ad Societates Amoribus illorum correſpondentes; ſic feruntur mali ad Societates, quæ in Inferno ſunt, ac boni ad Societates quæ in Cælo ſunt: ſic cautum eſt, ne ſicut prius artificiales Cælos ſibi forment. Tales Societates in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, ſunt multiplices, ſunt enim totidem, quot ſunt Genera & Species affectionum Amoris boni & mali; ac interea antequam vel in Cælum elevantur, vel in Infernum dejiciuntur, ſunt in conjunctione ſpirituali cum hominibus Mundi, ex cauſa, quia hi etiam in medio ſunt inter Cælum & Infernum.

819. Pontificii Synedrium quoddam habent in Plaga Meridionali verſus Orientem, in quo illorum Primores conveniunt, & conſultant de variis quæ Religionis eorum ſunt, imprimis quomodo Vulgus tenendum eſt in cæca obedientia, & quomodo Dominatus eorum ampliandus: ſed non in illud admittitur aliquis qui in Mundo fuerat Pontifex, ex cauſa quia inſidet animo ejus inſtar Auctoritatis Divinæ, ex eo quod arrogaverit ſibi poteſtatem Domini in Mundo: nec permittitur alicui Cardinali in Synedrium illud intrare, & hoc propter ſupereminentiam; hi tamen in amplo Conclavi ſub illis ſe colligunt, at poſt aliquot dierum commorationem auferuntur, ſed non datum eſt ſcire, quo. Alius etiam Conventus eſt in Plaga meridionali verſus Occidentem; negotium ibi eſt credulum vulgus intromittere in Cælum; diſponunt ibi circum ſe plures Societates, quæ in variis Jucundis externis ſunt, in quibuſdam ſunt Choreæ, in quibuſdam Harmoniæ muſicæ, in quibuſdam Proceſſiones, in quibuſdam Theatra & ludi ſcenici, in quibuſdam ſunt qui per phantaſias inducunt varias ſpecies magnificentiæ, in quibuſdam modo hauriolantur & jocantur; in quibuſdam loquuntur inter ſe amice, alicubi de religioſis, alicubi de civilibus, etiam alicubi de laſciviis; & ſic porro: in aliquam ex his ſocietatibus ſecundum cujuſvis voluptatem immittunt credulos, vocantes id Cælum; ſed omnes poſt diem unum aut alterum, cum ibi fuerunt, tædio afficiuntur & abſcedunt, quia Jucunda illa ſunt externa & non interna; ita quoque plures abducuntur a frivolis fidei de poteſtate intromittendi in Cælum. Quod Cultum eorum in ſpecie attinet, eſt ille pæne ſimilis Cultui illorum in Mundo, conſiſtit ille ſimiliter in Miſſis, quæ fiunt in Lingua non communi ſpirituum, ſed conflata ex vocibus alte ſonantibus, quæ Sanctum externum & Tremotem incutiunt, quæ prorſus non intelligunt.

820. Omnes qui in Mundum ſpiritualem e Terris veniunt, in Confeſſione fidei, & in Religione Patriæ ſuæ in principio tenentur; ita quoque Pontificii; quare ſemper aliquem repræſentativum Pontificem ſibi præpoſitum habent, quem etiam ſimili ritu adorant, quo in Mundo. Raro aliquis Papa in Mundo, poſt exceſſum inde, illis præponitur; ſed uſque Ille qui ante 30 & 40 annos Pontificali Munere functus eſt, illis præfectus eſt, ob cauſam, quia Ille corde ſuo fovit, quod Verbum ſanctius eſſet, quam creditur, & quod Dominus colendus eſſet. Datum eſt loqui cum illo, & dixit, quod Dominum ſolum adoret, quia Ipſe eſt Deus, cui omnis poteſtas eſt in Cælo & in Terra, ſecundum Ipſius verba, Matth. XXVIII: 18; & quod invocationes Sanctorum ſint ludibria: tum quod in Mundo intenderit reſtaurare illam Eccleſiam, ſed quod non potuerit, propter cauſas quas dixit. Vidi illum, quando Urbs magna ſeptentrionalis, in qua fuerunt Pontificii & ſimul Reformati, die Ultimi Judicii deſtruebatur, in lectica exportatum, & in locum ſecurum tranſlatum. Ad latera Societatis magnæ, in qua Pontificem agit, inſtituta

ſunt

ſunt Gymnaſia, ad quæ illi qui in ancipiti de Religione hærent, abeunt, & ibi ſunt Monachi converſi, qui illos docent de Deo Salvatore Chriſto, & quoque de ſanctitate Verbi, ac Monachi illi arbitrio illorum relinquunt avertere animos a ſanctificationibus in Eccleſiam Romano-Catholicam introductis, illi qui recipiunt, introducuntur in amplam Societatem, ubi illi qui e Cultu Papæ & Sanctorum receſſerunt, & cum in illam veniunt ſunt ſicut qui expergefacti a ſopore in vigilia ſunt; & ſicut qui ex jucundis brumæ in amæna primi Veris veniunt; & ſicut Navigans dum portum tangit; & tunc ab illis qui ibi ſunt, invitantur ad convivia, & datur illis e cyathis Chryſtallinis bibere nobile Vinum; & andivi, quod Angeli e Cælo ad hoſpitem demittant patinam, ſuper qua eſt Manna in ſimili forma, & ex ſimili ſapore, qualis demiſſa eſt ſuper Caſtra filiorum Iſraelis in deſerto, quæ patina ad Convivas circumfertur, & cuivis datur liberum guſtandi illam.

821. Omnes illi ex Catholica Religione, qui dum animadvertunt ſe poſt mortem vivere, & in priori Mundo plus cogitaverunt de Deo, quam de Papatu, & Charitatis opera ex ſimplici corde fecerunt, poſtquam inſtructi ſunt, quod Ipſe Dominus Salvator Mundi hic regnet, facile abducuntur a ſuperſtitioſis iſtius Religionis; his eſt tranſitus a Papiſmo ad Chriſtianiſmum tam facilis, ſicut eſt per fores apertas intrare in Templum; & ſicut eſt tranſire Satellitia, quæ in atriis ſunt, in Aulam, mandante Rege; & ſicut eſt attollere vultum & ſuſpicere ad Cælum, dum inde audiuntur voces: at viciſſim, tam difficile eſt a ſuperſtitioſis Religionis iſtius abducere illos, qui in vitæ ſuæ curriculo in Mundo raro ſi uſquam cogitaverunt de Deo, ac Cultum illum modo propter feſtivitates ejus dilexerunt, ſicut eſt intrare in Templum per fores clauſas; & ſicut eſt per Satellitia in atriis tranſire in Aulam, prohibente Rege; & ſicut angui in herba extollere oculos ad Cælum. Mirabile eſt, quod omnes, qui ex Religioſo illo Catholico in Mundum ſpiritualem alluunt, non videant ibi Cælum, ubi ſunt Angeli, eſt ſicut Nubes obſcura ſuper illos, quæ terminat viſum; at vero ut primum aliquis converſus ad converſos venit, aperitur Cælum, & quandoque vident Angelos ibi in Veſtibus albis, ad quos etiam poſt exactum tempus præparationis, elevantur.

DE SANCTIS PONTIFICIORUM IN MUNDO SPIRITUALI.

822. Notum eſt, quod homini a Parentibus ſit malum inſitum ſeu hæreditariam, ſed paucis notum eſt in quo illud in ſua plenitudine habitat, habitat in amore poſſidendi omnium aliorum bona, & in amore dominandi, poſterior enim hic amor talis eſt, ut quantum ei laxantur fræna, tantum erumpat, uſque ut flagret cupidine dominandi ſuper omnes, & tandem ut velit invocari & coli ſicut Deus: hic Amor eſt Serpens, qui decepit Chaivam & Adamum, dixit enim ad Mulierem, *Novit Deus, quo die comederitis de fructu illius Arboris, aperientur oculi veſtri,* ET TUNC ERITIS SICUT DEUS, Gen. III: 4. 5; quantum itaque homo relaxatis fræ-nis in hunc Amorem ruit, tantum ſe avertit a Deo, & convertit ad ſemet, & fit adorator ſui, & tunc poteſt invocare Deum ore calido ex amore ſui, ſed corde frigido ex contemptu Dei; & quoque tunc poſſunt Divina Eccleſiæ inſervire pro mediis, ſed quia finis eſt dominium, media non plus cordi ſunt, quam prout inſerviunt. Talis, ſi ad ſupremos honores evehitur, eſt in ſua imagine ſibi ſicut Atlas portans Globum terraqueum ſuper ſcapulis ſuis; ac ſicut Phæbus ſolem equis ſuis ferens circum orbem.

823. Quoniam homo ex hæreditario talis eſt, ideo omnes, qui per Bullas Papales ſanctificati ſunt, in Mundo ſpirituali removentur ab oculis aliorum, & reconduntur, & aufertur illis omne commercium cum cultoribus illorum, cauſa eſt,

ne radix illa malorum peſſima excitetur apud illos, & in deliria phantaſtica, qualia ſunt apud dæmones, inferantur: in talia deliria veniunt illi, qui dum in Mundo vivunt, Sanctos fieri poſt mortem ut invocentur, ſtudio affectant.

824. Multi ex Pontificia Gente, imprimis Monachi, cum in Mundum ſpiritualem adveniunt, quærunt Sanctos, imprimis Sanctum ſui Ordinis, ſed non inveniunt, quod mirantur, ſed poſtea inſtruuntur quod ſint intermixti vel illis qui in Cælo ſunt, vel illis qui in Infera Terra, & quod utrobivis nihil ſciant de cultu & invocatione ſui, & quod illi qui ſciunt, & volunt invocari, cadant in deliria, & fatue loquantur. Cultus Sanctorum eſt talis abominatio in Cælo, ut dummodo audiunt illum, horreſcant, quoniam quantum alicui homini addicatur Cultus, tantum Cultus derogatur Domino; ſic enim non ſolus poteſt coli; & ſi Dominus non ſolus colitur, fit diſcriminatio, quæ tollit communionem, & fluentem ex illa felicitatem vitæ. Ut ſcirem, quales Sancti Pontificiorum ſunt, propter cauſam ut notum facerem, educti ſunt ex inferiore Terra uſque ad centum, qui noverunt de Sanctificatione ſua; aſcenderunt a tergo, modo aliqui ante faciem, & cum uno ex his loquutus ſum, quem dixerunt eſſe Xaverium; hic dum mecum loquebatur, erat ſicut fatuus; narrare tamen potuit, quod in loco ſuo ubi cum aliis incluſus eſt, non fatuus ſit, ſed quod fatuus fiat, quoties cogitat quod Sanctus ſit & vult invocari: ſimile murmur audivi ab illis, qui a tergo erant. Aliter eſt cum Sanctis ita dictis in Cælo, hi prorſus nihil ſciunt de eo quod in terris ſit, nec datur illis loqui cum quibuſdam e Gente Pontificia qui in illa ſuperſtitione ſunt, ne aliqua idea de illa re apud illos intret.

825. Ex hoc illorum ſtatu quiſque concludere poteſt, quod Invocationes illorum ſint modo ludibria; & inſuper aſſeverare poſſum, quod Invocationes ſuas in Terris non plus audiant quam Simulachra eorum juxta vias, nec plus quam parietes Templi; neque plus quam aves nidificantes in turribus. Dicitur a ſervis illorum in Mundo, quod Sancti una cum Domino Jeſu Chriſto regnent in Cælo, ſed hoc eſt figmentum & commentum; non enim plus regnant cum Domino, quam ſtabularius cum Rege, quam janitor cum Magnate, ac quam curſor cum Primate; dixit enim Johannes Baptiſta de Domino, *quod non dignus ſit ſolvere corrigiam calcei Ipſius*, Marc. I: 7. Joh. I: 27, quid tunc illi, qui tales.

826. Apparet quandoque Pariſienſibus qui in Mundo ſpirituali in Societate ſunt, quædam Mulier in media altitudine, in veſtitu ſplendido, & in facie tanquam ſancta, & dixit ſe eſſe GENOVEVAM: ſed cum quidam incipiunt adorare illam, tunc illico mutatur ejus facies, & quoque veſtis, & ſit ſimilis Fæminæ vulgari, & reprehendit illos, quod velint adorare fæminam, quæ apud ſocias ſuas non plus in æſtimatione eſt quam ſicut ancilla, mirans quod homines Mundi talibus nugis captentur.

827. His adjiciam hoc digniſſimum: Quondam præteriit MATER DOMINI MARIA, & viſa ſupra Caput in Veſtitu albo; & tunc paulum morata dixit, quod Mater Domini fuerit, & quidem ab illa natus, ſed quod factus Deus exuerit omne Humanum ex illa, & quod ideo nunc adoret Ipſum ut ſuum Deum, & quod nolit ut quiſquam Ipſum pro ſuo Filio agnoſcat, quoniam in Ipſo omne Divinum eſt.

DE MAHUMEDANIS IN MUNDO SPIRITUALI.

828. Mahumedani in Mundo ſpirituali apparent poſt Pontificios in Occidente, & faciunt ſicut ambitum: quod appareant proxime poſt Chriſtianos, eſt quia Dominum noſtrum agnoſcunt, pro Maximo Propheta, Sapientiſſimo omnium, qui miſſus eſt in Mundum ut doceret homines, & quoque pro Filio Dei. Quiſque in illo Mundo habitat ad diſtantiam a Meditullio, ubi ſunt Chriſtiani, ſecundum Confeſ-

ſeſſionem Domini & Unius Dei; nam illa conjungit animos Cælo, & facit diſtantiam ab Oriente, ſuper quo eſt Dominus.

829. Quoniam Religio in ſupremis apud hominem reſidet, & ex ſupremis vivunt & lucent inferiora ejus, & quia Mahumedes verſatur in animis illorum una cum Religione, ideo ſemper aliquis Mahumedes in conſpectu illorum ponitur, ac ut vertant facies ſuas ad Orientem, ſuper quo eſt Dominus, ponitur ille infra Meditullium Chriſtianum: non eſt ipſe Mahumedes, qui Alcoranum conſcripſit, ſed alius qui munere ejus fungitur; nec eſt idem ſemper, ſed mutatur: quondam fuit unus ex Saxonia, qui captus ab Algirienſibus factus eſt Mahumedanus, is quia Chriſtianus etiam fuerat, aliquoties actus eſt ad loquendum cum illis de Domino, quod non fuerit Filius Joſephi, ſed Filius Ipſius Dei. Iſti Mahumedi ſucceſſerunt poſtea alii. In loco ubi repræſentativus ille Mahumedes ſedem habet, apparet ignis ſicut faculæ, ut noſcatur; ſed ille ignis non conſpicuus eſt aliis, quam Mahumedanis.

830. Ipſe Mahumedes, qui ſcripſit Alcoranum, non in conſpectum hodie venit; dictum mihi eſt, quod primis temporibus præfuerit illis, ſed quia voluit dominari ſuper omnia Religionis illorum ut Deus, quod e ſede ſua, quam ſub Pontificiis habuit, ejectus ſit, & ad latus dextrum juxta meridiem demiſſus. Quondam aliqua Societas ex Mahumedanis excitata eſt a malitioſis ad agnoſcendum Mahumedem pro Deo, ut ſeditio ſedaretur, ſublatus eſt Mahumedes ab infera terra, & oſtenſus, & tunc quoque mihi viſus eſt: apparuit ſimilis Spiritibus corporeis, quibus non perceptio interior eſt, facie ad nigrum vergente, & audivi illum loquentem hæc verba, Ego ſum Mahumedes veſter; & mox quaſi ſubſidens.

831. Mahumedani infeſti ſunt Chriſtianis primario propter fidem trium Perſonarum Divinarum, & inde cultum trium Deorum, totidem Creatorum, ac Chatolico-Romanis inſuper propter genuflexiones coram ſimulachris, & inde hos vocant Idololatras, & illos fanaticos, dicentes quod faciant Deum Tricipitem, & quod dicant unum ac muſſitent tres, proinde quod ſcindant Omnipotentiam, & ex una & unius faciant tres; & quod ita ſint ſicut Fauni cum tribus cornibus, uno pro quovis Deo, & inſimul tres pro uno, & quod ſic orent, ſic pſallant, & ſic e ſuggeſtibus ſonent.

832. Eſt Mahumedanis, ſicut omnibus Gentibus quæ agnoſcunt Deum unum, ac amant juſtum, & faciunt bonum ex Religione, ſuum Cælum, ſed extra Chriſtianum: aſt Cælum Mahumedanum in duos eſt diſtinctum, in Inferiori vivunt honeſte cum pluribus uxoribus, ſed inde non alii in Cælum ſuperius elevantur, quam qui abdicant pellices, & agnoſcunt Dominum Salvatorem noſtrum, & ſimul Ipſius Dominium ſuper Cælum & Infernum. Audivi quod illis impoſſibile ſit cogitare Deum Patrem & Dominum noſtrum eſſe unum, ſed quod illis poſſibile ſit credere, quod dominetur ſuper Cælos & Inferna, quia Filius Dei Patris eſt: hæc Fides apud illos eſt, per quam aſcenſus in ſuperius Cælum illis a Domino datur.

833. Quod Religio Mahumedana recepta ſit a pluribus Regnis, quam Religio Chriſtiana, poteſt ſcandalo eſſe illis, qui de Divina Providentia cogitant, & ſimul credunt, quod non aliquis ſalvari poſſit, quam qui Chriſtianus natus eſt: at Religio Mahumedana non eſt ſcandalum illis, qui credunt quod omnia ſint Divinæ Providentiæ; hi inquirunt, in quo eſt, & quoque inveniunt. Eſt in hoc, quod Mahumedana Religio agnoſcat Dominum pro Maximo Propheta, Sapientiſſimo omnium, & quoque pro Filio Dei; at quia modo Alcoranum Librum religionis ſuæ fecerunt, & inde Mahumedes, qui illum conſcripſit, cogitationibus illorum inſedit, & aliquo cultu illum proſequuntur, ideo parum de Domino noſtro cogitant. Ut plene ſciatur, quod illa Religio ex Divina Domini Providentia exſuſcitata ſit, ad delendum Idololatrias plurium Gentium, in aliquo ordine dicetur, ſed primum de origine Idololatriarum. Ante illam Religionem fuit Cultus idololatri-

cus in perplurima Regna terrarum Orbis, effuſus, cauſa fuit, quia Eccleſiæ ante Adventum Domini, fuerunt omnes Eccleſiæ repræſentativæ; talis etiam fuit Eccleſia Iſraelitica, ibi Tabernaculum, Veſtes Aharonis, Sacrificia, Omnia Templi Hieroſolymitani, & quoque Statuta repræſentabant: & apud Antiquos fuit ſcientia Correſpondentiarum, quæ etiam eſt Repræſentationum, ipſa Scientia ſcientiarum, inprimis exculta ab Ægyptiis, inde horum Hieroglyphica. Ex illa Scientia ſciverunt, quid ſignificabant omnis Generis Animalia, tum quid omnis Generis Arbores, ut & quid Montes, Colles, Fluvii, Fontes; ut & quid Sol, Luna & Stellæ; per illam Scientiam fuit illis etiam cognitio Spiritualium, quoniam illa quæ repræſentabantur, quæ ſunt talia quæ ſapientiæ ſpiritualis eſt apud Angelos in Cælo, erant origines. Nunc quia omnis Cultus illorum erat Repræſentativus, conſiſtens ex meris Correſpondentiis, ideo ſuper Montibus & Collibus, & quoque in Lucis & Hortis, habuerunt Cultus; & ideo Fontes ſanctificabant, & inſuper Sculptiles Equos, Boves, Vitulos, Agnos, imo Aves, Piſces, Serpentes fecerunt, & hos poſuerunt juxta Templa, & in horum Atriis, & quoque Domi, in ordine ſecundum ſpiritualia Eccleſiæ quibus correſpondebant, ſeu quæ repræſentabant, & inde ſignificabant. Poſt tempus, quando ſcientia Correſpondentiarum obliterata fuit, cæpit Poſteritas colere ipſa Sculptilia ut in ſe ſancta, neſcientes quod Antiqui Parentes illorum non viderint aliquid ſancti in illis, ſed ſolum quod ſecundum correſpondentias repræſentarent Sancta. Ex his ortæ ſunt Idololatriæ, quæ impleverant tot Regna Orbis. Ut illæ Idololatriæ exſtirparentur, ex Divina Domini Providentia factum eſt, ut Nova Religio geniis Orientalium accommodata auſpicaretur; in qua aliquid ex utroque Teſtamento Verbi etiam eſſet, & quæ doceret, quod Dominus in Mundum venerit, & quod Ille eſſet Maximus Propheta, Sapientiſſimus omnium, & Filius Dei: hoc factum eſt per Mahumedem, a quo Religio illa vocata eſt. Ex his patet, quod hæc Religio ex Divina Domini Providentia exſuſcitata ſit, ac geniis Orientalium, ut dictum eſt, accommodata, ob finem, ut deleret idololatrias tot Gentium, & daret aliquam cognitionem de Domino, antequam in Mundum ſpiritualem, quod fit poſt mortem, venirent: quæ Religio non recepta fuiſſet a tot Regnis, & potuiſſet Idololatrias ibi exſtirpare, niſi conveniens ideis cogitationum illorum facta eſſet: imprimis niſi Polygamia permiſſa fuiſſet, etiam ex cauſa, quia Orientales abſque illa permiſſione præ Europæis flagraviſſent in ſpurca Adulteria, & periiſſent.

834. Quondam datum eſt percipere, qualis eſt Calor amoris Polygamici illorum; loquutus ſum cum uno, qui vicem Mahumedis obivit, & Vicarius ille poſt aliquam loquelam ad diſtantiam cum illo, tranſmiſit ad me cochleare ebenum, & alia, quæ erant indicia quod ab illo; & ſimul tunc aperta eſt communicatio e variis locis pro calore amoris Polygamici illorum, qui ſentitus eſt e quibuſdam locis ſicut calor in Balneis poſt lavationes; e quibuſdam ſicut calor in Culinis ubi lixantur carnes; e quibuſdam ſicut calor in Popinis ubi eſculenta fætida veno exſtant; ex quibuſdam ſicut in Cellariis apud Pharmacopolas, ubi emulſa & ſimilia parantur; e quibuſdam ſicut calor in lupanariis & ganeis; & e quibuſdam ſicut in Tabernis, ubi pelles, coria & calcei venduntur; Calori iſti etiam inerat ſicut rancidum, auſterum & urens ex Zelotypia. Calor autem in Cælis Chriſtianis, dum Jucundum amoris illorum ſentitur ut Odor, eſt fragrans ſicut in Hortis & Vineis, & ſicut in Roſetis, & alicubi ſicut in Aromotopoliis, & alicubi ſicut in Torcularibus, & in Cellis vinariis. Quod Jucunda Amorum in Mundo ſpirituali multoties ſentiantur ut Odores, in MEMORIALIBUS meis poſt Capita, paſſim oſtenſum eſt.

DE

DE AFRICANIS IN MUNDO SPIRITUALI; ET QUOQUE ALIQUID DE GENTIBUS.

835. Gentes, quæ non aliquid norunt de Domino, in Mundo ſpirituali apparent extra illos, qui norunt; uſque ita, ut ultimas peripherias faciant non alii, quam qui prorſus Idololatræ ſunt, ac Solem & Lunam in Mundo priori adoraverunt. Illi autem, qui Unum Deum agnoſcunt, ac Præcepta, qualia ſunt in Decalogo, religionis & inde vitæ faciunt, immediatius communicant cum Chriſtianis in Meditullio; nam communicatio ſic non intercipitur a Mahumedanis & Pontificiis. Gentes etiam diſtinctæ ſuut ſecundum genios & facultates recipiendi lucem per Cælos a Domino: ſunt enim ex illis Interiores & Exteriores, quod trahunt partim ex Climate, partim ex Stirpe e qua, partim ex Educatione, & partim ex Religione. Africani reliquis ſunt Interiores.

836. Omnes qui unum Deum Creatorem Univerſi agnoſcunt & colunt, ideam Hominis de Deo fovent, dicunt, quod nemo aliam de Deo poſſit habere: cum audiunt, quod plures de Deo foveant ideam ſicut Ætheris aut Nubis, quærunt ubinam illi ſunt, & cum dicitur, quod ſint inter Chriſtianos, negant quod dabile ſit; ſed reſpondetur, quod ſit illis talis idea ex eo, quod Deus in Verbo dicatur Spiritus, & de ſpiritu non aliter cogitant, quam ſicut de ſubſtantia Ætheris, aut de aliqua forma Nubis, non ſcientes quod omnis Spiritus & omnis Angelus ſit Homo; at uſque exploratum eſt, num ſpiritualis illorum idea ſit ſimilis ideæ illorum naturali, & compertum eſt, quod non ſimilis ſit apud illos, qui Dominum Salvatorem pro Deo Cæli & Terræ interius agnoſcunt. Audivi quendam Presbyterum dicentem, quod nemo poſſit habere ideam Divini Humani, & vidi illum tranſlatum ad varias Gentes ad interiores & interiores, & quoque ad Cælos illorum, & tandem ad Cælum Chriſtianum, & ubivis data eſt communicatio perceptionis interioris illorum de Deo, & animadvertit, quod non alia illis idea Dei eſſet quam idea Divini Hominis, & quod non ab alio potuiſſet creari homo, qui imago & ſimilitudo.

837. Quoniam Africani præ reliquis interiori judicio pollent, cum illis commercium ſermonis habui de rebus altioris indaginis, & nuper de Deo; de Domino Redemptore; deque Interiori & Exteriori homine; & quia delectabantur illo ſermone, afferam aliqua, quæ de Tribus illis ex interiori viſu, perceperunt: DE DEO DIXERUNT, quod omnino deſcenderit, & ſe videndum hominibus obtulerit, quia eſt Creator, Tutor & Ductor illorum, & quia Genus humanum Ipſius eſt; & quod videat, luſtret & provideat omnia & ſingula quæ in Cælis & in Terris ſunt, ac bona illorum ſicut in Se, & Se in illis; cauſa eſt, quia eſt Sol Cæli Angelici, qui tam alte ſupra Mundum ſpiritualem ſicut Sol terræ ſupra Mundum naturalem conſpicitur, & qui eſt Sol, is videt, luſtrat & providet omnia & ſingula quæ infra ſunt; & quia Divinus Amor Ipſius eſt qui apparet ut Sol, ſequitur quod proſpiciat maximis & minimis talia quæ vitæ ſunt, & hominibus talia quæ amoris & ſapientiæ ſunt, illa quæ Amoris ſunt per calorem inde, & illa quæ ſapientiæ per lucem inde. Si itaque formatis vobis ideam de Deo, quod ſit Sol Univerſi, omnino ex illa idea videbitis & agnoſcetis Ipſius Omnipræſentiam, Omniſcientiam & Omnipotentiam.

838. Ulterius SERMO CUM ILLIS FUIT DE DOMINO SALVATORE; & dictum eſt, quod Deus in eſſentia ſua ſit Divinus Amor, & quod Divinus Amor ſit ſicut puriſſimus Ignis; & quia Amor in ſe ſpectatus non intendit aliud quam ut unum fiat cum altero quem amat, ac Divinus Amor, quam ut uniat ſe homini & hominem ſibi, uſque adeo ut Ipſe in illo ſit & ille in Ipſo; & quia Divinus Amor eſt ſicut puriſſimus Ignis, patet, quod Deus, quia talis, minime potuerit in homine eſſe, & fa-

facere ut homo in Ipſo ſit, nam ſic redigeret totum hominem in tenuiſſimum fumum: ſed quia Deus ex ſua eſſentia arſit amore uniendi ſe cum homine, neceſſum fuit ut ſe circumvelaret corpore accomodato ad receptionem & conjunctionem; quare deſcendit & aſſumſit Humanum ſecundum Ordinem ex ſe a Creatione Mundi conſtabilitum, qui erat, ut a Virtute a Se propagata conciperetur, geſtaretur in utero, naſceretur, & dein creſceret ſapientia & amore, & ſic appropinquaret ad unionem cum Divina ſua Origine, & quod ſic Deus factus ſit Homo, ac Homo Deus; quod ita ſit, Scriptura de Ipſo, quæ apud Chriſtianos eſt, & vocatur Verbum, manifeſte docet & teſtatur, & Ipſe Deus, qui in Humano ſuo vocatur Jeſus Chriſtus, dicit, quod Pater in Ipſo ſit, & Ipſe in Patre, & quod qui videt Ipſum, videat Patrem, præter plura ejuſdem rei. Quod Deus, cujus Amor eſt ſicut puriſſimus Ignis, non aliter potuerit unire Se homini & hominem Sibi, videt etiam Ratio; num poteſt Ignis Solis, qualis in ſe eſt, tangere hominem, minus inire illum, niſi circumvelet radios ſuos athmoſphæris, & ſic per temperatum calorem ſe accommodatum ſiſtat: Num poteſt purus Æther circumfundere hominem, & minus influere in bronchias pulmonum ejus niſi ſtipatus aere, & ſic ſe adaptare: ne quidem poteſt Piſcis vitam trahere in aere, ſed in Elemento vitæ ejus applicato: imo ne quidem poteſt Rex in terris in ſua perſona ſeu immediate adminiſtrare omnia & ſingula in ſuo Regno, niſi per Præfectos ſuperiores & inferiores, qui ſimul Regium Ipſius Corpus conſtituunt. Neque poteſt Anima hominis ſe iſtere videndam alteri, conſortium inire cum illo, & amoris ſui documenta communicare, niſi quam per Corpus; quomodo tunc Deus niſi per Humanum, quod Ipſius eſt. His auditis, Africani præ reliquis, quia interius rationales ſunt, perceperunt; & quiſque ſecundum ſuam perceptionem favit.

839. Poſtremo conſociatus eſt ſermo de INTERIORE ET EXTERIORE HOMINE; & dictum eſt, quod homines, qui interius res percipiunt, ſint in luce veri, quæ eſt lux Cæli, & quod homines qui exterius res percipiunt ſint in nulla luce veri, quia ſolum in luce Mundi; quod ſic homines Interiores ſint in intelligentia & ſapientia, Exteriores autem in veſania & in viſione præpoſtera: quod homines Interiores ſint ſpirituales, quia ex ſpiritu elevato ſupra corpus cogitant, quare vident vera in luce; at quod Exteriores homines ſint Naturales ſenſuales, quia ex fallaciis ſenſuum corporis cogitant; quare vident vera ſicut in nimbo, & cum apud ſe verſant illa, vident falſa ut vera: quod Interni homines ſint ſicut qui ſtant ſuper Monte in campo, aut ſuper Turri in urbe, aut ſuper Specula in mari; at Externi homines ſunt ſicut qui ſtant in valle ſub monte, aut in crypta ſub turri, aut in cymba ſub ſpecula, qui non vident niſi quam proxima: & porro, Interni homine ſunt ſicut qui habitant in ſecunda aut tertia manſione Domus ſeu Palatii, cujus parietes ſunt continentes feneſtræ ex vitris chryſtallinis, qui in Urbe perſpiciunt circum circa in amplitudine, & cognoſcunt quamvis ædiculam ibi; at Externi homines ſunt ſicut qui in infima manſione habitant, cujus feneſtræ ſunt ex papyris conglutinatis, qui ne quidem aliquam platèam extra domum vident, ſed ſolum illa quæ intra domum ſunt, & hæc non niſi quam ex candela aut foco: Interni homines etiam ſunt ſicut Aquilæ in alto, & vident late omnia ſub ſe; & viciſſim Externi homines ſunt ſicut Galli, qui ſuper ſtapide alta voce coram gallinis, quæ humi gradiuntur, canunt: & inſuper Interni homines percipiunt quod illa quæ ſciunt ad illa quæ non ſciunt, ſint modo ſicut aquæ in urna ad aquas in lacu; at Externi homines non aliter percipiunt, quam quod ſciant omnia. Ex his dictis lætati ſunt Africani, quia ex interiori viſu, quo præpollent, agnoverunt quod ita ſit.

840. Quoniam Africani tales ſunt, ideo apud illos hodie fit Revelatio, quæ incepta vadit e Regione ſua circum, ſed non uſque ad Maria; ſpernunt Advenas ex Europa, qui credunt hominem ſalvari per ſolam fidem, & ſic per ſolum cogitare,

&

& loqui, & non ſimul per velle & facere; dicentes quod nullus homo ſit, cui aliquis Cultus, qui non vivit ſecundum Religionem ſuam, & ſi non, quod non poſſit aliter quam fieri ſtupidus & malus, quia tunc non recipit aliquid e Cælo; malitiam ingenioſam vocant etiam ſtupiditatem, quia non vita ſed mors eſt in illa. Loquutus ſum aliquoties cum Auguſtino, qui in tertio Sæculo fuerat Epiſcopus in Hippo in Africa, dixit quod hodie ibi ſit, ac inſpiret illis cultum Domini, & quod ſpes propagationis hujus Novi Evangelii in circumjacentes Regiones ibi ſit. Audivi Angelorum gaudium ſuper illa Revelatione, quod per eam aperiatur illis communicatio cum Rationali humano, hactenus per Univerſale Dogmaticum, quod Intellectus ſub obedientia fidei Eccleſiaſticorum, occluſo.

DE JUDÆIS IN MUNDO SPIRITUALI.

841. Judæi ante Ultimum Judicium, quod factum eſt Anno 1757, ad latus ſiniſtrum Meditullii Chriſtiani in Valle ibi apparuerunt; poſt illud tranſlati ſunt in Septentrionem, & interdictum eſt illis commercium cum Chriſtianis, niſi cum vagis extra Urbes. Sunt in illa Plaga duæ magnæ Urbes, in quas Judæi poſt mortem tranſlati ſunt, quas ante Judicium vocaverunt Hieroſolymas, ſed poſt illud alio nomine, quia poſt Judicium per Hieroſolymam intelligitur Eccleſia quoad Doctrinam, in qua Dominus ſolus colitur. Præficiuntur illis in ſuis Urbibus Judæi converſi, qui monent illos, ne contumelioſe loquantur de Chriſto; & puniunt illos qui uſque id faciunt. Plateæ Urbium illorum oppletæ ſunt Cæno uſque ad talos, & Domus immundis, a quibus etiam olent, propter quæ non adiri poſſunt. Poſtmodum animadverti, quod plures ex illa Gente ſedem commorationis etiam nacti ſint in Plaga Meridionali, & dum quæſivi, quinam illi, dictum eſt, quod ſint qui parvifecerunt Cultum reliquorum, & hæſerunt animis de Meſſia num unquam venturus ſit, tum qui de variis rebus in Mundo cogitaverunt ex ratione, & ſecundum illam vixerunt; horum plurimam partem conſtituunt Judæi qui nuncupantur Portugiſi.

842. Apparet Judæis aliquoties Angelus ſupra in media altitudine cum Baculo in manu, & dat credere quod ſit MOSES, ac hortatur ut deſiſtant a veſania de exſpectatione Meſſiæ etiam ibi, quia Meſſias eſt Chriſtus, qui illos & omnes regit, & quod ille id ſciat, & quoque de Ipſo ſciverit, dum in Mundo fuit: quibus auditis recedunt, & maxima pars obliviſcuntur, & pauci retinent. Qui retinent, illi mittuntur in Synagogas, quæ ſunt ex Converſis, ac inſtruuntur, & illis, dum inſtructi ſunt, dantur novæ Veſtes pro laceris, & datur Verbum nitide ſcriptum, tum Habitatio in Urbe non indecora: illi autem qui non recipiunt, dejiciuntur, ac multi in Sylvas & Deſerta, ubi agunt inter ſe latrocinia.

843. Judæi negotiantur in illo Mundo ſicut in priori cum variis, imprimis cum Lapidibus pretioſis, quos ſibi per vias incognitas comparant e Cælo, ubi Lapides pretioſi in copia ſunt. Quod Negotiatio illis cum Lapidibus pretioſis ſit, eſt cauſa, quia Verbum in ſua originali Lingua legunt, & Senſum literæ ejus Sanctum habent, ac Lapides pretioſi Senſui literæ correſpondent; quod ſpiritualis origo illorum Lapidum ſit Senſus literæ Verbi, & quod inde ſit correſpondentia illorum, ſupra in Capite de SCRIPTURA SACRA, n: 217. 218, videatur. Poſſunt etiam arte parare ſimiles ac phantaſiam inducere, quod genuini ſint; ſed hi a ſuis Præfectis ſevere mulctantur.

844. Judæi præ aliis non ſciunt quod in Mundo ſpirituali ſint, ſed credunt ſe adhuc in Mundo naturali eſſe, cauſa eſt, quia prorſus Externi homines ſunt, & non aliquid de Religione cogitant ex interiori: quare etiam loquuntur ſimiliter de Meſſia ſicut prius, & quidam quod venturus ſit cum Davide, & fulgens diadema-

tibus præiturus illis, ac introducturus illos in Terram Canaanem, & in via elevatione Baculi exficcaturus fluvios quos tranſibunt, & quod Chriſtiani, quos inter ſe etiam Gentes vocant, tunc alas veſtium illorum arrepturi, ſuppliciter orantes ut liceat comitari, & quod recepturi Divites ſecundum copias, & quod hi quoque illis ſervituri ſint: in his confirmant ſe per illa qnæ leguntur apud Sachariam Cap. VIII: 23. & apud Eſajam Cap. LXVI: 20.: & de Davide, quod venturus ſit, & futurus illorum Rex & Paſtor, ex Jeremia Cap. XXX: 9; exque Ezechiele Cap. XXXIV: 23 ad 25. Cap. XXXVII: 23 ad 26. prorſus non volentes audire, quod per Davidem ibi intelligatur Dominus noſter Jeſus Chriſtus; & quod per Judæos ibi intelligantur illi qui ab Eccleſia Ipſius erunt.

845. Dum interrogantur num firmiter credant, quod omnes in Terram Canaanem venturi ſint, dicunt quod tunc omnes, & quod tunc Judæi defuncti reſurrecturi ſint, & quod ex ſepulchris ſuis intraturi Terram illam; cum regeritur, quod nequaquam poſſint exire ſepulchris, quoniam ipſi poſt mortem vivunt; reſpondent quod tunc deſcenſuri ſint, ac intraturi ſua corpora, & ſic victuri. Cum dicitur; quod Terra illa non poſſit capax eſſe omnium, reſpondent quod tunc ampliabitur. Cum dicitur, quod Regnum Meſſiæ, quia Filius Dei eſt, non futurum ſit ſuper Terra, ſed in Cælo, reſpondent quod Terra Canaan tunc futura ſit Cælum. Cum dicitur, quod non ſciant ubi Bethlechem Ephratea, ubi Meſſias naſcetur, ſecundum prædictionem apud Micham Cap. V: 1. & apud Davidem Pſalm CXXXII: 6., reſpondent quod Mater Meſſiæ uſque ibi paritura ſit; & aliqui, quod ubi illa parit, ibi ſit Bethlechem. Cum dicitur, quomodo poteſt Meſſias habitare cum tam malis, & hoc confirmatur per plura loca ex Jeremia, & imprimis ex Cantico Moſis, Deutr. XXXII:, quod peſſimi ſint, reſpondent quod inter Judæos tam boni quam mali ſint, & quod mali ibi intellecti ſint. Cum dicitur, quod ortus illorum ſit ex Cananitide, & ex ſcortatione Judæ cum ſua nuru, Geneſ. XXXVIII:; reſpondent quod non fuerit ſcortatio; at cum regeritur, qnod uſque Judas mandaverit, ut illa propter ſcortationem educeretur, & combureretur, abeunt conſultaturi, & poſt conſultationem dicunt, quod modo fuerit Leviratus, quem non ſecundus ejus filius Onan, nec tertius ejus filius Schelah præſtitit; & his addunt, quod perplurimi ex illis ex Tribu Levi ſint, cui fuit presbyterium; ſufficit, quod omnes ſimus ex lumbis Abrahami. Cum dicitur illis, quod interius in Verbo ſenſus ſpiritualis ſit, in quo multum agitur de Chriſto ſeu Meſſia, reſpondent quod non ita ſit; at quidam ex illis dicunt, quod interius in Verbo, ſeu in fundo ejus, non ſit niſi quam aurum: Præter ſimilia alia.

„ 846. Quondam quoad Spiritum meum evectus ſum in Cælum Angelicum, &
„ in unam Societatem ibi: & tunc acceſſerunt ad me aliqui ex Sapientibus ibi, &
„ dixerunt, QUID NOVUM E TERRA; dixi illis, hoc Novum eſt quod Dominus
„ revelaverit Arcana, quæ excellentia excedunt Arcana ab initio Eccleſiæ huc
„ uſque revelata; quæſiverunt, quæ ſunt illa, dixi, quod hæc ſint. I. Quod
„ in Verbo in omnibus & ſingulis ſit SENSUS SPIRITUALIS correſpondens Senſui
„ naturali, & quod Verbum per illum Senſum ſit conjunctio hominum Eccleſiæ
„ cum Domino, & quoque conſociatio cum Angelis, & quod Sanctitas Verbi in
„ illo Senſu reſideat. II. Quod CORRESPONDENTIÆ, ex quibus Senſus ſpiritualis
„ conſiſtit, detectæ ſint: & quæſiverunt Angeli, anne habitatores Orbis de Cor-
„ reſpondentiis prius ſciverunt; dixi, quod prorſus nihil, & quod latuerint nunc
„ per millia Annorum, nempe, uſque a Hiobi tempore; & quod apud illos, qui
„ eo tempore, & ante illud vixerunt, Scientia Correſpondentiarum fuerit Scien-
„ tia.

„ tia ſcientiarum, ex qua illis fuit Sapientia, quia Cognitio de Spiritualibus, quæ „ Cæli & Eccleſiæ ſunt; ſed quod Scientia illa, quia verſa eſt in Idololatricam, „ ex Divina Domini Providentia ita obliterata & deperdita ſit, ut nemo viderit „ aliquod ſignum de illa: ſed quod uſque nunc a Domino detecta ſit, ut ſiat con- „ junctio hominum Eccleſiæ cum Ipſo & conſocieatio cum Angelis; & hæ fiunt „ per Verbum, in quo omnia & ſingula Correſpondentiæ ſunt. Angeli valde ga- „ viſi ſunt, quod placuerit Domino revelare hoc magnum Arcanum, per millia „ Annorum tam alte reconditum; & dixerunt, quod hoc factum ſit propter finem, „ ut Eccleſia Chriſtiana, quæ fundatur ſuper Verbo, & nunc in ſuo fine eſt, ite- „ rum revivat, & trahat Spiritum per Cælum a Domino. Quæſiverunt, num per „ illam Scientiam hodie detectum ſit, quid Baptismus & quid Sancta Cæna ſigni- „ ficant, de quibus tam varia huc uſque cogitaverunt, & reſpondi, quod detec- „ tum ſit. III. Porro dixi, quod hodie a Domino revelatum ſit de Vita homi- „ num post mortem; dixerunt Angeli, quid de Vita poſt mortem, quis non ſcit, „ quod homo vivat poſt mortem; reſpondi, ſciunt & non ſciunt, dicunt, quod „ non homo, ſed Anima ejus, & quod hæc vivat ſpiritus, & de ſpiritu fovent „ ideam ſicut de vento aut æthere, & quod non vivat homo, quam poſt diem ul- „ timi Judicii, & quod tunc corporea, quæ reliquerant in Mundo, tametſi a ver- „ mibus, muribus & piſcibus exeſa, recolligerentur, & rurſus coaptarentur in „ Corpus, & quod homines ſic reſurrecturi ſint; dixerunt Angeli, quid hoc, quis „ non ſcit, quod homo vivat homo poſt mortem, cum ſola differentia, quod tunc „ vivat Homo ſubſtantialis, & non materialis, ut prius, & quod Homo ſubſtan- „ tialis videat hominem ſubſtantialem, æque ſicut Homo materialis materialem, „ & quod non ſciant unum diſcrimen, præter quod in ſtatu perfectiori ſint. „ IV. Quæſiverunt Angeli, quid ſciunt de noſtro Mundo, ac de Cælo & In- „ ferno; reſpondi, quod nihil ſciverint; at quod hodie a Domino detectum ſit, „ qualis eſt Mundus in quo Angeli & Spiritus vivunt, ita quale eſt Cælum & „ quale eſt Infernum; tum etiam quod Angeli & Spiritus ſint in conjunctione cum „ hominibus; præter multa Mirabilia de illis; Angeli lætati ſunt, quod Domino „ placuerit talia detegere, ne homo amplius ex ignorantia in ambiguitate ſit de „ ſua Immortalitate. V. Amplius dixi, quod hodie a Domino revelatum ſit, „ quod in veſtro Mundo ſit alius Sol, quam in noſtro, & quod Sol veſtri Mundi „ ſit purus Amor, & quod Sol noſtri Mundi ſit purus Ignis, & quod ideo omne „ quod procedit ex Veſtro Sole, quia eſt purus Amor, trahat ex Vita, & quod „ omne quod a noſtro, quia eſt purus Ignis, nihil ex vita trahat; & quod inde ſit „ diſcrimen inter Spirituale & Naturale, quod diſcrimen hactenus ignotum e- „ tiam detectum eſt: ex quibus notum factum eſt, unde eſt Lux quæ illuminat „ ſapientia Intellectum humanum, & unde eſt Calor, qui accendit amore Volun- „ tatem humanam. VI. Inſuper detectum eſt, quod ſint Tres Gradus vitæ, & „ quod inde ſint tres Cæli, & quod in illos Gradus diſtincta ſit Mens hominis; & „ quod inde Homo correſpondeat tribus Cælis: dixerunt Angeli, annon ſciverunt „ hoc prius, reſpondi quod ſciverint de Gradibus inter plus & minus, ſed nihil „ de Gradibus inter prius & poſterius. VII. Interrogaverunt Angeli, num præter „ illa revelata ſint plura, dixi, quod plura; quæ ſunt de Ultimo Judicio; de „ Domino quod ſit Deus Cæli & Terræ; quod Deus ſit unus & Perſona & Eſſen- „ tia, in Quo Divina Trinitas, & quod Ille ſit Dominus: tum de Nova Eccle- „ sia ab Ipſo inſtauranda, & de Doctrina illius Eccleſiæ: de Sanctitate scrip- „ turæ sacræ; quod etiam Apocalypsis revelata ſit: & inſuper de Incolis Pla- „ netarum; ac de Telluribus in Univerſo: præter multa Memorabilia & Mira- „ bilia e Mundo ſpirituali, per quæ plura, quæ ſapientiæ ſunt, e Cælo detecta „ ſunt.

847. Poſthæc loquutus ſum cum Angelis, quod adhuc aliquid revelatum ſit in

„ Mundo a Domino, quæſiverunt quid hoc, dixi, de AMORE VERE CONJUGALI, „ & de ſpiritualibus ejus Delitiis; & dixerunt Angeli, quis non ſcit, quod delſ- „ ciæ Amoris conjugalis excedant delicias omnium amorum, & quis non poteſt „ cogitare, quod in aliquem Amorem collatæ ſint omnes beatitudines, fauſtita- „ tes, & jucunditates, quæ uſquam conferri poſſunt a Domino, quoniam correſ- „ pondet Amori Domini & Eccleſiæ, & quod Receptaculum illarum ſit Amor „ vere Conjugialis, qui ad plenum Senſum poteſt illas recipere & percipere; „ reſpondi, quod hoc non ſciant, quia non adiverunt Dominum, & ideo non „ fugerunt Concupiſcentias carnis, & ſic non regenerari potuerunt, & Amor „ vere conjugalis eſt unice a Domino, & datur illis qui ab Ipſo regenerantur; & „ hi quoque ſunt, qui recipiuntur in Novam Domini Eccleſiam, quæ in Apoca- „ lypſi per Novam Hieroſolymam intelligitur. His addidi, quod in dubio ſim, „ num velint in Mundo hodie credere, quod ille Amor in ſe ſit ſpiritualis, & inde „ ex Religione, ex cauſa, quia de illo fovent modo ideam corpoream: proinde „ quod quia ſecundum Religionem, ſit ſpiritualis apud ſpirituales, naturalis apud „ naturales, & mere carnalis apud adulteros.

848. Angeli ex his & illis auditis valde gaviſi ſunt, ſed percipiebant triſtitiam „ in me; & ſcifcitabant, unde tibi triſtitia, dixi, quod Arcana illa hodie a Do- „ mino revelata, tametſi excellentia & dignitate excedunt Cognitiones hactenus „ evulgatas, uſque in Terris reputentur ſicut non alicujus pretii: hoc mirati ſunt „ Angeli, & petierunt a Domino, ut liceret illis deſpicere in Mundum, & deſ- „ pexerunt, & ecce meræ tenebræ ibi: & dictum illis eſt, ut ſcriberentur Arca- „ na illa ſuper Charta, & Charta demitteretur in Terras, & viderent portentum; „ & factum eſt ita, & ecce Charta, cui Arcana illa inſcripta erant, demiſſa eſt e „ Cælo, & in progreſſu, dum adhuc erat in Mundo ſpirituali, lucebat ſicut Stel- „ la, at dum illa illapſa eſt in Mundum naturalem, lux diſparata eſt, & ſicut de- „ cidit, obtenebrata eſt: & dum ab Angelis demiſſa eſt in Cætus, ubi docti & „ eruditi ex quibuſdam Clericis & Laicis, auditum eſt murmur a multis, in quo „ erant hæ voces, quid hoc, num aliquid, quid refert ſi illa ſcimus vel non ſci- „ mus, nonne ſunt fætus Cerebri; & apparebat, ſicut aliqui ſumerent Chartam, „ ac plicarent, volverent, & revolverent illam digitis, & quoque ſicut aliqui „ diſcerperent, & vellent proculcare pedibus; ſed a Domino arcebantur ab illo „ facinore, & mandatum eſt Angelis, ut retraherent illam & cuſtodirent; & quia „ Angeli triſtes facti ſunt, & cogitaverunt quouſque hoc, dictum eſt, USQUE AD „ TEMPUS ET TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS, Apoc. XII: 14.

849. Poſthæc audivi infeſtum murmur ex Inferis, & ſimul has voces, FAC MI- „ RACULA ET CREDEMUS, & retuli, numne illa ſunt Miracula, & reſponſum eſt, „ non ſunt: & quæſivi, quæ ergo Miracula, & dictum eſt, manifeſta & revela „ futura, & fidem habebimus, ſed reſpondi, talia a Domino non dantur, quo- „ niam quantum homo ſcit futura, tantum ejus ratio & intellectus cum pruden- „ tia & ſapientia cadit in otium, torpet & labefactatur: & iterum quæſivi, quæ „ alia Miracula faciam, & tunc clamatum eſt, fac ſimilia quæ Moſes in Ægypto, „ & reſpondi, forte ad illa obduraturi eſtis corda veſtra ſicut Pharao & Ægyptii, „ & reſponſum eſt, quod non; & iterum dixi, aſſeverate mihi, quod non ſalta- „ turi ſitis circum Vitulum aureum, & adoraturi illum, ſicut poſteri Jacobi, „ quod fecerunt a Menſis ſpatio poſtquam viderunt totum Montem Sinai arden- „ tem, & audiverunt Ipſum Jehovam ex igne loquentem, ita poſt Miraculum, „ quod erat omnium maximum; *Vitulus aureus in ſpirituali Senſu eſt Voluptas car-* „ *nis*; & reſponſum eſt ex Inferis, non erimus ſicut poſteri Jacobi. At tunc au- „ divi hoc e Cælo illis dictum, ſi non creditis Moſen & Prophetas, hoc eſt, Ver- „ bum Domini, non credetis ex Miraculis plus quam poſteri Jacobi in deſerto,

„ neve

„ neve plus quam illi crediderunt, dum ſuis oculis viderunt Miracula ab Ipſo Do-
„ mino, cum fuit in Mundo, facta.

850. Poſt hæc vidi quoſdam ex Inferis, unde audita ſunt illa, aſcendentes, qui
„ me tono gravi alloquuti dixerunt, quamobrem Dominus tuus Arcana, quæ in
„ longa ſerie modo enumeraviſti, revelavit tibi qui es Laicus, & non alicui ex
„ Clero; ad quæ reſpondi, quod hoc in beneplacito Domini ſit, qui me ad hoc
„ munus a prima juventute præparavit; attamen quæram retro vobis, cur Domi-
„ nus dum in Mundo fuit, elegit Piſcatores in Diſcipulos, & non aliquos ex
„ Legisperitis, Scribis, Sacerdotibus, ſeu Rabbinis; ventilate hoc inter vos, &
„ ex judicio concludite, ac invenietis cauſam; his auditis factum eſt murmur, &
„ poſt hoc ſilentium.

851. Prævideo, quod multi qui legunt Memorabilia poſt Capita, crediturі ſint,
„ quod ſint imaginationis inventa, ſed aſſevero in veritate quod non ſint inventa,
„ ſed vere viſa & audita, non viſa & audita in quodam Statu Mentis ſopitæ, ſed
„ in ſtatu plenæ Vigiliæ: placuit enim Domino Se Ipſum mihi manifeſtare, & me
„ mittere ad docendum illa, quæ erunt Novæ Ipſius Eccleſiæ, quæ per Novam
„ Hieroſolymam in Apocalypſi intelligitur; propter quem finem interiora Mentis
„ ſeu Spiritus mei aperuit, ex quo mihi datum eſt in Mundo ſpirituali cum Ange-
„ lis eſſe, & ſimul in Mundo naturali cum hominibus, & hoc nunc per Viginti
„ ſeptem Annos. Quis in Chriſtiano Orbe aliquid ſciviſſet de Cælo & Inferno,
„ niſi placuerit Domino aperire alicui Viſum ſpiritus ejus, ac monſtrare & docere.
„ Quod talia, quæ in Memorabilibus deſcripta ſunt, appareant in Cælis, con-
„ ſtat manifeſte a ſimilibus, quæ viſa & deſcripta ſunt in Apocalypſi a Johanne,
„ ut & quæ viſa & deſcripta ſunt in Verbo Veteris Teſtamenti a Prophetis. In
„ Apocalypsi ſunt hæc, Quod viderit Filium hominis in medio ſeptem Candela-
„ brorum: quod viderit Tabernaculum, Templum, Arcam, Altare in Cælo:
„ Librum obſignatum ſeptem ſigillis, illum apertum, & inde exeuntes Equos:
„ quatuor Animalia circum Thronum: duodecim millia Electos ex unaquavis Tri-
„ bu: Locuſtas aſcendentes ex Abyſſo: Mulierem parientem filium maſculum, ac
„ fugientem in deſertum propter Draconem: duas Beſtias unam aſcendentem ex
„ mari, alteram e terra: Angelum volantem in medio Cælo habentem Evangelium
„ æternum: Mare vitreum igne mixtum: Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem
„ ultimas; Phialas ab illis effuſas in terram, in mare, in fluvios, in ſolem, in
„ thronum beſtiæ, in Euphratem, & in Aerem: Mulierem ſedentem ſuper Beſtia
„ coccinea: Draconem ejectum in ſtagnum ignis & ſulphuris: Equum album:
„ Cænam magnam: Cælum novum & Terram novam: Sanctam Hieroſolymam
„ deſcendentem e Cælo, deſcriptam quoad portas, murum & hujus fundamenta;
„ tum Fluvium aquæ vitæ, & Arbores vitæ facientes fructus quovis menſe; præ-
„ ter plura, quæ omnia viſa ſunt Johanni, ac viſa dum quoad ſpiritum ſuum
„ fuit in Mundo ſpirituali & in Cælo. Præter quæ viſa ſunt Apoſtolis poſt reſur-
„ rectionem Domini, ut quæ deinde Petro, Act. Apoſt. Cap. XI; tum quæ viſa
„ & audita Paulo. Præterea quæ Prophetis in Veteri Teſtamento; ut Ezechie-
„ li, quod viderit quatuor Animalia, quæ erant Cherubi, Cap. I & X: quod
„ Novum Templum & Novam Terram, & Angelum metientem illa, Cap. XL
„ ad XLVIII: quod abductus Hieroſolymam, & viderit ibi abominationes, &
„ quoque in Chaldæam, Cap. VIII: & XI. Simile factum eſt cum Sacharia;
„ quod viderit Virum equitantem inter myrtos, Cap. I: 8 ſeq: quod viderit qua-
„ tuor Cornua; & dein Virum cum funiculo menſuræ in manu, Cap. III: quod
„ viderit Volumen volans, & Ephan, Cap. V: 1. 6. quod viderit quatuor Currus
„ inter duos montes & Equos, Cap. VI: 1 ſeq. Pariter cum Daniele, quod vi-
„ derit quatuor Beſtias aſcendentes e Mari, Cap. VII: 1. ſeq: quod viderit Filium

„ hominis venientem in nubibus Cæli, Cujus dominium non tranſibit, & Regnum
„ non peribit, Cap. VII: 13. 14: quod viderit pugnas Arietis & Hirci, Cap. VIII: 1
„ ſeq. quod viderit Angelum Gabrielem, & cum illo loquutus ſit, Cap. IX.
„ Quod Puer Eliſæi viderit Currus & Equos igneos circum Eliſæum, & quod
„ illos viderit, cum oculi ejus aperti ſunt, II Reg. VI: 17. Ex his & pluribus
„ aliis in Verbo, conſtat, quod illa, quæ in Mundo ſpirituali exiſtunt, apparue-
„ rint multis ante & poſt Domini adventum: quid mirum, quod etiam nunc in-
„ choante Eccleſia, ſeu deſcendente Nova Hieroſolyma e Cælo.

INDEX GENERALIS CONTENTORUM

FIDES NOVI CÆLI ET NOVÆ ECCLESIÆ IN FORMA UNIVERSALI ET SINGULARI, n: 1 ad 3.

CAPUT Imum DE DEO CREATORE.

DE

UNITATE DEI.

1. Quod tota Scriptura ſacra, & inde omnes Doctrinæ Eccleſiarum in Chriſtiano Orbe doceant, quod Deus ſit, & quod Unus ſit, n: 5 ad 7.
2. Quod univerſalis Influxus a Deo in animas hominum ſit, quod Deus ſit, & quod Unus, n: 8.
3. Inde eſt, quod in univerſo Mundo non detur Gens, cui Religio & ſana Ratio eſt, quæ non agnoſcit Deum, & Deum unum eſſe, n: 9. 10.
4. Quod qualis Ille Deus unus eſt, Gentes & Populi abiverint & abeant in diverſum, ex pluribus cauſis, n: 11.
5. Quod Ratio humana ex multis in Mundo percipere ac concludere poſſit, ſi vult, quod Deus ſit, & quod unus ſit, n: 12 ad 13.
6. Quod niſi Unus Deus foret, non potuiſſet Univerſum creari & conſervari, n: 13.
7. Quod homo, qui non agnoſcit Deum, ab Eccleſia ſit excommunicatus, & damnatus, n: 14.
8. Quod apud homines, qui non agnoſcunt Unum Deum, ſed plures, nihil Eccleſiæ cohæreat, n: 15.

DE DIVINO ESSE, QUOD EST JEHOVAH.

1. Quod Unus ille Deus dicatur Jehovah ex Eſſe, ita ex eo, quia Solus Eſt & Erit, & quia eſt Primus & Ultimus, Principium & Finis, Alphah & Omegah, n: 19.
2. Quod Unus ille Deus ſit ipſa Subſtantia & ipſa Forma, & quod Angeli & Homines ſint ſubſtantiæ & formæ ex Ipſo; & quod quantum hi in Ipſo ſunt & Ipſe in illis, tantum ſint Imagines & Similitudines Ipſius, n: 20.
3. Quod Divinum Eſſe ſit Eſſe in Se, & ſimul Exiſtere in Se, n: 21. 22.
4. Quod Divinum Eſſe & Exiſtere in Se, non poſſit producere aliud Divinum, quod ſit Eſſe & Exiſtere in Se, conſequenter quod Deus alius ejuſdem Eſſentiæ non dabilis ſit, n: 23.
5. Quod pluralitas Deorum in Sæculis antiquis, & quoque hodiernis, non aliunde exſtiterit, quam ex non intellecto Divino Eſſe, n: 24.

DE

DE DEI INFINITATE, SEU IMMENSITATE ET ÆTERNITATE.

1. Quod Deus, quoniam Eſt & Exiſtit in Se, & omnia in Univerſo ſunt & exiſtunt ex Ipſo, Infinitus ſit, n: 28.
2. Quod Deus, quoniam ante Mundum fuit, ita antequam Tempora & Spatia orta ſunt, Infinitus ſit, n: 29.
3. Quod Deus, poſtquam Mundus factus eſt, ſit in Spatio abſque ſpatio, & in Tempore abſque tempore, n: 30.
4. Quod Infinitas Dei reſpective ad Spatia, dicatur Immenſitas, & reſpective ad Tempora dicatur Æternitas, & quod tametſi hi reſpectus ſunt, uſque nihil ſpatii ſit in Ipſius Immenſitate, & nihil temporis in Ipſius Æternitate, n: 31.
5. Quod illuſtrata Ratio ex permultis in Mundo videre poſſit Infinitatem Dei, n: 32.
6. Quod omne Creatum ſit Finitum, & quod Infinitum ſit in finitis, ut in Receptaculis, & quod in Hominibus ut in ſui Imaginibus, n: 33. 34.

DE DEI ESSENTIA, QUÆ EST DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA.

1. Quod Deus ſit ipſe Amor & ipſa Sapientia, & quod illa duo faciant Eſſentiam Ipſius, n: 37.
2. Quod Deus ſit ipſum Bonum & ipſum Verum, quia Bonum eſt Amoris, & Verum eſt Sapientiæ, n: 38.
3. Quod Deus, quia eſt ipſe Amor & ipſa Sapientia, ſit ipſa Vita in ſe, n: 39. 40.
4. Quod Amor & Sapientia in Deo unum faciant, n: 41. 42.
5. Quod Eſſentia amoris ſit amare alios extra ſe, velle unum cum illis eſſe, & beatificare illos ex ſe, n: 43. 44. 46.
6. Quod hæc Amoris Divini fuerint cauſa Creationis Univerſi, & quod ſint cauſa Conſervationis ejus, n: 46. 47.

DE DEI OMNIPOTENTIA, OMNISCIENTIA ET OMNIPRÆSENTIA.

1. Quod Divinæ Sapientiæ ex Divino Amore ſit Omnipotentia, Omniſcientia & Omnipræſentia, n: 50. 51.
2. Quod Dei Omnipotentia, Omniſcientia & Omnipræſentia, non poſſint cognoſci, niſi ſciatur quid Ordo, & niſi ſciantur hæc, quod Deus ſit Ordo, & quod una cum Creatione introduxerit Ordinem, tam in Univerſum, quam in omnia & ſingula ejus, n: 52 ad 55.
3. Quod Dei Omnipotentia tam in Univerſo quam in omnibus & ſingulis ejus, ſecundum Leges ſui ordinis procedat & operetur, n: 56. 57. 58.
4. Quod Deus Omniſcius ſit, hoc eſt, percipiat, videat, & ſciat omnia & ſingula uſque ad minutiſſima, quæ fiunt ſecundum Ordinem; & ex illis etiam quæ fiunt contra Ordinem, n: 59 ad 62.
5. Quod Deus Omnipræſens ſit a Primis ad Ultima ſui Ordinis, n: 63. 64.
6. Quod Homo creatus ſit forma Divini Ordinis, n: 65. 66. 67.
7. Quod Homo tantum in potentia contra malum & falſum ex Divina Omnipotentia ſit, quodque tantum in ſapientia de Bono & Vero ex Divina Omniſcientia ſit, & quod tantum in Deo ex Divina Omnipræſentia ſit, quantum ſecundum Divinum Ordinem vivit, n: 68. 69. 70.

DE

DE CREATIONE UNIVERSI.

Quod nemo poſſit aliquam juſtam ideam de Creatione Univerſi ſibi comparare, niſi aliquæ univerſales cognitiones præmiſſæ Intellectum in ſtatum perceptionis immittant, de quibus, n: 75.
Deſcribitur Creatio Univerſi per quinque MEMORABILIA, n: 76. 77. 78. 79. 80.

CAPUT II^dum, DE DOMINO REDEMPTORE.

1. Quod Jehovah Deus deſcenderit & aſſumſerit Humanum, ut redimeret & ſalvaret homines, n: 82. 83. 84.
2. Quod Jehovah Deus deſcenderit ut Divinum Verum, quod eſt Verbum, & tamen quod non ſeparaverit Divinum Bonum, n: 85 ad 88.
3. Quod Deus aſſumſerit Humanum ſecundum Divinum ſuum Ordinem, n: 89. 90. 91.
4. Quod Humanum, per quod Deus ſe miſit in Mundum, ſit Filius Dei, n: 92. 93. 94.
5. Quod Dominus per actus Redemptionis ſe Juſtitiam fecerit, n: 95. 96.
6. Quod Dominus per eoſdem actus Se univerit Patri & Pater ſe Ipſi, n: 97 ad 100.
7. Quod ſic Deus factus ſit Homo, & Homo Deus in una Perſona, n: 101. 102. 103.
8. Quod progreſſio ad unionem fuerit ſtatus Exinanitionis Ipſius, & quod ipſa Unio ſit ſtatus Glorificationis Ipſius, n: 104. 105. 106.
9. Quod poſthac nullus ex Chriſtianis in Cælum veniat, niſi qui in Dominum Deum Salvatorem credit, n: 107. 108.
10. Corollarium, de Statu Eccleſiæ ante Adventum Domini, & de Statu ejus poſt illum, n: 109.

DE REDEMPTIONE.

1. Quod ipſa Redemptio fuerit ſubjugatio Infernorum, & ordinatio Cælorum, & per illa præparatio ad Novam Eccleſiam ſpiritualem, n: 115. 116. 117.
2. Quod abſque illa Redemptione nullus homo ſalvari potuerit, nec Angeli in ſtatu integritatis ſubſiſtere, n: 118. 119. 120.
3. Quod Dominus ſic non modo homines, ſed etiam Angelos redemerit, n: 121. 122.
4. Quod Redemptio fuerit Opus pure Divinum, n: 123.
5. Quod ipſa hæc Redemptio non fieri potuerit, quam per Deum incarnatum, n: 124. 125.
6. Quod Paſſio crucis fuerit ultima Tentatio, quam Dominus ut Maximus Propheta ſuſtinuit, & quod fuerit medium Glorificationis Humani Ipſius, & non Redemptio, n: 126 ad 131.
7. Quod Paſſio crucis credatur fuiſſe ipſa Redemptio, ſit fundamentalis error Eccleſiæ; & quod ille error una cum errore de tribus Perſonis Divinis ab æterno, perverterit totam Eccleſiam, adeo ut non aliquid reſiduum ſpirituale in illa ſuperſit, n: 132. 133.

CAPUT IIItium, DE SPIRITU SANCTO, ET DE DIVINA OPERATIONE.

1. Quod Spiritus ſanctus ſit Divina Veritas, & quoque Divina Virtus & Operatio procedens a Deo Uno, in quo eſt Divina Trinitas, ita a Domino Deo Salvatore, n: 139. 140. 141.
2. Quod Divina Virtus & Operatio, quæ intelligitur per Spiritum ſanctum, ſint in genere Reformatio & Regeneratio, & ſecundum has Innovatio, Vivificatio, Sanctificatio, & Juſtificatio, & ſecundum has Purificatio a malis, & Remiſſio peccatorum, & tandem Salvatio, n: 142 ad 145.
3. Quod Divina illa Virtus & Operatio, quæ intelligitur per miſſionem Spiritus ſancti, apud Clericos in ſpecie ſit Illuſtratio & Inſtructio, n: 146. 147. 148.
4. Quod Dominus operetur illas Virtutes in illis, qui credunt in Ipſum, n: 149. 150. 151.
5. Quod Dominus operetur ex Se a Patre, & non viciſſim, n: 153. 154. 155.
6. Quod ſpiritus hominis ſit ejus Mens, & quicquid ex illo procedit, n: 156. 157.
Corollarium, quod nullibi in Veteri Teſtamento dicatur, quod Prophetæ loquuti ſint ex Spiritu ſancto, ſed ex Jehovah Deo; aliter vero in Novo, n: 158.

DE DIVINA TRINITATE.

1. Quod Divina Trinitas ſit, quæ eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, n: 164. 165.
2. Quod Tres illi, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſint tria Eſſentialia unius Dei, quæ faciunt unum, ſicut Anima, Corpus, & Operatio apud hominem, n: 166 ad 169.
3. Quod ante Mundum creatum non fuerit hæc Trinitas, ſed quod poſt Mundum creatum, quando Deus incarnatus eſt, proviſa & facta ſit, & tunc in Domino Deo Redemptore & Salvatore Jeſu Chriſto, n: 170. 171.
4. Quod Trinitas Divinarum Perſonarum ab æterno, ſic ante Mundum creatum, ſit in ideis cogitationis Trinitas Deorum, & quod hæc non poſſit aboleri per Confeſſionem oralem unius Dei, n: 172. 173.
5. Quod Trinitas Perſonarum ignota fuerit in Eccleſia Apoſtolica, ſed quod exorta ſit a Concilio Nicæno, & inde introducta in Eccleſiam Romano-Catholicam, & ab hac in Eccleſias ſeparatas ab illa, n: 174 ad 176.
6. Quod ex Trinitate Nicæna & ſimul Athanaſiana exorta ſit Fides in tres Deos, quæ totam Eccleſiam Chriſtianam perverterat, n: 177. 178.
7. Quod inde ſit illa Abominatio deſolationis, & Afflictio qualis non futura eſt, quas Dominus apud Danielem & Evangeliſtas, & in Apocalypſi, prædixerat, n: 179. 180. 181.
8. Tum hoc, quod niſi Novum Cælum & Nova Eccleſia a Domino conderentur, non conſervaretur ulla caro, n: 182.
9. Quod ex Trinitate Perſonarum, quarum unaquævis ſingulatim eſt Deus, ſecundum ſymbolum Athanaſianum, plures abſonæ & heterogeneæ ideæ de Deo exſtiterint, quæ ſunt phantaſiæ & abortus, n: 183. 184.

CAPUT IVtum, DE SCRIPTURA SACRA, SEU VERBO DOMINI.

1. Quod Scriptura ſacra ſeu Verbum ſit ipſum Divinum Verum, n: 189 ad 192.

2. Quod

2. Quod in Verbo Senſus ſpiritualis ſit, hactenus ignotus, n: 193.
—— Quid Senſus ſpiritualis, n: 194.
—— Quod a Domino procedat Divinum Cæleſte, Divinum Spirituale & Divinum Naturale, n: 195.
—— Quod Senſus ſpiritualis in omnibus & ſingulis Verbi ſit, oſtenſum, n: 196. 197. 198.
—— Quod Dominus cum in Mundo fuit, loquutus ſit per Correſpondentias, ita ſpiritualiter cum naturaliter, n: 199.
—— Quod ex Senſu ſpirituali ſit, quod Verbum Divinitus inſpiratum ſit, & in omni voce ſanctum, n: 200.
—— Quod Senſus ſpiritualis hactenus ignotus fuerit; ſed apud Antiquos notus, & de Correſpondentiis apud hos, n: 201 ad 207.
—— Quod Senſus ſpiritualis Verbi, non alicui poſthac detur, niſi qui in genuinis Veris a Domino eſt, n: 208.
—— Mirabilia de Verbo ex Senſu ſpirituali ejus, n: 209.
3. Quod Senſus literæ Verbi ſit Baſis, Continens, & Firmamentum Senſus Spiritualis & Cæleſtis ejus, n: 210 ad 213.
4. Quod Divinum Verum in Senſu literæ Verbi, ſit in ſuo Pleno, in ſuo Sancto, & in ſua Potentia, n: 214. 215. 216.
—— Quod Vera Senſus literæ Verbi intelligantur per Lapides pretioſos, ex quibus conſtabant fundamenta Novæ Hieroſolymæ de qua in Apocalyſi, & hoc ex Correſpondentia, n: 217.
—— Quod Bona & Vera Senſus literæ Verbi correſpondeant Urim & Thumim in Ephodo Aharonis, n: 218.
—— Quod Vera & Bona in ultimis, qualia ſunt in Senſu literæ Verbi, ſignificentur per Lapides pretioſos in Horto Edenis, in quo Rex Tyri dicitur fuiſſe, apud Ezechielem, n: 219.
—— Quod eadem repræſentata ſint per Aulæa, Vela & Columnas Tabernaculi, n: 220.
—— Quod pariter per Externa Templi Hieroſolymitani, n: 221.
—— Quod Verbum in ſua Gloria repræſentatum ſit in Domino cum transformatus, n: 222.
—— Quod potentia Verbi in ultimis repræſentata ſit per Naziræos, n: 223.
—— De ineffabili Potentia Verbi, n: 224.
5. Quod Doctrina Eccleſiæ ex Senſu literæ Verbi haurienda ſit, & per illum confirmanda, n: 225. 229. 230.
—— Quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur, n: 226. 227. 228.
—— Quod genuinum Verum, quod Doctrinæ erit, in Senſu literæ Verbi, non appareat aliis, quam qui in illuſtratione ſunt a Domino, n: 231. 232. 233.
6. Quod per Senſum literæ Verbi ſit conjunctio cum Domino, & conſociatio cum Angelis, n: 234 ad 239.
7. Quod Verbum in omnibus Cælis ſit, & quod inde Sapientia Angelica, n: 240. 241. 242.
8. Quod Eccleſia ſit ex Verbo, & quod talis ſit apud hominem, qualis ei eſt intellectus Verbi, n: 243 ad 247.
9. Quod in ſingulis Verbi ſit conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde conjugium Boni & Veri, n: 248 ad 253.
10. Quod Hæreſes ex Senſu literæ Verbi captari poſſint, ſed quod confirmare illas damnoſum ſit, n: 254 ad 260.
—— Quod plura in Verbo ſint apparentiæ veri, in quibus vera genuina latent, n: 257.
—— Quod per confirmare apparentias veri, exiſtant fallaciæ, n: 258.

Quod Senſus literæ Verbi ſit Cuſtodia pro genuinis veris, quæ intus latent, n. 260.

—— Quod Senſus literæ Verbi per Cherubos repræſentatus ſit, & in Verbo ſignificetur, n: 260.

11. Quod Dominus in Mundo impleverit omnia Verbi, & per id factus ſit Verbum, hoc eſt, Divinum Verum, etiam in ultimis, n: 261. 262. 263.
13. Quod ante hoc Verbum, quod hodie eſt in Mundo, fuerit Verbum quod deperditum eſt, n: 264. 265. 266.
14. Quod per Verbum etiam ſit Lux illis, qui extra Eccleſiam ſunt, & non habent Verbum, n: 267 ad 272.
15. Quod niſi Verbum foret, nemo ſciret Deum, Cælum & Infernum, & Vitam poſt mortem, & minus Dominum, n: 273 ad 276.

CAPUT Vtum, CATHECHISMUS SEU DECALOGUS, QUOAD SENSUM EJUS EXTERNUM ET INTERNUM EXPLICATUS.

1. Quod Decalogus fuerit ipſa Sanctitas in Eccleſia Iſraelitica; ibi de ſanctitate Arcæ in qua Lex, n: 283 ad 286.
2. Quod Decalogus in Senſu literæ contineat communia præcepta fidei & vitæ, in Senſu autem ſpirituali & cæleſti univerſaliter omnia, n: 287 ad 290.
3. Primum Præceptum: Non erit Deus alius coram faciebus meis, n: 291 ad 296.
4. Secundum Præceptum: Non ſumes Nomen Dei tui in vanum, quia non inſontem habebit Jehovah, qui ſumſerit Nomen Ipſius in vanum, n: 297 ad 300.
5. Tertium Præceptum: Memento diei Sabbathi ut ſanctifices eum: ſex dies laborabis & facies omne opus tuum, at Dies ſeptimus Sabbathum Jehovæ Deo tuo, n: 301 ad 304.
6. Quartum Præceptum: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut prolongentur dies tui, & ut bene tibi ſit ſuper terra, n: 305 ad 308.
7. Quintum Præceptum: Non Occides, n: 309 ad 312.
8. Sextum Præceptum: Non Mæchaberis, n: 313 ad 316.
9. Septimum Præceptum: Non Furaberis, n: 317 ad 320.
10. Octavum Præceptum: Non reſpondebis contra proximum tuum falſus teſtis, n: 321 ad 324.
11. Nonum et Decimum Præceptum: Non concupiſces Domum proximi tui, non concupiſces Uxorem proximi tui, non Servum ejus & Ancillam ejus, & Bovem ejus & Aſinum ejus, & omne quod Proximo tuo, n: 325 ad 328.
12. Quod Decem Præcepta Decalogi contineant omnia quæ amoris in Deum, & omnia quæ amoris erga proximum ſunt, n: 329 ad 331.

CAPUT VItum, DE FIDE.

Præfatio; Quod Fides ſit primum tempore, at quod Charitas ſit primum fine, n: 336.

1. Quod Fides ſalvifica ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum: n: 337 ad 339.

—— Quoniam eſt Deus viſibilis, in quo inviſibilis, n: 339.

2. Quod Fides in ſumma ſit, quod qui bene vivit & rite credit, a Domino ſalvetur, n: 340 ad 342.

Quod

—— Quod Primum fidei in Ipſum, ſit Agnitio quod Filius Dei ſit, n: 342.
3 Quod homo fidem accipiat, per quod adeat Dominum, Veritates ex Verbo diſcat, & ſecundum illas vivat, n: 343 ad 348.
—— De Fidei Eſſe; de Fidei Eſſentia, de Fidei Statu, & de Fidei Forma, n: 344. ſeq.
—— De Fide mere naturali, quod ſit perſuaſio mentiens fidem, n: 345. ad 348.
4. Quod Copia Veritatum ſicut in faſce cohærentium exaltet & perficiat fidem, n: 349 ad 354.
—— Quod Veritates fidei ſint multiplicabiles in infinitum, n: 350.
—— Quod diſpoſitio Veritatum fidei ſit in ſeries, ita ſicut in faſciculos, n: 351.
—— Quod ſecundum copiam & cohærentiam Veritatum perficiatur fides, n: 352. 353.
—— Quod Veritates fidei, utcunque numeroſæ ſunt, & diverſæ apparent, a Domino unum faciant, n: 353.
—— Quod Dominus ſit Verbum, ſit Deus Cæli & Terræ, Deus omnis carnis, Deus Vineæ ſeu Eccleſiæ, Deus fidei, & ipſa Lux, Veritas, & Vita æterna, oſtenſum ex Verbo, n: 354.
5. Quod Fides abſque Charitate non ſit fides, & quod Charitas abſque Fide non ſit charitas, & quod utraque niſi a Domino non vivat, n: 355 ad 361.
—— Quod homo ſibi poſſit comparare fidem, n: 356.
—— Quod homo ſibi poſſit comparare Charitatem, n: 357.
—— Quod etiam homo ſibi comparare poſſit vitam fidei & Charitatis, n: 358.
—— Quod tamen uſque nihil fidei, & nihil charitatis, & nihil vitæ utriuſque, ſit ab homine, ſed a ſolo Domino, n: 359.
—— Diſcrimen inter Fidem naturalem, & Fidem ſpiritualem, & quod hæc ſit intus in illa a Domino, n: 360. 361.
6. Quod Dominus, Charitas, & Fides, unum faciant, ſicut Vita, Voluntas & Intellectus in homine; & quod ſi dividuntur, unumquodvis pereat, ſicut unio dilapſa in pollinem, n: 362 ad 367.
—— Quod Dominus cum omni Divino ſuo Amore, cum omni ſua Divina Sapientia, ita cum omni ſua Divina Vita, influat apud omnem hominem, n: 364.
—— Proinde quod Dominus cum omni eſſentia Fidei & Charitatis apud omnem hominem influat, n: 365.
—— Quod illa quæ influunt a Domino, recipiantur ab homine ſecundum ejus ſtatum & formam, n: 366.
—— Quod autem homo, qui devidit Dominum, Charitatem & Fidem, non ſit Forma recipiens, ſed forma deſtruens, n: 367.
7. Quod Dominus ſit Charitas & Fides in homine, & quod homo ſit Charitas & fides in Domino, n: 368 ad 372.
—— Quod conjunctio cum Deo ſit, per quam homini ſalus & vita æterna, n: 369.
—— Quod non dabilis ſit conjunctio cum Deo Patre, ſed cum Domino, & per Ipſum cum Deo Patre, n: 370.
—— Quod conjunctio cum Domino ſit reciproca, quæ eſt quod homo ſit in Domino & Dominus in homine, n: 371.
—— Quod hæc reciproca conjunctio Domini & hominis fiat per Charitatem & Fidem, n: 372.
8. Quod Charitas & Fides ſimul ſint in bonis Operibus, n: 373 ad 377.
—— Quod Charitas ſit bene velle, & quod bona Opera ſint bene facere, bene velle, n: 374.

—— Quod Charitas & Fides ſint modo mentales, & caducæ, niſi, dum fieri poteſt, determinentur in actus, & in illis coexiſtant, n: 375. 376.
—— Quod ſola Charitas non producat bona Opera, minus adhuc ſola Fides, ſed quod Charitas & Fides ſimul, n: 377.
9. Quod ſit Fides vera, Fides ſpuria, & Fides hypocritica, n: 378 ad 381.
—— Quod Eccleſia Chriſtiana ab incunabulis ſuis inceperit a Schismatibus & Hæreſibus infeſtari & deſcindi, de quibus, n: 378.
—— Quod Fides vera ſit unica, & quod ſit in Dominum Deum Salvatorem Jeſum Chriſtum, & quod ſit apud illos, qui credunt Ipſum eſſe Filium Dei, Deum Cæli & Terræ, ac Unum cum Patre, n: 379.
—— Quod Fides ſpuria ſit omnis Fides, quæ recedit a vera, quæ eſt unica, & quod ſit apud illos qui aliunde aſcendunt, & Dominum non ut Deum, ſed ſolummodo ut Hominem ſpectant, n: 380.
—— Quod Fides hypocritica ſit nulla fides, n: 381.
10. Quod nulla Fides ſit apud malos, n: 382 ad 384.
—— Quod malis nulla fides ſit, quia malum eſt Inferni, & Fides eſt Cæli, n: 383.
—— Quod omnibus illis in Chriſtianiſmo nulla fides ſit, qui reprobant Dominum & Verbum, tametſi moraliter vivunt, ac rationaliter, etiam de fide, loquuntur, docent, & ſcribunt, n: 384.

CAPUT VII^mum: DE CHARITATE, SEU AMORE ERGA PROXIMUM: ET DE BONIS OPERIBUS.

1. Quod tres Amores univerſales ſint, Amor Cæli, Amor Mundi, & Amor ſui, n: 394. 395. 396.
—— De Voluntate & Intellectu, n: 397.
—— De Bono & Vero, n: 398.
—— De Amore in genere, n: 399.
—— De Amore ſui, & de Amore Mundi in ſpecie; n: 400.
—— De Externo & Interno homine, n: 401.
—— De mere Naturali & Senſuali homine, n: 402.
2. Quod tres illi Amores, dum rite ſubordinati ſunt, perficiant hominem; at dum non rite ſubordinati ſunt, pervertant & invertant illum, n: 403. 404. 405.
3. Quod omnis homo in ſingulari ſit Proximus, qui amandus eſt, ſed ſecundum quale boni ejus; n: 406 ad 411.
4. Quod Homo in plurali, qui eſt Societas minor & major, & quod Homo in compoſito ex illis, qui eſt Patria, ſit Proximus qui amandus eſt, n: 412. 413. 414.
5. Quod Eccleſia ſit Proximus, qui in ſuperiori gradu amandus; & quod Regnum Domini in ſupremo, n: 415. 416.
6. Quod amare Proximum in ſe ſpectatum, non ſit amare Perſonam, ſed Bonum quod in Perſona eſt, n: 417. 418. 419.
7. Quod Charitas & bona Opera ſint duo diſtincta, ſicut bene velle & bene facere, n: 420. 421.
8. Quod ipſa Charitas ſit, juſte & fideliter agere in Officio, Negotio, & Opere, in quo quisque eſt, & cum quibus in aliquo commercio eſt, n: 422. 423. 424.

9. Quod Beneficia Charitatis ſint, dare pauperibus, & opitulari indigentibus, ſed cum prudentia, n: 425 ad 428.
10. Quod ſint Debita charitatis, quædam Domeſtica, & quædam Privata, n: 429 ad 432.
11. Quod Diversoria charitatis, ſint Prandia, Cænæ & Conſortia, n: 433. 434.
12. Quod Primum Charitatis ſit amovere mala, & Secundum ejus ſit facere bona, quæ uſui proximo ſunt, n: 435 ad 438.
13. Quod homo in Excercitiis Charitatis non ponat meritum in Operibus, dum credit quod omne bonum ſit a Domino, n: 439 ad 442.
14. Quod Vita moralis, dum ſimul eſt ſpiritualis, ſit Charitas, n: 443. 444. 445.
15. Quod Amicitia amoris ligata cum homine, qualiscunque eſt quoad ſpiritum, poſt mortem detrimentoſa ſit, n: 446 ad 449.
16. Quod detur Charitas ſpuria, Charitas hypocritica, & Charitas mortua, n: 450 ad 453.
17. Quod Amicitia amoris inter Malos, ſit inteſtinum Odium inter illos, n: 454. 455.
18. De conjunctione amoris in Deum, & amoris erga Proximum, n: 456. 457. 458.

CAPUT VIIIvum, DE LIBERO ARBITRIO.

1. Hodiernæ Eccleſiæ Præcepta & Dogmata de Libero Arbitrio, n: 463. 464. 465.
2. Quod in Horto Edenis poſitæ ſint duæ Arbores, una Vitæ & altera Scientiæ boni & mali, ſignificet quod homini Liberum Arbitrium in ſpiritualibus datum ſit, n: 466 ad 469.
3. Quod homo non ſit Vita, ſed Receptaculum vitæ a Deo, n: 470 ad 474.
4. Quod homo, quamdiu vivit in Mundo, teneatur in medio inter Cælum & Infernum, & ibi in Æquilibrio ſpirituali, quod eſt Liberum Arbitrium, n: 475 ad 478.
5. Quod ex Permiſſione mali, in qua cujuſvis Internus homo eſt, evidenter pateat, quod homini Liberum arbitrium in ſpiritualibus ſit, n: 478 ad 482.
6. Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, Verbum non foret alicujus uſus, conſequenter Eccleſia non aliquid, n: 483. 484. 485.
7. Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, non foret aliquid hominis, per quod ſe viciſſim conjungat Domino, & inde non Imputatio, ſed mera Prædeſtinatio, quæ deteſtabilis, n. 485.
—— Deteſtabilia de Prædeſtinatione evulgantur, n: 486. 487. 488.
8. Quod abſque Libero Arbitrio in ſpiritualibus, Deus foret in cauſa mali, & ſic nulla Imputatio charitatis & fidei, n: 489 ad 492.
9. Quod omne ſpirituale Eccleſiæ, quod in Libero intrat, & quod ex Libero recipitur, maneat; non autem quod viciſſim, n: 493 ad 496.
10. Quod Voluntas & Intellectus hominis in hoc Libero Arbitrio ſint; ſed quod facere malum, in utroque Mundo, Spirituali & Naturali, per leges coercitum ſit, quoniam alioquin Societas utrinque periret, n: 497. 498. 499.
11. Quod ſi hominibus non foret Liberum Arbitrium in ſpiritualibus, potuiſſent omnes in univerſo terrarum Orbe intra unum diem adduci ad credendum in Dominum; ſed quod hoc non fieri poſſit, eſt cauſa, quia id, quod non ex Libero arbitrio recipitur, non maneat, n: 500. 501. 502.
—— Quod Miracula hodie non fiant, quia auferunt Liberum Arbitrium in ſpiritualibus, & cogunt, n: 501.

CA-

CAPUT IX^num. DE PÆNITENTIA.

1. Quod Pœnitentia ſit primum Eccleſiæ apud hominem, n: 510. 511.
2. Quod Contritio, de qua hodie dicitur, quod præcedat Fidem, & quam ſequitur conſolatio Evangelii, non ſit Pœnitentia, n: 512 ad 515.
3. Quod ſola Confeſſio oralis, quod Peccator ſit, non ſit Pœnitentia, n: 516 ad 519.
4. Quod homo naſcatur ad omnis generis mala, & quod niſi removeat illa quoad partem per Pœnitentiam, maneat in illis, & qui manet in illis, non poteſt ſalvari, n: 520 ad 524.
—— Quid impletio Legis, n: 523. 524.
5. Quod cognitio peccati, & exploratio alicujus apud ſe, pœnitentiam inchoet, n: 525. 526. 527.
6. Quod actualis Pœnitentia ſit explorare ſe, cognoſcere & agnoſcere ſua peccata, ſupplicare ad Dominum, & Novam vitam inchoare, n: 528 ad 531.
7. Quod vera Pœnitentia ſit non modo explorare acta vitæ ſuæ, ſed etiam intentiones voluntatis ſuæ, n: 532. 533. 534.
8. Quod etiam Pœnitentiam agant illi, qui non explorant ſe, ſed uſque a malis, quia peccata ſunt, deſiſtunt: & quod hæc Pœnitentia fiat ab illis, qui Charitatis Opera ex religione faciunt, n: 535. 536. 537.
9. Quod Confeſſio coram Domino Deo Salvatore oporteat fieri, & tunc ſupplicatio de ope & potentia reſiſtendi malis. n: 538. 539. 560.
10. Quod actualis Pœnitentia facilis ſit apud illos, qui aliquoties illam egerunt, ſed refractaria illis, qui non egerunt, n: 561. 562. 563.
11. Quod qui Pœnitentiam nunquam egit, aut ſe introſpexit & ſcrutatus eſt, tandem non ſciat quid malum damnabile & quid bonum ſalutare, n: 564. 565. 566.

CAPUT X^mum. DE REFORMATIONE ET REGENERATIONE.

1. Quod homo niſi denuo regeneratur, & ſicut e novo creatur, non poſſit ingredi Regnum Dei, n: 572 ad 575.
2. Quod Nova Generatio ſeu Creatio fiat a ſolo Domino per Charitatem & Fidem, ut duo Media, cooperante homine, n: 576. 577. 578.
3. Quod omnes, quia omnes redempti ſunt, regenerari poſſint, quiſque ſecundum ſuum ſtatum, n: 579 ad 582.
4. Quod Regeratio fiat ad inſtar ſicut homo concipitur, geſtatur in utero, naſcitur, & educatur, n: 583 ad 586.
5. Quod Primus actus novæ generationis dicatur Reformatio, qui eſt Intellectus, & quod Secundus actus dicatur Regeneratio, qui eſt Voluntatis & inde Intellectus, n: 587 ad 590
6. Quod Internus homo primum reformandus ſit, & per hunc Externus, & quod homo ſic regeneretur, n: 591 ad 595.
7. Quod dum hoc fit, pugna inter Internum & Externum hominem oriatur, & tunc qui vincit, dominatur ſuper alterum, n: 596 ad 600.
8. Quod Homini regenerato ſit nova Voluntas & novus Intellectus, n: 601 ad 606.
9. Quod Homo regeneratus ſit in communione cum Angelis Cæli, & non regeneratus in communione cum ſpiritibus Inferni, n: 607 ad 610.

10. Quod quantum homo regeneratur, tantum removeantur peccata, & quod remotio illa ſit Remiſſio peccatorum, n: 611 ad 614.
11. Quod Regeneratio non dabilis ſit abſque Libero Arbitrio in Spititualibus, n: 615. 616. 617.
12. Quod Regeneratio non dabilis ſit abſque Veris, per quæ formatur Fides, & cum quibus ſe conjungit Charitas, n: 618. 619. 620.
—— Aliqua de Sexu maſculino & fæminino in Regno vegetabili, n: 585.

CAPUT XImum. DE IMPUTATIONE.

1. Quod Fides hodiernæ Eccleſiæ, quæ perhibetur ſola juſtificare, & Imputatio, unum faciant, n: 626. 627.
2. Quod Imputatio, quæ eſt hodiernæ Fidei, ſit duplex, una Meriti Chriſti, & altera Salutis inde, n: 628 ad 631.
3. Quod Fides, quæ eſt imputativa meriti & juſtitiæ Chriſti Redemptoris, primum exorta ſit a Decretis Synodi Nicenæ de tribus Perſonis Divinis ab æterno, quæ Fides tempore illo ad præſens a toto Chriſtiano Orbe recepta eſt, n: 632 ad 635.
4. Quod Fides imputativa meriti Chriſti non fuerit nota in Eccleſia Apoſtolica, quæ præceſſit; & nullibi intellecta in Verbo, n: 636 ad 639.
5. Quod Imputatio meriti & juſtitiæ Chriſti ſit impoſſibilis, n: 640. 641. 642.
6. Quod ſit Imputatio, ſed boni & mali, n: 643 ad 646.
7. Quod Fides & Imputatio Novæ Eccleſiæ nequaquam poſſint una eſſe cum Fide & Imputatione prioris Eccleſiæ; & quod ſi una ſunt, fiat colliſio & conflictio talis, ut pereat omne Eccleſiæ apud hominem, n: 647. 648. 649.
8. Quod Dominus omni homini imputet bonum, & quod Infernum omni homini imputet malum, n: 650 ad 653.
9. Quod Fides, cum quo ſe conjungit, faciat ſententiam, ſi Fides vera ſe conjungit cum bono, ſit ſententia pro Vita æterna, at ſi Fides ſe conjungit cum malo, ſit ſententia pro Morte æterna, n: 654 ad 657.
10. Quod nulli imputetur Cogitatio, ſed Voluntas, n: 658. 659. 660.

CAPUT XIImum. DE BAPTISMO.

1. Quod abſque cognitione de Senſu ſpirituali Verbi, nemo poſſit ſcire, quid Duo Sacramenta, Baptiſmus & Sancta Cæna, involvunt & efficiunt, n: 667. 668. 669.
2. Quod per Lavationem, quæ vocatur Baptiſmus, intelligatur Lavatio ſpiritualis, quæ eſt Purificatio a malis, & ſic Regeneratio, n: 670 ad 673.
3. Quod loco Circumciſionis inſtitutus ſit Baptiſmus, quia per Circumciſionem præputii repræſentata eſt circumciſio cordis, propter finem, ut Eccleſia Interna ſuccederet Eccleſiæ Externæ, quæ in omnibus & ſingulis figurabat Eccleſiam Internam, n: 674. 675. 676.
4. Quod Primus uſus Baptiſmi ſit Introductio in Eccleſiam Chriſtianam; & ſimul tunc Inſertio inter Chriſtianos in Mundo ſpirituali, n: 677 ad 680.
5. Quod Secundus uſus ſit, ut Chriſtianus cognoſcat & agnoſcat Dominum Jeſum Chriſtum Redemptorem & Salvatorem, & ſequatur Ipſum, n: 681. 682. 683.
6. Quod Tertius uſus Baptiſmi, qui eſt finalis, ſit, ut homo regeneretur, n: 684 ad 687.

7. Quod per Baptiſma Johannis præparata ſit via, ut Jehovah Deus in Mundum poſſet deſcendere, & Redemptionem peragere, n: 688.

CAPUT XIIItium. DE SANCTA CÆNA.

1. Quod abſque notitia de Correſpondentiis naturalium cum ſpiritualibus, nemo ſcire poſſit Uſus fructus Sanctæ Cænæ, n: 698 ad 701.
2. Quod ex notis Correſpondentiis ſciatur, quid per Carnem & Sanguinem Domini intelligitur, & quod ſimile per Panem & Vinum; videlicet, quod per Carnem Domini & per Panem intelligatur Divinum Bonum Amoris Ipſius, & quoque omne bonum Charitatis; & quod per Sanguinem Domini & per Vinum, intelligatur Divinum Verum Sapientiæ Ipſius, & quoque omne verum Fidei; & per Manducationem appropriatio, n: 702 ad 710.
—— Oſtenſum ex Verbo, quid intelligitur per Carnem, n: 704. 705.
—— —— —— —— quid per Sanguinem, n: 706.
—— —— —— —— quid per Panem, n: 707.
—— —— —— —— quid per Vinum, n: 708.
3. Quod ex his intellectis comprehendi poſſit, quod Sancta Cæna univerſaliter & ſingulariter contineat omnia Eccleſiæ & omnia Cæli, n: 711 ad 715.
4. Quod in Sancta Cæna ſit totus Dominus, & tota Ipſius Redemptio, n: 716. 717. 718
5. Quod Dominus præſens ſit, & aperiat Cælum illis, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt; & quod etiam præſens ſit apud illos qui indigne, ſed quod his non aperiat Cælum: conſequenter quod ſicut Baptiſmus eſt Introductio in Eccleſiam, ita Sancta Cæna ſit Introductio in Cælum, n: 719. 720. 721.
6. Quod illi ad Sanctam Cænam digne accedant, qui in Fide in Dominum & in Charitate erga proximum ſunt, ita qui Regenerati ſunt, n: 722 ad 724.
7. Quod illi, qui ad Sanctam Cænam digne accedunt, ſint in Domino & Dominus in illis; proinde quod per Sanctam Cænam fiat conjunctio cum Domino, n: 725. 726. 727.
8. Quod Sancta Cæna ſit illis, qui digne accedunt, ſicut obſignatio & ſigillum, quod filii Dei ſint, n: 728. 729. 730.

CAPUT XIVtum. DE CONSUMMATIONE SÆCULI. DE ADVENTU DOMINI. ET DE NOVA ECCLESIA.

1. Quod Conſummatio Sæculi, ſit Ultimum tempus ſeu finis Eccleſiæ, n: 753 ad 756.
2. Quod hodie ſit Ultimum tempus Eccleſiæ, quod a Domino apud Evangeliſtas, & in Apocalypſi, prædictum & deſcriptum eſt, n: 757. 758. 759.
3. Quod ultimum hoc tempus Eccleſiæ Chriſtianæ, ſit ipſa Nox, in quam deſierunt Eccleſiæ priores, n: 760 ad 763.
4. Quod poſt hanc Noctem ſequatur Mane; & quod Adventus Domini ſit illud; n: 764 ad 767.
5. Quod Adventus Domini, non ſit Adventus Ipſius ad delendum Cælum aſpectabile & Terram habitabilem, & ad creandum novum Cælum & novam Terram, ſicut hactenus multi ex non intellecto Senſu ſpirituali Verbi opinati ſunt, n: 768 ad 771.
6. Quod hic Adventus Domini, qui eſt Secundus, exiſtat propter cauſam, ut ſe-

ſeparentur mali a bonis, ac ut ſalventur illi, qui crediderunt & credunt in Ipſum, ac ut ab his formetur Novum Cælum Angelicum & Nova Eccleſia in Terris : & quod abſque eo non poſſet ulla caro conſervari, Matth. XXIV: 22; n: 772 ad 775.

7. Quod Secundus hic Adventus Domini non ſit in Perſona, ſed quod ſit in Verbo, quod eſt ab Ipſo & ſic Ipſe, n: 776. 777. 778.
8. Quod Secundus hic Adventus Domini fiat per hominem, coram quo Dominus in Perſona Se manifeſtavit, & quem implevit ſuo ſpiritu ad docendum Novæ Eccleſiæ Doctrinas per Verbum ab Ipſo, n: 779. 780.
9. Quod hoc per Novum Cælum & Novam Hieroſolymam in Apocalypſi Cap. XXI, intelligatur, n: 781 ad 785.
10. Quod Nova hæc Eccleſia ſit Corona omnium Eccleſiarum, quæ huc uſque in Terrarum Orbe fuerunt, n: 786 ad 791.

ADDITAMENTUM.

1. De Mundo Spirituali, qualis ille, n: 792 ad 795.
2. De Luthero in Mundo ſpirituali, n: 796.
3. De Melanctone in Mundo ſpirituali, n: 797.
4. De Calvino in Mundo ſpirituali, n: 798. 799..
5. De Hollandis in Mundo ſpirituali, n: 800 ad 805.
6. De Anglis in Mundo ſpirituali, n: 806 ad 812.
7. De Germanis in Mundo ſpirituali, n: 813 ad 816.
8. De Pontificiis in Mundo ſpirituali, n: 817 ad 821.
9. De Sanctis Pontificiorum in Mundo ſpirituali, n: 822 ad 827.
10. De Mahumedanis in Mundo ſpirituali, n: 828 ad 834.
11. De Africanis in Mundo ſpirituali: & quoque aliquid de Gentibus, n: 835 ad 840.
12. De Judæis in Mundo ſpirituali, n: 841 ad 845.

INDEX MEMORABILIUM.

I. Audivi quoſdam novos Advenas loquentes inter ſe de tribus Perſonis Divinis ab æterno, & tunc quidam, qui in Mundo fuerat Primas, ideas cogitationis ſuæ de myſterio illo aperuit, dicens, quod ſua Mens fuerit & adhuc ſit, quod Tres in Cælo ſedeant ſuper altis Thronis, Deus Pater ſuper Throno ex obryzo auro cum Sceptro in manu; Deus Filius ad dextram ſuper Throno ex puriſſimo argento, cum Corona ſuper capite; & Deus Spiritus Sanctus ſuper Throno ex ſplendido Chryſtallo, tenens Columbam in manu, in qua apparuit cum Chriſtus baptizatus eſt; & quod circum circa illos in triplici ordine penſiles lampades ex lapidibus pretioſis coruſcarent; & quod e longinquo in Circo ſtarent innumerabiles Angeli adorantes & glorificantes; & inſuper loquutus eſt de Spiritu ſancto, quomodo infert fidem, purificat & juſtificat: dixit, quod plures ex ſuo Ordine his ejus ideis faverint; credens quod ego etiam, quia laicus, illis fidem haberem: at tunc data mihi copia loquendii inquii, quod a pueritia mea foverim ideam, quod Deus unus ſit, quare explicui coram illo, quid involvit Trinitas, & quid ſignificant Thronus, Sceptrum & Corona, ubi illa in Verbo prædicantur de Deo: quibus addidi, quod omnes qui credunt tres Perſonas Divinas ab æterno, non poſſint aliter quam credere tres Deos, & inſuper, quod Divina Eſſentia non ſit partibilis, n: 16.

II. Angelorum ſermo de Deo, quod Divinum Ipſius ſit Divinum Eſſe in ſe, & non a ſe, & quod ſit Unum, Idem, Ipſum, & Individuum: tum quod Deus non ſit in loco, ſed apud illos, qui in loco ſunt: & quod Divinus Ipſius Amor appareat Angelis ut Sol, & quod Calor inde ſit in eſſentia ſua Amor, & Lux inde in ſua eſſentia Sapientia, n: 25.

— Quod Attributa Divina procedentia, quæ ſunt Creatio, Redemptio, & Regeneratio, ſint unius Dei, & non Trium, n: 26.

III. Quoniam percepi, quod ingens multitudo hominum ſit in perſuaſione, quod omnia Naturæ ſint, & inde quod Natura ſit Creatrix univerſi, in quodam Gymnaſio, ubi erant tales, loquutus ſum cum quodam Ingenioſo, de his Tribus: 1. Num Natura ſit vitæ, vel num Vita ſit naturæ. 2. Num Centrum ſit expanſi, vel num Expanſum ſit centri. 3. De Centro & Expanſo Naturæ & Vitæ; & quod Centrum naturæ ſit Sol mundi naturalis, & hujus Expanſum ipſe ejus Mundus, & quod Centrum vitæ ſit Sol mundi ſpiritualis, & hujus Expanſum ipſe ejus Mundus; quæ ab utraque parte ventilata ſunt, & demum oſtenſum quid verum, n: 35.

IV. Quod in quoddam Theatrum ſapientiæ perductus ſim, ubi congregati erant Spiritus angelici ex quatuor plagis, quibus e Cælo injunctum erat ventilare tria Arcana, 1. Quid Imago Dei & quid Similitudo Dei. 2. Cur homo non naſcitur in ſcientiam ullius amoris, cum tamen beſtiæ & aves naſcuntur in ſcientiam omnium ſuorum amorum. 3. Quid ſignificat Arbor vitæ, & Arbor ſcientiæ boni & mali; & inſuper quod conjungerent illa Tria in unam ſententiam, & hanc referrent ad Angelos cæli; quibus factis Sententia relata eſt, & ab Angelis acceptata, n: 48.

V. Quod a malis Spiritibus mox ſupra Infernum auditus ſit ſicut ſtrepitus maris, qui erat tumultus, qui inter illos exſtitit, quia audiverunt ſuper ſe, quod Deus Omnipotens ſe adſtrinxerit ordini, & quod quidam inde aſcenderint, & me de ea re acriter alloquuti ſint, dicendo, quod Deus, quia Omnipotens eſt, non ad-

adſtrictus ſit alicui Ordini; ac interrogatus de Ordine, dixi, 1. Quod Deus ſit ipſe Ordo. 2. Quod hominem ex Ordine, in Ordine, & ad Ordinem creaverit. 3. Quod Mentem ejus rationalem creaverit ſecundum Ordinem Mundi ſpiritualis, & Corpus ejus ſecundum Ordinem Mundi naturalis. 4. Quod inde Lex ordinis ſit, quod homo ex ſuo Mundulo ſpirituali ſeu microurano recturus ſit ſuum mundulum naturalem ſeu microcoſmum, ſicut Deus ex ſuo Macrourano ſeu Mundo ſpirituali regit ſuum Macrocoſmum ſeu Mundum naturalem. 5. Quod inde plures Leges ordinis profluant, quæ quoad partem adjectæ ſunt: quid poſtea ſpiritibus illis evenit, deſcriptum eſt, n: 71.

VI. De Ratiocinatione quorundam ex Batavia & Britannia in Mundo ſpirituali de Imputatione & Prædeſtinatione: ab una parte, cur Deus, quia eſt Omnipotens, non omnibus imputat Juſtitiam Filii ſui, & ſic facit illos Redemptos, cum tamen, quia eſt Omnipotens, poteſt omnes Satanas Inferni facere Angelos Cæli, imo ſi ei beneplacet, poteſt Luciferum, Draconem, & cunctos Hircos facere Archangelos, & quid opus niſi verbulo ad hoc: ab altera parte, quod Deus ſit ipſe Ordo, & quod nihil poſſit contra Leges ſui Ordinis facere, quia hoc foret facere contra Seipſum: præter plura, per quæ de hac re inter ſe ludebant, n: 72.

VII. Quod poſtea cum aliis, qui in fide Prædeſtinationis erant, loquutus ſim, qui illam ex Dei abſoluta potentia ſeu Omnipotentia deduxerunt, & quod alioquin Deo minor poteſtas foret, quam Regi Monarchæ in Mundo, qui poteſt leges Juſtitiæ vertere ſicut ſuas palmas, ac agere abſolute ſicut Octavius Auguſtus & quoque abſolute ſicut Nero; ad quæ reſponſum eſt, quod Deus creaverit Mundum, ac omnia & ſingula ejus ex Se ut Ordine, & ſic illis indiderit Ordinem, & quod Leges ordinis Ipſius ſint totidem, quot Veritates in Verbo: & tunc recenſitæ ſunt aliquæ Leges Ordinis, ac quæ & quales ſunt a parte Dei, ut & quæ & quales ſunt a parte hominis; & quod illæ mutari nequeant, quia Deus eſt Ipſe Ordo, & quod homo creatus ſit imago Ipſius ordinis, n: 73.

VIII. Quod loquutus ſim cum cogregatis ex Clericis & Laicis de Divina Omnipotentia, qui dixerunt quod Omnipotentia ſit illimitata, & quod Omnipotentia limitata ſit contradictio: ad quæ reſponſum eſt, quod non ſit contradictio Omnipotenter agere ſecundum leges Juſtitiæ cum Judicio, dicitur etiam apud Davidem, quod Juſtitia & Judicium ſint fulcrum Throni Dei, Pſalm LXXXIX: 15, & quod non ſit contradictio omnipotenter agere ſecundum leges Amoris ex Sapientiæ, ſed quod Contradictio ſit, quod Deus poſſit agere contra leges Juſtitiæ & Amoris, & quod hoc foret ex non Judicio & Sapientia: & quod talem Contradictionem involvat Fides hodiernæ Eccleſiæ, quod Deus poſſit injuſtum facere juſtum, ac impium omnibus ſalutis donis & vitæ præmiis inſignire: præter plura de hac Fide, & de Omnipotentia, n: 74.

IX. Quondam cum in meditatione de Creatione Univerſi a Deo eram, abductus ſum ſpiritu ad quoſdam ſapientes, qui primum conqueſti ſunt de ideis apud ſe captis in Mundo, quæ fuerunt de Creatione univerſi ex Chao, & de Creatione ex nihilo, quia illæ meditationem de Creatione univerſi a Deo obſcurant, peſſumdant & pervertunt; quare ad interrogationem quid mea mens, expromſi hoc, quod vanum ſit concludere aliud quam phantaſticum de Creatione Univerſi, niſi ſciatur quod duo Mundi ſint, Spiritualis & Naturalis, & quod in utroque ſit Sol; & quod Sol Mundi ſpiritualis ſit purus Amor, in cujus medio eſt Deus, & quod ex illo ſint omnia ſpiritualia, quæ in ſe ſunt ſubſtantialia; & quod Sol Mundi naturalis ſit purus Ignis, & quod ex illo ſint omnia naturalia, quæ in ſe ſunt materialia; & quod ex his cognitis concludi poſſit de Creatione Univerſi quod ſit a Deo; & quomodo; quod etiam parum delineatum eſt, n: 76.

X. Quod aliqui Satanæ Inferni cupiverint loqui cum Angelis Cæli, ex propoſito ut convincerent illos, quod omnia ſint ex Natura, & quod Deus ſit modo vox niſi intelligatur natura; ac permiſſum eſt ut illi aſcenderent; & tunc quidam Angeli e Cælo ſe demiſerunt in Mundum ſpirituum ut audirent illos; quibus viſis Satanæ furioſe accurrebant, dicentes, vos vocamini Angeli, quia creditis quod Deus ſit, & quod Natura non aliquid reſpective, & tamen illa creditis tametſi eſt contra omnes Senſus, quis Senſus ex quinque veſtris aliud ſentit quam Naturam; his & pluribus aliis acerbe dictis, Angeli in reminiſcentiam illorum revocaverunt, quod nunc vivant poſt mortem, & quod ne quidem hoc prius crediderint, & tunc fecerunt illis videre pulchra & ſplendida Cæli, & dixerunt, quod hæc ſint ibi, quia omnes ibi credunt in Deum; & poſtea fecerunt illis videre turpia & immunda Inferni, dicentes quod hæc ſint ibi, quia credunt in Naturam: Satanæ ex illis viſis primum convicti ſunt quod Deus ſit, & quod creaverit Naturam; at ſicut deſcenderunt, rediit amor mali, & occluſit intellectum illorum a ſuperiori, quo occluſo crediderunt ut prius, quod omnia ſint Naturæ, & nihil Dei, n: 77.

XI. Typus Creationis Univerſi ad vivum mihi ab Angelis oſtenſus eſt: perductus ſum in Cælum, & datum eſt videre ibi omnia quæ Regni animalis, omnia quæ Regni vegetabilis, & omnia quæ Regni mineralis erant, quæ prorſus ſimilia erant objectis trium illorum Regnorum in Mundo naturali, & tunc dixerunt, omnia illa in Cælo momento creantur a Deo, & ſubſiſtunt, quamdiu Angeli interius in ſtatu amoris & fidei quoad cogitationem ſunt; & quod momentanea illa Creatio evidenter teſtetur Creationem ſimilium, imo ſimilem, in Mundo naturali, cum ſolo diſcrimine, quod Naturalia inveſtiant ſpiritualia, & quod inveſtitio illa a Deo proviſa ſit propter generationes unius ab altera, per quas Creatio perpetuatur: conſequenter quod Creatio Univerſi ſimiliter facta ſit, ſicut fit omni momento in Cælo. At vero, quod omnia, quæ in tribus Regnis naturæ noxia & tetra ſunt, quæ enumerantur, non a Deo creata ſint, ſed una cum Inferno exorta, n: 78.

XII. Colloquium cum quibuſdam, qui in Mundo Celebres eruditione fuerunt, de Creatione Univerſi, qui ex iiſdem ideis, quas prius foverunt, loquuti dixerunt; Unus, quod Natura ſeipſam creaverit: Alter, quod Natura ſua elementa in vortices conglomeraverit, & quod ex colliſione illorum conflata ſit Tellus: & Tertius, quod ex Chao, quod magnitudine æquavit multam partem Univerſi, & quod primum inde eruperint puriſſima, ex quibus Sol & Stellæ, & quod poſtea minus pura, ex quibus Athmoſphæræ, & quod demum craſſa, ex quibus Globus terraquens: ad interrogationem, unde Animæ humanæ, dixerunt, quod æther ſe contulerit in parvos glomos diſcretos, & quod hi ſe infundant in naſcituros, & faciant animas, & quod poſt mortem evolent ad agmen prius in æthere, & inde redeant in alios, ſecundum veterum Mathempſychoſin. Poſt hæc quidam Sacerdos per ſolidas rationes pro Creatione Univerſi a Deo redegit omnia illa quæ dicta ſunt in inſulſam farraginem, & illos in pudorem, ſed uſque retinuerunt priora ſua deliria, n: 79.

XIII. Cum quodam Satana de Deo, de Cælo Angelico, & de Religione, qui quia non ſcivit aliter, quam quod adhuc in priori Mundo eſſet, dixit, quod Deus ſit Univerſum, quod Cælum Angelicum ſit firmamentum athmoſphæricum, & quod Religio ſit faſcinum plebis, præter plura fatua; ſed cum in reminiſcentiam ejus reproductum eſt, quod nunc poſt mortem vivat, & quod illam vitam non prius crediderit, eo momento faſſus eſt quod inſaniverit, ſed ut primum ſe convertit & receſſit, conſimiliter inſanivit ut prius, n: 80.

XIV. Quod in nocte viderim Ignem fatuum, defluentem in terram, qui a multis vo-

vocatur Draco, obſervavi locum ubi decidit, erat ibi terra ſulphurea mixta pulvere ferreo; & cum mane ſpectavi illuc, vidi ibi duo Tentoria; & tunc mox e Cælo delapſus eſt Spiritus, ad quem acceſſi & quæſivi, cur e Cælo delapſus eſt, reſpondit, quod ab Angelis Michaelis dejectus ſit, quia dixi, quod Deus Pater & Ipſius Filius ſint duo & non unum, & dixit quod totum Cælum Angelicum credat, quod Deus Pater & Ipſius Filius ſint unum, ſicut anima & corpus unum ſunt, & quod hoc per multa confirment ex Verbo, & præterea ex ratione, quod anima filii non ſit niſi ex Patre, & quod illa & inde in Corpore ſit inſtar patris: & addidit, quod quidem in Cælo confeſſus ſit, ſicut prius in terris, quod Deus unus ſit, ſed quia confeſſio oris & cogitatio mentis in hoc diſſidebant, dixerunt quod non crederem in aliquem Deum, quia una diſſipat alteram; & dixit, quod hæc fuerit cauſa dejectionis ejus. Poſt diem redux ad eundem locum, vidi duas Statuas ex ſimili pulvere, quæ erat miſcela ſulphuris & ferri, loco duorum tentoriorum, quarum una repræſentabat hodiernæ Eccleſiæ Fidem & altera ejus Charitatem, utramque pulchre veſtitam, ſed veſtes inductæ erant per phantaſias; at quia ex illo pulvere erant, ex demiſſa pluvia e Cælo, ambæ cæperunt ebullire & deflagrare, n: 110.

XV. Quod in Mundo ſpirituali non alicui liceat loqui quam cogitat, alioquin hypocriticum manifeſte auditur; & quod ideo in Inferno nemo poſſit nominare JESUM, quia Jeſus ſignificat Salutem: per hoc ibi expertum eſt, quot in Chriſtiano Orbe hodie credunt, quod Chriſtus etiam quoad Humanum ſuum ſit Deus; quare ubi congregati erant plures ex Clericis & Laicis, propoſitum eſt illis, ut edicerent DIVINUM HUMANUM; ſed uſque vix aliqui has binas voces ſimul potuerunt extrahere ex cogitatione, & ſic illas enuntiare: confirmabatur coram illis per plura ex Verbo, quod Dominus quoad Humanum etiam eſſet Deus, ut per illa quæ Matth. XXVIII: 18. Joh. I: 1. 2. 14. Cap. XVII: 2. Coloſſ. II: 9. 1 Ep. Joh. V: 21, & quoque alibi, ſed uſque non potuerunt eloqui Divinum Humanum; & quod mirati ſunt, quod nec Evangelici, tametſi Orthodoxia illorum docet, quod in Chriſto Deus ſit Homo & Homo Deus; & adhuc plus quod nec Monachi, qui tamen ſanctiſſime adorant Corpus Chriſti in Euchariſtia. Ex his compertum eſt, quod Chriſtiani hodie quoad plurem partem interius ſint vel Ariani vel Sociniani, & quod hi ſi adorant Chriſtum ut Deum, ſint hypocritæ, n: 111.

XVI. Altercatio de Codicillo, Summaria Expoſitio Doctrinæ Novæ Eccleſiæ, a me Amſtelodami edito, & de hoc ibi imprimis, quod non Deus Pater, ſed Dominus Deus Redemptor adeundus & adorandus ſit; argumentantes quod uſque dicatur in Oratione Dominica, *Pater noſter qui es in Cælis, ſanctificetur Nomen tuum, adveniat Regnum tuum*, conſequenter quod Deus Pater adeundus ſit; ad quam litem dirimendam arceſſitus ſum, & tunc demonſtravi, quod Deus Pater in Divino ſuo non poſſit adiri, ſed in Humano ſuo; & quia Divinum & Humanum in Ipſo una Perſona ſunt, quod Dominus ſit ille Pater; quod etiam ex Verbo confirmatum eſt, tam ex Verbo Veteris Teſtamenti, ubi Filius Dei vocatur Pater æternitatis, & multis in locis Jehovah Redemptor, Jehovah Juſtitia, & Deus Iſraelis, quam ex Verbo Novi Teſtamenti pluries; & ſic quod cum Dominus Deus Redemptor aditur, adeatur Pater, & quod tunc ſanctificetur Nomen Ejus, & adveniat Regnum Ejus, præter plura, n: 112.

XVII. Quod viderim Excercitum ſuper Equis rufis & nigris, omnes in illo verſos quoad facies ad caudas equorum, & quoad occipitia ad capita illorum, clamantes ad pugnam contra Equitantes ſuper Equis albis; & quod judicer ille Excercitus erupuerit ex loco qui vocatur Armageddon, Apoc. XVI: 16, & quod conſtiterit ex illis qui in juventute imbuerunt dogmata de Juſtificatione per ſolam fidem, & qui poſtea, dum promoti ſunt ad eminentia officia rejecerunt illa

quæ

quæ fidei & religionis ſunt ab internis mentis ad externa corporis eorum, ubi denique evanuerunt. Deſcripti quales apparuerunt in Armageddon, & auditum eſt inde, quod vellent congredi cum angelis Michaelis, quod etiam datum, ſed ad aliquam diſtantiam abinde; & quod hic inter illos pugnatum ſit de intellectu verborum in Oratione Dominica, *Pater noſter qui es in Cælis, ſanctificetur Nomen tuum, adveniat Regnum tuum,* & tunc ab angelis Michaelis dictum eſt, quod Dominus Redemptor & Salvator omnibus in Cælis ſit Pater, quoniam Ipſe docuit, Quod Pater & Ipſe unum ſint; Quod Pater in Ipſo ſit & Ipſe in Patre; Quod qui videt Ipſum, videat Patrem; Quod omnia Patris in Ipſo ſint; tum quod voluntas Patris ſit, ut credant in Filium, & quod qui non credunt Filio, non viſuri ſint vitam, ſed quod ira Dei manſura ſit ſuper illos; tum quod Ipſi ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra; & quod Ipſi ſit poteſtas omnis carnis; & inſuper quod nemo viderit nec videre poſſit Deum Patrem, ſed ſolus Filius qui in ſinu Patris eſt, præter plura. Poſt hanc pugnam Armageddoni convicti, quoad partem conjecti ſunt in Abyſſum, de qua in Apocalypſi Cap. IX, & quoad partem emiſſi in deſertum, n: 113.

XVIII. Quod fuerim in Templo, in quo non feneſtræ, ſed magna apertura in tecto, & quod congregati ibi colloquuti ſint de Redemptione, dicentes unanimiter quod Redemptio facta ſit per Paſſionem crucis; at cum in illo ſermone erant, atra Nubes obduxit aperturam tecti, unde tenebræ factæ ſunt in Templo, ſed quod paulo poſt Nubes illa diſcuſſa ſit ab Angelis qui e Cælo deſcenderunt, qui tunc Unum ex ſe demiſerunt in Templum, qui inſtrueret illos de Redemptione, hic dixit, quod Paſſio crucis non fuerit Redemptio, ſed quod ſubjugatio Infernorum, ordinatio Cælorum, & ſic reſtitutio omnium quæ tam in Mundo ſpirituali quam in Mundo naturali collapſa ſunt, & quod abſque eo nulla Caro conſervari potuerit: & de Paſſione crucis dixit, quod per illam completa ſit unitio intima cum Patre; & quod dum illa aſſumitur pro Redemptione, multa indigna Deo, imo nefanda, conſequantur, ut quod ſuper totum Genus humanum concluſerit damnationem, & quod Filius illam in ſe ſuſceperit, & quod ſic Patrem propitiaverit, & per interceſſionem redegerit in Divinam ſuam Eſſentiam, quæ eſt Amor & Miſericordia, præter plura, quæ Deo attribuere, ſcandaloſa ſunt; n: 134.

XIX. Quod viſus ſit Sol Mundi ſpiritualis, in quo Jehovah Deus in ſuo Humano eſt; & tunc e Cælo auditum eſt hoc, Quod Deus Unus sit; ſed cum hoc delapſum eſt in Mundum ſpirituum, ſecundum formas mentium ibi verſum eſt, & tandem in tres Deos; quod etiam unus ibi ratiocinans confirmavit per hæc, quod Unus ſit qui creavit omnia, Alter qui redemit omnes, ac Tertius qui operatur omnia, tum quod Unus ſit qui imputat, Alter qui mediat, & Tertius qui illa homini inſcribit, & ſic indit fidem, per quam illum juſtificat. At quia Fides trium Deorum perverterat totam Eccleſiam Chriſtianam, ex data perceptione detexi illis quid apud unum Deum intelligitur per Mediationem, Interceſſionem, Propitiationem, & Expiationem, videlicet, quod illa quatuor ſint attributa Humani Jehovæ Dei, quod quia Jehovah Deus abſque Humano non adire poteſt hominem, nec ab homine adiri, Mediatio ſignificet quod Humanum ſit intermedians, quod Interceſſio ſignificet quod perpetuo mediet, quod Propitiatio ſignificat quod benignus acceſſus ſit cuivis homini ad Deum; & quod Expiatio ſignificet quod etiam peccatoribus, & hæc omnia per Humanum, n: 135.

XX. Quod intraverim in Gymnaſium, ubi ventilabatur quomodo intelligendum eſt, quod dicitur de Filio Dei, quod Sedeat ad dextram Patris; de hoc variæ erant opiniones, omnium tamen quod Filius actualiter ita ſedeat; ſed ventilabant, cur id, tunc quidam credebant quod id fiat propter Redemptionem, quidam quod ex amore, quidam ut Conſiliarius eſſet, quidam ut Illi honor ſit ab

An-

Angelis, quidam quia datum eſt Illi regnare vice Patris, quidam ut dextra aure audiatur pro quibus intercedit: inſuper etiam ventilabant, num Filius Dei ab æterno ita ſedeat, vel num Filius Dei natus in Mundo. His auditis, ſuſtuli palmam, rogans ut liceat aliquid loqui, & dicere quid intelligitur per ſedere ad dextram Dei, & dixi, quod intelligatur Omnipotentia Dei per Humanum quod aſſumſit, per hoc enim Redemptionem fecit, hoc eſt, ſubjugavit Inferna, creavit Novum Cælum Angelicum, & inſtauravit Novam Eccleſiam; quod hoc per ſedere ad dextram intelligatur, confirmavi ex Verbo, in quo per Dextram ſignificatur Potentia, & poſtea confirmatum eſt e Cælo per apparentiam Manus Dextræ ſuper illos, ex cujus potentia & inde terrore omnes pæne exanimati ſunt, n: 136.

XXI. Quod in Mundo ſpirituali perductus ſim in quoddam Synedrium, in quo congregati erant Celebres qui ante Concilium Nicenum vixerunt, & vocati ſunt Patres Apoſtolici, & quoque Incluti, qui poſt illud Concilium: & vidi, quod aliqui ex his apparerent Mento calvo, & in Capellitiis ex crine muliebri cincinnatis, ſed omnes priores in Mento barbato, & in Capillis nativis. Ante illos ſtetit Vir judex & arbiter ſcriptorum hujus ſæculi, qui exorſus eſt per quandam lamentationem, dicens, Vir e Laicis ſurrexit, qui Fidem noſtram e ſanctuario ſuo detraxit, quæ tamen eſt ſtella lucens diu noctuque coram nobis, at hoc ex cauſa, quia vir ille cæcutit in myſteriis iſtius fidei, & non vidit in illa juſtitiam Chriſti, & ſic non Juſtificationis ejus mirabilia, cum tamen illa Fides eſt in tres Perſonas Divinas, & ſic in totum Deum; & quia fidem ſuam tranſtulit in Secundam Perſonam, & non in hanc ſed in Humanum Ipſius, non poteſt aliter quam ut inde ſcaturiat Naturaliſmus: hujus effato faverunt illi, qui poſt Concilium Nicenum vixerunt, dicentes quod impoſſibile ſit, ut fides alia & aliunde ſit. Sed Patres Apoſtolici, qui vixerunt ante illud ſæculum, indignati narrabant plura quæ de Fide Nicena & Athanaſiana in Cælo dicuntur, quæ videantur. Sed quia Præſul Synedrii cum Scriptore illo in Lipſia quoad ſpiritum conſociatus erat, alloquutus ſum illum, & demonſtravi ex Verbo, quod Chriſtus etiam quoad Humanum Deus ſit, tum etiam ex Libro dogmatico Evangelicorum, Formula Concordiæ, vocato, quod in Chriſto Deus ſit Homo & Homo Deus, ut & quod Auguſtana Confeſſio Cultum Ipſius maxime probet, præter plura, ad quæ ſiluit, & ſe avertit. Poſtea loquutus ſum cum quodam Spiritu, qui conſociatus erat cum Viro eminente in Gothoburgo, qui Cultum Domini fædavit adhuc majori convitio: at demum duo illa convitia declarata ſunt pro mendaciis aſtu inventis, ad avertendum voluntates, & ad deterrendum a Sancto cultu Domini, n: 137.

XXII. Quod apparuerit Fumus ab inferiore Terra aſcendens, & dictum eſt, quod fumi non aliud ſint quod falſa in congerie: & tunc quoſdam Angelos invaſit deſiderium explorandi, quæ falſa eſſent, quæ ſic fumarent, ac deſcenderunt, & offenderunt quatuor Turmas ſpirituum, quarum duæ erant ex doctis & indoctis a Clericis, ac duæ ex eruditis & ineruditis a Laicis, qui omnes inter ſe confirmabant, quod Deus inviſibilis colendus ſit, & quod Cultoribus tunc ſanctitas & auditio, aliter ſi Deus viſibilis coleretur: ſanctitas & auditio a Deo inviſibili confirmabant per varia, & quod ideo agnoſcant tres Deos ab æterno, qui inviſibiles ſunt; ſed oſtenſum eſt quod Cultus Dei inviſibilis, & plus Trium inviſibilium ſit nullus cultus; ad confirmandum hoc ex Inferis educti ſunt Socinus & Arius cum aliquibus illorum aſſeclis, qui omnes Divinitatem inviſibilem coluerant; qui cum ex naturali ſeu externa mente loquuti ſunt, dixerunt quod Deus, tametſi inviſibilis, ſit; at cum externa mens illorum occludebatur, ac interna aperiebatur, & ex hac adacti ſunt confeſſionem ſuam de Deo edere, dixerunt, quid Deus, non vidimus ſpeciem Ipſius, nec audivimus vocem Ipſius, quid ergo Deus niſi ens rationis, aut natura; ſed inſtructi ſunt, quod Deo placuerit deſcen-

cendere, & assumere Humanum, ut speciem Ipsius viderent, & vocem Ipsius audirent; verum hoc in auribus illorum incassum fuit, n: 159.

XXIII. Primum de Stellis in Mundo naturali, quod forte essent simili numero quo Societates angelicæ in Cælo, quoniam unaquævis Societas ibi lucet quandoque sicut Stella. Postea loquutus sum cum Angelis de quadam via, quæ apparet innumeris spiritibus constipata, & quod sit via, per quam omnes, qui e Mundo naturali decedunt, transeunt in Mundum spiritualem; ad hanc viam in consortio cum Angelis accessi, & duodecim viros e via illa evocavimus, & interrogavimus quid de Cælo & Inferno, & de Vita post mortem, credunt, & quia recentes e Mundo erant, & non sciebant aliter quam quod adhuc in Mundo naturali essent, respondebant ex idea quam secum tulerunt: Primus, Quod illi qui moraliter vivunt, in Cælum veniant, & quod nemo in Infernum, quia omnes moraliter vivunt. Secundus, Quod Deus regat Cælum, ac diabolus Infernum, & quia oppositi sunt, unus dicat bonum quod alter malum, & quod homo si nulator, quia ab utriusque parte stat, possit æque sub unius ac sub alterius dominio vivere. Tertius, Quod non sit Cælum, nec Infernum, quis inde venit & narravit. Quartus, Quod nemo potuerit inde redire & narrare, quia homo cum moritur est vel larva vel ventus. Quintus, Quod exspectandum sit ad diem ultimi Judicii, & quod tunc narraturi sint, ac scituri sitis omnia, sed cum hæc dixit, risit corde. Sextus, Quomodo potest anima hominis quæ est modo ventus reingredi suum corpus a vermibus exesum, ac reindui sceleto vel exusto vel in pulverem dilapso. Septimus; Quod homines post mortem non plus possint vivere, quam bestiæ & aves, suntne æque rationales. Octavus, Credo Cælum, sed non credo Infernum, quia Deus est Omnipotens & potest omnes salvare. Nonus, Quod Deus quia est gratiosus non possit aliquem mittere in ignem æternum. Decimus, Quod nemo possit venire in Infernum, quia Deus misit Filium suum, qui expiavit omnes, & sustulit omnium peccata, quid diabolus valet contra id. Undecimus, qui erat Sacerdos, quod illi soli salventur, qui adepti sunt fidem, & quod Electio sit in Omnipotentis arbitrio. Duodecimus, qui erat Politicus, non quicquam dico de Cælo & Inferno, sed sinite Sacerdotes concionari de illis, ut mentes vulgi invisibili vinculo teneantur adstrictæ legibus & ducibus. His auditis obstupuerunt Angeli, sed evigilabant illos per quod instruerent illos quod nunc vivant post mortem; ac introducebant illos in Cælum, sed ibi non diu morati sunt, quia inventi quod essent mere naturales, & quod inde occipitia illorum essent incavata; de qua incavatione & ejus causa, ultimo aliquid dicitur, n: 160.

XXIV. Quod auditus sit sonus sicut molæ, & quod sonum sequutus viderim domum rimosam, in quam introitus patuit sub terra, & in illa Virum colligentem ex Verbo & Libris plura de Justificatione per solam fidem, & quod Scribæ a latere collectanea ejus inscriberent Chartæ; & ad interrogationem quid nunc colligeret, dixit hoc, quod Deus Pater exciderit gratia pro genere humano, & quod ideo miserit Filium qui expiaret & propitiaret; ad quæ respondi, quod hoc sit contra Scripturam & contra rationem, quod Deus potuerit excidere gratia, sic etiam excidisset essentia sua, & sic non esset Deus; & cum hoc usque ad convictionem demonstravi, excanduit, & mandavit scribis ut me ejicerent; at cum sponte egressus sum, post me conjecit librum, quem forte manus ejus apprehendit, & liber ille erat Verbum, n: 161.

XXV. Disceptatum est inter Spiritus, num quisquam possit videre aliquod genuinum Verum in Verbo, nisi immediate adeat Dominum, qui est ipsum Verbum; sed quia erant qui contradicebant, factum est experimentum, & tunc qui adiverunt Deum Patrem, non viderunt ullum verum, sed omnes qui adiverunt Dominum, viderunt. Hac lite perstante ascenderunt aliqui Spiritus ex Abysso, de

qua

qua Apoc. IX, ubi ventilant arcana juſtificationis per ſolam fidem, dicentes quod ipſi adeant Deum Patrem, & videant arcana ſua in clara luce, ſed reſponſum eſt, quod videant illa in luce fatua, & quod illis non ſit ne quidem unicum Verum; ex quo indignati, expromebant plura ex Verbo, quæ vera erant, ſed dictum eſt illis, quod vera ſint in ſe, ſed in illis falſificata; quod ita eſſet, comprobatum eſt per quod deducti ſint in domum, ubi erat Menſa, in quam Lux e Cælo directe influxit, & dictum eſt illis, ut vera illa quæ protulerunt ex Verbo, ſcriberent ſuper Charta, & hanc ponerent ſuper illa menſa, quod cum factum eſt, Charta illa, cui vera inſcripta erant, lucebat ſicut Stella, at vero cum acceſſerunt, ac intuitum fixerunt in illa, Charta apparuit atrata ſicut a fuligine: & poſtea deducti ſunt ad aliam Menſam ſimilem, ſuper qua jacuit Verbum circumcinctum iride, quod cum quidam Anteſignanus doctrinæ de ſola fide manu ſua tetigit, facta eſt exploſio ſicut e ſclopeto, & ille conjectus eſt in angulum Cameræ, & jacuit ſicut mortuus per ſemihorium. Ex his convicti ſunt, quod omnia vera quæ apud illos ex Verbo erant, eſſent vera in ſe, ſed falſificata in illis, n: 162.

XXVI. Quod in Mundo ſpirituali ſint Climata ſicut in Mundo naturali; & quod inde etiam ſint Zonæ boreales, ubi nives & glacies; quondam illuc in ſpiritu perductus intravi Templum tunc nive obductum, lampadibus intus illuminatum, ubi poſt Altare viſa eſt Tabula, ſuper qua ſcriptum erat hoc, TRINITAS DIVINA, PATER, FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS, QUI ESSENTIALITER UNUS SUNT, SED PERSONALITER TRES; & audivi Sacerdotem concionantem de quatuor Myſteriis fidei, de quibus captandus eſt intellectus ſub obedientia fidei, quæ videantur: poſt Concionem Auditores gratias egerunt Sacerdoti propter ejus tam uberem ſapientia ſermonem; at cum interrogavi illos num aliquid intellexerint, reſponderunt, captavimus omnia plenis auribus, quid quæris num intellaxerimus, ſtupetne intellectus in talibus; his Sacerdos præſens addidit, quia audiviſtis & non intellexiſtis, beati eſtis, quoniam inde vobis ſalus, præter plura, n: 185.

XXVII. Quod MENS HUMANA diſtincta ſit in tres Regiones, ſicut Cælum in quo ſunt Angeli, & quod Theologica apud illos, qui amant vera quia vera ſunt, in ſuprema Mentis regione reſideant, & quod ſub illis in media regione moralia, ſub his autem ſeu in ultima, politica, & quod variæ ſcientiæ faciant januam. At quod Theologica apud illos, qui non amant vera, in infima regione ſedeant, & ſe ibi commiſceant cum propriis hominis, & ſic cum fallaciis ſenſuum; & quod inde ſit, quod quidam Theologica non quicquam poſſint percipere, n: 186.

XXVIII. Quod perductus ſim ad locum, ubi erant qui per PSEUDOPROPHETAM in Apocalypſi intelliguntur, & ab illis ibi invitatus ſum ad videndum Fanum illorum, ac ſequutus ſum & vidi illud, & in illo imaginem Mulieris indutæ veſte coccinea, tenentis in dextra manu nummum aureum, & in ſiniſtra catenam ex unionibus, ſed hæc inducta erant per phantaſiam; at dum a Domino aperta ſunt interiora mentis, loco Fani viſa eſt domus rimoſa, & loco mulieris viſa eſt beſtia, qualis deſcribitur in Apocalypſi Cap. XIII: 2; & ſub ſolo ibi palus, in qua jacuit Verbum penitus reconditum: at mox ſpirante Vento orientali, ſublatum eſt Fanum, & exſiccata eſt palus, & patuit Verbum; & tunc per lucem e Cælo ibi apparuit TABERNACULUM, quale fuit Abrahamo, quando tres Angeli venerunt, & annuntiaverunt de Iſaco naſcituro: & poſtea luce emiſſa e Cælo ſecundo, loco Tabernaculi apparuit TEMPLUM, quale fuerat Hieroſolymæ: poſt hæc Lux e Cælo tertio affulſit, & tunc diſparatum eſt Templum, & viſus eſt DOMINUS SOLUS, ſtans ſuper Lapide fundi, ubi erat Verbum; ſed quia nimia ſanctitas tunc implevit mentes, ſubtracta eſt hæc lux, & loco ejus immiſſa eſt

lux e Cælo ſecundo; ex qua rediit prior aſpectus Templi, & intus in illo Tabernaculi, n: 187.

XXIX. Quod viſum ſit magnificum Palatium, in quo Templum, & in hoc ſolia poſita erant in triplici Ordine: in illud Convocatum eſt Concilium a Domino, in quo deliberarent de DOMINO SALVATORE, & de SPIRITU SANCTO, & cum aderant totidem ex Clero, quot erant ſolia, iniebant Concilium; & quia de Domino, prima Propoſitio fuit, QUIS ASSUMSIT HUMANUM IN MARIA VIRGINE; & tunc Angelus ad Menſam ſtans legit coram illis, quæ Angelus Gabriel dixit ad Mariam, SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, ET SANCTUM QUOD NASCETUR EX TE, VOCABITUR FILIUS DEI, Luc. I: 35; & quoque ex Matth. Cap. I: 20. 25; & inſuper plura ex Prophetis, quod ipſe Jehovah venturus eſſet in Mundum, & quoque quod ipſe Jehovah dicatur Salvator, Redemptor, & Juſtitia, ex quibus concluſum eſt, quod ipſe Jehovah aſſumſerit Humanum. Altera deliberatio de Domino erat, ANNON SIC PATER ET DOMINUS JESUS CHRISTUS UNUM SINT, SICUT ANIMA ET CORPUS UNUM SUNT, & hoc confirmatum eſt ex pluribus locis in Verbo, & quoque ex hodiernæ Eccleſiæ Fide ſymbolica; ex quibus concluſum eſt, quod Anima Domini eſſet ex Deo Patre, & inde quod Humanum Ipſius ſit Divinum, & quod hoc adeundum ſit ut adeatur Pater, quoniam Jehovah Deus per id ſe miſit in Mundum, & ſe fecit viſibilem oculis hominum, & ſic etiam acceſſibilem. Sequebatur Tertia deliberatio, quæ erat de SPIRITU SANCTO, & tunc primum diſcuſſa eſt idea de tribus Perſonis Divinis ab æterno, & conſtabilitum ex Verbo, quod Sanctum Divinum, quod vocatur Spiritus ſanctus, procedat ex Domino a Patre. Tandem ex deliberatis in hoc Concilio factum eſt hoc Concluſum, Quod in Domino Salvatore ſit Divina Trinitas, quæ eſt Divinum a quo quod vocatur Pater, Divinum Humanum quod vocatur Filius, ac Divinum Procedens quod vocatur Spiritus ſanctus, & quod ita ſit unus Deus in Eccleſia. Poſt finitum Concilium datæ ſunt illis qui ſederunt illud Veſtes ſplendidæ; & deducti ſunt in Novum Cælum, n: 188.

XXX. Quod viderim in quodam præſepi magnas Crumenas, in quibus erat Argentum in multa copia, & juxta illas Juvenes cuſtodes, in Camera proxima Virgines modeſtas cum Uxore caſta, & quoque in alia Camera binos Infantes; & denique Scortum & Equos mortuos: & poſtea inſtruebar, quid illa ſingulatim ſignificabant, & quod per illa repræſentatum & deſcriptum ſit Verbum, quale id in ſe eſt, & quale eſt hodie, n: 277

XXXI. Quod viſa ſit ſcriptura, qualis eſt in ſupremo ſeu tertio Cælo, quæ conſtabat ex literis inflexis cum corniculis ſurſum vergentibus, & dictum eſt, quod illis literis quoad partem ſimiles fuerint literæ Hebraicæ in antiquiſſimo tempore, quando magis inflexæ erant quam hodie ſunt; & quod Vocalis H, qui adjectus eſt nominibus Abrami & Saræ, ſignificet Infinitum ac Æternum. Explicabant coram me ſenſum aliquot Verborum in Pſalm: XXXII: 2, ex ſolis literis ſeu ſyllabis ibi, qui eſt, *quod Dominus etiam ſit miſericors illis qui malefaciunt*, n: 278.

XXXII. Quod ante Verbum Iſraeliticum fuerit Verbum, cujus Libri Prophetici vocati ſunt ENUNTIATA, & Hiſtorici BELLA JEHOVÆ, & præter hos etiam Liber JASCHAR dictus, qui tres etiam nominantur in noſtro Verbo; & quod Antiquum illud Verbum fuerit in Terra Canaane, Syria, Meſopotamia, Arabia, Aſſyria, Chaldæa, Ægypto, Tyro, Zidone & Ninive; at quod Hoc, quia plenum erat talibus Correſpondentiis, quæ remote ſignificant cæleſtia & ſpiritualia, quæ anſam dederunt Idololatriis, ex Divina Providentia evanuerit. Audivi, quod Moſes ex illo Verbo exſcripſerit illa quæ de Creatione, Adamo & Chai-

Chaiva, Diluvio, ac de Noacho, & de tribus ejus Filiis, memoravit, ſed non ulterius. Quod idem illud Verbum apud populos in TARTARIA MAGNA adhuc reſervatum ſit, & quod ex illo hauriant præcepta ſuæ fidei & vitæ, in Mundo ſpirituali ex Angelis inde mihi relatum eſt, n: 279.

XXXIII. Quod illi qui in ſpirituali Mundo ſunt, non poſſint apparere illis qui in Naturali, nec viciſſim, ita non Spiritus & Angeli hominibus, nec hi illis, propter DISCRIMEN INTER SPIRITUALE ET NATURALE, ſeu quod idem, inter ſubſtantiale & materiale: ex hac origine eſt, quod ſpiritibus & angelis prorſus alia Lingua, alia Scriptura, & quoque alia Cogitatio ſit, quam quæ eſt hominibus: quod ita ſit, detectum eſt per vivam experientiam, quæ facta eſt quod per vices intraverint ad ſuos & redierint ad me, & ſic contulerint: inde compertum eſt, quod ne quidem una vox Linguæ ſpiritualis detur ſimilis alicui voci Linguæ naturalis; & quod Scriptura illorum conſtaret ex ſyllabis, quarum unaquævis involvit ſenſum alicujus rei; & quod Ideæ cogitationis illorum non cadant in ideas cogitationis naturalis: cauſa horum diſcriminum eſt, quia ſpiritus & angeli ſunt in principiis, homines autem in principiatis, ſeu quod illi in prioribus ſunt, ex quibus ut cauſis ſunt poſteriora, & homines in poſterioribus ex illis. Dictum eſt, quod ſimile diſcrimen ſit inter linguas, ſcripturas & cogitationes Angelorum tertii Cæli & Angelorum ſecundi, n: 280.

XXXIV. De STATU HOMINUM POST MORTEM in genere; & de ſtatu illorum, qui ſe in falſis Doctrinæ confirmaverunt in ſpecie: de his & illis obſervata ſunt hæc, 1. Quod homines ut plurimum tertio die poſt mortem reſuſcitati ſint, & quod tunc non ſciant aliter, quam quod adhuc in Mundo priori vivant. 2. Quod omnes alluant in Mundum, qui medius eſt inter Cælum & Infernum, qui vocatur Mundus ſpirituum. 3. Quod ibi transferantur in varias Societates, & ſic explorentur quales ſunt. 4. Quod ibi boni & fideles præparentur ad Cælum, at mali & infideles ad Infernum. 5. Quod poſt præparationem, quæ perſtat aliquot annis, aperiatur via bonis ad ſocietatem quandam in Cælo, ubi in æternum victuri ſunt; malis autem via in infernum; præter multa plura. Poſtea deſcribitur Infernum, quale eſt; & quod ibi Satanæ dicantur qui in falſis ex confirmatione ſunt, ac Diaboli qui in malis vitæ, n: 281.

XXXV. Quod ex Terra inferiore, quæ proxime eſt ſupra Infernum, audiverim vociferationes, O QUAM JUSTI, O QUAM ERUDITI, O QUAM SAPIENTES, & quia miratus ſum, quod ibi etiam darentur Juſti, Eruditi & Sapientes, deſcendi, & primum acceſſi ad illum locum ubi clamabant, O QUAM JUSTI; & vidi ibi ſicut Tribunal, & in eo Judices injuſtitiæ, qui dextre potuerunt pervertere leges, & vertere judicia ad cujuſcunque favorem; & quod ſic judicia illorum eſſent modo arbitria; & cum ſententiæ exportabantur ad clientes, tunc hi clamabant longa via, o quam Juſti: de his poſtea dixerunt Angeli, quod tales ne quidem hilum juſti poſſint videre; poſt tempus Judices illi in Infernum conjecti ſunt, & libri legum eorum converſi ſunt in chartas luſorias, & loco judicandi datum eſt illis munus parandi fucos, quibus oblinerent facies meretricum, & ſic verterent illas in pulchritudines, n: 332.

XXXVI. Poſtea perrexi ad locum, ubi clamabatur, O QUAM ERUDITI, & vidi Cætum ex illis, qui ratiocinabantur, NUM SIT VEL NON SIT, & non cogitabant, QUOD ITA SIT, & inde ſubſiſtebant in primo veſtigio de quacunque re, & ſic illam modo tangebant ab extra, & non intrabant, ita quoque de Deo, num Deus ſit; ut pro certo ſcirem, num tales eſſent, propoſui illis, *Qualis erit Religio per quam homo ſalvatur*, reſponderunt, quod 1. ventilandum ſit, num Religio ſit aliquod. 2. Num una Religio plus efficiat quam altera. 3. Num ſit vita æterna, & ſic num ſit aliqua Salvatio. 4. Num Cælum & Infernum ſint;

& tunc cæperunt ventilare Primum, Num Religio ſit aliquid, & dixerunt, quod illud egeat tam multa inquiſitione, ut non poſſit finiri intra annum, & unus inter illos dixit, quod non poſſit intra centum annos; ad quæ retuli, quod interea eſſent abſque religione; at uſque Primum illud tam ſolerter ventilabant, ut Cohors adſtans clamaret, o quam Eruditi; dictum mihi eſt ab Angelis, quod tales appareant ſicut ſculptilia; & quod poſtea emittantur in deſerta, ubi inter ſe garriunt & loquuntur modo vana, n: 333.

XXXVII. Acceſſi porro ad tertium Cætum, unde audivi clamorem, o QUAM SAPIENTES, & compertus ſum quod ibi congregati eſſent, qui non videre poſſunt, num verum ſit verum, ſed uſque facere, ut quodcunque volunt, appareat ut verum, & inde vocantur CONFIRMATORES; quod tales eſſent, etiam ex variis reſponſis ad propoſitiones animadverti, ut quod facerent verum quod Fides ſit omne Eccleſiæ, & poſtea quod Charitas ſit omne Eccleſiæ, & quoque quod fides & charitas ſimul ſint omne Eccleſiæ, & quia quodlibet ex illis confirmabant & exornabant apparentiis ita, ut lucerent ſicut vera, ideo adſtantes clamabant, o QUAM SAPIENTES. Poſtea aliqua ludicra etiam illis propoſita ſunt, ut facerent ut illa ſint vera, nam dicunt quod non detur verum niſi id quod homo facit verum; Ludicra erant hæc; quod lux ſit caligo & caligo lux; tum etiam quod corvus ſit albus & non niger, quæ duo fecerunt ut prorſus apparerent ſicut vera, confirmationes illorum videantur ibi. De illis ab Angelis mihi dictum eſt, quod tales ne quidem granum intellectus poſſideant; quoniam omne id quod ſupra rationale apud illos eſt, occluſum eſt, & quod omne quod infra rationale, apertum, & hoc poteſt confirmare quicquid lubet, ſed non videre aliquod verum eſſe verum; quapropter hoc non intelligentis eſt, ſed quod poſſe videre, quod verum ſit verum, ac falſum falſum, & id confirmare, ſit intelligentis. n: 334.

XXXVIII. Loquutus ſum cum Spiritibus, qui in Mundo naturali fama eruditionis incluti fuerunt, qui tunc inter ſe diſceptarunt de IDEIS CONNATIS, num aliquæ eſſent hominibus ſicut beſtiis; & tunc quidam Spiritus angelicus ſe intruſit, & dixit, diſceptatis de lana caprina, ſunt nullæ ideæ connatæ hominibus, nec ſunt ullæ connatæ beſtiis; ad quæ dicta excanduerunt omnes, ſed poſt datam copiam loquendi, primum fatus eſt de beſtiis, quod illis nullæ ideæ connatæ ſint, cauſa eſt, quia non cogitant, ſed modo operantur ex inſtinctu, qui illis eſt ex amore illorum naturali, qui facit analogon voluntatis apud illos, immediate in ſenſus corporis illorum influit, & excitat id quod concordat & favet amori, & tamen Ideæ prædicantur de ſola cogitatione; quod beſtiis ſit modo ſenſatio, & nulla cogitatio, confirmavit per varia, imprimis per mirabilia quæ nota ſunt de araneis, apibus, & bombycibus, dicens, num Aranea in puſillo ſuo capite cogitat, dum format telam, quod ita connectenda ſit propter hos aut illos uſus: num Apis in puſillo ſuo capite cogitat, ex his floribus exſugam mel, & his ceram, ex hac ſtruam cellulas in continua ſerie, & in his ponam mel in copia ut quoque ſufficiat pro hyeme, præter plura: num Bombyx vermis in puſillo ſuo capite cogitat, nunc me conferam ad nendum ſericum, & cum nevi tunc evolabo, ac ludam cum conſoclis, & proſpiciam mihi proſperitatem, præter ſimilia apud Beſtias & Aves. De hominibus dixit, quod quævis mater & alumna, & quoque pater novit, quod infantibus recens natis prorſus nullæ ideæ connatæ ſint, & quod non aliquæ prius quam dum didicerunt cogitare, & quod tunc exoriantur ideæ, & fiant ſecundum omnem qualitatem cogitationis, quam per inſtructionem hauſerant; & quod hoc fiat, quoniam homini non aliud connaſcitur, quam facultas ad ſciendum, intelligendum & ſapiendum, & inclinatio ad amandum non ſolum ſe & mundum, ſed etiam proximum & Deum: Hæc

LEIB-

Leibnitius & Wollfius ad diſtantiam audiverunt, ac Leibnitzius favit, aliter Wollfius n: 335.

XXXIX. Quondam aliquis Spiritus angelicus illuſtravit quid Fides et Charitas, & quid conjunctio illarum efficit; illuſtravit id per comparationem cum Luce & Calore, quæ in uno tertio conveniunt, quia Lux in Cælo in eſſentia ſua eſt Verum fidei, & Calor ibi in eſſentia ſua eſt Bonum charitatis, proinde quod ſicut Lux abſque calore, qualis eſt tempore hyemis in Mundo, denudat arbores a foliis, & fructibus, ita fides abſque charitate; & quod ſicut Lux conjuncta calori, qualis eſt tempore veris, vivificat omnia, ita fides conjuncta charitati, n: 385.

XL. Quod duo Angeli deſcenderint, unus e Cælo Orientali ubi in amore ſunt, & alter e Cælo meridionali ubi in ſapientia ſunt, ac loquuti de eſſentia Cælorum num eſſet Amor vel num Sapientia, & convenerunt, quod ſit Amor & inde Sapientia; proinde quod Cæli a Deo creati ſint, ex Amore per Sapientiam, n: 386.

XLI. Quod poſt illud intraverim quendam Hortum, ubi a quodam Spiritu circumductus ſum, & tandem ad Palatium, quod vocabatur Templum Sapientiæ, quod erat quadrangulare, parietes ex chryſtallo, tectum ex jaſpide, ſubſtratio ex variis lapidibus pretioſis; & dixit, quod nemo in illud poſſit intrare, niſi qui credit, quod id quod ſcit, intelligit & ſapit, ad id quod non ſcit, intelligit & ſapit, ſit reſpective tam parum ut vix aliquid, & quia ego id credebam, datum eſt intrare, & viſum eſt quod totum illud conſtructum eſſet ad formam lucis. In Templo illo retuli, quæ nuper audivi ex binis Angelis de Amore & Sapientia, & quæſiverunt, annon etiam loquuti ſunt de Tertio, quod eſt Uſus, & dixerunt, quod Amor & Sapientia abſque Uſu ſint modo entia idealia, ſed quod in Uſu fiant realia: & quod ſimile ſit cum Charitate, Fide & Bonis Operibus, n: 387.

XLII. Quod unus ex Draconis ſpiritibus invitaverit me ad videndum jucunda amoris ſui, & deduxit me ad quoddam ſimile Amphitheatro, ſuper cujus ſcamnis ſedebant Satyri & Meretrices, & tunc dixit nunc videbis Ludum noſtrum, ac aperuit portam, & immiſit ſicut juvencos, arietes, hædos & agnos, & mox per aliam portam immiſit leones, pantheras, tigrides & lupos, qui irruebant in gregem, & illum dilaniabant & mactabant; ſed omnia illa quæ viſa ſunt, inducta erant per phantaſias; hoc viſo dixi ad Draconem, poſt tempus videbis hoc theatrum verſum in Stagnum ignis & ſulphuris. Ludo peracto, exivit draco ſtipatus ſuis ſatyris & meretricibus, & vidit gregem ovium, ex quo comprehendit, quod una Urbs ex Hieroſolymitanis in propinquo eſſet, qua viſa invaſit illum cupido capiendi illam, ac ejiciendi habitatores, ſed quia cincta erat muro, intendit illam capere per dolum, & tunc miſit unum gnarum incantationis, qui immiſſus cum Urbanis callide loquutus eſt de Fide & Charitate, imprimis quæ illarum eſt primaria, & num Charitas aliquid conferat ad ſalutem; ſed draco iratus ex reſponſo exivit urbe & congregavit multos ex ſua turba, & cæpit obſidere Urbem, at cum in conatu capiendi & invadendi illam erat, ignis e Cælo conſumſit illos, ſecundum illa quæ in Apocalypsi Cap. XX: 8. 9., prædicta ſunt, n: 388.

XLIII. Quondam Charta demiſſa erat e Cælo, in qua fuit exhortatio ut agnoſcerent Dominum Salvatorem pro Deo Cæli & Terræ, ſecundum Ipſius verba Matth. XXVIII: 18. ſed conſultati ſunt Duo Epiſcopi, qui ibi erant, quid facerent, qui dixerunt, ut Chartam remitterent ad Cælum unde venit; quod cum factum eſt, Societas illa ſubſidit, ſed non profunde: poſt diem aſcenderunt aliqui inde, & narrabant qualem ſortem ibi ſubiverunt, tum quod ibi adiverint Epiſcopos & arguerint illos propter ſuaſum illorum, & quod plura cum illis loquu-

quuti ſint de ſtatu Eccleſiæ hodie, & increpaverint Doctrinam illorum de Trinitate, de Fide juſtificante, de Charitate, & de aliis, quæ ex Orthodoxia Epiſcoporum erant, & rogaverint ut ab illis deſiſterent quia contra Verbum, ſed incaſſum; & quia Fidem illorum vocaverunt mortuam, & quoque diabolicam ſecundum Jacobum in Epiſtola ſua, unus ex Epiſcopis deſumpſit Cidarim e capite ſuo, & repoſuit ſuper menſa, dicens quod illam non reſumeret, antequam ultus fuerit dicteria de ſua Fide; verum tunc apparuit monſtrum ex inferis aſcendens ſimile beſtiæ deſcriptæ in Apocalypsi Cap. XIII: 1. 2., quod Cidarim deſumpſit & deportavit, n: 389.

XLIV. Quod acceſſerim ad quandam Domum, ubi congregati inter ſe ventilabant, num bonum, quod homo in ſtatu juſtificationis per fidem facit, ſit bonum religionis vel non, conſenſus fuit, quod per bonum religionis intelligatur bonum quod confert ad ſalutem; ſed prævaluit ſententia illorum, qui dixerunt, quod omne bonum quod homo facit, non aliquid conferat ad ſalutem, quoniam non poteſt aliquod bonum voluntarium hominis conjungi cum gratuito, quia ſalvatio fit gratis: quod nec aliquid bonum ab homine conjungi cum Merito Chriſti, per quod unice datur ſalvatio: quod nec operatio hominis cum Operatione Spiritus Sancti, qui omnia abſque ope hominis facit; ex quibus concluſum eſt, quod bona opera etiam in ſtatu juſtificationis per fidem nihil ad ſalutem conferant, ſed ſola Fides: Ad hæc audita duo Gentiles, qui ſteterunt in oſtio, inter ſe dixerunt, his non eſt aliqua religio, quis non ſcit, quod bonum facere proximo propter Deum, ita a Deo, & cum Deo, ſit religio, n: 390.

XLV. Audivi Angelos lamentantes, quod talis Egestas Spiritualis hodie in Eccleſia ſit, ut nihil plus ſciant, quam quod tres Perſonæ Divinæ ſint, & quod ſola fides ſalvet, & de Domino duntaxat Hiſtorica, & quod alte ignorent, quæ de Domino, Ipſius Unitate cum Patre, Divinitate & Poteſtate, in Verbo memorantur; & dixerunt, quod quidam Angelus ab illis demiſſus ſit, ad explorandum num talis egeſtas hodie apud Chriſtianos eſſet, & quod ille quæſiverit quendam, quæ ejus Religio, reſponderit quod ſit Fides, & quod dein quæſiverit illum de Redemptione, Regeneratione & Salvatione, reſponderit quod omnia illa ſint Fidei; & quoque de Charitate, quod ſit in fide, & quis poteſt facere bonum a ſe: ad quem poſtea Angelus dixit, reſponderas ſicut qui canit uno tono tibiæ, non audio niſi fidem, at ſi non aliud præter illam ſcis, nihil ſcis; & tunc deduxit illum ad conſocios in deſerto, ubi ne quidem gramen erat: præter plura, n: 391.

XLVI. Quod viderim quinque Gymnaſia varia luce circumcincta, & quod cum multis intraverim in Primum, quod viſum eſt ſicut in luce flammea; erant ibi plures congregati; & Præſes propoſuit ut ſententias ſuas proferrent de Charitate, & poſtquam exorſi ſunt, Primus dixit quod ſententia ejus ſit, quod Charitatas eſſet Moralitas inſpirata fide. Secundus, quod eſſet Pietas inſpirata miſeratione. Tertius, quod eſſet bonum facere cuicunque tam probo quam improbo. Quartus, quod eſſet omni modo inſervire agnatis & amicis. Quintus, quod eſſet eleemoſynas dare pauperibus, & opitulari indigentibus. Sextus, quod eſſet ædificare Hoſpitalia, Noſocomia, Orphanotrophia. Septimus, quod eſſet Templa ditare, & Miniſtris illorum benefacere. Octavus, quod eſſet Fraternitas vetus Chriſtiana. Nonus, Quod eſſet remittere cuique ſua delicta: quiſque ex illis ſententiam ſuam ample confirmavit, quæ quia plura ſunt, huc non poſſunt transferri, quare videantur in ipſo Memorabili. Poſt hæc, data etiam eſt mihi copia expromendi ſententiam meam, & dixi, quod Charitas ſit ex Amore Juſtitiæ cum judicio in omni opere & officio agere, ſed ex Amore non aliunde quam ex Domino Salvatore; & poſtquam hoc demonſtratum eſt, adjeci,

ci, quod omnia illa, quæ ſupra e novem celebribus Viris de Charitate dicta ſunt, ſint egregia Charitatis documenta, modo fiant ex juſtitia cum judicio; & quia Juſtitia & Judicium non aliunde ſunt, quam ex Domino Salvatore, ut fiant ex homine ab Ipſo: hoc approbatum eſt a plerisque in Interno illorum homine, ſed nondum ita in Externo, n: 459.

XLVII. Quod e longinquo auditus ſit ſicut ſtridor dentium, & ei intermixtum ſicut pulſatile; & ad ſonos acceſſi, & vidi domunculum ex juncis conglutinatis ſtructam, & loco ſtridoris dentium & ſoni pulſatilis audivi intus in domuncula altercationes de Fide & Charitate, quænam illarum eſſet eſſentiale Eccleſiæ; & illi qui pro Fide erant, protulerunt ſua Argumenta, dicentes, quod Fides ſit ſpiritualis quia a Deo, ſed Charitas naturalis quia ab homine; viciſſim illi qui pro Charitate erant, dixerunt quod Charitas ſit ſpiritalis, & Fides naturalis niſi conjuncta ſit Charitati. His quidam Syncretiſta volens dirimere litem adjecit, confirmans quod Fides ſit ſpiritualis, & Charitas modo naturalis; ſed dictum eſt, quod vita moralis ſit duplex, ſpiritualis & naturalis, & quod in homine, qui vivit a Domino, ſit ſpiritualis moralis, at in homine, qui non vivit a Domino, ſit naturalis moralis, qualis datur apud malos, & quandoque apud ſpiritus in Inferno, n: 460.

XLVIII. Quod in ſpiritu perductus ſim in quendam Hortum in Plaga meridionali, & quod ibi viderim ſedentes ſub quadam lauru comedentes ficus, quos quæſivi, quomodo intelligunt, quod homo poſſit facere bonum a Deo, & tamen uſque ſicut a ſe; qui reſponderunt, quod Deus operetur bonum intus in homine, ſed ſi homo id facit ex ſua voluntate & ex ſuo intellectu, quod conſpurcet illud ita ut non ſit bonum amplius; ſed ad illa dixi, quod homo ſit modo organum vitæ; & quod ſi credit in Dominum faciat bonum ex ſe ab Illo, at ſi non in credit in Dominum, & plus ſi non in aliquem Deum, bonum faciat ex ſe ab Inferno; & porro, quod Dominus dederit homini Liberum Arbitrium faciendi ab uno aut ab altero: quod Dominus hoc Liberum dederit, confirmatum eſt ex Verbo, quod mandaverit homini amare Deum & proximum, operari bona charitatis ſicut arbor fructus, ac facere præcepta Ipſius ut ſalvetur, & quod quiſque ſecundum facta ſua judicaretur; & quod hæc & illa non mandata fuiſſent, ſi homo non poſſet facere bonum ex ſe a Domino. Poſtquam hæc dicta ſunt, dedi illis termites ex quadam vite, & termites in manibus illorum protruſerunt uvas; præter alia, n: 461.

XLIX. Quod viderim MAGNIFICUM NAVALE, & inibi Navigia magna & parva, & ſuper tranſtris pueros & puellas, qui exſpectabant TESTUDINES, quæ e mari exſurgerent, quæ dum emerſerunt, vidi quod haberent Duo Capita, unum quod ad lubitum retrahebant in conchas corporis eorum, & alterum quod apparebat in forma ſicut homo, & ex hoc loquebantur cum pueris & puellis, & hi propter elegantes ſermones illorum mulcebant illos, & quoque illis dederunt munera. His viſis explicatum eſt ab Angelo, quid illa ſignificabant, quod nempe ſint homines in Mundo, & inde totidem Spiritus poſt mortem, qui dicunt, quod Deus apud illos qui Fidem adepti ſunt, non videat aliquid quod cogitant & faciunt, ſed ſolum ſpectet ad fidem, quam in interioribus mentis illorum recondidit: & quod iidem illi coram Cætibus in Templis proferant Sancta ex Verbo, prorſus ſicut alii, ſed hæc ex Capite majore apparente ſicut homo, cui tunc inſertant parvum, aut hoc intrahunt in corpus. Quod iidem poſtea viſi ſint in aere in navigio cum ſeptem velis volante, & illi inibi in laureis, inque veſtibus purpureis, clamantes quod ſint Capita ſapientum ex omni Clero, ſed viſa illa erant imagines faſtus, profluentes ex ideis mentis eorum; & cum ſuper terra erant, loquutus ſum cum illis primum ex Ratione, & poſtea ex Scriptura Sa-

cra, & per plura demonſtravi, quod illa eorum Doctrina eſſet inſana, & quia contra Scripturam ſacram ex Inferno; ſed Argumenta, per quæ demonſtravi illa, propter prolixitatem, hoc transferri non poſſunt, quare videantur in ipſo MEMORABILI; tum quod poſtea viſi ſint in loco arenoſo in veſtibus ex fruſtis, ac cincti retibus quaſi piſcatoriis circum lumbos, trans quæ nuditates illorum apparebant; & demum demiſſi ſunt in ſocietatem, quæ in confinio ad Machiavelliſtas eſt, n: 462.

L. Quod convocatum ſit Comitium, quod ſedit in Templo rotundo, in quo ad latera erant Altaria, juxta quæ comitiales ſedebant, ſed non erat ibi Primas, quare quiſque ex ſe erupit in medium & exclamabat ſenſa ſui animi; & inceptus eſt ſermo de LIBERO ARBITRIO IN SPIRITUALIBUS; & PRIMUS erumpens clamavit, quod non plus Liberi Arbitrii in illis eſſet homini quam uxori Lothi dum verſa eſt in ſtatuam ſalis. SECUNDUS, quod non plus quam beſtiæ & cani. TERTIUS, quod non plus quam talpæ, & quam noctuæ in luce diei. QUARTUS, Quod ſi homini foret Liberum Arbitrium in ſpiritualibus fieret maniacus, & crederet ſe eſſe ſicut Deus, qui ſemetipſum poſſit regenerare & ſalvare. SEXTUS legit ex Libro Evangelicorum FORMULA CONCORDIÆ vocato, quod non plus Liberi Arbitrii in ſpiritualibus homini ſit quam trunco & lapidi, & quod non poſſit hilum de illis intelligere, cogitare, velle, & ne quidem ad ſpirituale recipiendum ſe applicare & accommodare, præter plura, de quibus ſupra n: 464. Poſt hæc dicta, data etiam eſt mihi copia loquendi, & loquutus dixi, quid homo abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus aliud quam brutum; & ad quid abſque illo ſerviunt omnia Theologica; ſed a hoc reſponderunt, lege noſtra Theologica, & non inibi deprehendes quicquam ſpirituale, & quod hoc intus in illa ita reconditum ſit, ut ne quidem appareat umbra ejus, quare lege quæ noſtra Theologia docet de Juſtificatione, hoc eſt, de remiſſione peccatorum, regeneratione, ſanctificatione, & ſalvatione, non videbis ibi quicquam ſpirituale, quia influunt per fidem abſque ulla hominis conſcientia; charitatem etiam procul removit a ſpirituali, & quoque pœnitentiam a contactu ejus; & præterea, quoad Redemptionem, attribuit Deo proprietates pure humanas naturales, ut quod Genus humanum ſub damnatione univerſali concluſerit, quod Filius illam in ſe ſuſceperit, & quod ſic Patrem propitiaverit, & quid interceſſio & mediatio apud Patrem aliud. Ex his patet, quod in univerſa Theologia noſtra nihil ſpirituale ſit, & ne quidem rationale, ſed mere naturale infra illa. At ſubito tunc fulmen e Cælo auditum eſt, & comitiales inde terrefacti eruperunt, & quiſque fugit in ſuam domum, n: 503.

LI. Quod loquutus ſim cum duobus ſpiritibus, quorum unus amavit bonum & verum, & alter malum & falſum, & deprehendi, quod uterque ſimili facultate cogitandi rationaliter gauderet, at cum ille qui amavit malum & falſum ſibi relictus erat, vidi ſicut fumus ex inferno aſcenderet, ac lucidum, quod ei erat ſupra memoriam, exſtingueret; at cum ille qui amabat bonum & verum ſibi relictus erat, vidi quod tanquam mitis flamma e Cælo deſcenderet, ac illuminaret regionem mentis ejus ſupra memoriam, & inde quoque illa quæ infra illam erant. Poſtea cum illo, qui malum & falſum amabat, loquutus de LIBERO ARBITRIO IN SPIRITUALIBUS, & hic modo ad nominationem ejus excanduit, & clamavit, quod nemo poſſit movere pedem & manum ad faciendum aliquod bonum ſpirituale, nec linguam & os ad loquendum aliquod verum ſpirituale, & ſic quod ne quidem poſſit ſe applicare & accommodare ad aliquod tale recipiendum; eſtne homo in talibus mortuus & mere paſſivus, quomodo poteſt mortuum & mere paſſivum facere bonum & loqui verum ex ſe; nonne Eccleſia noſtra etiam ita loquitur. Alter vero, qui amavit bonum & Verum de Libero arbitrio in ſpiritualibus ita fatus eſt, quid totum Verbum abſque illo, & quid

Ec-

Eccleſia, quid Religio, quid Cultus Dei, ita quid Miniſterium abſque illo; & ex intellectus mei luce ſcio, quod homo abſque Libero illo ſpirituali non eſſet homo, ſed beſtia, nam quod homo ſit & non beſtia, eſt ex illo Libero; ac inſuper quod homini abſque Libero arbitrio in ſpiritualibus non foret vita poſt mortem, ita non vita æterna, quia non aliqua conjunctio cum Deo; quare illud negare non eſt niſi illorum, qui in ſpiritualibus inſaniunt. Poſtea viſus eſt ſicut preſter ſuper arbore, qui inde fructum porrexit illi qui Liberum Arbitrium in ſpiritualibus negavit, quo comeſo apparuit fumus ex inferno aſcendens, qui ſuperiorem partem mentis ejus rationalis quoad lumen exſtinxit, n: 504.

LII. Auditus eſt ſtridor ſicut duorum lapidum molarium inter ſe collidentium, & acceſſi ad initium ſoni, & vidi Domum, in qua plures cellulæ erant, in quibus ſedebant Eruditi hujus ſæculi, & confirmabant Juſtificationem per ſolam fidem, & accedens ad unam qæſivi, quid nunc lucubratur, reſpondit de Actu Justificationis, qui eſt caput omnium Doctrinæ in noſtra Orthodoxia, & interrogavi, num ſciat aliquod ſignum dum Fides juſtificans intrat & dum intravit, & dixit quod hoc fiat paſſive & non active, ad quæ reſpondi, quod ſi aufers activum in eo, etiam auferas receptivum, & ſic foret actus ille modo pure ideale, quod vocatur ens rationis, & ſic non niſi quam ſtatua uxor Lothi tinniens ex mero ſale, ſtricta penna ſcribæ, aut ungue digiti ejus: vir ille excandeſcens ſumſit lychnuchum conjecturus in me, ſed tunc exſtincto lychno conjecit in ſodalem, n: 505.

LIII. Viſi ſunt duo Greges, unus ex hircis, alter ex ovibus, at cum ſpectati ſunt in propinquo, pro hircis & ovibus viſi ſunt homines, & perceptum eſt, quod grex hircorum conſtaret ex illis, qui ſolam Fidem ſalvificam faciunt, & Grex ovium ex illis, qui Charitatem & ſimul Fidem; ad interrogationem cur ibi, dicebant illi, qui viſi ſunt ſicut hirci, quod ſederent Concilium, quoniam illis detectum eſt, quod dictum Pauli, *Quod homo fide juſtificetur ſine operibus legis*, Rom. III: 28., non rite intellectum ſit, quoniam per Fidem ibi non intelligitur hodierna fides, ſed fides in Dominum Salvatorem, & per Opera legis non intelliguntur Opera legis Decalogi, ſed opera legis Moſaicæ, quæ erant ritualia, quod etiam demonſtratum eſt; & dixerunt, quod concluſerint, quod Fides producat bona opera ſicut Arbor fructus: his illi, qui conſtituebant Gregem Ovium faverunt, ſed tunc Angelus ſtans inter binos Greges, clamavit ad Gregem ovium, ne auſcultate, quia non receſſerunt a Fide ſua priore, ac diviſit Gregem Ovium in Duos, & dixit illis a ſiniſtris, adjungite vos hircis, ſed prædico vobis, quod venturus ſit lupus, qui rapiet illos, & vos cum illis. Sed tunc inquiſitio facta eſt, quomodo intelligunt, quod Fides producat bona opera ſicut Arbor fructus, & compertum eſt, quod perceptio illorum de conjunctione fidei & charitatis abeat prorſus in diverſum ab illa comparatione, & ſic quod eſſet loquutio fallax; quibus intellectis greges ovium ſe in Unum, ut prius, reuniverunt, cui adjunxerunt ſe aliqui ex hircis, confitentes, quod charitas ſit eſſentia fidei, & quod ſic fides ſeparata ab illa ſit modo naturalis, at conjuncta illi fiat ſpiritualis, n: 506.

LIV. Sermo cum Angelis de tribus Amoribus, qui univerſales ſunt, & inde apud unumquemvis hominem, qui ſunt Amor proximi seu Amor usuum, qui in ſe eſt ſpiritualis, Amor Mundi seu Amor possidendi opes, qui in ſe eſt materialis; et Amor sui, seu Amor imperandi super alios, qui in ſe eſt corporeus; & quod cum tres illi Amores rite ſubordinati ſunt apud hominem, homo ſit vere homo, & quod tunc rite ſubordinati ſint, dum amor proximi facit caput, Amor mundi corpus, & amor ſui pedes; aliter prorſus, dum contra ordinem ſedent apud hominem; & oſtenſum eſt, qualis homo eſt, dum amor Mundi facit

cit caput, & qualis dum amor ſui, quod tunc ſit homo inverſus, quoad interiora mentis ſuæ ferus, & quoad exteriora ejus & inde corporis, hirtrio. Poſt hæc viſus eſt quidam diabolus ex inferis aſcendens facie furva cum circulo albo circum caput, & dixit, quod eſſet Lucifer, tametſi non erat ille, & quod in internis ſuis ſit diabolus, ſed in externis ſuis Angelus lucis; ac retulit, quod dum in externis eſt, ſit moralis inter morales, rationalis inter rationales, imo ſpiritualis inter ſpirituales, & quod cum fuit in Mundo, concionatus ſit, & quod tunc pejeraverit contra meleficos omnis generis, & quod inde vocatus ſit filius Auroræ; & quod ipſe miratus, quod dum ſuper pulpito eſſet, non aliter perceperit quam quod ita eſſet ſicut loquutus; aliter vere dum extra Templum erat; dixit cauſam, quia in Templo erat in Externis ſuis, & tunc ſolum in Intellectu, at extra Templum in Internis ſuis, & tunc in Voluntate, & ſic quod Intellectus elevaverit illum in Cælum, at Voluntas detrahat illum in infernum; at quod Voluntas valeat ſuper Intellectum, quia hunc illa diſponit ad favorem & nutum: poſt hæc diabolus mentiens Luciferum delapſus eſt in Infernum, n: 507.

LV. Viſum eſt Templum rotundum, cujus Tectum erat inſtar Coronæ, Parietes continuæ Feneſtræ ex Chryſtallis, Porta ex ſubſtantia margaritica, in illo erat ſuggeſtus ſuper quo erat Verbum cinctum ſphæra lucis, in medio Templi Adytum ante quod Velum, ſed nunc ſublatum, in quo ſtetit Cherubus cum enſe vibrante in manu: poſt hæc viſa, explicabantur coram me ſingula quæ ſignificabant, quæ videantur; ſuper Porta erat Scriptura hæc, NUNC LICET, quod ſignificabat, quod nunc liceat intellectualiter intrare in Myſteria fidei, & datum eſt percipere, quod valde diſcriminoſum eſſet intellectu intrare in dogmata fidei, quæ ex propria intelligentia ſunt, & inde in falſis, & plus adhuc illa ex Verbo confirmare, & quod ideo ex Divina Providentia Verbum ademptum ſit Romano-Catholicis, & quod apud Proteſtantes occluſum ſit per eorum dogma, quod Intellectus captandus ſit ſub obedientia fidei eorum. At quia Dogmata, quæ Novæ Eccleſiæ ſunt, omnia ex Verbo ſunt, quod in illa liceat Intellectu intrare, quia ſunt continuæ Veritates ex Verbo, quæ etiam coram intellectu lucent. Hoc erat, quod per Scripturam ſuper Porta, NUNC LICET, intelligitur, & per quod Velum Adyti ſublatum ſit, intra quod ſtetit Cherubus. Poſt hæc allata eſt mihi charta ex infante, qui erat Angelus in tertio Cælo, in qua ſcriptum erat; INTRATE POSTHAC IN MYSTERIA VERBI HACTENUS OCCLUSI, NAM SINGULÆ VERITATES EJUS SUNT TOTIDEM SPECULA DOMINI, n: 508.

LVI. Quod gravi morbo ſim correptus ex illapſo fumo e Hieroſolyma, quæ in Apocalypſi XI: 8. vocatur Sodoma & Ægyptus, & quod viſus ſim ab illis qui in Urbe illa erant, ſicut mortuus, dicentes tunc inter ſe, quod non ſepultura dignus eſſem, ſimiliter ut de duobus Teſtibus in eodem Capite in Apocalypſi dicitur, & interea audivi blaſphemias in copia ab Urbanis propterea quod prædicaverim pœnitentiam, & fidem in Dominum Jeſum Chriſtum; ſed quia judicium ſuper illos inſtabat, vidi quod tota illa Urbs decideret, & inundaretur aquis, & poſtea, quod diſcurrerent inter ſtrues lapidum, & lamentarentur de ſorte ſua, cum tamen crediderint, quod per fidem Eccleſiæ ſuæ, eſſent renati, & ſic juſti; ſed dictum illis eſt, quod nihil minus quam tales eſſent, quoniam nuſquam aliquam pœnitentiam egerant, & quod inde non ſciant unum malum damnabile apud ſe: poſtea dictum illis e Cælo eſt, quod fides in Dominum ac pœnitentia, ſint duo Media regenerationis & ſalvationis, & quod hoc notiſſimum ſit ex Verbo, & inſuper ex Decalogo, Baptiſmo, & Sancta Cœna, de quibus videantur in MEMORABILI, n: 567.

LVII.

LVII. Quod omnes, qui poſt mortem in Mundum ſpiritualem veniunt, primo tempore teneantur in Externis, in quibus fuerunt in Mundo naturali, & quia plerique, dum in Externis ſunt, moraliter vivant, frequentant Templa, & orant ad Deum, credunt quod certe in Cælum venturi ſint, ſed inſtruuntur, quod omnis homo poſt mortem ſucceſſive exuat Externum hominem, & aperiatur Internus homo, & quod tunc noſcatur homo qualis eſt in ſe, quoniam homo eſt homo ex Voluntate & Intellectu, & non ſolum ex Actione & Loquela, & quod inde ſit, quod homo poſſit in Externis apparere ſicut Ovis, tametſi in Internis eſt ſicut Lupus; & quod talis ſit in Interno ſuo homine, niſi exploret mala ſuæ voluntatis & inde intentionis, & ab his pœnitentiam agat; præter plura, n: 568.

LVIII. Quod unusquiſque Amor exſpiret jucundum, ſed quod JUCUNDA AMORUM in Mundo naturali parum ſentiantur, ſed quod in Mundo ſpirituali manifeſte, & quod in hoc aliquoties vertantur in odores, & quod tunc percipiatur qualia ſunt jucunda, & cujus amoris ſunt; & quod percipiantur jucunda amoris boni, qualia in Cælis ſunt, ſicut fragrantiæ in hortis & floretis, & viciſſim jucunda amoris mali, qualia ſunt in Infernis, ſicut nidores & fœtores ex ſtagnis & latrinis; & quod quia ita oppoſiti ſunt, diaboli crucientur dum ſentiunt aliquem odorem ſuaveolentem cæli, ac viciſſim angeli dum aliquem graveolentem Inferni: quod ita ſit, per duo exempla confirmatum eſt. Ex hac cauſa eſt, quod Oleum unctionis ex aromaticis paratum ſit, & quod dicatur de Jehovah, quod ex holocauſtis odoratus ſit odorem gratum; & viciſſim, quod mandatum ſit filiis Iſralis, ut exportarent immunda extra caſtra, & quod excrementa alvi defoderent; caſtra enim illorum repræſentabant Cælum, ac deſertum extra repræſentabat Infernum, n: 569.

LIX. Quod quidam novitius ſpiritus, qui in Mundo multum meditatus eſt de Cælo & Inferno, deſideraverit ſcire quale eſt unum & alterum, & quod e Cælo ei dictum ſit, INQUIRE QUID JUCUNDUM ET COGNESCES, quare abiens inquiſivit, ſed apud ſpiritus mere naturales in vanum; at deductus eſt ad tres Cœtus in ordine, ad unum ubi explorabant Fines, & inde dicti ſunt Sapientiæ, ad alterum ubi rimabantur Cauſas, & inde dicti ſunt Intelligentiæ, & ad tertium ubi luſtrabant Effectus, & inde dicti ſunt Scientiæ; & ab his & illis inſtructus eſt, quod vita cuivis angelo, ſpiritui & homini ſit ex Jucundo amoris ejus, & quod voluntas & cogitatio non poſſint movere paſſum, niſi a jucundo cujuſdam amoris, & quod hoc ſit cuique id quod vocatur Bonum; & inſuper quod Jucundum Cæli ſit jucundum faciendi bonum, & quod jucundum Inferni ſit jucundum faciendi malum. Ut adhuc inſtrueretur, ex proviſo aſcendit diabolus, & coram illo deſcripſit jucunda Inferni, quod eſſent jucunda vindicandi, ſcortandi, deprædandi, & blaſphemandi, & quod illa, dum ſentiuntur ibi ut odores, ſentiantur ut balſama, unde vocavit illa delitias narium ſuarum, n: 570.

LX. Quod viſus ſit Cœtus ſpirituum orantium ad Deum, ut mitteret Angelos, qui inſtruerent illos de variis quæ fidei ſunt, quia in pleriſque hæſitant, quoniam Eccleſiæ inter ſe ita diſcrepant, & omnes illarum miniſtri dicunt, CREDITE NOBIS, SUMUS MINISTRI DEI, ET SCIMUS: & apparuerunt Angeli, quos interrogaverunt de Charitate & Fide, de Pœnitentia, de Regeneratione, de Deo, de Immortalitate animæ, deque Baptiſmo & Sancta Cœna, ad quæ ſingula reſponderunt Angeli ita, ut caderent in intellectum illorum, dicentes porro, quod omne id quod non cadit in intellectum, ſit ſicut ſeminatum in arena, quod utcunque pluvia irrigatur, uſque emarceſcit; & quod Intellectus occluſus ex religione, non amplius videat quicquam in Verbo ex luce, quæ inibi eſt a Domino, imo quod ſi illud legit plus & plus in rebus fidei & ſalutis cæcutiat, n: 621.

LXI. Quomodo homo, dum præparatus eſt ad Cælum, intrat illud, videlicet quod poſt præparationem videat viam, quæ ad Societatem in Cælo, in qua victurus eſt in æternum, tendit, & quod juxta ſocietatem ſit porta, quæ aperitur, & quod poſt introitum inquiratur num in illo ſit ſimilis lux & ſimilis calor, hoc eſt, ſimile verum & bonum, quæ apud Angelos iſtius ſocietatis, quod dum deprehenditur, circumvadit & inquirit ubinam ſua domus eſt, nam pro unoquovis novitio Angelo eſt nova domus, qua inventa recipitur & numeratur ut unus inter illos. At vero illis, in quibus non eſt lux & calor, hoc eſt, verum & bonum Cæli, hæc dura ſors eſt, quod dum intrant, miſere crucientur, & ex cruciatu ſe præcipites dejiciant deorſum, hoc fit illis ex ſphæra lucis & caloris Cæli in quorum oppoſito ſunt, & hi poſtea non amplius cupiunt Cælum, ſed conſociantur ſimilibus in Inferno: inde patet, quod vanum ſit cogitare, quod Cælum ſit modo admiſſio ex gratia, & quod admiſſi fruantur gaudiis ibi, ſicut qui in Mundo in domum nuptiarum intrant, n: 622.

LXII. Quod multi, qui crediderunt quod Cælum modo eſſet admiſſio ex gratia, & poſt admiſſionem gaudium æternum, ex venia aſcenderint in Cælum, ſed quod quia non ſuſtinuerunt lucem & calorem, hoc eſt, fidem & amorem ibi, ſe præcipites dejecerint, & quod tunc ab illis qui infra ſteterunt, viſi ſint ſicut Equi mortui: inter illos qui infra ſteterunt & viderunt illos ita, fuerunt pueri cum magiſtro, & hic inſtruxit illos quid ſignificabat apparitio ſicut Equi mortui, & tunc quinam ſunt, qui e longinquo ita apparent, dicens quod ſint, qui dum legunt Verbum, materialiter & non ſpiritualiter de Deo, de Proximo & de Cælo cogitant, & quod illi materialiter cogitent de Deo, qui ex Perſona de Eſſentia, de Proximo ex facie & loquela de qualitate, & de Cælo ex loco de ſtatu amoris ibi; at quod illi ſpiritualiter cogitent, qui de Deo ex Eſſentia & inde de Perſona, de Proximo ex qualitate & inde de facie & loquela, ac de Cælo ex ſtatu amoris ibi & inde de loco: & poſtea docuit illos, quod Equus ſignificet intellectum Verbi, & quia Verbum apud illos, qui ſpiritualiter cogitant, dum legunt illud, eſt Litera viva, quod ideo illi e longinquo appareant ſicut Equi vivi, & viciſſim, quia Verbum apud illos, qui materialiter cogitant, dum legunt illud, eſt Litera mortua, quod hi ideo e longinquo appareant ſicut Equi mortui, n: 623.

LXIII. Quod viſus ſit Angelus cum Charta in manu, ſuper qua ſcriptum erat CONJUGIUM BONI ET VERI, deſcendens e Cælo in Mundum, ac viſum eſt, quod Charta illa in Cælo luceret, in deſcenſu autem pedetentim minus & minus, uſque dum non Charta nec Angelus appareret, ſolumodo coram aliquibus ineruditis qui in ſimplici corde erant, coram his Angelus explicabat, quid Conjugium boni & veri involvit, videlicet quod omnia & ſingula in univerſo Cælo ac univerſo Mundo contineant utrumque ſimul, ex cauſa quia bonum & verum in Domino Deo Creatore unum faciunt, ac ideo quod non detur alicubi quicquam quod duntaxat eſt bonum, nec quicquam quod duntaxat eſt verum, conſequenter quod in omnibus & ſingulis ſit Conjugium boni & veri; & in Eccleſia Conjugium Charitatis & Fidei, quoniam Charitas eſt boni, & Fides eſt veri, n: 624.

LXIV. Quod cum eram in profunda cogitatione de Secundo Adventu Domini, viderim Cælum ab Oriente ad Occidentem luminoſum, & audiverim ab Angelis Glorificationem & Celebrationem Domini, ſed ex Verbo tam Prophetico Veteris Teſtamenti, quam ex Apoſtolico Novi; ipſa loca e Verbo, per quæ Glorificationes fiebant, videantur in MEMORABILI, n: 625.

LXV. Quod in Plaga ſeptentrionali orientali ſint LOCA INSTRUCTIONIS, & quod illi qui inſtructiones interius recipiunt ibi nominentur diſcipuli Domini. Quondam dum in ſpiritu eram, quæſivi didaſcalos ibi, num ſciant univerſalia Cæli & Univerſalia Inferni, & reſponderunt, quod Univerſalia Cæli ſint tres Amores, Amor ſuum, Amor poſ-

poſſidendi bona Mundi ex amore faciendi uſus, & Amor vere conjugialis; & quod univerſalia Inferni ſint tres Amores illis tribus oppoſiti, qui ſunt Amor imperandi ex amore ſui, Amor poſſidendi bona aliorum ex amore Mundi, & Amor ſcortatorius. Deſcribitur poſtea qualis primus INFERNALIS AMOR EST QUI EST AMOR DOMINANDI EX AMORE SUI, quod talis apud Laicos ſit, ut dum relaxantur ei fræna, velint dominari ſuper omnia Mundi, & apud Clericos ut velint dominari ſuper omnia Cæli. Quod talis phantaſia ſit apud illos qui in eo amore ſunt, confirmatum eſt per ſimiles in Inferno, ubi tales in quadam Valle ſimul ſunt, qui jucundant animos ſuos per phantaſias quod ſint imperatores imperatorum aut reges regum; & alibi, quod ſint Dii, & viſum eſt quod ad horum aſpectum priores, qui tam elato animo erant, caderent ſuper genua & adorarent. Quod poſtea loquutus ſim cum duobus, quorum unus erat Princeps cujuſdam ſocietatis in Cælo, & alter qui erat ſummus Sacerdos ibi, qui dixerunt, quod apud illos in ſocietate illa ſint magnifica & ſplendida, quia amor illorum non eſt ex amore ſui ſed ex amore uſuum, & quod circumfundantur honoribus, & quod acceptent illos non propter ſe, ſed propter bonum obedientiæ. Quæſivi tunc illos, quomodo poteſt aliquis ſcire, num uſus faciat ex amore ſui aut mundi, aut ex amore uſuum, quoniam omnes tres faciunt uſus; ponatur, quod ſit Societas compoſita ex meris ſatanis, & ſocietas compoſita ex meris Angelis, & poſſum augurari, quod Satanæ ex amore ſui & mundi in ſua Societate facturi ſint tot uſus quot Angeli in ſua, quis ergo ſcire poteſt ex quo amore ſunt uſus; ad hæc reſponderunt Princeps & Sacerdos, quod Satanæ faciant uſus propter famam ut evehantur ad honores & lucrentur opes, Angeli autem faciunt uſus propter uſus, ſed hi diſcriminantur ex illis imprimis per hoc, quod omnis qui credit in Dominum, & fugit mala ut peccata, a Domino faciat uſus, & ſic ex amore uſuum, at quod omnis qui non credit, nec fugit mala ut peccata, faciat uſus ex ſe & propter ſe, ita ex amore ſui aut mundi, n: 661.

LXVI. Quod intraverim quendam Lucum, & viderim duos Angelos inter ſe loquentes, acceſſi, & loquebantur de CONCUPISCENTIA POSSIDENDI OMNIA MUNDI, & quod plures, qui in actionibus apparent morales, & in loquelis rationales, in veſania iſtius Concupiſcentiæ ſint, & quod illa Concupiſcentia vertatur in phantaſias apud illos, qui ideis ſuis de illa indulgent; & quia cuique licet ſe delitiari in phantaſia ſua in Mundo ſpirituali, modo non malum faciat alteri, quod ſint etiam congregationes ex talibus in Terra inferiore; & quia innotuit ubi erant, deſcendimus & intravimus ad illos, & vidimus quod ſederent ad menſas, ſuper quibus erat ingens copia Nummorum aureorum, dicentes quod illi eſſent opes omnium Regni, ſed erat modo viſio imaginaria, quæ vocatur phantaſia, per quam fecerunt apparentiam illam: at cum dicebatur illis, quod infanirent, averſi a menſis faſſi ſunt, quod ita ſit, ſed quia viſio illa ſummopere oblectat illos, quod non poſſint aliter quam per vices intrare, & favere illecebris ſenſuum ſuorum: his addiderunt, quod ſi quis furripit alteri ſua, aut aliud malum facit, decidat in aliquem carcerem ſub illis, & ibi teneatur laborare pro cibo, veſte, & aliquibus obulis, & ſi etiam ibi malum faciunt, deprivantur illis & puniuntur, n: 662.

LXVII. Audita eſt diſceptatio inter quendam Legatum Regni & duos Sacerdotes, NUM INTELLIGENTIA ET SAPIENTIA, ET SIC QUOQUE PRUDENTIA, ESSENT A DEO, VEL NUM AB HOMINE; Legatus inſtabat quod ab homine, Sacerdotes autem quod a Deo: ſed perceptum eſt a quibuſdam Angelis, quod Sacerdotes interius in ſe crederent ſimiliter ac Legatus, videlicet, quod Intelligentia & Sapientia, & inde Prudentia eſſent ab homine; quare ut id patefieret, rogabatur Legatus ut exueret veſtes Muneris ſui, ac indueret veſtes Miniſterii ſacerdotalis, quo facto in-

incepit Legatus multis confirmare, quod omnis Intelligentia & quoque Prudentia ſit a Deo: & poſtea etiam rogabantur Sacerdotes ut exuerent veſtes ſuas, ac inducrent veſtes Miniſtrorum politicorum, quo facto, loquebantur Sacerdotes ex interiori ſe, dicentes, quod omnis Intelligentia & Prudentia ſit ab homine: cauſa quod ita loquuti ſint, erat, quia Spiritus cogitat ſe talem eſſe qualis eſt ſuper illo veſtis: poſt hæc, Tres illi amici cordis facti ſunt, & inter loquendum ſimul iverunt viam, quæ tetendit deorſum; ſed poſtea vidi illos reduces, n: 663.

LXVIII. Agitur primum de illis qui in Verbo vocantur ELECTI, & quod ſint, qui poſt mortem inveniuntur vitam Charitatis & Fidei vixiſſe, & ſeparantur ab illis qui illam vitam non vixerunt, & ſic qui tunc ELIGUNTUR, & præparantur ad Cælum; quapropter credere modo aliquos ante nativitatem vel poſt illam eligi & prædeſtinari ad Cælum, & non omnes quia omnes vocati ſunt, foret Deum impotentiæ ſalvandi, & quoque injuſtitiæ arguere, n: 664.

LXIX. A quodam advena dictum eſt in Cælo, quod non aliquis in Chriſtiano Orbe ſciat quid CONSCIENTIA, quod quia Angeli non crediderunt, dixerunt ad aliquem Spiritum, ut tuba convocaret Intelligentes, quos ſciſcitaret num ſciunt quid Conſcientia; & factum eſt ita, & advenerunt, & inter illos erant Politici, Eruditi, Medici, & Sacerdotes, & tunc primum ſciſcitabantur Politici, quid Conſcientia, reſponderunt, quod ſit dolor ex præconcepto aut poſtea capto timore diſcriminum honoris vel opum, vel quod ſit ex humore melancholico oriundo ex indigeſtis in Ventriculo, præter plura. Poſtea percontati ſunt ERUDITOS, quid ſciunt de Conſcientia, reſponderunt, quod ſit mæror & anxietas infeſtans corpus & inde caput, aut caput & inde corpus, ex variis cauſis, imprimis ex hac, quod animum intenderint uni rei ſolum, quod ſit imprimis dum regnans amor patitur, unde quandoque phantaſiæ & deliria, & apud quoſdam cerebroſitates in Religioſis, quæ vocantur morſus conſcientiæ. Poſt hos interrogati ſunt MEDICI, quid Conſcientia, & dixerunt, quod ſit modo dolor oriundus ex variis morbis, quos in copia enumeraverunt, & quod illi plures per pharmaca ſanaverint: morbi ex quibus dolores, qui Conſcientiæ vocantur, derivantur, enumerati videantur in MEMORABILI. Demum quæſiti ſunt SACERDOTES, quid Conſcientia, inquierunt, quod ſit eadem cum Contritione, quæ præcedit Fidem, & quod illam ſanaverint per Evangelium: & inſuper, quod dentur Conſcientioſi ex omni Religione, tam vera quam fanatica, qui ſibi faciunt ſcrupulos in rebus ſalutis, etiam adiaphoris. Angeli ex his auditis perceperunt veritatem, quod non aliquis ſciat quid Conſcientia, quare demiſerunt Angelum a ſe, qui doceret, hic adſtans in medio illorum dixit, quod Conſcientia non ſit aliquis dolor, ſicut omnes vos autumaviſtis, ſed quod ſit vita ſecundum Religionem, & quod illa vita imprimis apud illos ſit, qui in fide Charitatis ſunt, & quod illi qui conſcientiam habent, ex corde loquantur quæ loquuntur, & ex corde faciant quæ faciunt, quæ etiam per exempla illuſtravit; quare cum dicitur de aliquo quod Conſcientiam habeat, intelligitur quod juſtus ſit, & viciſſim. His dictis, diviſerunt ſe convocati in quatuor phalanges, in unam tranſiverunt illi, qui intellexerunt verba Angeli & faverunt, in alterum qui non intellexerunt, ſed uſque faverunt, in tertium qui non voluerunt intelligere, dicentes inter ſe, quid nobis cum Conſcientia, & in quartum qui irridebant, dicentes, quid Conſcientia niſi flatus; poſt hæc viſæ ſunt duæ poſteriores phalanges ſecedere ad ſiniſtrum, & duæ priores ad dextrum, n: 665.

LXX. Quod deductus ſim ad locum, ubi veteres Sophi, qui fuerunt in Græcia, commorabantur, quem locum illi vocabant Parnaſſium; & dicebatur mihi quod per vices ablegent quoſdam arceſſendi gratia aliquos Advenas e Mundo, & inqui-

quirendi aliquid de ſapientia, qualis eſt hodie in terris; & tunc inventi ſunt duo ex Chriſtianis, & adducti, qui mox interrogati ſunt, QUID NOVI E TERRA; & hi reſponderunt, quod hoc ibi Novum ſit, quod invenerint homines in ſylvis, forte in prima pueritia ibi omiſſos, & quod illi ex facie quidem appareant ut homines, ſed quod uſque non eſſent homines; & quod ex illis concluſerint in Mundo, quod homo non plus eſſet quam beſtia, ſolum quod poſſet articulare ſonum & ſic loqui, & quod beſtia ſimiliter poſſet ſapere, ſi imbueretur articulate ſonare, præter plura. Sophi ex his auditis concluſerunt plura de Sapientia, quas vices ab illorum temporibus ſubiverat, imprimis ex eo, quod non ſciant diſcrimen inter ſtatum hominis & ſtatum beſtiæ, & ne quidem quod homo modo naſcatur forma hominis, & quod per inſtructiones fiat homo, ac talis homo qualiter inſtructiones recipit, & quod fiat ſapiens ex veris, inſaniens ex falſis, ac interius fera ex malis, & quod modo naſcatur facultas ad ſciendum, intelligendum & ſapiendum, propter finem, ut ſit ſubjectum, in quod Deus poſſet ſapientiam a primo ejus gradu ad ſupremum inſpirare: dicentes porro, quod ex Advenis comprehenderint, quod ſapientia, quæ ſuo tempore in oriente fuit, hodie in occidente ſit. Poſtea inſtruxerunt Advenas, unde eſt, quod homo forma Dei creatus potuerit inverti in formam diaboli: ſed de his & illis videatur MEMORABILE, n: 692.

LXXI. Quod iterum indictus ſit Conventus in loco ubi erant veteres Sophi, quoniam ab emiſſariis audiverant, quod offenderint tres novos Advenas e terris, unum qui fuit Sacerdos, alterum qui fuit Politicus, & tertius qui fuit Philoſophus, qui adducti, mox quæſiti, QUID NOVI E TERRA, & reſponderunt, hoc Novum eſt, quod audiverint, quod quidam dicat ſe loqui cum Angelis & Spiritibus, & quod ille plura de ſtatu illorum memoret, & inter illa, quod homo ſit æque homo poſt mortem, cum ſola differentia, quod tunc corpore ſpirituali indutus ſit, prius autem corpore materiali: quibus auditis, interrogant SACERDOTEM, quid de illis cogitaverat in Terra, reſpondit, quod quia crediderat quod homo non victurus ſit iterum homo prius quam die Ultimi Judicii, ille cum reliquis ex ſuo Ordine, putaverit, ejus relata fuiſſe viſiones, & poſtea commenta, & quod denique hæſerit; ad interrogationem, annon incolæ telluris potuerunt ex Ratione videre quod homo vivat homo poſt mortem, & ſic paradoxa de ſtatu animarum interea diſſipare, quæ ſunt, quod animæ interea ſicut venti volitarent in Univerſo, & continue exſpectarent Ultimum Judicium, ut cum corporibus ſuis coaleſcant, quæ ſors foret pejor ſorte cujuſvis beſtiæ; ad quæ Sacerdos reſpondit, quod dicant ſed non convincant, & quod coalitionem ſeu reunionem animarum cum ſuis cadaveribus & ſceletis in ſepulchro adſcribant Omnipotentiæ Dei, & cum nominant Omnipotentiam & quoque Fidem, exulat omnis ratio. Poſtea interrogatus eſt POLITICUS de auditis illis, reſpondit, quod in Mundo non potuerit credere, quod homo victurus ſit homo poſt mortem, quoniam omne hominis jacet mortuum in ſepulchro, & ſic quod ille homo viderit Larvas, & crediderit quod illæ eſſent angeli & ſpiritus: ſed quod nunc primum convictus ſit ab ipſis ſenſibus, quod vivat homo ſicut prius, & quod ideo illum pudeat cogitationum priorum. Pæne ſimilia de ſe & de quibuſdam e ſua Schola narravit PHILOSOPHUS; & præterea quod illa quæ audiverat de viſis & auditis ab illo homine, retulerit inter Opiniones & Hypotheſes, quas ex Antiquis & Hodiernis collegerat. Sophi his auditis obſtupuerunt, imprimis quod Chriſtiani, qui in luce præ reliquis ex Revelatione ſunt, in tali caligine de Vita ſua poſt mortem eſſent, cum tamen nos, & ſapientes noſtri temporis, illam vitam ſciverunt & crediderunt; dicentes porro, quod animadvertant, quod Lux ſapientiæ ab illo ſæculo ab interioribus Cerebri ſe demiſerit

uſque ad os ſub naſo, ubi illa apparet ſicut ſplendor labri, & inde loquela oris ſicut ſapientia. His quidam ex tironibus adjecit hoc, oh quam ſtupidæ Mentes Terricolarum hodie ſunt, utinam adeſſent diſcipuli Heracliti qui ridebat ad omnia, & diſcipuli Democriti qui flebat ad omnia, & audiremus magnum riſum & magnum fletum. Poſt hæc datæ ſunt Advenis lamellæ cupreæ, ſuper quibus Hieroglyphica exarata erant, & abiverunt, n: 693.

LXXII. Quod inventi ſint novi Advenæ e Mundo, & adducti ſint ad Urbem ſub Parnaſſio, ac interrogati, QUID NOVI E TERRA, & reſponderunt, quod in Mundo crediderint, quod poſt mortem futura ſit omnimoda Requies a laboribus, & tamen audiverunt, cum huc veniebant, quod hic ſint Adminiſtrationes, Functiones, & Operæ ſicut in priori Mundo, & ſic quod non ſit Requies: ad hæc Sapientes ibi reſponderunt, ſic credidiſtis quod nunc victuri ſitis in mero otio, cum tamen ex otio fit Mentis & inde totius Corporis languor, torpor, ſtupor & ſopor, quæ ſunt Mors, & non Vita: & tunc circumducti ſunt in Urbe, & ad Adminiſtratores & Operarios; quibus viſis mirati ſunt, quod talia dentur, cum tamen etiam crediderint, quod futurum quoddam inane, in quo victuræ ſunt Animæ, antequam Novum Cælum & Nova Terra exiſtent: & inſtructi ſunt, quod omnia, quæ hic coram oculis apparent, ſint ſubſtantialia, & dicantur ſpiritualia, & quod omnia in priori Mundo ſint materialia & dicantur naturalia; & quod hoc diſcrimen ſit, quia ex alia origine ſunt, videlicet, quod omnia quæ in hoc Mundo ſunt, exiſtant & ſubſiſtant ex Sole qui eſt purus Amor, & quod omnia quæ in illo Mundo ſunt, exiſtant ex Sole qui eſt purus Ignis: & inſuper inſtructi ſunt, quod non modo in hoc Mundo ſint Adminiſtrationes, ſed etiam Studia omnis Generis, & quoque Scripturæ & Libri. Advenæ ex his inſtructionibus lætificati ſunt, & cum abirent, venerunt quædam Virgines cum Acupictis & Netis, operibus manuum ſuarum, & donaverunt illis; & coram illis cecinerunt Oden, quæ affectionem operum uſus cum amænis ejus melo angelico exprimebant, n: 694.

LXXIII. Quod introductus ſim in Conventum, ubi aliqui ex vetuſtis Philoſophis etiam aderant, ac interrogatus ſum, quid in meo Mundo ſciunt de INFLUXU, ad quæ reſpondi, quod non de alio ſciant, quam de Influxu lucis & caloris ſui Solis in illa quæ naturæ ſunt, tam in illa ibi quæ animata ſunt, quam quæ inanimata, & quod prorſus non ſciant aliquid de Influxu Mundi ſpiritualis in Naturalem, cum tamen ex illo Influxu ſunt omnia mirabilia, tam quæ conſpiciuntur ibi in Regno animali, quam quæ in Regno vegetabili, quæ quoad partem recenſentur; & quia hunc Influxum non ſciunt, confirmant ſe pro Natura, & fiunt Naturaliſtæ, & tandem Athei, n: 695.

LXXIV. Quod loquutus ſim cum ſectatoribus Ariſtotelis, Carteſii, & Leibnitzii, de INFLUXU PHYSICO, de INFLUXU OCCASIONALI, & de HARMONIA PRÆSTABILITA, & audivi, quomodo quiſque ſuam Hypotheſin confirmavit; & quoniam non potuerunt inſpicere illam rem intellectu ſupra confirmationes, ſed modo infra illas, dirimebant litem per ſortem, quæ exivit pro Influxu ſpirituali, quæ quoad partem cum Influxu Occaſionali coincidit, n: 696.

LXXV. Quod perductus ſim in quoddam Gymnaſium, in quo Juvenes initiabantur in varia quæ ſapientiæ ſunt, quod fiebat per ventilationem alicujus objecti, quod a Præſule ibi proponebatur, & objectum ventilationis tunc erat, QUID ANIMA, ET QUALIS ILLA; erat Cathedra, in quam aſcendebant reſponſuri; & mox UNUS aſcendit dicens, quod nemo a Creatione Mundi potuerit indagare, quid Anima & qualis illa; at quia ſciverunt, quod Anima eſſet in homine, inquiſitum eſt, ubinam illa, & quod fuerit, qui opinatus eſt, quod apud hominem reſideat in quadam Glandula, quæ vocatur Pinealis, & ſedet inter duo

Ce-

Cerebra in Capite; & quod hoc primum crediderit, ſed quia a multis rejectum eſt, poſt etiam ipſe receſſerit. Poſt hunc SECUNDUS aſcendit, & dixit, quod credat quod ſedes Animæ in Capite ſit, quoniam Intellectus ibi eſt, ſed quia non potuit divinare ubi illa ibi, acceſſerit nunc ad ſententiam illorum, qui dixerunt quod ſedes ejus eſſet in tribus Cerebri Ventriculis, nunc ad illorum qui dixerunt illam eſſe in Corporibus ſtriatis ibi, nunc ad illorum qui dixerunt in Subſtantia medullari aut corticali, & nunc ad illorum qui dixerunt in Dura Matre, quibus addidit, quod relinquat cuique arbitrari, quod libet. TERTIUS aſcendens dixit, quod Sedes animæ eſſet in Corde & inde in Sanguine, & hoc confirmavit ex Verbo, ubi dicitur Cor & Anima. QUARTUS poſtea aſcendens dixit, quod a pueritia cum Antiquis crediderit, quod Anima non eſſet in parte, ſed in Toto, quia eſt ſubſtantia ſpiritualis de qua non prædicari poteſt locus, ſed impletio, tum quia per animam etiam intelligitur vita, ac vita eſt in toto. QUINTUS aſcendens dixit, quod credat Animam eſſe purum quid ſimile ætheri aut aeri, & quod hoc crediderit quia opinati ſunt, quod Anima talis foret, poſtquam ſeparata eſt a corpore. Sed quia Sapientes in Orcheſtra perceperunt, quod nullus ex illis ſciret quid Anima, rogabant Præſulem, qui id problema propoſuerat, ut deſcenderet & doceret, hic itaque deſcendens dixit, quod Anima ſit ipſa Eſſentia hominis, & quia Eſſentia abſque forma non eſt aliquid, quod Anima ſit Forma formarum hominis, & quod hæc forma ſit Forma vere humana, in qua ſapientia cum ejus perceptionibus, & Amor cum ejus affectionibus univerſaliter reſident; & quia credidiſtis in Mundo, quod vos futuri ſitis Animæ poſt mortem, eſtis vos nunc Animæ, præter plura: & hoc confirmatum eſt per hoc effatum in Libro Creationis, *Jehovah Deus inſpiravit in nares Adami* ANIMAM VITARUM, *& factus eſt homo in* ANIMAM VIVENTEM, Geneſ. II: 7.

LXXVI. Quod viſus ſit Angelus cum tuba, per quam convocavit Celebres eruditione inter Chriſtianos, ut proferrent quid in Mundo prius crediderant de GAUDIIS CÆLI, ET DE FELICITATE ÆTERNA, hoc fiebat, quia dictum eſt in Cælo, quod nemo in Chriſtiano Orbe ſciat, aliquid de illis: & poſt horulam viſæ ſunt ex Chriſtianis eruditis adeſſe ſex Cohortes, qui quæſiti, quid ſciverant de Gaudiis Cæli, & de Felicitate æterna, dixit PRIMA COHORS, quod crediderint fore modo Intromiſſionem in Cælum, & tunc in ejus feſtiva Gaudia, ſicut quis intromittitur in domum nuptiarum & in ejus feſtivitates. ALTERA COHORS dixit, quod crediderint eſſe lætiſſima Conſortia, ac ſuaviſſimas Confabulationes cum Angelis. TERTIA COHORS dixit, quod crediderint eſſe Epulationes cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo. QUARTA COHORS dixit, quod crediderint eſſe Delitias Paradiſiacas. QUINTA COHORS, quod eſſent ſupereminentia Dominia, opulentiſſimæ Gazæ, & ſuperregia Magnificentia. SEXTA COHORS, quod eſſet Glorificatio Dei, & Feſtum perennans in æternum. Ut ergo Eruditi illi ſcirent, num illa quæ crediderant eſſe Gaudia cæli, datum eſt illis intrare in illa ſua Gaudia, & cuivis cohorti per ſe, ob cauſam, ut per vivam experientiam diſcerent, num Gaudia imaginaria vel num realia eſſent; hoc fit cum pleriſque qui e Mundo naturali alluunt in ſpiritualem, n: 731. 732. 733.

—— Et mox tunc illa Cohors, quæ putaverat Gaudia Cæleſtia eſſe lætiſſima Conſortia & ſuaves Confabulationes cum Angelis, immiſſa eſt in imaginationis ſuæ gaudia; ſed quia erant gaudia externa, & non interna, poſt aliquot dies tædio affecti ſunt, & receſſerunt, n: 734.

—— Poſtea illi, qui crediderant, quod Gaudia Cæleſtia eſſent Epulationes cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo, in ſimilia illis intromiſſi ſunt, ſed quia perceperunt, quod Gaudia illa eſſent modo externa, & non interna, tæduit illos, & abiverunt, n: 735.

—— Similiter factum eſt cum illis, qui crediderant Gaudia Cæli & Felicitatem æternam conſiſtere in ſupereminentibus Dominiis, opulentiſſimis Gazis, & in ſuperregia Magnificentia, n: 736.

—— Similiter etiam cum illis, qui crediderant Gaudia cæleſtia & inde Felicitatem æternam eſſe Delicias Paradiſiacas, n: 737.

—— Similiter poſtea cum illis, qui crediderant Gaudia Cæleſtia & Felicitatem æternam eſſe perpetuam Glorificationem Dei, ac Feſtum perennans in æternum: hi tandem inſtructi ſunt, quid in Verbo per Glorificationem Dei intelligitur, n: 738.

—— Similiter demum factum eſt cum illis, qui crediderant ſe in Gaudia Cæleſtia & in Felicitatem venire, modo intromittantur in Cælum, & quod illis tunc ſimiliter Gaudia forent, quemadmodum eſt illis qui intrant in domum nuptiarum & ſimul tunc in feſtivitates; at quia illis per vivas experientias oſtenſum eſt, quod in Cælo non ſint Gaudia niſi illis, qui vitam cæli, hoc eſt, vitam charitatis & fidei vixerunt, & quod viciſſim Cælum illis qui contrariam vitam egerunt, ſit cruciatus, receſſerunt, & cum ſimilibus ſe conſociaverunt, n: 739.

Quoniam perceptum eſt ab Angelis, quod adhuc nullus in Mundo naturali ſciret qualia ſunt Gaudia Cæli, & inde qualis eſt Felicitas æterna, dictum eſt ad Angelum tubæ, ut eligeret ex convocatis decem, ac introduceret illos in unam Societatem Cæli, ut ſuis oculis viderent & mentibus perciperent quid Cælum, & qualia ibi gaudia ſunt, & factum eſt ita; & poſt intromiſſionem, primum datum eſt illis videre magnificum Palatium Principis ibi, n: 740. Tum Paradiſum juxta illud, n: 741. Poſtea ipſum Principem, & ejus Magnates in veſtibus ſplendidis, n: 742. Deinde invitati ad Menſam Principis viderunt apparatus, quos aliquis oculus in terris non viderat; & ad Menſam audiverunt Principem inſtruentem illos de Gaudiis Cæleſtibus & de Felicitate æterna, quod eſſentialiter conſiſterent in Beatitudine interna, & ex hac in Jucunditatibus externis, & quod beatitudo interna ſuum eſſentiam ducat ex affectione uſus, n: 743. Poſt prandium ex mandato Principis arceſſiti ſunt quidam ſapientes Societatis, qui plene illos inſtruebant quid & unde beatitudo interna, quæ eſt Felicitas æterna, & quod hæc faciat, ut Jucunditates externæ ſint Gaudia, præter plura de his & illis, n: 745. ad 746. Poſt hæc datum eſt illis videre Nuptias in illo Cælo, de quibus, n: 747 ad 749. Et demum auſcultare Prædicationem n: 750. 751. Quibus omnibus viſis & auditis, pleni cognitione de Cælo, & læti corde, deſcenderunt, n: 752.

LXXVII. Agitur ibi de Revelatione; quod placuerit Domino Se manifeſtare mihi, & aperire interiora Mentis meæ, & ſic dare videre quæ in Cælo & Inferno ſunt, & quod ſic detexerit Arcana, quæ excellentia & dignitate excedunt Arcana hactenus detecta, quæ ſunt, I. Quod in omnibus & ſingulis Verbi ſit Sensus spiritualis, qui non apparet in ſenſu literæ: & quod ideo Verbum per Correſpondentias Spiritualium cum Naturalibus conſcriptum ſit. II. Quod ipſæ Correspondentiæ, quales ſunt, manifeſtatæ ſint. III. Et quoque de Vita hominum post mortem. IV. De Cælo & Inferno, quale unum & quale alterum; & quoque de Baptismo & Sancta Cæna. V. De Sole in Mundo Spirituali, quod ſit purus Amor a Domino, qui in medio ejus eſt, ex quo procedens Lux eſt ſapientia, & procedens Calor eſt Amor, & ſic quod inde ſit Fides & Charitas, & quod inde omnia quæ procedunt, ſint Spiritualia, & ſic viva; & quod Sol Mundi naturalis ſit purus ignis, & inde quod omnia quæ ex hoc Sole, ſint naturalia, & ſic mortua. VI. Quod tres Gradus ſint, hactenus ignoti. VII. Et præterea de Ultimo Judicio; Quod Dominus Salvator sit Deus Cæli et Terræ: de Nova Ecclesia, & ejus Doctrina; de Incolis Planetarum; & de

de Telluribus in Universo; n: 846. VIII. Insuper de Amore Conjugiali, & quod sit spiritualis apud spirituales, naturalis apud naturales, & carnalis apud adulteros, n: 847. IX. quod ab Angelis per autopsiam compertum sit, quod tametsi Arcana illa excellentiora sunt Arcanis hactenus detectis, usque a multis hodie floccipendantur, n: 848. Quod auditum sit murmur a quibusdam in Infera terra, quod illis fidem non adjungant, nisi Miracula fiant, sed quod tulerint responsum, quod per Miracula non plus crediturí essent quam Pharao & Ægyptii, nec plus quam posteri Jacobi dum saltaverunt circum Vitulum Aureum in deserto; nec plus quam ipsi Judæi dum viderunt Miracula ab ipso Domino facta, n: 849. XI. Demum Cur Dominus Arcana illa revelavit mihi, & non potius alicui ex Ordine Ecclesiastico, n: 850.

— Quod illa, quæ in Memorabilibus quæ post Capita sunt, vera sint, & quod similia Prophetis ante adventum Domini, & similia Apostolis post adventum Ipsius, ut Petro, Paulo, & imprimis Johanni in Apocalysi, visa & audita sint, quæ recensentur, n: 851.

THEOREMA PROPOSITUM A QUODAM DUCE ELECTORE IN GERMANIA, CUI ETIAM SUMMA DIGNITAS ECCLESIASTICA FUIT.

Quondam in Mundo spirituali vidi quendam Ducem Electorem in Germania, cui etiam summa Dignitas in Ecclesiasticis fuerat, & juxta illum duos Episcopos, & duos etiam Ministros, & ad distantiam audivi quid inter se loquebantur: interrogavit Dux Elector quatuor adstantes, num scirent quid facit Caput Religionis in Christianismo, est Fides sola justificans et salvans; interrogavit iterum, num scitis quid intus in illa Fide reconditum latet, recludite illam, introspicite, & dicite; responderunt, quod intus in illa non aliud reconditum lateat, quam Meritum et Justitia Domini Salvatoris; ad hæc dixit dux Elector, latetne tunc in illa Dominus Salvator in Humano suo, in quo vocatur Jesus Christus, quia Ipse in Humano suo Solus Justitia fuit; ad hæc dicebant, hoc certe & indivise sequitur: instabat Dux Elector, dicens, aperite Fidem illam, & introspicite adhuc, ac investigate bene, num quippiam aliud inibi est, & dixerunt Ministri, latet etiam inibi Gratia Dei Patris; ad quod Dux Elector dixit, concipite & percipite rite, & videbitis, Quod sit Gratia Filii apud Patrem, Ille enim petit & intercedit: quare dico vobis, quoniam confitemini, veneramini, & osculamini Fidem illam vestram Solam, omnino confitebimini, venerabimini & osculabimini Dominum Salvatorem in Humano suo Solum, nam, ut supra dictum est, Ipse in Humano suo fuit & est Justitia; quod Ipse in Hoc etiam sit Jehovah & Deus, vidi in Sacris Literis, ex his „ *Ecce Dies venient, cum suscitabo Davidi Germen justum, qui regnabit Rex, & prosperabitur, & hoc Nomen quod vocabunt Ipsum*, Jehovah Justitia nostra, Cap. XXXIII: 15. 16. Apud Paulum, *In Jesu Christo* omnis Plenitudo Divinitatis *habitat corporaliter*, Coloss. II: 9. Et apud Johannem, *Jesus Christus est* Verus Deus, *& Vita æterna*, I. Epist. V: 20. 21. Quare etiam vocatur Deus Fidei, Philipp. III: 9.

ER-

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Pag. 7. lin. 7. Unis, lege unus. pag. 8. lin. 17, baſtiam, lege beſtiam. pag. 18. lin. 10, ſubſtans, lege ſubſiſtens. pag. 21. 3, magnifica, l. magnifici. p. 24. 40, quord l. quoad. p. 32. 22, expenſum l. expanſum. p. 42. 38, elævationes l. elevationes. p. 47. 45. renactione l. reactione. p. 54. 33. cravit l. creavit. p. 55. 39. Deus, l. & dixit Deus. p. 56. 25. 26. infermo l. inferno. 59. 8, ſimiis l. ſimilis. 70. 26. vertilator l. ventilator. p. 78: 19. Filias l. Filius. p. 98. 39. Domius l. Dominus. pag. 104. 26. circonfudit l. circumfudit. p. 118. 8. Bezaleet &, l. Bezaleel eſt. 128. 28, miſſururus l. miſſurus. p. 130. 11. Divitatis l. Divinitatis. p. 133. 20. miſeratur l. miſereatur. p. 143. 27. ſuæ l. ſum. p. 162. 28, crucatur l. cruciatur. 174. 43, amydalum l. amygdalum. p. 176. 43. Mæcum l. mecum. p. 189. 22. Sanctitus l. ſanctitas. p. 208. 32, vindictu l. vindicta. p. 209. 10. camem l. carnem. p. 209. 17. eſpectat l. exſpectat. p. 213. 47, ubet l. lubet. p. 227. 12. propugari l. propagari. p. 231. 18, fructurus l. facturus. p. 238. 16. receproca l. reciproca. p. 244. 17. produat l producat. p. 244. 22. intellectas l. intellectus. p. 247. 24, rupta l. nupta. p. 259. 41. charita l. charitati. p. 270. 8, ſurpremum l. ſupremum. p. 272. 23, forman l. formam. p. 275. 45, valle l. velle. p. 275. 45, provimum l. proximum. p. 280. 28, amydalum l. amygdalum. p. 289. 45, velle eſt l. velle &. p. 293. 33, cinumrepit l. circumrepit. p. 296. 30, mearitum l. meritum. Præter plura levidenſia.

DATE DUE

APR 14 2005			
FEB 16 2005			
DEC 7 2015			

Demco, Inc. 38-293

BX
8712
T8
1964

445217

Vera Christiana
religio
/ E. Swedenborg

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

GTU Library
BX8712 .T8 1964 G
Swedenborg, Emanuel/Vera christiana reli
3 2400 00126 5150